FOR REFERENCE

Do Not Take From This Room

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N.Y.

240.1 M53 v.4

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS
AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUARTUS.

DE ECCLESIA. — DE AUCTORITATE ET INFALLIBILITATE SS. PONTIFICUM.

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

Ref
R60
r44
939
v.4

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR

EDITORES.

Præfatio generalis tractatûs de Ecclesiâ.

LEGRAND.

Notiones præviæ de naturâ, auctore et antiquitate Ecclesiæ.

REGNIER.

Tractatus de Ecclesiâ Christi.

PETITDIDIER.

De auctoritate et infallibilitate Summorum Pontificum.

INDEX RERUM

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

REGNIER VITA.

Regnier (Claudius), in Arverniâ natus anno 1718, à puero in hoc propendebat, ut ministerio clericali pleniùs Deo inserviret. Cui proposito parentibus feliciter faventibus, Lutetiam missus est, Sulpitianique seminarii directoribus commissus. Peracto splendidè cursu theologico, Licentiæ stadium emensus est, inter candidatos primas tenens, gradatimque Sorbonici doctoris infulam assecutus est. Tunc Sulpitianæ familiæ sodalitio aggregatus, in seminariis Andegavensi Lugdunensique dogmata professor edocuit, donec iterùm accersitus est Lutetiam, ubi loco D. Montagne (auctoris tractatûs de Gratiâ) dirigendis juniorum Licentiæ alumnorum studiis præpositus est. Interea dùm hoc munere fungeretur, utilissima elucubravit opera. Primum prodiit anno 1780, 6 vol. in-12, hoc inscriptum titulo : *Certitude des principes de la Religion.* In secundo censuris confodit famosiorem Raynalii historiam ; quod etsi non proprio nomine vulgandum voluerit, ab ipso, mandante sacrâ Theologiæ Facultate, omninò redactum est. Tertium, quod denuò typis referimus, exhibens tractatum de Ecclesiâ, Parisiis primùm prodiit 2 vol. in-8°, 1789. In variis hisce operibus, ac præsertim in proximè memorato, paulò gravior scribendi modus reprehenditur ; sed omnimodi generis doctrinâ logicâque idearum concatenatione et egregio methodo magnoperè compensatur, ideòque optimos inter recentis ævi tractatus de Ecclesiâ fit plurimi.

Postremis vitæ annis, Regnier delectus est ut seminarii Sulpitiani discipulis Scripturam sacram explanaret, cui muneri incubuit quamdiù vires suffecêre. Obiit anno 1790.

In suo de Ecclesiâ tractatu Regnier Gallicanam domûs Sorbonicæ doctrinam propugnavit, nec mirum, siquidem, percelebris hujus scholæ disciplinâ institutus, vix potuerit tantorum partes non amplecti doctorum, quorum sentiendi docendique modum nunquàm Romana sedes condemnavit. Tractandis verò hisce arduis controversiis, majori quàm plerique auctores animi ac styli modestiâ usus est Regnier, qui magnam in eo curam impendisse videtur, ut rationem ac vim primatûs summi pontificis extolleret, unde magnâ cum laude Romanæ sedis plurima deduxit consectaria quæ, si benè expendantur, Gallicanos inter et Ultramontanos obortas difficultates non parùm, ut postea demonstrabitur, expedire possunt. Cæterùm, ne quid in hoc nostro Theologiæ Cursu desideraretur, quod ad hanc materiam attineret, in præcedenti volumine præclarum subjecimus opus, auctore Ballerini, in Ultramontanæ opinionis patrocinium, unde alterutrum, prout libuerit, sensum illæsâ fide lectores poterunt præponere.

Præfatio generalis

TRACTATUS DE ECCLESIA.

Tractatum de verâ Religione immediatè sequitur tractatus de Ecclesiâ. In priore probantur existentia Dei, illius perfectiones ac vincula quibus homo Deo annectitur, præclarisque hisce argumentis raptus homo fit *Theista ;* cùm verò demonstratur Deum suas manifestâsse voluntates, leges dedisse, cultumque quo honoratur revelâsse, tunc *Theista* fit *Christianus. Christianus* per tractatum de Ecclesiâ fit *Catholicus,* adeòque necessaria est consecutio, ut qui revelatione admissâ Catholicus non effectus est, is, consequentiis pedetentim abreptus, Christianus etiam esse desinat, et in atheismum dubiumque universale prolabatur ineluctabiliter : adeò cunctæ systematis Catholici partes validè cohærent.

Haud ultra tractatum de verâ Religione progrediuntur Protestantes : tractatu de Ecclesiâ carent ; nam statim ac permittimus rationem in Scripturæ interpretatione infrenam vagari, jam tum de pastoribus et de auctoritate nequisquam est loquendum ; quod nuncupatur

auctoritas, fidei controversias dirimere nequit; qui pastores vocantur, peculiari tantùm ratione innixi perinde ac ipsimet fideles, nullo jure horum obsequium requirant. Quod adeò verum est, ut à Luthero Calvinoque duo evenerint: nempe vel 1° Protestantium pastores symbolis ordinatis, fideique et jurisjurandi lege impositâ, tyrannicè egerunt ac principiis suis contrariò; vel 2° fideles sibi magis constantes interpretationisque jure usi, nihil in Scripturâ vidêre nisi quod rationi placebat, sectisque fracti innumeris sibi pastores, ut lubuit, pro arbitrio suo, sine successione et connexione cum præcedentibus, elegerunt; ita ut tractatus de Ecclesiâ Protestantibus nullus sit et absurdus, nisi totus in hoc versetur, ut probet nullam esse veram in fidei disciplinæque quæstionibus auctoritatem, et in ratione hominis uniuscujusque auctoritatem hanc reipsà residere; tumque istius modi tractatus non aliud esse potest quàm de ratione humanâ tractatus.

Catholicus autem tractatûs de verâ Religione continuationem egregiam miratur, cùm docetur Deum, postquàm homini locutus est et variis revelationibus suam illi voluntatem patefecit, primùm Moysis et prophetarum ministerio, Filium Jesum Christum tandem misisse ad salvandos homines, eosque in veris salutis semitis dirigendos. Videmus igitur Moysis et prophetarum auctoritatem, et deinde auctoritatem Jesu Christi, qui illis succedens ordine temporum, jus habuit, quo usus est, perficiendi quod ipsi instituerant, et clariùs expressiùsque revelandi veritates quas illi obscurè tantùm et summatim proposuerant, tandemque addendi illorum revelationibus, quod ipse solus in sinu Patris noverat, quodque necessarium erat ad missionis divinæ cognitionem.

Cùm procedit Catholicus secundùm ipsum eventuum ordinem, videt Jesum Christum supremam potestatem suam de cœlo allatam delegâsse Apostolis, quorum electio vocatioque tam insignes sunt novi fœderis eventus.

Cuncta autem fiebant inutilia, si cum Apostolis hæc jura perirent: itaque Catholicus hoc præterea in Scripturâ lucidè consignatum invenit, scilicet ab Apostolis discipulos edoctos fuisse, episcoposque ubique institutos, et traditio certissima ac constantissima apostolicam potestatem episcopis eorúm successoribus attribuit, ita ut in corpore pastorum Ecclesiam tam clarè videamus quàm fulgebat in Apostolorum concilio, cùm præesset S. Petrus. Omni tempore habiti sunt episcopi populorum pastores, fidei doctores, mundi lumina, sacramentorum ministri, fidelium patres in Religionis ordine, perinde ac Apostoli omnes illos titulos habuerant, et sancta hæc munera exercuerant; ita ut, si probetur auctoritas Ecclesiæ ipsâ necessitate hujus auctoritatis, *à priori*, validiùs adhuc probetur Apostolorum electione et successione episcoporum iisdem Apostolis quos elegerat Jesus Christus.

Facta hæc autem minimè dubia sunt, et traditionis quasi catenam ex Apostolorum tempore ad nos usque evolvunt. Etenim à primis seculis, Jerosolymitani instar concilii, in gravissimis fidei controversiis, priusquàm in cœtum universum convenire liceret, furente persecutione, agebant episcopi concilia hæc privata, honorata adeò atque probata. Tunc sine temporalis auctoritatis auxilio, quamvis minaretur ipsa hæc auctoritas, episcopi hæreses perpendere, illarum falsitatem demonstrare, auctoresque ac fautores damnare, et fideles sic ab erroris veneno tueri. Cùm Ecclesiæ contigit pax, cùmque inita fuit societas sacerdotium inter et imperium optanda, principum præsidium Ecclesia non detrectavit, perstitit autem fidei et disciplinæ arbitra. Tùm, lætantibus summoperè fidelibus, convenire potuerunt cœtus illi venerabiles quò accersiebantur orbis episcopi, quorum decreta in conciliis lata pro lege valebant, super quæ nulla alia eminebat auctoritas, quæque ideò fiebant fidei populorum suprema ratio. Non semel temporalis auctoritas administrationi ecclesiasticæ sese immiscere voluit; non semel beneficia retractans, quin etiam hostis Ecclesiæ fiebat; sancta verò ac purissima Filii Dei sponsa divino freta præsidio jura sua semper sibi vindicavit, auctoritatem servavit, et Petri cymbam per scopulos tempestatesque semper direxit.

Hodierno etiam tempore, quo fidei cum hæresi et incredulitate tam frequens vehemensque orta est colluctatio, nubilo ac frigido hocce tempore, quo tot opiniones religiosæ, morales et politicæ nutant aut extinguuntur, quo temporalis auctoritas tanti laboris ope perstat, Ecclesia nunc etiam est sanctissima et validissima potestas. Petri cathedra amore circumdatur; illius decreta, preces ac pro oppressis protestationes orbem adhuc commovent: adeò verum est Ecclesiam ædificatam esse super petram!

Altero insigni facto Ecclesiæ visibilitas indicabatur. *Catholicum* nomen semper eam discriminatam fecit inter sectas omnes quæ à communi trunco avulsæ sibi fundatoris nomen usurpabant, quarum recens noscebatur origo, quarum limites præcisè circumscripti erant, quasque sic quilibet distinguebat ab Ecclesiâ magnâ terram omnem circumcingente. Cunctæ regiones ei testimonium perhibebant; eam fideles sine erroris metu usquè agnoscebant; ei soli tribuere poterant insignes illos unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis characteres in Symbolo laudatos. Itaque, cùm sæviret persecutio, neminem latebant illius characteres. Vulgò schismaticæ et hæreticæ Ecclesiæ obnoxiæ non erant odio inimicorum fidei; hi verò facilè agnoscebant magnæ Ecclesiæ episcopos, et inprimis Romæ episcopum, Petri successorem, navis sacræ navarcham, unitatisque umbilicum. Nec amici, nec inimici Ecclesiæ errare poterant, cùm illam quærerent, sive amorem et obsequium, sive prælia et persecutiones inferendi causâ. Diximus persecutores in Romæ episcopos primùm invectos esse. Cùm enim illos undique consuleret unusquisque, cùm fideles pro illis preces funderent et filialem cultum impertirentur, in mentem fidei hostium venerat facilè dispergendas oves, si pastores diverterentur; episcopos et fideles sine ducibus et magistris furori et invidiæ facilè cessuros, si frangi posset hæc pontificum series à Petro non interrupta, quorum Patres ab Ecclesiæ incunabulis genealogiam illustrem evolverant. Et in hoc quidem enitet præcipuè divina protectio, quòd Ecclesia, etiamsi martyrio dux periret, nunquàm labefactata fuerit. Quòd si enim manus osque illius qui *fratres suos confirmare* debebat verbo et auctoritate, morte constricta rigerent, cathedræ sacræ adhærebatur, donec successor traditionem oraculorum sacrorum continuaret.

Proh Catholici felicitatem! in fide timidus non est; illi non opus in Scripturis quærere, erroris discrimine, quod credendum et faciendum est, verumque Dei veri cultum; Ecclesiam audit sicut Moysen, prophetas et Christum ipsum audiisset. Securus confidit certitudini decretorum afflatorum veritatis Spiritu quem Filius ex Patre misit, doloreque dolet magno, cùm videt fratres ratione nixos imbecilli, per incerta et variationes humanarum opinionum, fidem quæ tantùm auctoritate niti potest, extra auctoritatem hanc quærentes. Jam nunc apparet quàm gravis momenti sit tractatus de Ecclesiâ, quàm amplus quantâque curâ necessariò sit indagandus.

Nullum veterem habemus de Ecclesiâ tractatum; neque olim, ut rectiùs loquamur, existebat, quia necessarius non erat. Nondùm enim eò deventum erat, si raros casus excipias nec gravissimos, ut recentiorum hæreticorum instar, spiritualis potestas aliò transferretur, deleretur sacramentum Ordinis, episcopatuque diruto principum auctoritati religio subjiceretur, et in cathedris ponerentur pastores qui originem suam repetere non possent ab Apostolis, primis post Christum Ecclesiæ fundatoribus, primisque episcopis. Ab Ecclesiâ magnâ schismatici divisi nullam cum Petri sede communionem habebant; episcopos autem servabant, qui scissionem suam cum sede Apostolicâ religare studebant. Adversùs quos adstruebatur, sicut à D. Augustino adversùs Donatistas, Ecclesiam esse unam, episcopatum unum ac mutuò colligatum, et in Petri cathedrâ centrum unitatis quærendum esse. Hæretici, licet dogmate corrupto, in Ecclesiâ manere volebant, sæpè etiam illâ repugnante; sed vulgò spiritualem potestatem ab Apostolis institutam non rejiciebant. Errores igitur illi singulares non generales simul impetebant ecclesiæ notiones, licet funestissimas doctrinas hæretici docerent.

Sed ex quo Protestantium, recentiorumque incredulorum irrepsêre systemata, necesse fuit densum corpus ex omnibus Ecclesiæ partibus conflare, ut principiorum omnium constitutivorum fasciculus difficultatibus omnibus opponeretur. Definire sedulò oportuit Ecclesiæ naturam, finem quem sibi Christus proposuit illam instituendo, auctoritatis necessitatem tanquàm regulæ fidei in pastoribus repositæ, qui sic sua jura venerationi et omnimodo fidelium obsequio ostendebant. Illæ autem notiones novæ non erant: sufficiebat illas sparsas in scriptis Patrum, in decretis conciliorum, et in operibus veterum theologorum colligere et coordinare; multus semper de Ecclesiâ et de illius juribus sermo fuerat habitus; semper enuntiata principia quibus constituitur: cùmque, prout variæ surgerent hæreses, variæ illius partes oppugnarentur, principium unumquodque confirmandum fuerat.

Ab uno tantùm seculo speciales de Ecclesiâ tractatus theologi contexêre. Quorum plurimi magnâ ratiocinationis vi pollent ingentique doctrinâ; sed coætaneis necessitatibus non omninò coaptantur. Crevit quæstio de Eccle-

siâ, aggressionumque scopus fermè præcipuus est. Utile foret, si quidquid eximium à theologis hactenùs congestum convenientiùs perita manus disponeret; alia tempora, alia est religiosi certaminis facies; alius etiam esse debet, saltem quoad formam, fidei defendendæ modus. Attamen præcipuas quibus opus est opes in tractatu Regnier reperire est. Editur tractatus ille cum annotationibus sumptis ex doctissimo Legrand et ex aliis. Hæc diligentia quâ utimur ad firmandum opus tam insigne Regnier, probabit quod diximus, necessarium esse ut quæstiones de Ecclesiâ, veluti continuatio et naturale complementum, tractatui de verâ Religione succedant.

(Editores.)

Caput præliminare (1).

NOTIONES PRÆVIÆ DE NATURÂ, AUCTORE ET ANTIQUITATE ECCLESIÆ.

Articulus primus.

De nomine Ecclesiæ.

Quinque eò loci exponenda, nimirùm etymologia nominis *Ecclesiæ*, variæ ejusdem nominis acceptiones, præcipua quoque alia nomina, et insigniores figuræ et parabolæ quibus in sacris litteris Ecclesia designatur.

§ 1. *De etymologiâ nominis Ecclesiæ.*

Vox *Ecclesiæ*, originem suam ducit à verbo græco, ἐκκαλέω, id est, *evoco*. Itaque Ecclesia juxta vim nominis est *evocatio*, seu vocatorum cœtus. De quo sanctus Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 18: « Aptè, inquit, Ecclesia « vocatur, quasi dicas, convocatio, propter « omnium convocationem. » Omnes enim qui Ecclesiæ se adjungunt, Dei vocatione præveniuntur. Hinc passim in suis Epistolis S. Paulus fideles nomine vocatorum insignit. Observant S. Augustinus et auctor antiquus commentarii in Proverbia, capite 5, apud sanctum Hieronymum, nobilius esse nomen Ecclesiæ quàm Synagogæ, quæ est congregatio, quia solæ creaturæ rationales vocantur, ipsa verò etiam pecora dicuntur congregari. Quamvis tamen ex veteri Testamento appareat populum Dei apud Israelitas fuisse quoque *Ecclesiam* nuncupatum, sed nunquàm Ecclesia Christi, seu populus novi Testamenti *Synagoga* est appellatus.

§ 2. *De variis nominis Ecclesiæ acceptionibus.*

Multiplex nominis Ecclesiæ acceptio sive in sacris litteris, sive in variis traditionis monumentis. Prima latissima est, et ita generalis ut ad quoslibet hominum conventus significandos extendatur. Sic psalmo 25, 5, à Davide dicitur: *Odivi Ecclesiam malignantium.* Sic Actuum 19, 30, 40, multitudo Ephesiorum etiam confusa, quam Demetrius argentarius adversùs sanctum Paulum et discipulos concitaverat, *Ecclesia* nominatur. Sic ibidem 39, conventus forensis ad negotia civilia et criminationes dijudicandas institutus, vocatur *Ecclesia legitima.*

Secunda acceptio minùs latè patet; latior tamen est. Usurpatur ad designandam collectionem, non modò fidelium qui in terris versantur, sed etiam eorum qui justitiâ seu gratiâ sanctificante prædíti vitam finierunt, sive eorum animæ in purgatorio detineantur, sive ab omni nævo purgatæ jam summâ beatitudine fruantur; ipsosmet angelos bonos illa acceptio complectitur. Quo sensu Ephes. capite 1, v. 22, sic legitur: *Omnia subjecit* (Deus) *sub pedibus ejus* (Christi); *et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Nimirùm, ut ait S. Augustinus in psalmum 36, « ex « omnibus fidelibus et angelis fit una civitas « sub uno rege. »

Secundùm ejusmodi acceptionem Ecclesiæ pro diverso eorum statu ex quibus coalescit, dividitur in militantem quæ complectitur fideles in viâ adhuc constitutos; in flentem seu patientem, justorum animas continentem, quibus post mortem corporis aliquid luendum superest, et quæ propterea in purgatorio patiuntur; et in triumphantem, ex omnibus conflatam sanctis et angelis bonis cœlesti beatitudine fruentibus.

Tertiam acceptionem nominis Ecclesiæ, latam nuncupamus. Juxta eam illa vox sumitur pro collectione fidelium omnium in terris, ab initio mundi usque ad ejus finem. Sic sanctus Gregorius Magnus homiliâ 19 in Evangelia ait, « Ecclesiam universalem incipere ab Abel

(1) Desumptum est illud caput ex clarissimo auctore Legrand, tract. de Ecclesiâ, dissert. 1.

« justo usque ad ultimum electum qui in fine « mundi nasciturus est. »

Ecclesiam porrò eo sensu acceptam, dividi pronum est, in Ecclesiam ante Christum, et Ecclesiam novi Testamenti. Hinc nascitur duplex alia nominis Ecclesiæ acceptio, quarum una designat Ecclesiam ante Christum, seu cœtum populi Dei, sive ante legem datam, sive tempore legis, et usque ad Christum. Atque ex multis locis veteris Testamenti in quibus nomen Ecclesiæ juxta versionem septuaginta Interpretum adhibetur, pleraque ad populum Dei spectant; ipse sanctus Stephanus Actuum 7, 38, eodem sensu eamdem vocem usurpat, cùm ait de Moyse : *Hic est qui fuit in Ecclesiâ in solitudine cum angelo, qui loquebatur in monte Sina, et cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Sit igitur hæc quarta acceptio vocabuli *Ecclesiæ*, pro cœtu populi Dei ante Christum significando.

Quinta acceptio ejusdem vocis, quæ etiam stricta est et propria, atque sub novo Testamento, à morte Christi, ita est usitata et communis, ut illi nomini alliganda sit quotiescumque simpliciter et sine addito pronuntiatur, in eo consistit quòd *Ecclesia* eorum sit societas qui Christum à Deo missum confitentur, et se ejus doctrinæ et institutis addictos profitentur. Scilicet ut hanc Ecclesiam formaret ipse unigenitus et æternus Dei Patris Filius è sinu Patris prodiit, homo factus, qui cum hominibus conversatus, socios sibi adscivit, qui eum ut magistrum audiebant. Ipsa verò est illa societas, quam nomine *Ecclesiæ* suæ insignivit; in hanc porrò societatem seu primitivam Ecclesiam cooptati sunt quotquot deinde in Christum crediderunt fideles; atque inde nata est Ecclesia catholica seu universalis, uti in Symbolo appellatur. Itaque *Ecclesia* sic accepta cœtus est fidelium novi Testamenti, qui in unum Religionis corpus per professionem doctrinæ et præceptorum Christi coadunantur. Frequentissima hæc est acceptio in sacris novi Testamenti libris, et in instrumentis omnibus traditionis. Hoc sensu S. Augustinus enarratione in psal. 142 dicit, « Ecclesiam incœpisse « ab Jerusalem, atque hinc extendi ad omnes « nationes. »

In Ecclesiâ autem sic sumptâ attenduntur primò præpositi, prout à populo fideli distinguuntur; secundò, ipsimet fideles, prout secernuntur à præpositis; tertiò utrique simul.

Et primò quidem vox *Ecclesiæ* ad designandos Ecclesiæ præpositos non rarò usurpatur. Sic Matth. 18, 17, Christus verba faciens de correctione fraternâ, ait : *Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ad quæ S. Chrysostomus in Matth. sic habet: « *Dic* « *Ecclesiæ*, id est, præsulibus et præpositis. » Concinunt sancti Cyprianus, Augustinus aliique; et reipsà « loci circumstantia manifestè « demonstrat, ait Stapleton controversiarum « libro 5 de Potestate ecclesiasticâ, capite 7, « illud Christi dictum ad præpositos Ecclesiæ « referendum. Sequitur enim immediatè : « *Amen dico vobis : Quæcumque alligaveritis su-* « *per terram, erunt ligata et in cœlo : et quæ-* « *cumque solveritis super terram, erunt soluta et* « *in cœlo.* Hoc autem quis negaverit ad solos « præpositos pertinere? »

Secundò eadem vox aliquando designat plebem ipsam fidelem prout à præpositis distinguitur. Ita Actuum 20, 28 : *Vos*, inquit Apostolus, *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* 15, 4 : *Càm autem*, ait auctor sacer, *venissent Jerosolymam* (Paulus et Barnabas), *suscepti sunt ab Ecclesiâ et ab Apostolis et senioribus.* Et versu 22 : *Placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesiâ eligere viros ex eis.* Simili sensu Patres synodi Antiochenæ apud Eusebium Historiæ ecclesiasticæ libro 7, capite 30, epistolam suam synodicam adversùs Paulum Samosatenum inscripsêre : *Episcopis, presbyteris, diaconis et Ecclesiis Dei.*

Tertiò, frequentissimè et in ipso Symbolo adhibetur idem Ecclesiæ nomen ad integrum ipsum cœtum ex pastoribus et fidelibus omnibus coalescentem, prout ab infidelium, hæreticorum et schismaticorum conventibus secernitur.

Ecclesia autem quatenùs accipitur pro præpositis Ecclesiæ designandis, dicitur quoque *Ecclesia docens*, cui à Christo concreditum est munus docendi et erudiendi subjectos fideles de iis quæ ad æternam salutem pertinent. Ecclesia verò quatenùs sumitur pro populo fideli prout à præpositis distinguitur, nomen sortitur *Ecclesiæ audientis.* Quæ distinctio facilè deprehenditur in Scripturis et traditione innixa, et à theologis et auctoribus polemicis non rarò adhibetur.

Supersunt duæ acceptiones nominis *Ecclesiæ* obiter declarandæ. Una quidem propria, sed valdè stricta, ubi scilicet ejusmodi vox cum additamento et restrictè sumitur ad designandas duntaxat aliquas Ecclesiæ partes notabiles, præsulibus suis et populo fideli ipsis

subjecto constitutas. Sic in historiâ ecclesiasticâ sæpè dicitur Ecclesia Alexandrina, Antiochena, Jerosolymitana, Constantinopolitana, orientalis, occidentalis. Sic dicitur Ecclesia Gallicana, Ecclesia Hispanica, etc.; imò acceptio ejusmodi restricta non rarò uni provinciæ, vel etiam uni diœcesi accommodatur. Sic dicitur Ecclesia Mediolanensis, Ecclesia Lugdunensis, Ecclesia Parisiensis, Ecclesia Aurelianensis, etc.

Altera impropria est et metaphorica, ubi nimirùm Ecclesiæ nomen sumitur pro ipsomet loco seu ædibus Deo consecratis in quas fideles ad preces fundendas et divinis assistendum conveniunt. Quo sensu S. Paulus 1 Corinth. 11, 18, ait : *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Et 14, 34 : *Mulieres in Ecclesiis taceant.*

§ 3. *De præcipuis aliis nominibus quibus Ecclesia in Scripturis sacris designatur.*

Ex iis vocibus quæ Ecclesiam metaphoricè in Scripturis denotant, illas præ cæteris referemus quibus præcipui ejus characteres commendantur.

Dicitur 1° *domus Dei.* Ita in Epistolâ primâ ad Timotheum 3, 5, ubi Apostolus hæc scribit : *Ut scias quomodò te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Comparatur domui, quia aptè inter se in Ecclesiâ disponuntur fideles, uti lapides, cæmenta, ligna, etc., in domo. Additur, *Dei,* quia Deus in Ecclesiâ colitur. Dicitur 2° *domus magna,* in quâ *non solùm sunt vasa aurea et argentea,* sed et *lignea, et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Verba sunt sancti Pauli 2 ad Timoth. 2, 20; quibus indicatur Ecclesiam multùm diffundi, atque bonos et malos in eâ contineri. Dicitur 3° *civitas Dei,* psalmo 47, 1, 2. *Civitas* quidem; nam quemadmodùm cives, in benè ordinatâ civitate, reguntur et uniuntur, ita fidelium inter se fovetur sancta unio intra Ecclesiam, et ad salutem diriguntur. *Dei verò,* quippe cùm Deus Ecclesiam in æternum fundaverit. Dicitur 4° *civitas supra montem posita,* Matth. 5, 14, propter ejus visibilitatem ac firmitatem. Dicitur 5° *regnum cœlorum,* Matth. 13; nempe cò tendit ejus regimen ut homines ad beatitudinem cœlestem deducantur; *regnum Dei,* Lucæ 13, 18, 20; *regnum Christi,* quod *non est de hoc mundo,* Joan. 18. Etenim Christus rex in hoc regno subjectis confert bona spiritualia temporalibus longè præstantiora. Dicitur 6° *castrorum acies ordinata,* et propterea *terribilis,* Cantic. 6, 10, quæ voces significant Ecclesiam adversùs impetus hostium Christi et ejus religionis immotam manere et inconcussam. Dicitur 7° *semen Abrahæ,* patris fidelium. *Semen Abrahæ estis,* inquit S. Paulus ad Galatas scribens 3, 29, secundùm promissionem hæredes. Vide S. Augustinum in expositione Epistolæ ad Galatas. Dicitur 8° *corpus Christi.* Ita Apostolus Ecclesiam nominat Coloss. 1, 24, Ephes. 1, 22, 23; 4, 12, et alibi. Christus nimirùm Ecclesiæ præest, ipsamque regit, et internâ gratiæ subministratione in eam perpetuò influit. Hinc Actuum 9, 4 et 5, Saulus dicitur persequi Jesum, quia persequebatur Ecclesiam, quæ est corpus ejus, ut præclarè observat S. Augustinus Epistolâ 140, aliàs 120, n. 18. Dicitur 9° *ovile Christi.* Fideles enim sæpè dicuntur oves Christi boni pastoris, quas pabulo doctrinæ et sacramentis nutrit. *Alias oves habeo,* inquiebat Christus Joan. 10, 16, *quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere... et fiet unum ovile et unus pastor.* Appositè ad hanc denominationem S. Augustinus tractatu 45 in Joan. n. 5, aiebat : « Hoc « tenete, ovile Christi esse catholicam Eccle- « siam. » Dicitur 10° *sponsa Christi.* Hùc ista Scripturæ loca referuntur : Cantic. 4, 8 : *Veni de Libano, sponsa mea, veni;* Osee 2, 19 : *Sponsabo te mihi in fide in sempiternum;* Apoc. 20, 17 : *Sponsus et sponsa dicunt : Veni.* Quâ appellatione significatur arctissima unio et indissolubile mutui amoris vinculum Christum inter et Ecclesiam. De quo argumento sæpè S. Augustinus. Vide librum 2 de Symbolo ad catechumenos cap. 6, et librum 3, capite 4; tum epistolas 90 et 269 in editione Benedict., etc. Dicitur 11° *regina,* quòd Christi regis regum sponsa sit. Ipsi accommodatur illud psaltis regii psal. 44, 11 : *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ad quem locum S. Augustinus, n. 14 : « Vestitus regi- « næ hujus, inquit, et pretiosus est, et varius « est; sacramenta doctrinæ in linguis omni- « bus variis. Alia lingua afra, alia græca, alia « hebræa, alia illa et illa. Faciunt illa varieta- « tem vestis reginæ hujus. Quomodò autem « omnis varietas vestis in unitate concordat, « sic et omnes linguæ ad unam fidem. In veste « varietas sit, scissura non sit. »

Dicitur quoque *columba,* quæ tenet et dimittit, ligat et solvit; *Jerusalem* illa vatis regii quæ ædificatur ut civitas; *hortus conclusus, paradisus,* etc., de quibus legi potest sanctus

Augustinus in libris adversùs Cresconium et de Baptismo contra Donatistas, necnon libro 20 de Civitate Dei.

Atque hæc de nominibus per metaphoram Ecclesiæ attributis.

§ 4. *De figuris quibus Ecclesia in Scripturis adumbratur.*

Septem præsertim figuræ seu typi Ecclesiæ deprehenduntur in libris veteris Testamenti, quorum alii ante Moysen, alii stante lege Mosaicâ extiterunt; præterea in novo Testamento tres potissimùm annotantur; aptè verò quæ spectant Ecclesiæ figuras, ad ea referuntur quæ nomen ejus contingunt, siquidem ubi figura notissima et usitata, non rarò fit ut nomen figuræ in rem figuratam transferatur.

Ante legem Mosaicam typi Ecclesiæ fuerunt quatuor. Primus est *paradisus* terrestris, extra quem manabant flumina paradisi, licet non nisi intra paradisum esset beatitudo. « Sic « ergo, inquit S. Augustinus libro 4, contra « Donatistas, capite primo, baptismus Ecclesiæ « potest esse extra Ecclesiam, munus autem « beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam repe- « ritur. » Secundus *Eva*, cujus formatio figurabat Ecclesiæ formationem. « Dormit Adam, « inquit S. Augustinus tractatu 9 in Joan. n. « 10, ut fiat Eva : moritur Christus ut fiat « Ecclesia. Dormienti Adæ, fit Eva de latere : « mortuo Christo, lanceâ percutitur latus, ut « profluant sacramenta quibus formetur Ec- « clesia... Cui non appareat quia in illis tunc « factis futura figurata sunt? » Tertius est *arca Noe*, cujus similitudo cum Ecclesiâ in duobus sita est : primò, durante diluvio, nemo extra arcam salvus factus est. *In quâ*, ait S. Petrus Epistolæ suæ primæ 3, 20, *octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Ita ad salutem æternam nemini extra Ecclesiam aditus patet. Secundò, munda et immunda animalia simul erant in arcâ; pariter in Ecclesiâ sunt boni et mali. Vide S. Hieronymum Dialogo in Luciferianos, et epistolâ 14, aliàs 57 ad Damasum. Vide etiam S. Augustinum lib. 12 contra Faustum, capitibus 14, 15, 16 et 17. Quartus Ecclesiæ typus, ante legem Mosaicam, positus est in veterum patriarcharum uxoribus, Sarâ inprimis Abrahami conjuge, Rebeccâ Isaaci, Rachele et Liâ Jacobi conjugibus, de quibus legendus est S. Augustinus libro primo de Baptismo adversùs Donatistas, et libro septimo, capite 10 et seq. In his præsertim mulieres illæ Ecclesiam repræsentârunt quòd numerosissimæ gentis fuerint matres, et filios non tantùm è sinu suo peperierint, sed etiam ex ancillarum sinu in quas jus habebant. Ita Ecclesia innumerabiles gignit filios, et quidem non in sinu suo tantùm, sed et in ancillarum alvo, hoc est, in ipso societatum hæreticarum et schismaticarum gremio, quæ sunt ab eâ non legitimè separatæ, ejusque auctoritati subditæ esse deberent, et apud quas baptisma collatum valet, modò juxta formam à Christo præscriptam ministretur. Scilicet baptismus à ministro hæretico secundùm hanc formam adhibitus, ipsiusmet Ecclesiæ sacramentum est, à Christo sponso ejus institutum, ab eo vim omnem, quam habet, regenerandi hauriens, et ejusdem solius nomine, velit nolit minister hæreticus, semper datum.

Tempore legis Mosaicæ tres Ecclesiæ figuræ seu typi insignes extiterunt; quorum unus fuit ipsa gens judaica, *quæ*, inquit sanctus Augustinus, libro 13, contra Faustum, capite 14, *magnus quidam propheta fuit Christi christianique regni.* Hinc Apostolus 1 Corinth. 10, post varios judaici populi ab egressu ex Ægypto recensitos eventus addit versu 6: *Hæc in figurâ facta sunt nostrî.* Et versu 11 : *Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis.* Alter typus fuit *templum Jerosolymitanum*, quod ad pascha celebrandum et sacrificia Deo offerenda adire tenebantur Judæi, ita ut sacrorum temerator haberetur quisquis extra Jerosolymam agnum paschalem comederet, aut sacrificium perpetraret. Sic ad Ecclesiam gentes confluunt extra quam nulli speranda salus. Habetur, stante lege Mosaicâ, tertia figura Ecclesiæ apud Danielem capite 2, v. 34 et 35 : nempe lapis quem rex Nabuchodonosor vidit *abscissum de monte sine manibus.... qui... factus est mons magnus et implevit universam terram.* De quo S. Augustinus tractatu 9 in Joannem, n. 15, hæc habet : « Daniel vidit lapidem præ- « cisum de monte sine manibus, et fregisse « omnia regna terrarum, et crevisse illum la- « pidem, et factum esse montem magnum, ita « ut impleret universam faciem terræ. Quid « apertius? Lapis de monte præciditur.... « mons ille, unde præcisus est, non impleve- « rat universam faciem terræ; non enim te- « nuerat regnum Judæorum omnes gentes. At « verò regnum Christi, universum orbem ter- « rarum cernimus occupare. »

Inter figuras Ecclesiæ in libris novi Testamenti memoratas, notandæ veniunt primò, duplex piscatio jussu Christi facta, altera ante

ejus passionem, Lucæ 5, 4, 5, 6 et 7; altera post ejus resurrectionem, Joan. 21, 6, de quibus S. Ambrosius, S. Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus, etc. Secundò, vestis dominica, seu Christi *tunica inconsutilis*, quæ, ut observant sancti Patres Ecclesiæ, unitatem significabat. Tertiò, *vas* illud quod vidisse refertur sanctus Petrus Act. 10, 11 et 12, descendens... *velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram*, in quo erant *omnia quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli*. Idem rursùs refertur 11, 5, 6; quo significabatur et gentes ad fidem esse admittendas.

§ 5. *De parabolis quibus Ecclesia in Scripturis delineatur.*

Istud præcipuè discrimen intercedit parabolam inter et figuram, quòd ista in rebus gestis sita sit, illa verò in rebus quæ finguntur ad veritatem repræsentandam et exprimendam. Parabolæ autem quibus Ecclesia in Evangelio adumbratur, quinque solent numerari, his versibus expressæ :

Ecclesiam Christi parabola quina figurat :
Area, convivium, retia, pascua, ager.

Parabola areæ legitur Matth. 3, 12, ubi hæc à sancto Joanne Baptistâ Christi præcursore dicta referuntur : *Cujus* (Christi) *ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Similia habentur Lucæ 3, 17. Per aream illam sancti Patres intelligunt Ecclesiam, quæ, sicut area frumentum et paleam, bonos continet simul et malos, et in quâ ad ventilationis usque tempus, id est, usque ad extremum judicii diem paleæ sunt tritico permixtæ, id est, boni malis, quorum separatio corporalis, Christo pronuntiante, fiet in illo extremo judicio.

Parabola *convivii* nuptialis, quod Matth. 22 et Lucæ 14 describitur, Ecclesiæ etiam accommodatur. Sedent inter convivas indiscriminatim boni et mali, pauperes et debiles, cæci et claudi, uno verbo quotquot cœnaculum ingredi voluerunt. Convivium verò illud apud S. Matth. ibidem imago est *regni cœlorum*, quo nomine, ut dictum est, Ecclesia frequenter in Evangelio designatur. Significatur itaque hâc parabolâ diffusio magna Ecclesiæ ad quam omnes sunt vocati, cui adscribuntur quicumque voluerint, in quâ proinde sunt improbi simul cum bonis, donec finitâ cœnâ, seu absoluto vitæ hujus mortalis tempore, qui veste nuptiali non induuntur, seu mali charitate destituti separentur à justis, mittanturque *in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.*

Parabola *retium, seu sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congregantis*, enarratur Matth. 13, 47 et seq. *Quam*, ait Christus, *cùm impleta esset, educentes et secùs littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit*, pergit ipse, *in consummatione seculi : exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium.*

Parabola *pascuorum* exhibetur Matth. 25, 32 et 33. In hoc capite, à versu 31 usque ad finem agitur de extremo judicio. *Cùm autem*, ait Christus, *venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis : et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.... Tunc dicet et his qui à sinistris erunt : Discedite, maledicti, in ignem æternum*, etc. Hæc, tametsi dicta sunt de universalitate hominum, attamen congruunt Ecclesiæ, cui à sancto Augustino applicantur Epistolâ 208, aliàs 209 et sermone 47, editionis Benedict. Nempe, sicut oves et hædi per diem communibus pascuis utuntur, nec pastoris curâ nisi ad vesperam à se invicem separantur; ita in Ecclesiæ sinu usque ad extremi judicii tempus, sunt simul boni et mali ejusdem doctrinæ et sacramentorum participes.

Parabola *agri* proponitur Matth. 13, 24 et seq. Seminaverat paterfamilias bonum semen in agro suo : inimicus homo superseminavit zizania, quæ servi sine morâ volebant colligere, quamvis esset timendum ne fortè eradicarent simul cum eis et triticum. *Sinite*, inquit paterfamilias, *utraque crescere usque ad messem.... Dicam messoribus : Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Hujusmodi verò parabolam explicat ipse Christus ibid. 38 et seq. *Ager est mundus* (per quem latè diffunditur Ecclesia). *Bonum semen, hi sunt filii regni; zizania, autem filii nequam.... messis verò, consummatio seculi est; messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur : sic erit in consummatione seculi... Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Hâc parabolâ usus est S. Augustinus inprimis sermone 88, aliàs 18, ad convincendos Donatistas. « Numquid Africa, inquiebat, est « mundus? Numquid messis hoc tempus? « Numquid messor Donatus?... Per totum « terrarum orbem tolerate zizania usque ad « messem. »

Articulus II.

De genuinâ Ecclesiæ definitione.

Ecclesiæ definitio genuina quæ nihil contineat nisi verum, duplicis generis esse potest, nempe vel generalioribus vocibus exprimi, in quibus generatim acceptis vel ipsi conveniunt plerique Protestantes, licet circa ejusmodi vocum particularem significationem à Catholicis valdè differant; vel vocibus compingi specialioribus, quibus non modò nihil designetur nisi quod Ecclesiæ veræ conveniat, sed etiam quibus delineetur Ecclesiæ notio soli conveniens Ecclesiæ Catholico-Romanæ, quam solam esse Ecclesiam veram pro certo habemus, et deinceps efficietur.

Utrâque ratione describi Ecclesiam operæ pretium est.

§ 1. *Notio veræ Ecclesiæ generalior.*

Ecclesia interna, quam vocamus Ecclesiæ animam, definiri potest, *cœtus sanctorum præsertimque electorum qui vivâ fide quæ per charitatem operatur, prædîti sunt.* Ecclesia autem externa seu visibilis quæ Ecclesiæ *corpus* à Catholicis appellatur, definiri potest, *cœtus hominum veræ fidei christianæ professione, vero sacramentorum usu, et politiâ à Christo institutâ colligatus et coadunatus.* Seu, ut habet cardinalis Perronius in responsione 1 ad regem majoris Britanniæ, capite 8 : Ecclesia, *eorum est societas quos Deus ad salutem vocavit per professionem veræ fidei, sinceram administrationem sacramentorum et adhæsionem pastoribus legitimis.* Ecclesia tandem adæquatè sumpta, prout ex animâ et corpore constituitur, rectè etiam definitur, *cœtus hominum partim sanctorum et electorum, partim peccatorum et reproborum, veræ fidei christianæ externâ professione, et visibili sacramentorum communione colligatus sub regimine pastorum, seu politiâ à Christo institutâ.*

Si ad voces quibus illæ definitiones compinguntur, solummodò attendas, vix quidquam in iis continetur, quod plerique Protestantes libenter non admittant. Si verò vocum intelligentia consideretur, magnum Catholicos inter et illos reperire est discrimen. Nam 1°, quod attinet ad Ecclesiam internam, nomine fidei electorum intelligunt Calviniani rigidiores eam, quâ prædestinati fide divinâ credant se esse electos et prædestinatos; quam quidem fidem Catholici repudiant ut temerariam, absurdam, et verbo Dei omninò oppositam. 2° Quantùm ad Ecclesiam externam, hæretici per doctrinam christianam quam Ecclesia debet profiteri, intelligunt doctrinam suæ sectæ; per usum sacramentorum, et politiam à Christo institutam, intelligunt sacramenta prout in suâ communione conficiuntur et ministrantur, et politiam in eâdem suâ societate adhibitam; nos autem intelligimus doctrinam fidei quam tenet Ecclesia Catholico-Romana, necnon usum sacramentorum et politiam, quæ in eâdem Ecclesiâ locum habent, in quâ solâ viget sacra hierarchia instituta à Christo sub capite visibili romano pontifice. 3° Quantùm ad nomina Ecclesiæ internæ et externæ, visibilis et invisibilis, iis non utimur tanquàm designantibus duplicem societatem quarum una, nempe Ecclesia interna et invisibilis stare possit, alterâ deficiente, interruptâ et restitui indigâ. Verùm ejusmodi vocabulis indigitamus unam solam et individuam societatem seu Ecclesiam, quæ, quatenùs continet justos et electos vivâ fide prædîtos et soli Deo cognitos, dici potest interna et in se invisibilis, hancque Ecclesiæ partem appellamus ejus *animam*, ad quam soli justi et electi vivâ fide imbuti, perfectè participant; quatenùs autem consideratur ut complectens quotquot veræ fidei professione et sacramentorum communione colligantur sub regimine quod Christus instituit, est externa et visibilis, et *corpus* Ecclesiæ à nobis nominatur. Nimirùm Ecclesia est necessariò visibilis, et corpus Ecclesiæ est necessariò corpus vivum, nec sine animâ, seu sine justis et electis qui in eâ contineantur, tanquàm pars continetur in toto, Ecclesia visibilis seu corpus Ecclesiæ subsistere unquàm potest. Et vice versâ, Ecclesia interna, seu anima Ecclesiæ in corpore Ecclesiæ, seu in Ecclesiâ visibili subsistit.

§ 2. *Notio specialior veræ Ecclesiæ.*

Ecclesia adæquatè considerata, nempe quantùm ad animam simul et corpus, meritò definitur strictiùs quàm supra, *cœtus hominum partim justorum et electorum, partim peccatorum et reproborum, externâ unius et ejusdem fidei veræ professione, visibilique Christi sacramentorum*

communione, sub legitimis pastoribus, inprimis Romano pontifice colligatus. Postremis hisce verbis ita restringitur illa definitio, ut iis determinetur nomen Ecclesiæ ad significandam Ecclesiam Catholico-Romanam, quæ sola habenda sit ut vera Christi Ecclesia; unde sequitur in allatâ eâdem definitione, nominibus veræ fidei et sacramentorum Christi esse intelligenda sacramenta quæ in eâdem Ecclesiâ ministrantur et adhibentur, et fidem quæ in eâ tenetur et prædicatur.

Inde sequitur hæc specialior definitio Ecclesiæ quantùm ad corpus spectatæ, nempe *cœtus est eorum qui veram Christi fidem profitentur, Christi sacramentis utuntur, et pastoribus legitimis, inprimis Romano pontifici subjiciuntur.* Si autem spectetur quantùm ad animam, consequenter definienda erit, *societas fidelium, internis Spiritûs sancti donis, inprimis fide internâ, spe et charitate, aut saltem fide internâ conjunctorum.*

Additur : Aut *saltem fide internâ*, quia licet ii soli, qui fide internâ, spe et charitate præditi sunt, seu soli justi ad animam Ecclesiæ perfectè pertineant, attamen, cùm peccatum mortale quo gratia semel accepta amittitur, sæpiùs non sit peccatum infidelitatis, multi qui gratiam, seu charitatem amittunt, non idcircò carent fide verâ et sincerâ, imò nec spe, adeòque per fidem interiorem intùs uniuntur inter se et cum ipsismet justis, et imperfectè participant animam Ecclesiæ. Ejusmodi peccatores habent solum vitæ initium; sunt in Ecclesiâ, sicut essent in corpore humano membra illa quæ haberent sensum, sed non motum; habent hi veluti partem animæ Ecclesiæ, sed non habent integram, destituuntur eo quod in illâ animâ perfectius est, nempe charitate. Legi potest Bellarminus, lib. 3 de Ecclesiâ militante, capite 2. Vide etiam concil. Trid. sess. 6, can. 27 et 28.

Nec dicas à quibusdam doctoribus catholicis contendi peccatores etiam fideles non esse membra Ecclesiæ : ita sentire Joannem de Turrecremată, lib. 1, cap. 5, ubi id probat ex Alexandro de Ales, Hugone, et S. Thomâ; idem etiam doceri à Petro Soto, à Melchiore Cano, et aliis, teste Bellarmino, lib. 3 de Ecclesiâ militante, cap. 9, qui licet ab iis auctoribus dissideat, eorum tamen sententiam non condemnat, imò catholicâ propugnari posse manifestè supponit; proinde in definitione Ecclesiæ quantùm ad animam spectatæ, in quâ definitione nihil deberet exhiberi nisi quod apud omnes doctores catholicos certum sit et indubitatum, præposterè à nobis adjici fideles charitate destitutos, sed *fide internâ præditos*, per hanc fidem intùs conjungi inter se et cum justis, et ad animam Ecclesiæ imperfectè quidem, attamen verè et propriè pertinere.

Responsio est in promptu, siquidem à theologis illis, qui docent fideles verâ fide internâ præditos, amissâ per peccatum charitate, non esse propriè Ecclesiæ membra, nihil negatur quod nostra definitione contineatur; imò eos inter et plerosque alios theologos qui peccatores internâ fide præditos appellant vera Ecclesiæ membra, nullum est quod ad rem ipsam attineat discrimen, sed tota, sub hoc respectu, quæstio est duntaxat de nomine. Asserunt enim pauci illi doctores catholici, quorum nobis objicitur auctoritas, 1° amissâ per peccatum gratiâ, fidem non semper amitti, eamque fidem quæ remanet, licet viva non sit, veram tamen esse et theologicam, quæ hominem *simpliciter christianum ac fidelem* efficiat. Ita de illis disertè testatur Bellarminus ipsomet loco citato. Asserunt 2°, quod consequens est, nimirùm, per interiorem et veram fidem quæ remanet in peccatoribus qui gratiam justificationis ante acceptam alio quàm infidelitatis peccato mortali amittunt, eosdem peccatores verè et interiùs uniri Christo, justis, totique generatim Ecclesiæ eamdem cum ipsis fidem profitenti. Ita sæpissimè et expressè Alensis, Turrecremata, Melchior Canus, aliique citati, inprimis S. Thomas 1-2, q. 106, art. 1, et q. 108, art. 1, ad 1; tertiâ autem parte, q. 8, art. 3, ait fideles qui alio quàm infidelitatis peccato à charitate exciderunt, *actu uniri ei* (Christo capiti suo) *per fidem.* Asserunt 3°, quod ex prioribus pariter sequitur, videlicet peccatores fideles non solùm exteriùs et apparenter, sed etiam verè et interiùs ad veram pertinere Ecclesiam, eosque non solùm in Ecclesiâ reperiri, sed etiam verè et propriè esse de Ecclesiâ, et veras esse veræ Ecclesiæ partes.

Ergo quidquam ex iis quæ nostrâ continentur definitione, illi adeò non negant, ut potiùs ultrò fateantur et tanquàm indubitatum ponant quidquid reverà tenent cæteri theologi catholici, qui malunt dici peccatores verâ et interiori fide præditos vera esse Ecclesiæ membra. Proinde istos inter et illos nulla est, eâ de re, nisi de nomine quæstio. Atque ita constans certaque ac pervulgata in Ecclesiâ catholicâ est ea doctrina quam dictâ definitione exhibe-

mus, ut in ipsis catechismis exponatur. Hanc inprimis solidè et dilucidè evolvit et explicat illustrissimus Bossuetius in catechismo quem gallicè ad usum suæ diœceseos Meldensis exaravit, lectione 9 de Symbolo, ubi hæc habentur : Quæritur : *Quid est Ecclesia catholica?* R. *Cœtus est, seu societas fidelium toto terrarum orbe diffusa.* Quæritur iterùm : *Quid eos conjungit interiùs?* R. *Una eademque fides.* Quæritur rursùs : *Quid eos conjungit exteriùs?* R. *Professio unius et ejusdem fidei*, unius et *ejusdem legis; eadem sacramenta, idem regimen ecclesiasticum sub eodem capite visibili, nempe Romano pontifice.* Audis fideles quorum societas est Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, inter se conjungi interiùs unâ eâdemque fide; perfectiùs quidem ubi fides ea viva est et per charitatem operatur, ut in justis; imperfectiùs quidem, sed tamen verè, si fides illa, licet non sit viva, nomen veræ et interioris fidei mereatur, qualis remanet in fidelibus peccatoribus, qui peccato quodam mortali, sed non infidelitatis, maculati sunt.

Gravissimi momenti controversia, quæ de naturâ et definitione Ecclesiæ agitatur Catholicos inter et Protestantes, in hoc potissimùm consistit, quæ sit nimirùm Ecclesia cui privilegia multa immediatè à Christo concessa sunt, et quàm directè contingant promissa Christi de ejus perennitate, infallibilitate, etc., in quibus sigillatim tractandis præcipua hujus tractatûs pars occupabitur. Tot igitur et tanta complectitur capita controversia ejusmodi, ut ea simul omnia hìc inspicere et expendere non expediat. Interim sufficiat modò tradi veram Ecclesiæ de quâ agitur, definitionem, quæ deinceps à nobis quantùm ad omnes suas partes vindicabitur et asseretur. Itaque vera Ecclesia Christi, de quâ passim sermo est in Scripturis, cui competunt privilegia à Christo Ecclesiæ concessa, quam ipse Christus fundavit, seu militans novi Testamenti Ecclesia, rectè definitur : *Cœtus hominum unius et ejusdem veræ fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè Christi in terris vicarii Romani pontificis.* Nihil necesse cò loci explicari varias hujusce descriptionis partes, quæ ex dictis hactenùs quantùm impræsentiarum satis est, facilè intelliguntur.

Nulla autem in eâdem fit mentio expressa justorum et electorum, quos Ecclesiæ sinus semper et necessariò complectitur : scilicet Ecclesia nunquàm esse potest sine justis, quorum multi in justitiâ acceptâ perseverant usque ad mortem, adeòque sunt electi; imò illi sunt pars Ecclesiæ potior et nobilior ad quam ministerium verbi et sacramentorum atque cuncta concessa ipsi privilegia et prærogativæ referuntur, quippe cùm pro iis formandis ac fovendis ministerium ipsum et sacramenta instituta sint. Sed idcircò in definitione Ecclesiæ conceptis verbis non memorantur, tum quia in eâ consideratur Ecclesia quantùm ad corpus, seu quatenùs est visibilis, et proindè quantùm ad vincula externa quibus omnes, qui ad eam quoquo modo pertinent, conjunguntur, et in societatem visibilem coadunantur; tum quia his verbis : *Sub regimine legitimorum pastorum;* et istis : *Unius et ejusdem veræ fidei professione et eorumdem sacramentorum communione conjunctus*, satis significatur veram Christi doctrinam in Ecclesiâ annuntiari, et vera à Christo instituta sacramenta ritè ministrari; ex quò planè concludi debet in eâ reperiri justos et electos, quandoquidem veræ Christi doctrinæ prædicatio et rectus ejus sacramentorum usus, ministeriumque à Christo institutum, uberes nata sunt referre fructus et constanter referunt.

Hæc à nobis jam fuisse observata non sumus immemores; sed cùm definitionem Ecclesiæ à Catholicis traditam frequenter reprehendant Protestantes, quòd nullum in eâ sermonem faciant de justis et electis, cùmque propterea eosdem sæpiùs criminentur quasi vellent ex solis hypocritis et reprobis veram Christi Ecclesiam posse componi, nos non piguit, ut tam sæpè iterata calumnia refutaretur, eamdem lectori observationem denuò subjicere, quæ magni momenti est, et cujus veritas, ubi de sanctitate Ecclesiæ, ex professo comprobabitur. Cæterùm, utinam ad revocandos in Ecclesiæ sinum Protestantes sufficeret in Ecclesiæ definitione adjici expressam mentionem justorum et electorum ipsâ semper comprehensorum ! luctuosum schisma brevi et facilè compesceretur. Levi enim negotio fieri potest ejusmodi additio, sine ullâ definitionis mutatione quæ sit alicujus momenti. Quid enim vetat Ecclesiam militantem novi Testamenti, à Christo fundatam, visibilem, et quatenùs visibilem, etc., definiri : *Cœtum hominum, inter quos multi semper sunt justi et electi, unius et ejusdem fidei professione et eorumdem sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum ac præcipuè Romani pontificis?* In hàc definitione memorantur expressè justi

et electi qui sunt præcipua Ecclesiæ membra, propter quos Ecclesia instituta est et multis privilegiis aucta. Ita tamen fit eorum mentio ut soli Ecclesiæ ut visibili hæc definitio conveniat, quemadmodùm et illa quæ superiùs allata est, in quâ implicitè tantùm continebatur quod in istâ conceptis verbis adjectum est de potiori et nobiliori Ecclesiæ parte, nempe de justis fide, spe et charitate imbutis, quorum alii non perseverant usque ad mortem, et sunt justi temporales, ut aiunt; alii verò in justitiâ usque ad mortem perseverant, et electi sunt seu prædestinati.

Jam observatum est singula quæque prædictâ definitione contenta deinceps ostendenda esse veræ Ecclesiæ visibili necessariò competere vi institutionis Christi. Hoc autem posito, eamdem definitionem Ecclesiæ esse legitimam paucis

Probatur. Illa Ecclesiæ ut visibilis, definitio legitima est, quâ nihil continetur quod Ecclesiæ ut visibili non competat, in quâ id omne exhibetur quod Ecclesiam reddit visibilem, quæ omnes complectitur Ecclesiæ partes, et ab eâ removet quidquid est ab ipsâ removendum; atqui talis est nostra Ecclesiæ definitio: 1° Quidem, allata Ecclesiæ definitio nihil continet quod Ecclesiæ ut visibili non competat, uti inferiùs efficietur, præsertim ubi de unitate Ecclesiæ, de ejus membris, de ministerio et regimine ecclesiastico. 2° In eâdem definitione exhibetur id omne quod Ecclesiam reddit visibilem. Visibilis enim redditur per professionem et prædicationem ejusdem fidei, per communionem et dispensationem eorumdem sacramentorum, et subjectionem iisdem pastoribus, præsertim Romano pontifici, ita ut inde facilè ab omnibus Ecclesia tam dignoscatur, quàm imperium quodlibet, v. g., regnum Galliæ. 3° Eadem definitio complectitur omnes Ecclesiæ partes. Tria enim ad minimum requiruntur et sufficiunt ut quis dici queat pars veræ Ecclesiæ, scilicet professio fidei christianæ, sacramentorum communio, legitimis pastoribus, ac præsertim Romano pontifici subjectio: atqui hæc tria complectitur definitio allata; ergo. 4° Ab Ecclesiâ removet quidquid ab ipsâ removendum est. Per tres enim assignatas conditiones ab illâ removentur quicumque ad Ecclesiam, ut visibilem, non pertinent. Defectu primæ conditionis ab eâ excluduntur omnes infideles, sive qui nunquàm fuerunt in Ecclesiâ, ut pagani, Judæi, Mahumetani; sive qui in eâ fuerunt et ab eâ recesserunt, ut apostatæ et hæretici. Defectu secundæ excluduntur vel qui nunquàm admissi sunt ad sacramentorum communionem, ut catechumeni, vel qui per Ecclesiæ censuras eorumdem communione privati sunt, ut excommunicati. Defectu tertiæ conditionis, excluduntur schismatici, qui licet fidem veram profiteantur et habeant sacramenta, foris tamen sunt et extra Ecclesiam, eò quòd legitimis pastoribus, Romano præsertim pontifici Ecclesiæ capiti, non obtemperent; ergo, etc.

Objicit Melanchton in Apologiâ articuli I Confessionis Augustanæ: Manca est et imperfecta illa Ecclesiæ definitio, in quâ nulla fit mentio justorum, nulla fidei interioris, spei et charitatis, in quibus tamen sita est pars Ecclesiæ præcipua et nobilior; atqui, etc.— Distinguo majorem: In quâ nullâ fit mentio etiam implicita et virtualis justorum, seu fidei interioris, spei et charitatis, et, in quâ asserendâ, animus est exponendi seu definiendi Ecclesiam adæquatè sumptam, prout constat animâ et corpore, concedo; in quâ non fit mentio explicita et expressa justorum, seu fidei interioris, spei et charitatis quibus animantur, et in quâ afferendâ animus est definiendi solummodò Ecclesiam inadæquatè sumptam, nempe secundùm ea tantùm quibus redditur visibilis, nego. Licet theologis catholicis fide certum sit in Ecclesiâ visibili multos semper esse justos et electos, ac proinde donis fidei interioris, spei et charitatis ornatos et animatos, attamen nullam eorum formalem et expressam mentionem faciunt in definiendâ Ecclesiâ visibili, quoad scilicet vincula exteriora quibus omnes ejus partes inter se colligantur. Ratio est quia tunc spectant solummodò Ecclesiam inadæquatè sumptam, nempe quatenùs visibilem, et secundùm corpus, seu secundùm ea sensibilia et visibilia quibus omnes ejus partes in unum corpus societatis visibilis coadunantur.

Triplici autem potissimùm de causâ theologi in suâ Ecclesiæ definitione speciatim illam considerant, in quantum visibili est et externam societatem constituit. Una est, quia Ecclesia sub eo respectu, seu quatenùs est visibilis, doctrix est et magistra veritatis, ut aliquando ostendetur. Sicque directiùs sese Protestantium erroribus opponunt, distinguentium Ecclesiam duplicem, unam internam et invisibilem, externam alteram et visibilem, quarum illa sola, non illa potiatur privilegiis Ecclesiæ concessis, quæ in Scripturis enarrantur. Altera est, quia Ecclesiæ nomine absolutè sum-

pto vera intelligenda est Ecclesia quæ externa sit et visibilis, uti demonstrat ex Scripturis, et ex confessionibus fidei et libris disciplinæ ipsorummet Protestantium, illustrissimus Bossuetius in libro cui titulus : *Conférence avec le ministre Claude.* Tertia est, quia deprehensâ semel visibili Ecclesiâ, statim habebitur illius anima quæ ab ejus corpore inseparabilis est, et in eâ societate necessariò reperitur, quæ cum veræ fidei professione et sacramentorum communione, legitimâ potitur pastorum successione, et Romanum pontificem caput visibile et ministeriale agnoscit. Quotquot igitur illius societatis partes sunt, pro certo tenere debent, se in eâ esse societate, in quâ existunt, formantur, et ad vitam spiritualem foventur et aluntur justi et electi, propter quos hæc societas visibilis instituta est, et eximiis à Christo dotibus et privilegiis fuit donata.

Hinc meritò dici potest, in definitione de quâ agitur, saltem virtualiter exprimi interiora fidei, spei et charitatis dona, siquidem professio veræ fidei illud involvit, ut quisque in Ecclesiâ visibili existens profiteatur à se credi in eâdem visibili societate multos contineri justos et electos, fide, spe et charitate interioribus animatos.

Eamdem justorum mentionem virtualem et implicitam in eâdem theologorum definitione haberi jam probavimus quoque ex efficaciâ sinceræ prædicationis verbi Dei et ministerii sacramentorum à Christo institutorum ; quod quidem ministerium ut et prædicationem puram in verâ Ecclesiâ visibili vigere eadem definitio apertè significat.

Licet verò juxta vel severiores regulas logices, necesse non sit, imò sæpiùs vitiosum foret in definitione reponi quidquid necessariò attribuendum est definito, quippe, cùm multa sint necessaria definito, quæ in definitione propriè dictâ et accuratâ conceptis verbis exprimi non debent, quorum nempe mentio virtualis sufficit, in eo sita quòd legitimâ consequentiâ deduci possint ex iis quæ definitio formaliter exhibet : licet hæc observatio iis conjuncta quæ supra diximus de mente theologorum in definiendâ Ecclesiâ, satis superque sit ad eorum definitionem ab omni cavillatione defendendam, attamen huic diximus posse addi aliquam mentionem expressam justorum et electorum verâ Ecclesiâ visibili semper comprehensorum, sine ullâ mutatione sensûs ejusmodi definitionis, ita ut scopum suum theologi perinde assequerentur. Itaque, si id unum cuperent Protestantes ut in ipsâ Ecclesiæ, ut visibilis, definitione conceptis verbis fieret sermo de justis et electis fide interiori, spe et charitate pollentibus et animatis, quæstiones de nomine non agitamus, votis eorum lubentes annueremus, nec sanè in definitione seu descriptione Ecclesiæ illud vereremur expressè asserere, quod omnes oculati facilè assentientur in eâ virtualiter exprimi.

Inst. 1° : In definitione Ecclesiæ ea poni debent quæ pertinent ad essentiam Ecclesiæ, quippe definitio, si legitima sit, naturam rei explicat ; atqui in definitione theologorum non ponuntur ea quæ ad essentiam Ecclesiæ pertinent ; nimirùm fides, spes et charitas. Certè, si dicat aliquis virtutes illas non esse Ecclesiæ essentiales, fatendum ipsi erit veram Christi Ecclesiam concipi posse ac existere sine fide, spe et charitate : *Portasque inferi* adversùs illam *non prævalituras,* quamvis congregatio duntaxat foret impiorum et hypocritarum, qui omni fide, spe et charitate destituuntur : quod utrumque perabsurdum est. Ita fermè Melanchton loco mox citato, et minister Claudius in responsione ad librum illust. Bossuetii inscriptum : *Conférence avec M. Claude*, quæst. 2. — Dist. maj. : In definitione Ecclesiæ debent ea poni quæ ad essentiam ejus pertinent, secundùm respectum sub quo definienda est, concedo ; quæ ad essentiam Ecclesiæ pertinent sub omni respectu, licet definienda non sit nisi sub uno respectu, nego. Unaquæque res benè definitur, si secundùm respectum sub quo definiens debet ipsam considerare, aptè definiatur. Potest quidem spectari res sub omni respectu et adæquatè, et ejus sic spectatæ quæri definitio ; quæ imperfecta quidem erit, nisi totam rei essentiam, seu genus proximum et differentiam ejus propriam exponat, ex quibus concipiantur fluere cætera rei ejusdem attributa necessaria, seu propria, seu generica. Et quidem Ecclesiam absolutè et adæquatè sub omni respectu consideratam definiunt theologi catholici, eorumque definitiones retulimus. Verùm una eademque res potest etiam considerari et definiri sub uno respectu qui specialem ob causam attenditur, dùm alios respectus explicare animus non est, iisdem tamen non negatis, imò virtualiter eatenùs expressis quatenùs ex ipsâ rei sub uno respectu datâ definitione deducuntur. Atqui ita se habet prædicta theologorum definitio. In eâ attenditur Ecclesia ut visibilis, animusque est eam definiendi

ut visibilem; adeòque hæc definitio legitima est, modò in eâ explicentur, ut reipsà fit, quæcumque Ecclesiam visibilem efficiunt: nec necesse est in eâdem expressè memorari justos et electos fide, spe et charitate interioribus donatos, quantùmvis ipsi sint potior pars Ecclesiæ sub omni respectu consideratæ, quia nimirùm interiora sunt hujusmodi dona, solusque Deus eos certò cognoscit, qui illis virtutibus pollent. Præterea, illâ Ecclesiâ visibili justos et electos, fide, spe et charitate instructos contineri non modò eâdem definitione Ecclesiæ ut visibilis, non negatur, sed potiùs ex contentis et explicatis in illâ definitione, fidem, spem et charitatem, seu justos et electos illis donis ornatos Ecclesiæ visibilis sinu comprehendi, apertè deducitur. Proinde ejusmodi justorum et electorum mentionem virtualem illa definitio continet.

Demùm, ut dictum est, nihil vetat quominùs illi definitioni, seu descriptioni Ecclesiæ addatur mentio expressa justorum et electorum, fide, spe et charitate donatorum; neque hâc mentione indirectâ, ullo modo mutantur definitionis usus et sensus.

Ergo ex allatâ theologorum catholicorum definitione id absurdi nequaquàm sequitur, videlicet, veram Christi Ecclesiam concipi posse et existere sine fide, spe et charitate, portasque inferi adversùs illam non esse prævalituras, quamvis congregatio duntaxat foret impiorum et hypocritarum, omni fide, spe et charitate destitutorum.

Inst. 2°: Corpus Ecclesiæ est essentialiter vivum; ergo definiri nequit ipsum Ecclesiæ corpus sine memoratis expressè et directè prædictis fidei, spei et charitatis virtutibus, in quibus vita seu anima Ecclesiæ consistit. — Distinguo consequens: Definiri nequit corpus Ecclesiæ sine memoratis expressè et directè fidei, spei et charitatis virtutibus, si definiendo Ecclesiam seu corpus Ecclesiæ, directè attendatur ejus vita, concedo; si directè attendatur Ecclesia solùm ut visibilis, seu Ecclesiæ corpus quatenùs per illud visibilis Ecclesia efficitur, nego. Cùm in adornandâ definitione allatâ id unum directè attendatur, ut ea tanquàm visibilis et secundùm corpus quo visibilis efficitur, spectata, describatur, hinc necesse non est in eâdem definitione directè et expressè memorari justos et electos, quibus ne uno quidem momento carere potest Ecclesia; quapropter solent theologi in eâ facere mentionem solummodò implicitam et virtualem justorum et electorum. Quòd si quis in eâdem velit expressè memorari justos et electos, fide, spe et charitate instructos, id sanè ipsi licet, juxta nor semel à nobis adhibitam observationem. Mentio ejusmodi non erit nisi indirecta, uti explicatum est, et propterea solitæ theologorum definitionis neque usum neque sensum mutabit.

Objicies 2ª: Romanus pontifex deficere potest, sive per mortem, sive per errorem formalem in fide (saltem ut privatus, nec ipsis diffitentibus Ultramontanis), sive etiam quatenùs invincibiliter ignorabitur tempore schismatis; ergo romanus pontifex non est Ecclesiæ essentialis, nec proinde subjectio romano pontifici, et communio cum ipso sunt Ecclesiæ essentiales. Ergo in Ecclesiæ definitione perperam memoratur subjectio romano pontifici. — Dist. ant.: Romanus pontifex deficere potest in Ecclesiâ quantùm ad personam et exercitium actuale, per aliquod breve tempus, concedo; quantùm ad statum, ita ut pontificia dignitas sit extincta, aut unquàm extinguenda, nec à successore mox futuro exercenda, nego.

1° Cùm romanus pontifex moritur, deficit quidem ejus persona, et donec ejus successor eligatur, nemo est qui ejus primatûs jura exerceat. Sed non idcircò deficit status papalis, seu pontificia dignitas et auctoritas, quæ instituta est jure divino, et Ecclesiæ catenùs essentialis est, quatenùs Ecclesiæ inest vis nunquàm interitura, et constanter, ubi opus est, exerenda, pontifici mortuo substituendi successorem qui eâdem auctoritate induatur et eam exercere valeat. Cùm igitur, mortuo pontifice, Ecclesia successionem pontificalem non admittat, sed vim et potestatem habeat defuncto pontifici successorem substituendi eâdem auctoritate pollentem; cùm singuli Christiani debeant eniti seu precibus, seu potestate eâ quâ multi valent, ut electio ejusmodi citò perficiatur; cùm fieri non possit ut Ecclesia officio suo desit circa rem tanti momenti, quæ ad ejus constitutionem jure divino stabilitam pertinet, nec conetur repellere obices ejusmodi electionem morantes; cùm certò constet futurum ut tandem intra breve tempus, assistente Deo, illos quicumque esse possint obices vincat et superet; manifestum est auctoritatem pontificiam, etiam mortuo Romano pontifice, semper in Ecclesiâ subsistere, et subjectionem Romano pontifici sive actualem, cùm nempe vivit et agnoscitur, sive habitualem, quæ in desiderio et animi affectu et

dispositione consistit, esse cuique fideli necessariam, ac proinde in Ecclesiæ definitione meritò memorari.

Res illustrari potest exemplo regni monarchici electivi. Dicetur ne extinctam in eo esse auctoritatem regiam morte regis, et jam illud regnum desinere esse monarchicum, aut subditos hoc ipso esse liberos ab omni subjectione juxta leges illius regni fundamentales debitâ alicui monarchæ legitimo, seu legitimè eligendo? Imò societas illa civilis, quæ regnum ejusmodi monarchicum electivum constitueret, dignitatem et potestatem regiam eatenùs conservare diceretur, quatenùs ipsi inesset jus eligendi juxta leges successorem regis defuncti, quem citò eligi singula illius societatis membra, pro suâ quodque parte, debent studiosè conari, et cui electo tenentur illam præstare obedientiam, quam ejusdem regni constitutiones præscribunt.

2° Ex his patet quid respondendum ad casum hæreseos in quam Romanus pontifex incideret, et in quâ pertinaciter perseveraret. Ait Bellarminus cum Ultramontanis pontificem Romanum ita errantem, fore ipso facto è sede dejectum et pontificiâ auctoritate privatum, ejusque loco alium esse eligendum. Atque ita quidem decernunt, ne videatur cœtum episcoporum habere auctoritatem (1) superiorem Romano pontifici. Gallicani alio modo difficultatem solvunt, et conformiter ad sua principia statuunt, eumdem pontificem summum tunc esse juridicè deponendum, et ipsi alium electione legitimâ substituendum. Nec ullum dubium esse potest quin eo in casu Ecclesia sibi intra breve tempus provisura sit de capite : non magis igitur pontificia auctoritas deficere potest per errorem quemcumque summi alicujus pontificis quàm per ejusdem obitum.

3° Major non est difficultas de casu schismatis, quando invincibiliter ignoratur quis fuerit (2) legitimè in pontificem electus, et propter rationes hinc et inde militantes à se invicem Ecclesiæ particulares bonâ fide dissident. Nam quotquot malâ fide adhærerent illegitimo pontifici, rei essent schismatis, et tenerentur vero et legitimo conjungi et subjici. Qui verò ignorantiâ invincibili laborarent, et bonâ fide unius partes sequerentur, hi à schismate formali excusarentur, modò tamen sincerè desiderarent schisma finiri, et ad illud extinguendum operam suam saltem precibus ad Deum fusis conferrent, ex animo parati subjici debitè illi soli Romano pontifici quem Ecclesia universa pro legitimo haberet. Pro certo tenendum est eam inesse vim Ecclesiæ quodlibet ejusmodi schismatis compescendi, etiam, ubi opus est, è sede pontificiâ disturbando omnes contendentes, et novum eligendo pontificem quem universi agnoscant, uti factum est in concilio œcumenico Constantiensi.

(1) In textu originali edit. 1779, pag. 80, sic se habet hujusce phrasis concatenatio : *Ne videantur* (Ultramontani) *fateri Ecclesiæ universalis, seu concilii œcumenici auctoritatem esse superiorem Romano pontifici. Nos verò Galli multò melius et legibus canonicis conformius statuimus*, etc. (Not. ab Edit.)

(2) Hæc habet eò loci genuina citatæ editionis lectio : *Major non est difficultas de casu schismatis, sive manifestum sit quis legitimè fuerit in pontificem electus, sive illud invincibiliter ignoretur, sive propter rationes hinc et inde militantes à se invicem Ecclesiæ particulares bonâ fide dissideant* (Not. ab Edit.)

Articulus III.

De origine Ecclesiæ.

Apostolus Ephes. c. 5, v. 23, 24 et seqq., plures Ecclesiæ causas exhibet his verbis : *Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus... Ecclesia subjecta est Christo... Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Ibi designantur quatuor Ecclesiæ causæ. Efficiens, nempe Christus, qui *semetipsum tradidit pro eâ*, et sanctificat ac mundat eam *lavacro aquæ in verbo vitæ*, id est, per sacramenta quæ instituit, quorum primum est *lavacrum aquæ*, seu baptismus, et per *verbum vitæ*, sive per illud verbum quod à ministris sacramentorum adhibetur in iis conficiendis, sive per illud quod ejus nomine prædicant et annuntiant ministri ab eo constituti, cui prædicationi uberes gratiæ interiores alligatæ sunt. Materialis, fideles nimirùm ex quibus Ecclesia componitur, et quos S. Paulus ipso Ecclesiæ vocabulo denotat. Formalis, videlicet unio fidelium inter se, quâ fit ut *corpus* unum efficiant, cujus *salvator* est Christus, et eorumdem cum Christo capite conjunctio. *Christus*, inquit Apostolus, *caput est Ecclesiæ... ipse salvator corporis ejus... Ecclesia subjecta est Christo... eam sanctificat mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hisce posterioribus verbis indicatur tribus contineri unionem fidelium inter se, scilicet ejusdem fidei professione, quæ ex

prædicatione *verbi vitæ* nexa est; eorumdem sacramentorum participatione, quorum baptismus seu *lavacrum aquæ* est janua, et subjectione legitimis pastoribus, quippe quorum est sacramenta ministrare et *verbum vitæ* prædicare. Finalis, quæ duplex, remota et proxima. Hæc in sanctificatione eorum qui ad Ecclesiam pertinent, est sita; illa est salus et felicitas æterna quam adipiscuntur omnes sancti, qui usque ad mortem in sanctitate perseverant. Utramque complectuntur ista verba Apostoli : *Ut exhiberet ipse* (Christus) *sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Scilicet, *gloriosa* est hæc Ecclesia pro quâ Christus *semetipsum tradidit*, quam mundat *lavacro aquæ in verbo vitæ*, quia Deum palàm glorificat, ac gloriam Evangelii et crucis Christi ubique annuntiat; *sancta* est, quia constanter et sine ullâ variatione docet sanctam doctrinam, quâ perpetuò in ejus unitate generantur sancti; *non habet maculam aut rugam*, tum quia neque errore ullo contaminatur, neque ullo perverso placito deformatur; tum quia sinu suo continet et cibis spiritualibus alit fovetque electos Dei, qui, quamvis dùm in terris versantur, peccato obnoxii sint, in ejus tamen communione reperiunt media quibus mundantur et perficiuntur, ita ut statum perfectum coram Christo sint aliquando consecuturi.

In hisce causis evolvendis de quibus multa facilè congeri possent, diutiùs non immorandum, nisi quòd addenda sint aliqua de modo quo Christus est Ecclesiæ auctor seu causa efficiens. Deinde paucis etiam erit dicendum de antiquitate Ecclesiæ. Demùm explicandum quoque erit discrimen inter statum Ecclesiæ ante Christum et post Christum.

§ 1. *De auctore Ecclesiæ.*

Christus est Deus, simul et homo. Et Filius Dei æternus, consubstantialis Patri, qui *propter nos homines et propter nostram salutem incarnatus est* in plenitudine temporum *de Spiritu sancto, ex Mariâ virgine, et homo factus est.* Sub utroque respectu est auctor seu causa efficiens Ecclesiæ, at ratione diversâ. Quod ut explicetur, sit

Conclusio. — *Solus Deus, adeòque Christus ut Deus, est auctor Ecclesiæ, potestate independentiæ et supremæ auctoritatis; et solus Christus, ut homo, potestate excellentiæ et ministerii principalis.*

Probatur prima pars. Actuum 20, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Ibi speciali titulo *Ecclesia* dicitur *Dei*, quia Deus eam instituit, fundavit : ergo solus est ipsius auctor potestate independentiæ et supremæ auctoritatis; nam omnia quæ sunt, hoc modo solus Deus operatus est, neque ipse potest alio modo operari quàm ut supremus Dominus ab alio quolibet independens. Etverò solius Dei est potestate independentiæ et supremæ auctoritatis homines ordinare ad sanctitatem et ad finem sanctitatis, nempe gloriam æternam. *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, inquit Psaltes Regius Psalmo 83, 12. Solius etiam Dei est media conferre et præscribere necessaria et idonea ad finem suum seu gratiæ seu gloriæ consequendum. Ergo.

Probatur secunda pars. Christum ut hominem esse simpliciter et sine addito auctorem Ecclesiæ indubitatum est. Hinc Matth. 15, 18, dicitur *ædificaturus Ecclesiam suam*, etc.; hinc Joan. 20, 21, mittit Apostolos sicut missus est à Patre; hinc eosdem jubet Matth. 28, 19, *docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* hinc instituit sacramenta; hinc Hebr. 12, 2, appellatur *auctor fidei et consummator, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ;* hinc Ephes. v. 25, dicitur *semetipsum tradidisse pro Ecclesiâ*, et 23, nuncupatur *caput Ecclesiæ et salvator;* hinc 1 Cor. 3, 11, legitur illum esse *fundamentum* quod *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est;* et Act. 4, 11, 12, habetur quòd *hic est lapis, qui... factus est in caput anguli*, et additur v. 12 : *Non est in alio aliquo salus, neque enim aliud est sub cœlo nomen datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri;* hinc alia multa de eo enuntiantur quibus ita manifestum fit Christum esse simpliciter et sine addito auctorem Ecclesiæ, ut nulla de eo unquàm fuerit aut possit esse disceptatio inter cujuscumque nominis Christianos. Atqui Christus ut homo non potest simpliciter et sine addito, seu per antonomasiam, ut aiunt, dici et esse Ecclesiæ auctor, nisi potestate excellentiæ et ministerii principalis, quandoquidem ipsi ut homini non competit potestas illa quæ dicitur independentiæ absolutæ et supremæ auctoritatis.

Quæritur quo sensu Apostoli dicantur *fundamenta* Ecclesiæ? — Resp. eos meritò dici concurrisse ad fundandam et instituendam Ecclesiam in genere causæ ministerialis inferioris, quatenùs scilicet eorum ministerio Deus

usus est ad executionem institutionis Ecclesiæ. Christus est fundamentum Ecclesiæ primarium et essentiale, pro quâ semetipsum tradidit, quam sanguine suo acquisivit, quæ in ipsum credit tanquàm in unicum Salvatorem, Redemptorem et Mediatorem suum, sive cujus fide salus obtineri non potest. Apostoli sunt ejusdem Ecclesiæ novi Testamenti fundamenta secundaria, in quantum Deus eos seligere dignatus est, quibus doctrinam salutarem de Christo Servatore revelaret, qui eam divinitùs acceptam hominibus prædicarent, et ab aliis, secundùm ritum à Christo præscriptum ordinatis, deinceps usque ad mundi finem prædicari constituerent. Prophetæ etiam appellantur ab Apostolo, Ephes. 2, 20, *fundamenta* Ecclesiæ; *superædificati,* inquit, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Sed prophetæ Christum minus plenè et evolutè annuntiârunt quàm Apostoli, quorum ministerium præterea propinquiùs et immediatè influxit in ædificationem Ecclesiæ. Quapropter in Symbolo Nicæno Ecclesia nuncupatur *apostolica,* non prophetica.

Quæritur an sacramenta novæ legis dici queant vero sensu concurrisse ad formationem Ecclesiæ in genere causæ efficientis? — Respondeo ea in genere causæ efficientis instrumentalis concurrisse ad Ecclesiæ formationem et conservationem, tum propter vim per merita Christi ipsis inditam sanctificandi, tum quia ritus sunt sensibiles à Christo divinitùs instituti quibus fideles in unum Ecclesiæ corpus coadunantur. Et quidem ejusmodi ritus ad devinciendam societatem populi christiani ita usui sunt, ut meritò dictum sit à sancto Augustino, lib. 19 contra Faustum, cap. 2, « in nullum nomen religionis, seu verum, « seu falsum, coadunari homines posse, nisi « aliquo signaculorum, vel sacramentorum « visibilium consortio colligentur. »

§ 2. *De antiquitate Ecclesiæ.*

Ecclesiam christianam seu novi Testamenti in Synagogâ colligi cœptam à Christo dùm in terris cum hominibus conversaretur, et ex iis primùm fuisse compositam qui ipsi adhæserunt, apud omnes Christianos cujuscumque communionis est indubitatum. Deinde statim post mortem Christus contulit eidem Ecclesiæ suæ ultimam exteriorem formam quâ à Synagogâ, uti prædictum fuerat, reprobatâ planè distingueretur, ita ut novus populus, seu Ecclesia novi Testamenti, veteri populo sine intermissione successerit. De his nulla quæstio est. Verùm quæritur 1° utrùm ante Christum extiterint verè fideles, qui in Christum crediderint, qui fide in Christum justificari et salvari potuerint, qui fide illâ per dilectionem operante reverà justificati fuerint et salvati, qui ita vixerint et mandata Dei observaverint, ut ob mores sanctissimos et fidei in Christum quâ pollebant, consentaneos, nomine verorum et sanctorum Christianorum mereantur insigniri? Quæritur 2° à quo cœperit Ecclesia sic sumpta pro cœtu fidelium ante Christum?

Conclusio prima. — *Ecclesia Christi seu cœtus fidelium in Christum credentium ita antecessit nativitatem Christi, ut tempore etiam legis naturæ et legis scriptæ sanctos extitisse christianæ religionis cultores meritò asseratur.*

Probatur 1° ex testimonio Eusebii qui libro 1 Demonstrationis evangelicæ, capite 5, disertè tradit Moysi et aliis antiquis viris Deo acceptis Christum fuisse cognitum, eosdemque ait libro 6, christiano more vixisse, non judaico. Quapropter lib. IIist. 1, cap. 4, sic loquitur: « Tam« etsi absque ullâ controversiâ novelli sumus, « et hoc novum certè christianorum nomen « nuper omnibus innotuit, sectam tamen ra« tionemque vivendi non recens à nobis com« positam, sed jam inde à primo (ut ita dicam) « conditu generis humani, ex notionibus à « naturâ insitis, ab hominibus Deo acceptis « institutam, atque excultam fuisse, sic de« montrare conabimur. » Audis ex Eusebio, à mundi conditu viris Deo acceptis notum fuisse Christum, et rationem vivendi Christianæ conformem ab iisdem fuisse excultam; unde colligit nomen *Christiani* esse quidem novum, sed rem ipsam esse antiquam et à conditu generis humani institutam. Pressiùs idem Eusebius citato capite 4 libri 1 Hist. sic ratiocinatur: « Cùm Christiani nomine nihil aliud signifi« cetur, quàm vir qui per Christi cognitionem « atque doctrinam, modestiâ, justitiâ, toleran« tiâ, fortitudine, et pietatis cultûsque unius, « qui super omnia est, Dei professione orna« tus est, hæc omnia veteres illi (Deo accepti) « non minùs studiosè quàm nos excoluerunt. »

Probatur 2° auctoritate SS. Patrum qui docent Ecclesiam seu cœtum Christi fidelium inter quos multi sancti et electi, id est, usque ad mortem in justitiâ acceptâ perseverantes, extitisse omni ævo ab initio mundi. « Ex quo « vocantur sancti, inquit S. Augustinus in psal-

« mum 128, est Ecclesia in terrâ. Aliquando « in solo Abel Ecclesia erat, » etc.; et sermone 4 de Jacob et Esaü, aliàs 44 : « Ecclesiam « accipite, non in his solis qui post Domini « adventum et nativitatem esse cœperunt « sancti ; sed quotquot fuerunt sancti ad Ec- « clesiam ipsam pertinent. » Et S. Gregorius Magnus, homiliâ 19 in Evangelia, explicans parabolam patrisfamilias operarios in vineam suam mittentis, duratione Ecclesiæ universalis et in terris militantis distinctâ per quinque ætates, nimirùm ab Adam ad Noe, à Noe ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Moysen, à Moyse ad Christum, à Christo ad mundi finem, hæc addit : « Quis patrisfamilias simili- « tudinem rectiùs tenet quàm Conditor no- « ster... qui habet vineam, universam scilicet « Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ulti- « mum electum qui in fine mundi nasciturus « est, quot sanctos pertulit, quasi tot palmites « emisit? »

Probatur 3° hoc argumento theologico : Illis temporibus Ecclesia Christi quantùm ad substantiam extitisse dicenda est, quibus extitêre viri justi qui non nisi per fidem in Christum salutem æternam consecuti sunt, quorum eadem omninò, quod ad rem ipsam, fuit fides ac fides nostra, qui christiano more vixerunt, quorum Christus fuit caput. Atqui, ab exordio mundi, tempore legis naturæ et legis scriptæ, extiterunt justi qui non nisi per fidem Christi æternam salutem consecuti sunt, quorum eadem omninò, quod ad rem ipsam, fuit fides ac fides nostra, qui christiano more vixerunt, quorum Christus fuit caput ; ergo.

1° Nonnisi per fidem in Christum salutem consecuti sunt. Sic enim loquitur S. Augustinus epistolâ 190, aliàs 157 ad Optatum, cap. 2, n. 8 : « Profectò quod scriptum est, *non esse* « *aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos sal-* « *vos fieri,* ex illo tempore valet ad salvandum « genus humanum, ex quo in Adam vitiatum « est genus humanum. *Sicut enim in Adam* « *omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivifi-* « *cabuntur.* Quia sicut in regno mortis, nemo « sine Adam, ita et in regno vitæ, nemo sine « Christo. » Et epistolâ ad Dardanum, quæ est 187, aliàs 57, n. 34, cùm dixisset Christum Mediatorem voluisse ut sacramentum quo regeneremur, esset manifestum, addit aliquo signo occulto justos veteres succurrisse parvulis suis ad delendum in iis peccatum originale, meritis objecti fidei suæ in Christum, quâ solâ salvi esse poterant. « Erat autem, inquit, an- « tiquis justis aliquod occultum, cùm tamen « et illi eâdem fide salvi fierent, quæ fuerat « suo tempore revelanda. »

2° Eadem omninò quoad rem ipsam fuit veterum justorum fides cum nostrâ. « Sicut nos, « inquit S. Augustinus epistolâ 102, aliàs 49, « n. 12, sicut nos in eum (Christum) credimus « et apud Patrem manentem, et qui in carne « jam venerit, sic credebant in eum antiqui, « et apud Patrem manentem, et in carne ven- « turum. Nec quia pro temporum varietate « nunc factum annuntiatur, quod tunc futu- « rum prænuntiabatur, ideò fides ipsa variata, « vel salus diversa est. » Et tractatu 45 in Joannem : « Ante adventum Domini nostri « Jesu Christi, quo humilis venit in carne, « præcesserunt justi, sic in eum credentes « venturum, quomodò nos credimus in eum « qui venit. Tempora variata sunt, non fides. « Quia et ipsa verba pro tempore variantur, « cùm variè declinantur. Alium sonum habet, « venturus ; alium sonum habet, venit ; mu- « tatus est sonus, venturus est, et venit ; « eadem tamen fides utrosque conjungit, et « eos qui venturum esse, et eos qui eum ve- « nisse crediderunt. » Similia habet S. doctor pluribus aliis in locis.

3° Christiano more vixerunt, seu virtutes christianas excoluêre, ut patet tum ex testimonio Eusebii mox relato, tum ex iis quæ de Abele, Abrahamo, Moyse et aliis referuntur in Scripturis, tum ex laudibus quibus multorum ex ipsis celebrat fidem Apostolus in Epistolâ ad Hebræos, capite 11, tum denique quia constat nemini ad salutem suffecisse unquàm fidem in Christum, nisi fuerit fides practica, seu fides per dilectionem operans.

4° Eorum Christus fuit caput eodem sensu quo est caput justorum sub novo Testamento, uti docet sanctus Augustinus concione tertiâ in psal. 36 : « Omnes, qui ab initio seculi fue- « runt justi, caput Christum habent. Illum « enim venturum esse crediderunt, quem nos « venisse jam credimus ; et in ejus fide et ipsi « sanati sunt, in cujus et nos, ut esset et ipse « totius caput civitatis Jerusalem. »

Dices : Apostolus Galat. 3, 23, 24, hæc habet : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eamdem fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo,* ut ex *fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Ergo nulla in Christum fides ante adventum Christi, proinde nulla Ecclesia, quæ sine fide in Chri-

stum stare nequit, cùm sit collectio fidelium. — Nego consequentiam. Ex hoc loco Apostoli colligi nequit nullam fuisse in Christum fidem ante ejus adventum, cùm eodem in capite sanctus Paulus laudet Abrahæ fidem, et capite 11 Epistolæ ad Hebræos multorum veterum fidem cum encomiis commemoret. Sed quo tempore prædicatio Evangelii gentibus facta est, ait Apostolus venisse fidem, tum propter multitudinem credentium, in quorum comparatione pauci extitêre fideles ante Christum, tum propter abundantiam et evolutionem rerum credendarum, quæ ante Christum longè minores numero et minùs clarè fuerant explicatæ et propositæ ; tum quia inter eos qui ante Christum verâ et sufficienti ad salutem fide in Christum erant imbuti, multi pollebant solùm fide in Christum velatâ et implicitâ, quæ à promulgato Evangelio saluti non sufficit. « Post « peccatum, inquit S. Thomas 2-2, q. 2, art. « 2, in corpore, fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis Christi non solùm quoad « Incarnationem, sed etiam quantùm ad passionem et resurrectionem, quibus humanum « genus à peccato et morte liberatur. Aliter « enim non præfigurâssent Christi passionem « quibusdam sacrificiis et ante legem et sub « lege ; quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant : minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitùs esse disposita, « de Christo venturo quodam modo habebant « velatam cognitionem. Post tempus autem « gratiæ revelatæ tam majores quàm minores « tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantùm ad ea quæ « communiter in Ecclesiâ solemnizantur et « publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis. » Et in responsione ad tertium: « Dicendum, inquit, quòd multis gentilium « facta fuit revelatio de Christo... Si qui tamen « salvati fuerunt, quibus revelatio (expressa « de Christo) non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris ; quia etsi non « habuerint fidem explicitam habuerunt tamen « fidem implicitam in divinâ providentiâ, credentes Deum esse liberatorem hominum se« cundùm modos sibi placitos, et secundùm « quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spi« ritus revelâsset. » Itaque tempus quod subsecutum est passionem, mortem et resurrectionem Christi appellari potuit ab Apostolo tempus quo venit fides, sine exclusione omnis fidei ante Christi adventum.

Dices 2° : Ex his Christi verbis Petrum alloquentis Matthæi 15, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, patet Ecclesiam Christi non extitisse ante confessionem S. Petri de Christo : *Tu es Filius Dei vivi*. Quapropter S. Augustinus in psal. 147, ait « Ecclesiam incœpisse ab Jerusalem, atque « hinc extendi ad omnes nationes. » Et in primam S. Joannis Epistolam tradit « ibi inchoatam « esse Ecclesiam, ubi venit de cœlo Spiritus « sanctus, et implevit in uno loco sedentes « centum viginti. » Ergo. — Dist. : Ergo Ecclesia prout fundata est à Christo jam incarnato, et in carne passo et mortuo, prout componitur ex fidelibus, in Christum incarnatum, passum et suscitatum credentibus fide explicitâ, non existebat priscis temporibus, concedo ; prout est cœtus eorum qui in Christum venturum et passurum fide ad salutem sufficienti credebant, nego. Solutio patet ex supra non semel explicatis.

Dices 3° : Si inter veteres extiterunt veri fideles in Christum venturum credentes, quantùm satis est ad salutem, et ea exequentes quæ tunc ad salutem requirebantur, ergo jam tum potuissent et debuissent appellari Christiani ; atqui nomen illud tunc primùm auditum est, cùm Antiochiæ, post ascensionem Domini, discipuli nominati sunt Christiani ; ergo. — Distinguo majorem : Jam tunc habuissent fidem in Christum quantùm ad substantiam, et opera suæ fidei consentanea edidissent, concedo ; jam tum nomine Christianorum nondùm usitato insigniti fuissent, aut debuissent insigniri, nego. Non agitur hìc de nomine, sed de re ipsâ, et licet pronum fuerit ut appellatio Christianorum non adhiberetur antequàm extarent discipuli qui Christo jam apud homines conversato, et pro salute hominum passo et mortuo, ac tertiâ die suscitato adhærerent, est tamen manifestum eos qui ante Christum fide in ipsum imbuti erant, spe et charitate pollebant, et moribus christiano dignissimis ornati erant, fuisse reipsâ, quod ad nominis præcipuam significationem attinet, Christianos.

Inst. 1° : Si fuissent reverà Christiani, adhæsissent tanquàm membra Christo ut capiti ; atqui non ita adhæserunt Christo, siquidem Christus nondùm advenerat ; nemo autem ut membrum potest adhærere capiti nondùm existenti. — Nego minorem, siquidem justi veteres Christo ut capiti adhæserunt per fidem, spem et charitatem, et varia sinceræ pietatis et religionis exercitia. Ad probationem, dis-

tinguo : Christus nondùm advenerat in carne, concedo : nondùm existebat ut Filius Dei Patris æternus, pro salute hominum incarnandus, passurus, etc. ; nondùm vi meritorum ejus futurorum tribuebantur hominibus gratiæ, nego. Christus Filius Dei ab æterno existit in sinu Patris, ab æterno etiam in carne erat venturus, passurus, moriturus, suscitandus ; demùm antequàm Christus reverà mereretur et satisfaceret, existebat vis ejus meritorum et satisfactionum retroactiva; nempe ejusmodi meritorum et satisfactionum futurarum intuitu Deus hominibus gratias impertiebatur, quibus salutem consequebantur quotquot iisdem utebantur ad credendum, sperandum, et amandum sicut oportet ad justificationem et salutem adipiscendam. Hinc Apoc. 13, 8, dicitur Christus *occisus ab origine mundi.*

Inst. 2° : Si inter veteres ante Christum extitissent justi, hi fuissent sub gratiâ, non sub lege, siquidem, ut legitur Joannis 1, 17 : *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum* facta est ; atqui ante Christum nemo erat sub gratiâ, cujus Christus est auctor; nemo erat sub lege gratiæ, quam instituit Christus ; omnes Judæi erant *sub lege,* id est, legis nullam gratiam interiorem conferentis servitute premebantur, et in iis dominabatur peccatum, juxta illud Apostoli Rom. 6, 14 : *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratiâ.* Ergo, etc. — Dist. maj. : Fuissent sub gratiâ eo sensu quòd paruerint gratiis sibi concessis, non vi legis Mosaicæ, sed vi meritorum et satisfactionum Christi futurarum, concedo : fuissent sub gratiâ, id est, vixissent sub lege gratiæ institutâ à Christo, nego. — Distinguo etiam illud majoris : Non fuissent sub lege, id est, non fuissent servitute legis oppressi, in quibus dominaretur peccatum, concedo ; non vixissent quo tempore vigebat lex Mosaica, et ad eam implendam non tenebantur, nego. Ante legem Mosaicam, tempore legis naturæ, plures extitisse justos jam ostensum est, et omnes confitentur. Pariter quoque extra populum Judaicum, qui solus lege Mosaicâ obstringebatur, extitisse etiam quosdam justos apud gentiles facilè etiam admittitur. Hi omnes pollebant fide in Jesum Mediatorem futurum, uti explicatum est. Quantùm ad illos veteres justos è gente Israeliticâ, qui ante Christum vixerunt, ii dicendi sunt fuisse *sub lege,* non tantùm eo sensu quòd vixerint quo tempore vigebat lex, sed etiam eo sensu quòd legi Mosaicæ obtemperare tenerentur. Verùm, licet sic essent sub lege, attamen dicendi sunt quoque non fuisse sub lege alio sensu, nempe quo ab Apostolo et à sancto Augustino sub lege fuisse dicti sunt Judæi carnales, qui adimplebant quod ad litteram legis spectat, ducti solùm metu malorum temporalium et spe bonorum temporalium, propter quæ legi Mosaicæ adhærebant. Auxiliis scilicet, seu gratiis divinis quæ non vi legis, sed virtute futurorum meritorum Christi Mediatoris et Redemptoris hominibus concedebantur tempore legis, adjuti, et, ut par erat, obsequentes, fide, spe et charitate pollebant, spiritu legis gratiæ animabantur, aspiciebant *à longè* promissiones easdem quibus excitantur veri Christiani, et propterea mandatis Dei parebant. Quapropter vero sensu et meritò dicitur eos pertinuisse ad legem gratiæ, et veros fuisse in antecessum Christianos. Hinc ait S. Augustinus, lib. 3 contra duas Epist. Pelagianorum, *Abraham, Moysen, David, omnesque veteres justos filios fuisse promissionis et gratiæ, non ex lege, sed ex promissione; hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

Conclusio II. — *Ecclesia sumpta pro cœtu fidelium ante Christum, videtur incœpisse ab Abel.*

Probatur ex sanctis Patribus. S. Augustinus Enarratione in psal. 142, n. 3, de civitate Dei quæ est Ecclesia, sic loquitur : « *Hæc civitas « initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas « à Cain.* » S. Gregorius Magnus homiliâ 19 in Evangelia idem tradit, nempe, « Ecclesiam « incipere ab Abel justo, usque ad ultimum « electum qui in fine mundi nasciturus est. »

Quæres cur ab Abel initium Ecclesiæ ducatur, potiùs quàm Adamo et Evâ, quos constat ante lapsum fide informatos fuisse, nec fidem amisisse per peccatum in quod lapsi sunt, siquidem illud peccatum non fuit infidelitatis ; quos denique certum est pœnitentiam egisse de peccato admisso, electisque et sanctis esse annumerandos. — Respondeo triplicem potissimùm hujusce rei causam afferri posse. Una est quòd Abel primus legatur in Scripturis ita coluisse Deum quodam signo sensibili, oblatione *munerum et plurimæ hostiæ*, ut Deo acceptus esset et placeret. *Respexit,* inquit auctor sacer Geneseos 4, 4, *respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.* Et Apostolus Hebr. 11, 4 : *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo ; per quam testimonium consecutus est esse justus.* Altera est quòd primus fuerit omnium justorum qui in ac eptâ sanctitate usque ad

mortem perseverârunt, primus proinde electorum eo sensu quòd primus in statu gratiæ sanctificantis obierit, quòdque totâ vitâ suâ nunquàm in peccatum lethale lapsus fuerit. Hinc aptior fuit à quo initia Ecclesiæ quæ nunquàm esse potest sine sanctis, deducerentur. Continuari ergo potuit Ecclesia post mortem Abel in Adamo et Evâ, qui jam erant de Ecclesiâ dùm viverent; sed ab iis qui peccato dedêre initium, non decuit Ecclesiæ exordia desumi.

§ 3. *De discrimine statûs Ecclesiæ ante et post Christum.*

Cùm constet, ut dictum est paragrapho præcedenti, extitisse fideles ab exordiis mundi, inter quos fuêre semper justi et electi, qui in sanctitate acceptâ perseveraverunt usque ad mortem; hinc distinximus Ecclesiam generali modo acceptam pro collectione omnium in terris fide Christo adhærentium, in Ecclesiam veterem seu quæ extitit ante Christum, et Ecclesiam novi Testamenti, quæ instituta est à Christo et usque ad mundi finem duratura est.

Quæritur in quo positum fuerit discrimen inter utramque Ecclesiam. Quatuor in Ecclesiâ attendi debent, nimirùm, fides, politia, seu regimen, sacramenta et privilegia seu prærogativæ.

1° Quantùm ad fidem, jam ostensum est eamdem fuisse veterum justorum fidem, quoad substantiam, ac nostram. Credidêre veteres in Christum venturum et passurum, nos credimus in Christum qui venit et passus est. Verùm, si consideretur propositio objecti fidei, numerus fidelium, et modus credendi, antiqua Ecclesia ante Christum multùm differt ab Ecclesiâ quam ipse fundavit et colligere cœpit Christus. Olim objectum fidei minus distinctè et explicatè erat propositum. « Quæcumque « posteriores crediderunt, inquit sanctus Tho- « mas 2-2, q. 1, art. 7, continebantur in fide « præcedentium Patrum, licet implicitè. » Hinc Apostolus Ephes. 3, 5 : *In aliis generationibus non est agnitum (mysterium Christi), sicut nunc revelatum est sanctis, Apostolis ejus et prophetis.* Pariter minor olim erat credentium numerus, præsertim à quo posteris Jacob selectis à Domino in specialem populum, gentes aliæ deseruerunt revelationem primitivam ac *dimissæ sunt ingredi vias suas,* Act. 14, 15, ita ut per tot seculorum intervallum, nulla alia nati », præter Israeliticam, saltem per aliquod tempus insigne, Deum verâ religione coluerit; tametsi, ut ait S. Augustinus, lib. 18 de Civitate Dei, capite 47 : « Non incon- « gruè creditur, fuisse et in aliis gentibus « homines quibus hoc mysterium (Christi) « revelatum est, et qui etiam hoc prædicere « impulsi sunt. » Demùm alius fuit modus credendi : nempe fides explicita in Christum Redemptorem generis humani nunc omnibus necessaria est ad salutem; olim, uti jam observavimus, plures quidem nempe majores fide in Christum Redemptorem venturum explicitâ erant donati, sed saluti sufficiebat fides in ipsum implicita quâ minores pollebant.

2° Quantùm ad politiam seu regimen, antiqua Ecclesia omninò discrepabat ab Ecclesiâ post Christum. Efficietur in hujusce tractatûs decursu Ecclesiam novi Testamenti esse unicam societatem, coadunatam sub regimine legitimorum pastorum, inter quos unus, videlicet Romanus pontifex, primatum tenet honoris et jurisdictionis in universâ Ecclesiâ, seu totius Ecclesiæ est caput ministeriale et visibile. Contra verò aliter se habebat Ecclesia ante Christum, non modò antequàm Israelitis daretur lex Mosaica, sed etiam post datam ejusmodi legem posteris Jacob. Hi quidem lege illâ iisdem astringebantur præpositis; at ad alios populos illa lex non spectabat, eâ minimè hi populi obligabantur; et tamen apud exteras illas gentes veros quosdam fideles extitisse *non incongruè creditur,* juxta sanctum Augustinum mox laudatum, cui concinunt Richardus à S. Victore, de Incarnatione Verbi, capite 8, S. Thomas 2-2, q. 2, art. 7, etc.

3° Quantùm ad sacramenta, ingens etiam discrimen inter utramque Ecclesiam. Nam sacramenta veterum, ipsiusque Mosaicæ legis erant *infirma et egena elementa,* teste Apostolo Galat. 4, 9, id est, vi suâ gratiam non conferebant, sed instituta solùm erant à Deo in signum et pignus gratiæ quam generi humano meriturus erat Christus. Sacramenta verò novæ legis, non tantùm gratiam significant, se etiam eam *ex opere operato* conferunt.

4° Quantùm ad privilegia et prærogativas, valdè notanda intererat discrepantia. Prisci enim fideles non erant, ut dictum est, in unicam societatem adunati; ipsamet Synagoga juxta vaticinia prophetarum, erat aliquando interitura, nec proinde extabat ante Christum societas fidelium visibilis cui promissa esset perennis infallibilitas. Facilior verò erat singulis conservatio revelationis primitivæ, Adamo factæ, paucioribus contentæ, à Noemo posteris

inculcatæ, nec nisi suâ culpâ eam deseruerunt gentes. Suscitabat porrò Deus inprimis tempore legis Mosaicæ homines extraordinariè missos, qui missionem suam miraculis probabant, et qui sibi identidem succedebant ut verbum Dei illibatum servaretur, et ad nepotes incorruptum transmitteretur. Ecclesia novi Testamenti unicam communionem constituit, perseveraturam usque ad finem mundi, institutam ad docendos homines ea quæ ad salutem pertinent. Hinc, ut probabitur deinceps, multis prærogativis donata est, atque perperàm à veteris Ecclesiæ statu ad Ecclesiam post Christum argumenta à pari plerùmque deducerentur.

(Legrand, de Ecclesiâ Christi, diss. 1.)

Proœmium.

Demonstratâ christianæ Religionis divinitate, pronum est catholicæ ut in Ecclesiæ vindicandam originem, asserendas dotes, tuendaque jura incumbatur pro viribus: *qui* enim *se ipsum tradidit pro eâ ut illam sanctificaret*, Ephes. 5, 25, Christus Dominus, eamdem cœlestium dogmatum depositi custodem constitutam voluit, ne tanquàm fluctuantes parvuli *circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ, ad circumventionem erroris*, ibid. 4, 14. Hæc est *fundata super petram domus*, quam non irruentes denso agmine pluviæ, non stridentes undique tempestates, non exundantes fluvii exscindere valeant; hæc est præcelsis imposita montibus civitas; indeficiente irradiata lumine, omnipotentis continuò vallata præsidio, ad quam omnes oportet abjectâ potestate tenebrarum confluant populi; recolatur etiam prænuntiatum illud à Daniele prophetâ regnum quod terrenis et quidem florentissimis collabentibus imperiis, aspirante Deo invaluerit, atque propagatum ultimos ad mundi fines *in æternum non dissipabitur*.

Arrectâ mente jam si recogites hæresi vel schismate laborantes sectas, cernere tibi videaris *nubes sine aquâ*, ventorum jactatas ludibrio, *arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, sidera errantia*, quæ mendaci cùm perstrinxerint oculos fulgore, dissolvuntur ac evanescunt.

Profanæ novitatis ideòque adulterini ortûs arguuntur quælibet hæreses, vel duntaxat appellato singularum inventore. « Et reverà, « ut admonet Vincentius Lirinensis, quæ un- « quàm hæresis, nisi sub certo nomine, certo « loco, certo tempore ebullivit? quis unquàm « hæreses instituit, nisi qui se priùs ab Ec- « clesiæ catholicæ universitatis et antiquitatis « consensione discreverit? » Commonit. 1, 34. Quod ita esse, luce clariùs exempla demonstrant. Hinc genuinâ orbati missione, suisque mancipati inventionibus hæretici, tot subeunt alternante fluctu, varietates opinionum et ministerii: « Mentior, inquit Tertullianus, si non etiam à regulis suis variant inter se, dùm unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodùm de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit; agnoscit naturam suam et originis suæ morem profectus rei: idem licuit Valentinianis quod Valentino: idem Marcionitis, quod Marcioni, » etc. Ut secum ipsis, ita etiam alii cum aliis pugnantes, in hoc uno consentiunt, ut Ecclesiam unam et individuam, diverso sub statu mundo coætaneam, sponsore Christo, institutionibus Christi indivulsè cohærentem diruere funditùs moliantur; dùm verò se ipsos mutuò vincunt, eorum victoria, ut ait S. Hilarius, *Ecclesiæ triumphus est ex omnibus;* Ecclesiam dùm lacessunt, ad eam alliduntur veritatis columnam, dejicere quam frustra tentabunt superbæ inferorum portæ.

Ad Ecclesiam igitur, insuperabilem atque inexhaustis refertam opibus arcem fidei, securè confugiamus, de quâ sic alloquebatur Manichæos S. Augustinus: « In catholicâ Ecclesiâ, ut omittam sincerissimam sapientiam, quam in Ecclesiâ esse catholicâ non creditis, multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissimè teneant: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum; tenet, » etc. Contra Epist. Fundam. cap. 4. Ejus præcidendæ unitatis nulla unquàm justa necessitas: « Ha-

« bere jam non potest Deum patrem, qui Ec-
« clesiam non habet matrem; si potuit eva-
« dere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et
« qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet. »
S. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ.

Ecclesiæ causam adjuvante Deo parati, quantùm in nobis est, defendere, absit ut ab ejus communione segregatos hostili velimus animo adoriri : hæc nobis statim objicerentur verba Christi : *Nescitis cujus spiritûs estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare,* Luc. 9, 56. Hæresim insectamur, non homines eà miserè implicatos ; gladio illam spiritûs, verbo Dei confodere propositum est, æmulâ istos charitate complecti, effusis ad Dominum veram mundi lucem precibus, ut erroris detracto velamine, præbeat eisdem illuminatos cordis oculos in agnitionem veritatis, et sic *fiat unum ovile et unus pastor.*

In delineandâ tractatûs ideâ, non est cur multùm impendatur laboris ; subjicietur ad calcem quæstionum index, et eorum quæ ipsis explanandis potissimùm adhibeantur; unum tantummodo speciatim evolvendum putamus, quâ scilicet de causâ opus edendum auspicari voluerimus ab insigni quæstione de supremo judice controversiarum ; videtur enim primo aspectu, ab assignandis Ecclesiæ notis ducendum esse exordium ; istis adducti sumus rationum momentis : 1° Ad asserendam Ecclesiæ unitatem requiritur necessariò certum et inconcussum unitatis principium , quod quidem submotâ judicis controversiarum animatâ auctoritate nullum est, ut deditâ latè operâ ostendetur ; 2° unitatem Ecclesiæ astruere non poteris, nisi evincas ab illâ divelli schismaticos ; schisma autem efficitur depellendo auctoritatis jugo ; probatum sit itaque necesse est, tenendam esse in dirimendis de fide controversiis viam auctoritatis ; 3° quâ ratione palam et juridicè posset quis vocari in crimen hæresis, nullo constituto tribunali , quò referantur intentatæ lites in causâ Religionis ?

Eo denique dogmate ea ferè omnia innituntur quæ in tractatu de Ecclesiâ edisserenda sunt.

DE ECCLESIA CHRISTI.

NONNULLA PRÆMITTUNTUR DE NOMINE ET DEFINITIONE ECCLESIÆ.

A voce græcâ ἐκκαλέω, derivatur Ecclesiæ nomen ; variè in Scripturis usurpatum est ; videlicet, de impiorum societate dicitur, Psalm. 25 : *Odivi ecclesiam malignantium.* De concitato Ephesi populo, Act. c. 19 : *Erat enim Ecclesia confusa;* de locis sacris in quæ fideles conveniunt , 1 ad Corinth. c. 11 : *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* De cœtu aliquorum duntaxat fidelium. Ibid. c. 1 : *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu.* De prælatis Ecclesiæ, Matth. cap. 18 : *Dic Ecclesiæ ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* denique de societate fidelium omnium, Matth. cap. 16 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ecclesia variis adumbratur typis ac parabolis quæ cùm passim in tractatu occurrent, tum ex antecedentibus et consequentibus meliùs ac faciliùs intelligentur.

Diversas pro diversis quos profitebantur erroribus , finxerunt Ecclesiæ definitiones hæretici ; eam multi , justorum duntaxat cœtum esse voluerunt : ita Lutherani (Confess. August. art. 79) ; alii nonnisi prædestinatorum congregationem : ita Wicleffitæ (Wicleffus, lib. de Antichristo, cap. 1), et Hussitæ (ex concilio Constant. sess. 15) ; non aliorum quàm perfectorum , comminisci videbantur Pelagiani , ex S. August. lib. de Hæres. cap. 88.

Definitionum illarum suo quæque loco expendetur , ac discussis quibus imbuuntur erroribus, distinctè refutabitur.

Ecclesia Christi , qualis versatur in terris (nam de eâdem ut in cœlis triumphante, vel in purgatorio patiente , deditâ nunc operâ non agetur), meritò definitur à Catholicis : *Hominum cœtus ejusdem fidei professione, eorumdemque sacramentorum communione conjunctorum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè Romani pontificis.* Hanc tamen definitionem non hìc assumimus, quasi concessam aut jam comprobatam , sed cui asserendæ et explanandæ addictum sit ingens opus quod aggredimur.

At vel ab initio tractatûs proferri necesse

est definitionem de quâ consentiant societates omnes quæ christianæ appellantur; tum cui aptari possint quæcumque de naturâ, proprietatibus ac statu Ecclesiæ disserenda sunt. Hunc itaque in modum delineari potest : *Ecclesia Christi est societas hominum, religionem à Christo institutam, seu potiùs, perfectiorem ad statum perductam, professantium.*

Christianus nemo negaverit veram esse conditam à Christo Ecclesiam, *qui se ipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* (Ephes. cap. 5, v. 25 et 26). Hanc ut Deus, constituit potestate independentiæ et supremæ auctoritatis; hanc ut homo, potestate excellentiæ et principalis ministerii; quam fundavit Ecclesiam, quam per Apostolos propagandam curavit, quam eorumdem recitando Symbolo, *sanctam Ecclesiam catholicam*, confitentur omnes Christiani, ea, quantùmvis quoad modum et statum antecellat Ecclesiæ qualis ante Christi adventum, toto tempore legis naturæ, legisque scriptæ, extitisse perhibetur; eadem, quâlibet ætate fuit quoad substantiam; nemo unquàm nisi per merita Christi, in eumque minùs magisve provectam fidem, æternæ factus est salutis particeps. Hinc S. Augustinus, epist. 190, aliàs 157, quæ est ad Optatum : « Profectò, inquit, quod scriptum « est, *non esse aliud nomen sub cœlo, in quo « oporteat nos salvos fieri*, ex illo tempore valet « ad salvandum genus humanum, ex quo in « Adam vitiatum est genus humanum. » Idem tractatu 45 in Joannem : « Ante adventum « Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt justi, sic in eum « credentes venturum, quomodò credimus in « eum qui venit. Tempora variata sunt, non « fides. » Plerisque tamen justis haud explicitè tunc proposita sunt, quæ nunc distinctè creduntur ab ipso fidelium vulgo, Christi mysteria. Hunc sensum exhibere nobis videntur hæc verba Epist. Apostoli ad Galatas 3, 23 : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eamdem fidem quæ revelanda erat.* Unde docet S. Thomas illos, qui remotissimis illis seculis caruerint expressâ fide mysteriorum Christi, non fuisse salvatos « absque fide mediatoris, quia, inquit, etsi non « habuerint fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam, in divinâ providentiâ, credentes Deum esse liberatorem hominum, secundùm modos sibi placitos, et « secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus, Spiritus revelâsset, » 2-2, q. 2, art. 2, resp. ad 3.

Sectio prima.

DE JUDICE CONTROVERSIARUM.

Quibus rationum adducti momentis ab istâ celeberrimâ quæstione, opus nostrum inchoandum esse duxerimus, jam in Proœmio expositum est. Totius de Ecclesiâ tractatûs cùm illa sit fundamentum et veluti summa, eâdem in pertractandâ, nec tempori parcendum est, nec labori. Quid hominum pluris interest quàm perspectam habere viam certò inveniendi ac discernendi quæ ad christianæ vitæ institutionem, et beatæ assecutionem immortalitatis credere et agere oporteat? Vel ipsis rudibus et imperitis, providente Deo optimo maximo, idoneam suppetere investigandi rationem, et dignoscendi quæ sint informandæ fideî, componendisque moribus necessaria, in confesso est apud omnes Christianos; at quo pacto tam optabilis notitia, à doctis et illitteratis comparari queat, hoc de negotio, quo quidem gravius nullum excogitari potest, quid varii sentiant hæretici, quid catholica constanter teneat Ecclesia, accuratè referendum est.

Sectionis primae prima pars.

CAPUT PRIMUM.

Exponuntur tum præcipua hæreticorum systemata, tum Ecclesiæ doctrina de Judice controversiarum.

Ab expositione systematis Enthusiastarum exordiendum putamus, rerum, non temporis ordinem secuti.

De systemate Enthusiastarum. — Enthusiastæ

animo sibi fingunt immediatas revelationes quarum ope interiùs illustrentur, majori vel minori lumine afficiantur singuli, possintque canonicas secernere Scripturas, et earum assequi veram interpretationem, saltem quantùm ad capessendam salutem necessum sit ac sufficiat; imò *inspirationes, extases, et prophetias suas* pro authentico Dei verbo obtrudunt : eas scripto Dei verbo anteponunt; Scripturas sacras, litteram mortuam vocant; eas per se supervacaneas ad scientiam salutis obtinendam arbitrantur : internumque spiritum quo sese afflari jactitant, supremum habent controversiarum judicem.

Orta est, anno circiter 1533, fanatica Enthusiastarum secta, auctore præsertim Nicolao Storkio, qui cùm primùm Luthero adhæsisset, ab eo postea defecit, insolitisque venditandis revelationibus, apud stolidum rusticorum vulgus fidem invenit, sicque *Illuminatorum*, seu Extaticorum veluti parens evasit. Diversis appellati sunt nominibus prædicti fanatici, pluresque in sectas divisi; vocati sunt, 1° *Enthusiastæ*, seu ut mox diximus, *Extatici;* vel *Illuminati*, quòd scilicet præ aliis omnibus, *inspirationes divinas, extases* et secreta cum Deo colloquia sibi arrogarent; 2° *Libertini*, quòd à divinis et à politicis legibus liberos se et immunes per Christum effectos gloriarentur; 3° *Adiaphoristæ*, quòd externam verbi divini prædicationem, sacramentorum dispensationem et usum, fidei confessionem, et alia id genus inter *adiaphora*, hoc est, indifferentia reponunt, docentes hæc omnia suppleri Spiritûs sancti operatione; 4° *Tremuli* et ejulantes, quòd frequenter, cùm incidunt extases, lacrymas tùm copiosè fundunt, totoque contremiscunt corpore, quia, ut prædicant, magnitudinem divinæ lucis, quâ obruuntur, perferre nequeunt.

In has maximè divisi sunt sectas : Prima est *Independentium*. Admittunt illi omnium inspirationes quos cœlestis ut putant, impetus incitat publicis in conventibus; at privatis in domibus cœtus suos libentiùs agunt quàm in templis, quamvis et his utantur. Quòdque ipsos à cæteris discriminat, unamquamque particularem Ecclesiam sui juris faciunt, nec ulli esse alii subjectam et *subordinatam* asserunt. Secunda est *Anabaptistarum*, qui parvulis usu rationis carentibus baptisma nihil prodesse docent : vix aliunde ab Independentibus differunt. Tertia est *Quaquerorum*, seu *Catharorum*, qui se hâc in vitâ plenè perfectos, et à peccato prorsùs mundos existimant, atque in prætensis extasibus, et corde et genibus tremiscunt, ideòque, ut notavimus, *Tremuli* dicti sunt.

De systemate Socinianorum. — Sociniani, et illi qui *Molliores* dicuntur *Rationalistæ* (ut à Rigidioribus distinguantur divinam omnem respuentibus revelationem), in eo consentiunt, ut in dijudicandâ Scripturarum canonicitate, illorumque sensu explorandò, soli humanæ rationi contendant esse inhærendum; hanc haberi volunt legem seu normam et regulam ad quam cuncta religionis dogmata exigenda sint ac definienda; alii tamen aliis longiùs progrediuntur. Sunt qui nihil esse credendum statuant nisi certis illud atque intrinsecis demonstratum sit rationum momentis; nihil proinde putant revelatum, quod ex principiis communibus luminis naturalis non possit evidenter eum ad modum deduci, quo ex naturâ circuli, multæ ipsius eruuntur proprietates. Sunt alii qui etsi fateantur ad fidem non requiri credendorum intrinsecam evidentiam dogmatum, eorum tamen possibilitatem dicant prævià solius rationis face perscrutandam esse, illaque omnia rejici debere, quæ lumini naturali repugnare, privato perpensa examine videantur; non id tantùm postulant ut ostendatur nullis veris demonstrationibus impugnari dogmata fidei, sed ut *positivis*, sicut aiunt, atque ex rerum naturâ desumptis argumentis demonstretur, humanæ illa rationi non esse contraria, nullâque contradictione implicari. Hinc à revelatione secludendum pronuntiant quidquid inquisitionem istam ferre non valeat; hinc etiam vel clarissimos Scripturæ textus quibus enuntiantur divini incarnatio verbi, sanctissima in Deo personarum Trinitas, aliaque fidei dogmata, metaphoricos ad sensus detorquere, innumeris moliuntur cavillationibus; quod et occasione datâ factitant *Arimininiani*, seu *Remonstrantes*. Socinianorum nonnulli fatentur admittenda esse dogmata quorum veritas aut possibilitas demonstrari nequeat, modò tamen ipsis non videantur repugnare rationi, quam, ut alii, habent in omnibus pro supremo controversiarum judice.

De systemate Baylii. — Nec minùs periculosè, adverso licet tramite aberrant, qui domesticum quoddam ac intestinum bellum inducentes rationem inter ac fidem, supremum utrique tribunal et judicium, propriamque adscribunt collidentem sese mutuò veritatem : hinc effutire non verentur, posse lumine naturali ductum philosophum, jure ac meritò

togma idem negare, quod revelatione duce affirmat jure ac meritò theologus. Notum est quâ proterviâ intenderit nervos Baylius, ut probaret posse fidei dogmatibus invicta manifestaque objici argumenta; neque tamen inficiatur, hoc in conflictu standum esse firmiter decretis fidei; idque asserit evinci generalibus quibusdam præponderantibusque principiis, isto inprimis, quo nihil evidentius : *Nec fallí, nec fallere potest revelationis auctor Deus.* Assertiones ejusmodi quàm malè cohæreant, haud operosè ostendetur. Unum hìc adnotabimus, commentitio illo rationis fideique dissidio non nisi *indirectè* et quasi per latus impeti controversiarum judicem : quamvis enim constaret apud omnes de genuino Dei verbo ipsiusque legitimâ interpretatione, excutiendus foret nihilominùs, ac refellendus ille Baylii tam stupendus error.

De systemate Protestantium. — Abnegant Protestantes oriundos ex ipsorum stirpe Socinianos; abhorrere pariter se conclamant ab Enthusiastarum figmentis (quàm consequenter, postea expendetur).

At docent 1° sive Lutherani, sive Calvinistæ, Scripturam sacram solam esse inconcussam regulam, ad quam sit confugiendum et provocandum in omnibus quæ moventur de revelatâ Religione controversiis; hinc illam vocant solum controversiarum judicem, eò quòd illa sit, et quidem sola, supremi vox judicis, qui Deus est. Etsi traditiones sive divinas, sive apostolicas, quales à Catholicis vindicantur, nullius esse momenti contendant, haud tamen omne traditionis genus videntur abjicere; humanis quippe ipsi testimoniis utuntur quàmplurimùm in astruendâ miraculorum quibus innititur christiana Religio, historicâ fide, neque refugiunt constantem et unanimem Ecclesiarum consensum, ubi agitur de comprobandâ quorumdam librorum canonicitate; generatim tamen edicunt, solis in Scripturis indagandam esse credendorum agendorumque veritatem. Docent 2° Scripturis apertè contineri omnia, tum creditu, tum factu necessaria, sive expressis ea verbis enuntientur, sive claris, obviis, certissimisque deriventur consecutionibus; hinc facilè etiam ab hominum vulgo posse errores omnes declinari, qui saluti officiant. Docent 3° nullam esse in terris constitutam auctoritatem, nullumque ministerium, cui in canonicitate genuinoque sensu Scripturarum inquirendis, internum et absolutum debeatur obsequium; *privatum* itaque ut vocant, spiritum solum esse interpretem, cui ab omnibus quibus aspirat, omninò parendum sit.

Quid est autem privatus ille spiritus, et cur omnibus illis non concedatur, quos habere sollicitos videatur Scripturarum studium? Aliis inter Protestantes, placet privatum hunc spiritum, quamdam esse Spiritûs sancti illustrationem, quâ veluti declaretur hujus vel illius libri canonicitas, arripiendusque sensus, et hi vix ab Enthusiastis discrepant. Alii volunt privatum illum spiritum inditæ consimilem esse facultati quâ dulce ab amaro discernitur; sunt verò qui utramque hanc expositionem cùm ideò explodant, quia fanatismum sapiat, hærent ancipites et animo suspensi, neque edisserere audent qualis sit illa Spiritûs sancti operatio, privatos homines Scripturarum lectioni vel auditioni incumbentes ita illuminantis et moventis, ut auctoritate Ecclesiæ non indigeant, nec ejus decretis, præ illâ motione et illuminatione quam sibi attribuerint, parere debeant.

Qualecumque sit supernaturale et speciale illustrationis et interpretationis illud donum, cur non omnibus suppeditetur, cur vel ipsi Luthero vel Calvino, Lutheranisque aut Calvinistis, in exponendo verbo Dei, v. g., de Eucharistiæ institutione defuerit, hìc iterùm laborant in assignandâ hujus dissidii causâ, Protestantes. Dicunt alii prædictum donum illis omnibus subministrari, qui debitam in legendis Scripturis, vel easdem legentibus audiendis diligentiam adhibeant, sinceroque animo spiritum veritatis invocaverint; contendunt alii donum illud iis solùm suppeditari, quibus ex mero beneplacito velit Deus, tum quando et quomodò voluerit, nullamque posse causam assignari, cur uni potiùs quàm alteri præbeatur.

Cæterùm Claudius, Juriæus, Pajon, Pictet, de La Chapelle, aliique plures præsertim ex recentioribus reformatorum ministris, planam compendiosamque vel simplicioribus fidelibus viam munire conati sunt acquirendæ scientiæ, quâ opus sit ut suæ valeant saluti consulere. Statuunt necessum non esse ut illi calleant intricatam de libris canonicis vel apocryphis quæstionem, neque ut studeant evolvendis scrutandisque omnibus sacræ Scripturæ partibus: tantó illos labori subeundo impares esse ultrò concedunt. Satis esse existimant ut textuum fundamentales, seu quibus necessarii ad salutem articuli continentur, canonicitatem,

germanumque sensum noverint; hanc autem tam præstantem notitiam tum consequi illos posse intimo quodam gustu, et coruscante sinceris mentibus luminis radio, qui ex memoratis textibus emittatur; tum etiam adjuvante bonæ conscientiæ securâ quiete, et fallere nesciâ, compertum habere illâ fruentes, sibi jam nihil deesse, quod ad instruendam fidem, emendandosque mores accersendum sit. Expeditam illam, inquiunt appellati mox auctores, præstituit viam summè providus Deus, ne humanis adinventionibus deludantur populi, ne vel tarditate ingenii, vel inopiâ litterarum, plurimi æternâ hæreditate defraudentur.

Ambigua quædam explanare juvat Protestantium effata, quæ fucum facere, et agitandæ quæstionis statum quodammodò possint invertere; dictitant interdùm Ecclesiam esse Verbi divini custodem, testem, interpretem atque omnium judicem controversiarum, quæ ad religionis et salutis negotium referuntur; hinc necessum esse concludunt Ecclesiæ firmiter adhærere, atque in ejus judicio penitùs acquiescere.

Hâc tamen in speciem catholicâ loquendi ratione, ab expositis mox erroribus non recesserunt. Ecclesiam enim distribuunt *in invisibilem*, quæ bonos duntaxat et justos complectatur, *visibilemque*, partim ex bonis, partim ex malis conflatam. Tum invisibilis Ecclesiæ membris omnibus, tum intra visibilem Ecclesiam latitantibus justis divinum attribuunt et efficax interpretationis donum, verax proinde sanâ de doctrinâ judicium, cui reipsà consentire oporteat; id unum significatum volunt, quando videntur jus dirimendi exortas de fide ac moribus controversias, Ecclesiæ adscribere; at non idcircò agnoverunt conditam esse aliquam societatem, constitutumve aliquod pastorale ministerium, unde absoluta prodeant et authentica judicia, quibus omnes tum exteriùs, tum interiùs obsequi immotâ mente debeant, posthabitis quibuscumque elicitis proprio examine et privato spiritu judiciis.

Nota : declarant Protestantes, cùm privatum in spiritum judicandi partes refundunt, sedulò distinguendum esse inter *privatum uniuscujusque hominis spiritum* et Spiritum Dei, qui privatis affulgeat hominibus; hunc, non illum, Scripturarum haberi interpretem, controversiarumque judicem.

Quàm removendis quæ dissimulare sibi nequeunt, incommodis, extranea imparque sit ejusmodi reponsio, demonstrandum curabimus.

Exponitur catholica de Judice controversiarum sententia.

In tractandâ quæstione de judice controversiarum, non propriè et ex *professo* agitur de infallibilitate Ecclesiæ; ea quidem inerrantia spontè ac necessariò profluit ex supremâ Ecclesiæ in definiendis controversiis auctoritate; at nunc in asserendo sistimus principio, consecutiones postea, ubi opus erit, deducendas, confirmandasque suscipiemus.

Confitentur libenter orthodoxi, in auctoritatem Dei revelantis summèque veracis fidem ultimò resolvi; tantam auctoritatem cuilibet alii longè antecellere, tum eamdem habendam esse, auctoritatis quâ potitur Ecclesia, fontem, basim et fundamentum. Confitentur consequenter auctoritatem Ecclesiæ, regulam esse, non *formalem* et *motivam*, seu ultimam rationem quâ impellimur ad assentiendum revelatis, sed *proponentem* duntaxat, *dirigentem* et *declarantem* qui sint libri afflante Spiritu sancto conscripti, tum quis germanus illorum sensus. Hinc persuasum habent distingui à verbo Dei judicia Ecclesiæ, utpote prolata non inspirante, sed *assistente* Spiritu veritatis. Quapropter auctoritas Ecclesiæ non dicitur *divina*, licet divinitùs concessa, neque simpliciter humana, cùm ex dono Spiritûs sancti, sicut ostendetur, errori sit impervia; sed *humano-divina* dici potest, *divina* quidem propter dignitatem originis, *inferior* tamen, ut præmonuimus, verbo Dei, cujus ad facem et præscriptum sua informat decreta, quibus verbum illud proponitur et explicatur ad sedandas removendasque controversias.

Haud inficiantur Catholici posse Deum privatis etiam quibus voluerit hominibus, speciale impertiri donum interpretationis : *Spiritus ubi vult spirat;* sed Catholici omnes asserunt solis Ecclesiæ pastoribus promissum alligatumque perpetuò simul et efficaciter hoc donum, eamque Ecclesiæ collatam esse auctoritatem, cui omnes ut indocti, sic docti obtemperare et assentiri sincero animo debeant in rebus ad religionem pertinentibus, quantùmcumque Spiritu sancto illuminari sese et adjuvari in dignoscendo et interpretando verbo Dei autumaverint.

Denique ubi agitur de refellendis erroribus, astruendâque dogmatum veritate, viam discussionis non refugiunt Catholici, imò hanc laudabili et fructuosâ operâ sancti Patres adhi

buerunt, eorumque insistentes vestigiis controversitæ ; neque tamen ullo modo derogatum inde voluerunt præcellenti auctoritati Ecclesiæ, quam non deserit ille *qui docet omnem veritatem,* Spiritus.

CAPUT II.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

Ecclesiæ auctoritate dirimendæ sunt spectantes ad Religionem controversiæ.

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex instituto divinitùs pastorali et publico in Ecclesiâ ministerio.*

Cùm propè esset ut Christus assumeretur in cœlum, constituere voluit pastorale ministerium quod in disseminando et aperiendo Dei verbo, quasi vicariam ipsi navaret operam : ideòque quos elegerat, sic affatus est Apostolos : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; docentes eos servare ômnia quæcumque mandavi vobis ; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. cap. 28, v. 20. Quod his verbis constituit, docendi et sacramenta conficiendi atque conferendi ministerium, illud tantâ munivit auctoritate, quantâ vix major excogitari possit. Suam quippe, ut ita dixerimus, personam gerere præpositos Ecclesiæ declaravit, atque in semetipsum resilire, quidquid vel honoris vel contemptûs in obeundo munere illis contigerit : *Qui vos audit,* inquit, *me audit, et qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Eò referuntur quod ait Apost. ad Corinth. c. 5, v. 20 : *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquàm Deo exhortante per nos.* Tam divino muneri, tam venerandæ auctoritati parere qui detrectaverint, quid eos maneat, consequenter denuntiavit Christus : cùm enim referente Marco Evangelistâ dixisset Apostolis : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ,* continuò addit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur,* Marc. 16, 15.

Nec verò causandum est, Apostolorum ætate circumscriptam fuisse collatam ipsis auctoritatem, debitamque eisdem docentibus obedientiam; ad statum enim Ecclesiæ ordinarium, ad ipsius constitutionem et essentiam pertinet laudata mox auctoritas, quemadmodùm et munus tum prædicandi Evangelii, tum sacramenta quæ Christus instituit, administrandi, ac proinde ad Apostolorum in pastorali ministerio successores trajiciendam, trajectamque fuisse, ambigi non potest.

Ministerii et auctoritatis successionem illam et perpetuitatem nedùm excludant, confirmant potiùs ac præ se ferunt hæc verba Christi : *Usque ad consummationem seculi;* namque à S. Matthæo, qui solus istas voces adhibuit, semper adducuntur ad finem mundi, ultimumque et universale designandum judicium; sic enarrat Christum in edisserendâ agri parabolâ locutum esse : *Messis verò consummatio seculi est; messores autem angeli sunt ; sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi,* Matth. 13, 39 et 40.

Verbis illis, *consummatio seculi,* vis eadem, sensus idem subjicitur, eodem in Evangelio, tum in parabolâ sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti; tum cap. 24, ubi postulant à Christo Apostoli quodnam signum adventûs ejus, et *consummationis seculi.* Docendi ministerium à Christo institutum et commendatum indicavit disertè Apostolus Ephes.5, 11 : *Ipse dedit,* inquit, *quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores.*

Finem ad quem destinatum sit idem ministerium, non minùs perspicuè significavit, cùm hæc addit ibid. v. 14 : *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Ejusdem quoque ministerii perpetuam durationem significanter énuntiavit ibid. v. 13 : *Donec,* ait, *occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Hæc autem ante mundi extremam diem non esse adimplenda quis non intelligat?

Ad asserendum quoque ministerio pastorali verum obsequium profectò collineat ea quæ omnibus comperta est Christi sententia, de homine violatæ divinæ legis insimulato : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* Matth. 18, 17. Ecclesiæ nomine ibi designari ipsius rectores, indicant subjuncta ibidem ista verba : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Eò quidem loci agebatur de privatâ injuriâ; id quod manifestum facit illa Christi admonitio : *Si autem in te peccaverit frater tuus.* Nec minùs ex allato textu depromitur efficax argumentum; si enim ubi agitur de privati hominis causâ, judicio pastorum Ecclesiæ qui obsequi renuerit, ipsos inter

ethnicos amandari debeat, quale salutis periculum ac dispendium illis immineat, qui indociles eorum sententiæ sese præbuerint, ubi disceptatur de revelatâ doctrinâ, cujus servandæ atque docendæ munus tam insigniter mandavit Christus Apostolis eorumque successoribus, communicatâ cum ipsis eâ potestate quam à Patre acceperat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos!* Nonne ipsa ratio suadet ac demonstrat illorum esse adhærendum decretis, quibus regendam Christus commisit Ecclesiam, creditumque voluit sanæ thesaurum doctrinæ, sicut præter allata testimonia colligere est ex istis Apostoli verbis ad Tim. 6, 20 : *O Timothee, depositum custodi devitans profanas vocum novitates?*

ARGUMENTUM II. — *Ex ipsâ Ecclesiæ naturâ et constitutione.*

I. Tum vetus, tum novum Testamentum consulentibus perspectum est, conditam esse Ecclesiam amplissimi instar regni quod annos et hostes auspice ac moderante Deo superaret; audiatur Daniel propheta cui reserata fuit omnium penè divinorum decretorum series : *Dedit ei* (Deus Filio hominis) *potestatem et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur*, Dan. cap. 7. Tum maximè Christus se regem esse testificatus est, cùm saturatus opprobriis, proposito gaudio, confusione contemptâ, factus ipse propitiatio pro peccatis totius mundi, agendus esset in crucem, cui affixum Pilatus, refragantibus licet Judæis, voluit hunc titulum : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, Joan. 19, 19. Porrò in Ecclesiâ positum esse illud Christi Domini regnum patefaciunt omnia quæ gessit, quæ statuit, quæ perferre dignatus est. Eodem de regno vid. Matth. cap. 13, v. 31, 32, 33; Luc. cap. 13, v. 18; Joann. cap. 18, v. 36, ubi regnum suum asserit non esse de hoc mundo, quia in terrenis ac temporalibus non versaretur. Certè verbis istis angeli Mariam alloquentis : *Regnabit in domo Jacob in æternum*, Luc. 1, 32, non exerendus, qualem obtinuerant oriundi ex Jacob reges, principatus significatur, sed ipsa quam fundavit Ecclesia, propriis mandata præpositis, ac supernaturali congruis fini temperata legibus.

Administrando tali regno palàm est nihil eorum præsidiorum deesse, quæ rectum ad regimen, subditorumque ut par est, providendum saluti necessaria sint; quæ enim à Deo derivantur genera gubernationis, ea esse ordinata quis negaverit? At nullum est benè moderatum regnum, in quo non sint constituti judices, qui excitatas de jure publico, seu de interpretatione legum dirimant lites, quorumque à docto, etiam ut indocto pareatur sententiis. Quis enim contentionibus, dissidiis ac licentiæ poneretur modus? Quò florentissima evaderent imperia, si jam unicuique civium liceret, revocatis proprium ad examen causis et legibus, privato inhærere judicio, et viam tenere quam instituerit, perinde ac si nulla foret tuendæ justitiæ præposita potestas?

Ad naturam igitur et constitutionem Ecclesiæ, seu regni à Christo fundati, pertinet ut externa, visibilis ac perpetua vigeat auctoritas, ad quam discutiendæ ac finiendæ referantur de canonicitate librorum, et divinæ legis expositione controversiæ; alioquin discissis contraria in studia obstinatè mentibus, suasque in partes repugnantem trahentibus Scripturam, tum quæ Christum auctorem habere diceretur, societas, non Ecclesia esset Christi, sed potiùs synagoga Satanæ, in quâ nullus ordo, at sempiterna discordia inhabitet. Eò tamen, alia inter discrimina, differt à regnis temporalibus Ecclesia seu regnum Christi, quòd in illis propositus finis, seu tranquillitas publica obtineri possit, etiamsi judicum sententiis internus quandoque non præberetur assensus, dummodò externum eisdem constanter præstaretur obsequium : at verbo Dei cùm innitatur fides, quæ plenam et integram animi assensionem sibi vindicat, consequens est ut Ecclesiæ, verbum divinum exponentis judicio, tum exteriùs, tum interiùs obtemperetur et assentiatur.

II. Ecclesiam quoque suam Christus *ovilis nomine* designavit : *Alias*, inquit, Joan. 10, 16, *oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Quos Ecclesiæ suæ gubernandæ præfecit Christus, illorum potestatem ac munia pastorali significavit officio : sic inprimis allocutus est Petrum : *Pasce agnos meos... pasce oves meas*, Joan. 21, 16 et 17. Advocatos Epheso fidelium duces sic affatur Apostolus : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo*, Act. 20, 28. Quænam autem sunt pastorum officia? Nonne hoc inter cætera eminet, ut nimirùm docendo præeant, tenendamque

viam et salubria pascua gregibus commonstrent? Quænam sunt gregis, seu ovium officia? nonne ut pastorum vocem audiant, et quam iidem docendo indicant viam, fideliter sequantur? Brevi profectò dispergerentur oves; in abrupta citò prorumperent, lupisque insidiantibus discerpenda objicerentur præda, si unaquæque semetipsam sibi ducem constitueret, neque pastorum voci et incitamentis vellet morem gerere.

Istâ Ecclesiæ cum ovili tam aptâ comparatione, luce clariùs ostenditur, quàm docilis promptusque animus ad institutiones pastorum Ecclesiæ, jubente Christo, exhiberi debeat.

III. Totum *in testimoniis* repositum est asserendæ religionis negotium; per testes invecta, per testes exposita, per testes propagata et servata est fides; unde concluditur in dissolvendis fidei controversiis oportere, priores ut partes auctoritas obtineat : hoc paulò uberiùs tractandum et astruendum argumenti genus.

De Joanne Baptistâ sic legitur Joan. 1 : *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Testis munere defunctum esse ipsummet Christum, evidentissimè constat : *Qui de cœlo venit, super omnes est*, inquit ibid. 30, 32, 33, *et quod vidit et audivit testatur;* unde vocatur *testis fidelis et verus qui est principium creaturæ Dei,* Apoc. 1, 14. Apostolos suos Christus totidem esse voluit doctrinæ suæ, sicut et operum suorum testes : *Accipietis,* inquit, *virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Christo testimonium tum factis, tum institutionibus perhibuerunt instanter Apostoli; hinc Joannes Evangelista Epist. 1, c. 1, v. 2 : *Vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam.* Ne intermitteretur opportunus ille ac necessarius testimoniorum ordo caverunt Apostoli : *Quæ audisti à me per multos testes,* ait S. Paulus 2 ad Tim. 2, *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

Totius ergo Religionis christianæ veritas ad facta revocatur quæ testimoniis confirmari possint ac debeant; estne referendus in canonem hic vel ille liber? Fuitne receptum, creditum, constanterque retentum in Ecclesiâ Christi, hoc vel illud dogma? Scripturarum locis ad emergentem controversiam spectantibus, quemnam sensum per diversas ætates adscripserint, sacrorum librorum et apostolicæ custodes doctrinæ? Hæc omnia comprobari possunt ac debent per testes, quorum testimonia in Ecclesiæ deposito sunt asservata, quæ quidem ad stabiliendam et illustrandam credendorum fidem tempestivè proferuntur. Hæc per testes probandæ fidei ratio divinitùs ordinata, invicto est argumento, ita esse constitutam à Christo Ecclesiam, ut legitimâ auctoritate, non privato examine, definiendæ sint ingruentes de fide ac moribus controversiæ. Hinc ita meritò Vincentius Lirinensis, Commonit. cap. 32 : « Christi Ecclesia sedulâ et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit. Non amputat necessaria; non apponit superflua; non amittit sua; non usurpat aliena; sed omni industriâ hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitùs informata et inchoata, accuret et poliat, si qua jam expressa et enucleata, consolidet et firmet; si qua jam confirmata et definita, custodiat. »

ARGUMENTUM III. — *Ex necessitate habendi controversiarum supremi judicis, et necessariis ejus dotibus.*

In causis quæ ad religionem attinent, habendum esse judicem negari non potest; itane Deus ipsi societati Christianorum consultum voluisset, ut nulla parata esset via investigandi et comperiendi quid christiana fides, quid christianæ vitæ postulet institutio? Habendum itaque esse judicem quo tanto in discrimine componi possint, quantùm ad salutem necesse est, controversiæ, constat apud omnes quæ christianæ dicuntur societates; at quænam sunt judicis illius necessariæ dotes?

Supremus controversarium judex oportet ut sit *publicus et aditu facilis;* opus est enim ut litigantibus innotescere queat, nec operosiùs, ne indagandi fastidio et nimiâ difficultate, inaccessa et desperata veritas, ipsaque salus esse videatur : opus est etiam sic pronuntiare judicem, ut distincta et obvia intellectu sit illius sententia, ne ambiguitate et obscuritate judicii, distrahantur potiùs quàm ad veram concordiam adducantur dissidentium animi.

Oportet *ut pronuntiando sibi constet, non multiplex, non instabilis;* alioquin, ludibrio jactaretur fides; incerti alternantibus opinionibus abriperentur populi; neque in credendo, verè

auctoritate Dei ducerentur, namque apud Deum non occurrit *est et non*; *apud quem nulla transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*, Jacobi c. 1, v 17.

Denique necesse est ut vim habeat suo modo *coercitivam*, et proposito fini accommodatam; hæc enim si defuerit, neque comprimi poterit rebellantium protervia, neque scandalis impedimentum afferri vel remedium.

In locum judicantis Ecclesiæ substituatur privatus, qualem sibi finxerunt Protestantes, spiritus: nullus erit supremus controversiarum judex, in quem conveniant assignatæ mox conditiones, imò qui vel unam ex ipsis obtineat. Non erit publicus judex, neque ita pronuntiabit, ut de illius sententiâ nullum exoriatur et invalescat haud spernendum dubium; occultus est naturâ suâ privatus spiritus; hunc sibi adesse gloriabuntur pugnantium sectatores partium : hinc Tertullianus de Præscript. cap. 19 : « Non ad Scripturas provocandum « est, nec in his constituendum certamen in « quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut « par incertæ. » Non erit judex qui sibi saltem constare videatur, neque contrariis simul partibus adstipulari; quâ enim ratione privatus idem spiritus Calvino et Calvinistis persuaserit, hæc verba Christi Eucharistiam instituentis : *Hoc est corpus meum*, inflectenda esse metaphoricum ad sensum, Lutheranis autem sicut et Luthero, persuaserit, realem Christi præsentiam eisdem illis verbis clarè et distinctè significari? Quo pacto contigisse putabimus ut illud Christi pronuntiatum : *Ego et Pater unum sumus*, referendum esse ad solam moralem unionem, Calvinus crediderit, non ad unitatem naturæ, quam auctoris sui interpretationem vulgò reprobant ipsimet Calvinistæ? Quo etiam portento, eodem quoque impellente privato spiritu, spurios inter fœtus amandaverit libros Lutherus, quos tanquàm genuinos et sacris annumerandos Scripturis commendat ultrò Calvinus? Utrumque prætensæ reformationis inventorem non audebunt Protestantes ablegare in reproborum, seu obcæcatorum præjudiciis hominum congeriem; potuissetne igitur idem spiritus tam diversam induere personam, ut ex duobus justis et prædestinatis, ad reformandam universalem Ecclesiam divinâ missione donatis, alterutrum fallente veritatis specie, tantis implicaret erroribus? Denique si nullus agnoscatur controversiarum judex præter Scripturam privato spiritu intelligendam et exponendam, nullus erit judex qui *coactivâ et probatâ auctoritate*, contumaces cohibere ac tumultuantes compescere valeat. Hæc enim non ad privatos pertinet auctoritas; nec eam etsi accepissent, certis possent argumentis testatam facere.

Quæ Protestantium societati objecimus, eisdem urgeri Socinianos, Hussitas, vel leviter attendenti patebit; at in Ecclesiam posse confluere ac reipsà concurrere, quas recensuimus ad supremum controversiarum judicem necessarias conditiones, promptum est ostendere : in conspectu omnium posita est; de illâ scriptum est : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*, Isa. cap. 2, v. 2. Sua palam proponit decreta, ut cernere est in concilio quod Hierosolymis convocârunt Apostoli : tum in conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino et aliis; quos damnant hæreticos, illi profatam ignorare diù nequeunt sententiam; hinc tot illorum acerbæ querimoniæ, totque in judicem, ut causâ cadentibus assolet, convicia; tum si quid novellæ difficultatis ingrueret, hanc etiam pro suâ sapientiâ elevare et excutere posset animatus ac perpetuus judex, Ecclesia.

Neque ulla suppetit negandi ratio, potuisse Ecclesiæ conferri vim *coactivam* ipsius ad regimen accommodatam, spiritualibus in pœnis positam; imò et reipsà fuisse collatam, illâque usos fuisse Apostolos certissimum est, v. g., cùm Hymæneum et Alexandrum Satanæ tradidit Apostolus, cùm formam præscripsit accusandi presbyteros; cùm virgam severitatis intentabat iis qui mandatis obstinatâ voluntate repugnarent. Vim eamdem suo in genere coercitivam, adhibuisse constanter pastores Ecclesiæ, ipsaque generalia concilia, cùm percellerent anathemate hæreticos et schismaticos, id obvium est vel primo aspectu annales Ecclesiæ et conciliorum collectiones perlustrantibus.

Argumentum IV. — *Ex notoriâ, universali et perpetuâ Ecclesiæ praxi.*

Quidquid de traditione sentiant Lutherani, Calvinistæ, Sociniani, diffiteri tamen nequeunt credenda esse facta quæ sint ex suopte genere *publica et notoria*, quæ insuper *maximi* sint evidenter *momenti*, authenticis consignata, et ab ætate in ætatem transmissa monumentis, continuisque amicorum et inimicorum confirmata testimoniis; talia facta qui pro

incompertis et fide indignis haberet, ille nec ipsa facta crederet, quibus incumbit christiana tota religio; idemque prorueret in absurdissimum, atque tùm religioni, tum societati infensissimum pyrrhonismum.

His prælibatis, contendimus hanc semper in Ecclesiâ catholicâ viguisse praxim, ut pastorum ipsius judicio componerentur insurgentes de fide et moribus controversiæ; tum inde certò colligi, hâc ut viâ dirimerentur, institutum à Christo fuisse et ordinatum. Primò quidem hæc semper in Ecclesiâ viguit praxis, ut pastorum auctoritate dijudicarentur exorientes de Religione controversiæ; in assertionem hanc conveniunt omnia quæ mox indicavimus certitudinis historicæ indubitata signa et argumenta. Factum nempe istud ex suopte genere publicum est atque notorium. Quid enim notius in civitate aliquâ vel regno? Quid omnibus magis obvium cognitu, quàm utrùm extet tribunal in quo dijudicari lites oporteat, mulctari sontes, insontesque absolvi? Primævis ab Ecclesiæ seculis, pullulârunt hæreses, prodiêre schismata, extiterunt qui Scripturam sacram vel multis ex partibus rescindere tentaverint, vel eâdem pro viribus abuti ad errorum patrocinium; variis in illis tempestatibus quemnam latere potuit nisi mente captum, vel humanæ penitùs ignarum conditionis, utrùm vigeret necne illis sedandis, ac tutandæ fidei constitutum ministerium, cui omnes tenerentur obsequi? Commemoratum idem factum maximi esse momenti, propositæ quæstionis vel solâ expositione declaratur, agnosciturque ab omnibus; hinc postremis temporibus nihil inausum intentatumque reliquerunt Romanæ communionis plerique desertores, supremum ut Ecclesiæ tribunal funditùs everterent; eidem autem tribunali ut debitum obsequium ac venerationem conciliarent, indefesso studio allaborârunt Catholici. Quòd autem momentosa de quâ disserimus, praxis, authenticis consignata sit et ab ætate in ætatem transmissa monumentis, in hujus facti confirmationem, quàm densa et spectabilis imposita nubes testium! Hierosolymitanâ in synodo Apostoli, non ut propriè afflati Spiritu sancto, (quid enim opus fuisset synodo, cùm singuli essent inspirati?) verùm ut Ecclesiæ pastores sic statuunt : *Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos,* Act. c. 15. Ab illius tempore synodi, quot hæreses auctoritate et studio pastorum Ecclesiæ profligatæ sunt! Aliæ quidem sine congregatione synodi, quod, ut observat S. Augustinus ad Bonif. l. 4, cap. ult., plerisque illarum contigit; aliæ verò in synodis quarum priores, referente Eusebio Hist. l. 5, c. 16, adversùs Montanistas et Cataphrygas coactæ sunt.

In Oriente, priora octo generalia celebrata sunt concilia : Nicænum primum contra Arium; Constinopolitanum primum contra Macedonium; Ephesinum contra Nestorium; Chalcedonense contra Eutychem; Constantinopolitanum II contra tria Capitula; Constantinopolitanum III contra Monothelitas : Nicænum II contra Ichonoclastas; Constantinopolitanum IV contra Photium. Enumerare hìc opus non est habita in occidente concilia; hæc et illa accuratis asservantur in Collectionibus, quæ oculis omnium subjiciuntur. Ex his omnibus patet quomodò in reprobandis erroribus, ac damnandis qui aut verbum Dei interpolarent, aut alienos in sensus, innovandi prurigine detorquerent, adhibita fuerit et quale exegerit obsequium auctoritas Ecclesiæ; sufficiat hìc depromere in exemplum canonem primum concilii primi Constantinopolitani generalis; statuit « fidem non violandam Patrum trecen-« torum decem et octo, qui apud Nicænam « Bithyniæ convenerunt; sed manere eam « firmam et stabilem; anathematizandam « omnem hæresim, et specialiter Eunomiano-« rum, vel Anomianorum, Arianorum. » Demùm quicumque hæretici de judiciis Ecclesiæ, incussisque ab eâ anathematibus expostulârunt, eamdem proscindere certantes, prædictam quam hactenùs vindicavimus praxim, suis vel objurgationibus atque pertinaciâ testati sunt.

Jam præstat ostendere quàm necessariâ consecutione, quàm invicto argumento, ex illâ praxi colligatur contulisse Christum Ecclesiæ jus ac potestatem dirimendi invectas de fide et moribus controversias, sincerumque præcipiendi obsequium; in symbolo tum Nicæno tum Constantinopolitano asseritur, profitenturque omnes qui christiano censentur nomine, *sanctam esse Ecclesiam.* Ac reipsà sanctitatem si exueret, perdendis potiùs quàm salvandis hominibus esset comparata; attamen nisi Ecclesia jure et auctoritate polleat concitatas de religione lites disjudicandi, atque pervicaciter obluctantes, interposito etiam anathemate proscribendi, palam est fore concludendum, sponsam illam Christi ab ipso Apostolorum tempore, per summam iniquita-

tem et arrogantiam, invasisse atque occupâsse supremi in quâcumque religionis causâ potestatem judicis; tum per summam tyrannidem gravissimis continuò pœnis, qualis est excommunicatio, insectatam fuisse repugnantes prolatis absque jure et auctoritate decretis; hæccine habentur sanctitatis insignia, quam in solemni et communi professione fidei exultantes gratulamur Ecclesiæ?

Ad quartum quod exposuimus argumentum adjungi possunt expressa et egregia Patrum testimonia, supremæ constanter suffragantium auctoritati, quam in dijudicandis fidei ac morum controversiis vindicamus pastoribus Ecclesiæ. Ne vel solo traditionis nomine offendantur adversarii, Patres hìc non appellamus nisi ut graves coætaneosque testes facti, ut diximus, ex naturâ suâ publici, notorii ac summi momenti. S. Iræneus, lib. 4 adversùs hæreses, cap. 45 : « Charismata Domini posita « sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos « est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, « et id quod est sanum et irreprobabile conver- « sationis, et inadulteratum et incorruptibile « sermonis constat. Hi enim et eam quæ est in « unum Deum fidem nostram custodiunt, et eam « quæ est in Filium Dei dilectionem adaugent, « qui tantas dispositiones propter nos fecit, et « Scripturas sine periculo exponunt. » Idem doctor, lib. 5, c. 20 : « Ecclesiæ prædicatio « firma et vera regula est, quâ una et eadem « salutis via in universo mundo ostenditur. » Hujusce assertionis rationem hanc subjicit : « Huic enim (Ecclesiæ) creditum est lumen « Dei : qui verò relinquunt præconium Ecclesiæ, « tales (hoc est, qui Ecclesiæ documenta dese- « runt) sunt hæretici. » Tertullianus : « Ubi « tunc Marcion Ponticus Nauclerus stoicæ stu- « diosus? Ubi tunc Valentinus Platonicæ secta- « tor? Nam constat illos neque adeò olim fuisse, « Antonini ferè principatu, et in catholicam « primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam « romanam, donec sub episcopatu Eleutherii « Benedicti, ob inquietam semper eorum curio- « sitatem, quam fratres quoque vitabant, semel « et iterùm ejecti, » de Præscript. cap. 30. Idem sic privatum ad examen provocantes urgebat : « Ubi enim erit finis quærendi? Ubi sta- « tio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud « Marcionem? Sed et Valentinus proponit, *quæ- « rite* et *invenietis*. Apud Valentinum? Sed et « Appelles hâc me pronuntiatione pulsabit, et « Hebion, et Simon, et omnes ordines non ha- « bent aliud quo se mihi insinuantes me sibi « addicant, » de Præscr. cap. 10. S. Epiphanius, hæresi. 75 : « Jam verò utri tandem illorum « peritiores sunt? An errore deceptus homun- « cio qui nunc tamen emersit, et adhuc hodiè « superstes est? an qui ante nos testes extite- « runt, quique ante nos eamdem traditionem « tenuerunt, quam et ipsi à parentibus accepe- « runt, et ipsorum parentes à majoribus didice- « rant? Quemadmodùm Ecclesia quam à paren- « tibus accepit rectam ac sinceram fidem cum « traditionibus ad hanc diem observat. » Ita novatoribus opponebantur à Catholicis antiquæ testes doctrinæ, eamque retinentis auctoritas Ecclesiæ. S. Augustinus de Utilitate credendi, cap. 17 : « Non dubitemus nos cre- « dere Ecclesiæ gremio, quæ ab Apostolicâ sede « per successiones episcoporum, auctoritatis « culmen obtinuit, cui nolle primas dare, vel « summæ profectò impietatis est, vel præcipitis « arrogantiæ. » Percelebre est illud ejusdem eximii doctoris effatum : « Evangelio non cre- « derem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commove- « ret auctoritas, » lib. contra Epist. fundamenti, cap. 5. S. Hieron. : « Poteram omnes pro- « positionum rivulos uno Ecclesiæ sole sicca- « re, » Dialogo contra Luciferianos, tom. 4, part. 2.

Ab aliis quæ affluunt, temperamus recensendis testimoniis; quin et christiani imperatores, æmulâ quâdam et effusâ in Ecclesiæ auctoritatem reverentiâ, subditis suis præire videbantur. Constantinus imperator in Epist. ad omnes scriptâ ecclesias ait : « Quidquid in « sanctis episcoporum conciliis decernitur, id « universum divinæ voluntati debet attribui, » apud Euseb. lib. 3 de Vitâ Constantini. Gratianus quoque imperator jussit, ut ad expediendas de rebus fidei controversias adirentur interpretes verbi divini antistites, « ut vide- « licet à quibus proficiscuntur instituta do- « ctrinæ, ab eisdem discordiæ eruditionis « repugnantia solveretur. » In Epist. ad episcopum Aquileiensem; vide acta concilii Aquileiensis. Alia referuntur à Bellarmino perhonorifica id genus testimonia, judicio et auctoritate Ecclesiæ, cujus dotes suis attribuerunt sectis, comprimenda esse quæcumque de fide moribusque dissidia profitentur Græci, Armeni, Nestoriani, Jacobitæ, aliique jampridem à Romanæ Ecclesiæ consortio disjuncti, quod procul dubio doctrinæ caput ab eâ post discessionem suam non susceperunt.

Hoc ut eludatur firmissimum argumentum, si fingeretur inductam præconcepto errore

Ecclesiam putavisse, datam sibi à Christo supremam auctoritatem, quâ confidenter usa est in dijudicandis controversiis, et hâc instigante persuasione usum illum invaluisse, adjuvantibus obsequio fidelium et diuturnitate temporis; mirum quot et quanta tum Christo, tum Apostolis et universæ Ecclesiæ injuriosa commenta importaret ejusmodi responsum! Numquid ignorâssent, aut ignorare potuissent Apostoli utrùm sibi tanquàm Ecclesiæ præfectis divino numine pastoribus suisque in regimine Ecclesiæ successoribus concessa, vel utrùm negata fuerit potestas dijudicandi exorituras de religione contentiones? Quid ergo didicissent à Spiritu sancto, de quo Christus sic ad Apostolos: *Ille vos docebit omnia*, Joan. cap. 14, v. 26; *docebit vos omnem veritatem*, ibid. c. 16, v. 13? Tanti interest quæstio de judice controversiarum, ut ad summam religionis, ad essentialem Ecclesiæ gubernandæ formam, ad necessariam omnibusque propositam veritatis inquirendæ viam pertineat; haud igitur nisi insipienter atque per extremam injuriam fingi posset de illâ primariâ quæstione, vel incompertum fuisse Apostolis quid sentire, quid credere oporteat, vel id non hausisse à documentis agendique ratione Apostolorum, illos quos ubique constituebant sanæ testes doctrinæ, et quibus regendas tradebant Ecclesias, custodiendumque fidei depositum, vel denique statim elapsam ubique ex mentibus notitiam tantoperè necessariam, quæ ad continuam, universalem, notoriamque praxim spectat, nec sine detrimento salutis latere posset. Adeòne Christus Ecclesiæ invisibile caput, idemque amantissimus sponsus, ipsam à primordiis deseruisset, ut promissorum suorum oblitus, integra per secula septemdecim passus fuisset tantâ illam cæcitate laborare, ex quâ sequerentur constituti divinitùs ad regimen fidelium ordinis eversio, iniquorum anathematum immensa series, juris unicuique in suâ fide informandâ collati excidium, sectarum plurium, quæ, si auctoritate non dirimerentur controversiæ, ab universali Ecclesiâ non exularent, temeraria expulsio; nec ullum paratum esset tam exitioso errori, inexhaustoque malorum fonti remedium, cùm superior nulla versaretur in terris potestas, quæ errantem Ecclesiam ad veritatis normam, ad æquitatis fines revocaret?

Adde quòd si de supremâ Ecclesiæ in causis fidei auctoritate aliqua posset iniri dubitatio, ratio ipsa clamet, fore potiùs credendum Ecclesiæ, auctoritatem suam Apostolorum exemplo, tum continuatam ab ipsis Apostolorum temporibus possessionem vindicanti, quàm novellis hominibus nullâ, ut ipsi fatentur, in judicando auctoritate præditis, tamque à se mutuò dissidentibus, quàm ab illâ tam antiquâ, cujus communione eorumdem majores gloriabantur, Ecclesiâ.

ARGUMENTUM V. — *Ex analysi et proprietatibus fidei.*

Hæc tria inprimis possunt observari: assensus fidei debet esse prudens ac supernaturalis; *prudens* quidem: *Rationabile obsequium vestrum*, inquit Apost. ad Rom. c. 12, v. 1, cùm ultimò resolvatur in auctoritatem Dei revelantis, qui ut summa veritas, ita est summa ratio et sapientia; idem ille assensus debet esse supernaturalis; salutis enim cùm sit radix et fundamentum, quomodò solis naturæ viribus comparari possit? *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed*, etc. Ad Philipp. c. 1, v. 29. Fides quoque debet esse certa et immutabilis, unde exclamat Apostolus: *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ad Galat. cap. 1, v. 8. Nec indubitata duntaxat, sed *una* debet esse fides; hâc de unitate latè disseretur ubi de notis Ecclesiæ; illud nunc satis est afferre testimonium Apostoli: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Ad Ephes. c. 4, v. 5. Hâc unitate devinctos dissitarum etiam regionum incolas voluit Christus, qui *est Salvator omnium, maximè fidelium.* Atverò Ecclesiæ si detraxeris auctoritatem dijudicandi religionis causas, munusque illud illigatum volueris privato, quod adversarii ostentant, examini, primò quidem nec prudens nec supernaturalis censeri poterit assensus fidei: haud quidem prudens; neque enim ad sobrietatem sapere, ac prudenter se gerere, illi putandi sunt, qui ipso in salutis negotio ac discrimine opus aggrediuntur superbiæ ac temeritatis plenum; hoc in vitium nonne manifestè incurrunt qui investigandâ Scripturarum canonicitate, secernendisque fidei dogmatibus et christianæ vitæ institutis, proprium suum parati sunt anteferre judicium generalium etiam conciliorum decretis? ita ut si quando illis assentiantur, non ideò eorum sequantur doctrinam, quia moveantur ipsorum testimonio et auctoritate, sed eò quòd eamdem hanc doctrinam propriâ inquisitione sacris in litteris comperisse sibi videantur; neque erubescendum illud crimen

declinare queunt hoc obtentu, quòd non sibimetipsis, sed divinis innitantur promissionibus; quo enim pacto ex Scripturis (quas solas existimant credendi regulam), inferri possit, uberius illis et efficacius Christum spondere auxilium, ad assequendam veritatem, quàm ipsimet Ecclesiæ, quam voluit esse *columnam veritatis*, et cui affuturum se usque ad consummationem seculi, tam asseveranter pollicitus est? Ipsos litteratos premit obvium istud argumenti genus: nam *superbis* quibuscumque *resistit Deus*: at magis etiam quodammodò homines urget rudes et imperitos, qui posthabitâ et idcircò contemptâ Ecclesiæ auctoritate, et semotis ejusdem institutionibus, se sibi ipsis duces ac magistros in prosequendâ credendorum et agendorum notitiâ constituere audeant, deridendi potius quàm seriò refellendi; neque sanè inter parvulos illos computandi, quibus Deus revelare amat, quæ abscondita prudentibus seculi voluerit; cùm et illi imperiti tam graviter impingant in hæc pronuntiata Salomonis: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, Proverb. cap. 3. *Ne sis sapiens apud temetipsum*, ibid. Ut non prudens assensus, quem revelatis commodant, auctoritatis Ecclesiæ in dirimendis de Religione litibus, contemptores, sed temeritatis et superbiæ evidenter arguendus, ita illum ab inspiratione gratiæ non proficisci, perspicuâ ratione constat, quandoquidem ad frenandam, non ad incitandam temeritatem, ad repellendam, non ad fovendam superbiam, cœlestis dona gratiæ suppeditari, christianus nemo inficiabitur. Non ergo assensus ille dici potest supernaturalis, ac divinæ fidei.

Aliâ de causâ deficit ab ejusdem fidei proprietatibus, quia nempe ex suâpte naturâ certus non est ac immutabilis. Fides est *sperandarum substantia rerum*. Non minùs igitur inconcussa esse debet ipsâ spe *quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*, Hebr. 6: auctoritate Dei innititur, qui nec fallere, nec falli unquàm potest; quæ autem certitudo et immutabilitas in assensu qui privato judicio seu privato spiritu eliciatur, nullâque habitâ ratione auctoritatis Ecclesiæ? Notum est illud Apostoli: *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, 2 Cor. 11; unde S. Joannes: *Probate spiritus, si ex Deo sint*, 1 Joan. 4, 1. Hinc ut errorum, ita et variationum fœcundum nimis semen ac principium; singulis aliunde ætatibus, experimento probatur, quò magis recediture ab auctoritatis viâ, eò magis excitari irrequietam funestæ novitatis pruriginem. Quod more suo nervosè sic eloquitur Tertullianus: « Mentior si non etiam à regulis suis variant « inter se, dùm unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodùm « de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. « Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem « Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo « fidem innovare, » de Præscript. cap. 42.

Tertia quam proposuimus fidei proprietas, nimirùm *unitas*, quâ ratione consistere queat, si auctoritatis depulso jugo, si privato examine, sive privato spiritu instruenda suscipiatur? hinc quanta potiùs dissensionum seges! Tum altercantes inter se, certatim provocabunt ad Scripturas; at suo eas hic et ille mancipantes judicio, nullumque agnoscentes animatum communemque judicem, cujus pareant auctoritati, suo confirmabunt dispendio, id quod admonet Vincentius Lirinensis in Commonitorio, cap. 9: « Scripturam sacram pro ipsâ sui altitudine, « non uno eodemque sensu universi accipiunt « (hæretici), sed ejusdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines « sunt, tot illinc sententiæ erui posse videan « tur. »

ARGUMENTUM VI. — *Ex incommodis quæ nascuntur et ingravescunt rejectâ in dirimendis controversiis auctoritate Ecclesiæ.*

I. De unitate fidei, quâ Ecclesiæ suæ devincta esse membra Christus voluit, mentionem mox injecimus, futurumque suggessimus ut brevi discinderetur, abnegatâ judiciorum Ecclesiæ auctoritate; fore hic adjicimus, ut ipsum tolleretur unitatis principium; aliud enim alius pro suo unusquisque ingenio vindicabit et affectu: si Enthusiasta, immediatas jactabit revelationes; si Socinianus, dictata rationis; si Lutheranus aut Calvinista, privatum, ut aiunt, spiritum; dissidentes inter se hæreticorum propter rejectam Ecclesiæ auctoritatem, in Scripturarum interpretatione sententias, sic perstringit idem Vincentius Lirin.: « Aliter Novatianus, « aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Apollinaris, Priscillianus, « aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestinus; aliter prostremò Nestorius, atque idcircò multùm « necesse est propter tantos tam varii erro« ris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ in« terpretationis linea secundùm ecclesiastici et « catholici sensûs normam dirigatur, » loc. cit. Ad hæreticos recentiorum ætatum, ut liquet, transferri potest sapiens hæc Vincentii anim-

adversio : Scripturas aliter exposuit, seu potiùs Scripturis aliter abusus est Lutherus, aliter Carlostadius et Œcolampadius, aliter Melanchton et Bucerus, aliter Zuinglius et Calvinus, aliter Anabaptistæ, aliter Sociniani et Arminiani. Quot procuderunt pro suâ quisque innovandi cupidine, interpretationum figmenta, tot palàm argumentis testatum fecerunt, ademptâ vel postpositâ in dijudicandis fidei controversiis auctoritate Ecclesiæ, nullum fore principium quo in consortium fidei constanter adunarentur Christiani, ac proinde innumeri eâdem ex radice prodirent adversantes sibi invicem surculi ; unde dici potest cum Tertulliano : « Cæterùm nec suis præsidibus reve- « rentiam noverunt. Et hoc est quòd schismata « apud hæreticos ferè non sunt; quia cùm sint, « non parent : schisma est unitas ipsis, » de Præscript. cap. 42.

II. Alterum incommodum seu absurdum ex priore derivatum, in eo collocatur, quòd non possent hæretici gravissimorum etiam errorum efficaciter redargui et convinci. Ineatur certamen ; ingeminentur argumenta ; disceptanti reponeret enthusiasta, id quod olim Michææ prophetæ divina proferenti oracula obtrudebat unus ex pseudo-prophetis impii Achab : *Mene ergo dimisit spiritus et locutus est tibi ?* 3 Reg. 22, 24. Responderet Socinianus pronuntiato abutens Apostoli, *rationabile obsequium vestrum :* Non pugnat cum ratione revelatio ; idem utriusque auctor summè verax Deus ; mysteria Trinitatis, Incarnationis, peccatum originale, videntur mihi ratione judice absona, penitùsque incredibilia : ea proindè revelare non potuit Deus. Regerent Zuingliani et Anabaptistæ : *Omnia probate; quod bonum est tenete :* quem affingitis his vel illis Scripturæ testimoniis sensum, hunc arbitramur alienum et commentitium : *Quid nôsti quod ignoremus? Quid intelligis quod nesciamus ?* Job. 15, 9. Utquid administratur infantibus baptisma ? Quid prodest sacrificium missæ ?

Hominem ergo hæreticum ad fidem adducere si tentaveris, quid proficies abjudicatâ Ecclesiæ auctoritate? Quid suggeres ? Consule, inquies, Scripturas : consului ; exue præjudicia : omnia jamdudùm abjeci ; pugnantia in speciem confere testimonia : quoad mihi licuit, contuli ; cæterùm, te fatente, nullus in terris judex cujus decretis obligatus tenear ; quidquid non tibi, sed mihi privata ratio aut privatus suggerit spiritus, id tutâ, quamdiù tuis stabo placitis, sequar conscientiâ ; perfractis ergo Ecclesiæ repagulis, hæreses grassabuntur impunè ; augebuntur hæretici numero et audaciâ de die in diem ; nec suppeditabitur via eos saltem in officio continendi, quibus luctuosum immineat fidei suffragium.

III. Laxiori tolerantismo (de tolerantismo theologico, non civili loquimur) ingens aperitur ostium, quod sejunctâ Ecclesiæ auctoritate claudi nunquàm poterit ; nam ubi instar fundamenti constitutum est, in scrutandis Scripturis suum sibi quemque habendum esse judicem, tum posse singulos ac debere judicium suum universalis quantùmcumque concilii judicio anteponere, si cohærere utrumque non videatur, quo jam freno poterit tolerantismus, aut, si velis, fanatismus temperari? Postulant Calvinistæ ut à Lutheranis tolerentur, eorumque adsciscantur in communionem, dogmata quamvis quædam repudient quibus addicti sunt Lutherani, ut puta, *præsentiam Christi realem in Eucharistiâ,* quædam verò profiteantur à quibus abhorreant Lutherani, ut putà *inamissibilitatem justitiæ.* Ut in communionem Lutheranorum cooptentur Calvinistæ, obtendunt nullam se abjicere partem doctrinæ quæ ducatur instar fundamenti ; nullam se consectari quam post maturum examen non credant codicibus sacris exhiberi ; at postulent pariter à Protestantibus Sociniani ut tolerantiæ beneficio, illorum inserantur communioni, quo nomine, quam ob causam ab eâ repellerentur? affirmabunt repudiatâ auctoritatis methodo reliquum esse et integrum, ut eam unusquisque religionis prosequatur formam, quæ scrutandis Scripturis probanda sibi et divinitùs præscripta videatur ; nec minùs licere sibi metaphoricos in sensus testimonia revelationis adducere, quæ nativo intellecta verborum sensu, Deum hominem factum significent, quàm Calvinistis liceat metaphoras affingere illis Scripturæ locis, quæ ad litteram usurpata Christum referunt præsentem realiter in Eucharistiâ ; assument sibi verba hæc Apostoli ad Romanos c. 14 : *Unusquisque in suo sensu abundet;* tum illa S. Joannis : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,* Joan. 1, c. 3.

Quicumque etiam canone Scripturarum alii alios expungere voluerint libros, eodem erunt jure tolerandi, quo toleratos se volunt Lutherani, quamvis Epistolam ad Hebræos, Epistolam S. Jacobi, Apocalypsim respuant. Si quibusdam ut hæreticis denegaretur communio

ecclesiastica, diceretur eos non satis accurato examine, neque rectâ conscientiâ Scripturarum canonicitatem sensumque expendisse, responderent : Dictum est ab Apostolo : *Non quia dominamur fidei vestræ,* 2 ad Cor. c. 1, v. 23. Idem adhibiti à se ipso examinis debet esse judex, qui sibi, non aliis, ipsâ in causâ fidei controversiarum judex esse potuerit ac debuerit.

Hinc prodierunt, religionum tolerantismo ita insulsè patrocinantes, ut ad Ecclesiæ obtinendam servandamque communionem, vagam duntaxat exigerent, quâ Christi Domini divina missio agnosceretur, professionem fidei : eò cùm deventum fuerit, quàm proclive est, ut (quod multis contigit) quamcumque tandem religionem æquali penè loco habendam esse judicetur!

IV. Ex ipsâmet naturâ methodi quam refellimus consequens est, ut baptizatus infans, cùm usum rationis attigerit, *in actum infidelitatis* erumpat, hoc est, ut de veritate Ecclesiæ, de christianâ doctrinâ, de canonicitate Scripturarum, sibi iterùm atque iterùm propositis, ambigere debeat ac *positivè* dubitet; quæ dubitatio quàm sit divinæ injuriosa institutioni, quàm infensa comparatæ gratiæ regenerationis, facile est intellectu.

Invectâ scilicet prædictâ methodo, innotescere vera non potest Ecclesia, nisi priùs vera perspecta sit doctrina; solis autem ex Scripturis veram oportebit doctrinam hauriri; earum igitur ante omnia et quidem privato examine, sive privato spiritu exploranda canonicitas; singula hæc antequàm præstita fuerint, ancipitem hærere necesse est tironum mentem, positivâque dubitatione detineri; haud enim dubio duntaxat quod philosophi *methodicum* vocant, suspendetur tunc mentis assensus, quo quidem perstante dubio, habitâ nihilominùs et retentâ dogmatum fide, eorum expenderentur ac pertentarentur fundamenta, quasi reipsà non crederentur; sed ita cohibetur mentis assensus, ut judicetur dogmata illa ambiguæ saltem esse fidei, et idcircò adeundas Scripturas, earum examinandam canonicitatem, investigandum sensum; et tum demùm determinandum ac definiendum quæ tenenda sit doctrina, et qualis sit consequenter constituta divinitùs Ecclesia.

At suam proprio examine, sive privato spiritu informandam fidem non curant Protestantium tirones, aliorumque viam auctoritatis dedignantium alumni; obedientiæ jugo ab incunabulis assuefacti, susceptis ferè cum lacte opinionibus adhærent; id ultrò accipiunt et credunt quod suæ sectæ expressum catechismis, quod paternis traditum documentis, quod publicis enuntiatum doctrinæ professionibus, quodve audierunt è pulpito prædicatum.

Illos eâ ratione edoceri quotidianis constat experimentis; et certè si privatâ inquisitione vel privato spiritu in secernenda fidei dogmata incumberent, quo pacto constanter fieret, ut Lutheranæ doctrinam sectæ omnes illi arriperent, qui societatis illius gremio innutriuntur atque erudiuntur; Calviniana autem dogmata sectarentur illi omnes qui ex Calvinistis exorti sunt, et ab eisdem instituuntur? Numquid eamdem apud societatem Scripturarum privatum examen tam assiduò, tam similem sortiretur exitum? aut pro regionum situ, Lutheranus aut Calvinianus evaderet privatus idem spiritus?

V. Apud sectas quæ privati necessitatem ac sufficientiam examinis prædicant, plerique saltem ipsarum alumni, suis modò inhæreant principiis, nequeunt absque cæcâ temeritate, professionem fidei edere quâ libri omnes contineantur, *qui apud illas habentur canonici;* v. g., in gallicanâ fidei Professione apud Calvinistas, articulo tertio, qui procul dubio gravissimi ducitur momenti, enumerantur libri omnes quos divinitùs inspiratos credere se profiteantur ; articulo deinde quarto, subjicitur : « Nous connaissons ces livres être canoniques, et règles certaines de notre foi, non tant par un commun accord et consentement de l'Église, que par un témoignage et persuasion intérieure du Saint-Esprit, qui nous les fait discerner d'avec les autres livres ecclésiastiques. » Discerni à cæteris libris ecclesiasticis, nisi legantur, canonici libri non possunt; nec eos legi etiam totos et integros satis erit, nisi intelligantur : neque enim solo ex verborum cortice deprehendi certò potest librorum canonicitas. Hoc autem à plerisque Protestantium, cùm neque præstitum sit, neque præstari possit, ut ipsi Protestantes quidem, nisi ultrò allucinari velint, diffiteri nequeunt ; consequenter inde prospiciant, quo innitatur fundamento illorum fides atque fidei professio. Quod de Gallicanâ fidei Professione apud Calvinistas, idem apud Lutheranos annotari potest de Confessione Bohemicâ, necnon de Confessione Witemburgicâ, quod ad Scripturarum attinet canonicitatem.

Catholicam apud Ecclesiam rudes ipsi et im

periti sincerè ac prudenter possunt vel explicitè vel implicitè, auctoritati ipsius ac judicio inhærentes, canonicitatem credere librorum omnium quos divinos habeat; verùm apud Protestantium sectas aliasque auctoritatem Ecclesiæ refugientes, nullo modo profiteri possunt earum alumni canonicitatem librorum quos habent pro solâ credendi regulâ. Quâ etenim viâ possent ad illorum credendam canonicitatem adduci? Non privato examine, ut ex dictis colligitur; non suæ testimonio sectæ, nisi priùs ab ejusdem placitis defecerint, viam sequentes auctoritatis; non divinis oraculis, cùm nullibi declaretur in Scripturis quinam sint libri qui soli et omnes afflante Spiritu sancto exarati fuerint.

VI. Intolerandæ temeritatis et arrogantiæ crimen incurrunt qui viam sequi auctoritatis abnuerint. Criminationem hanc quam supra indicavimus, argumento V, operæ pretium est magis expandere. Nolunt in judicio ipsius Ecclesiæ universalis acquiescere, nisi priùs discutiendis privato examine Scripturis, collatâque cum iisdem illius propositâ doctrinâ, eam supremo quasi judicio approbaverint; præstantius quisque sibi donum Spiritûs attribuentes quàm consentientibus quantùmlibet Ecclesiæ pastoribus, quibus promisit Christus *Spiritum* illum *veritatis* qui cum illis *maneat in æternum*, Joan. 14, 16. Hæc verò tam procax, tam malesuada confidentia, quantùm à christianæ modestiæ sensu aliena sit, demonstrat hunc in modum S. Augustinus, lib. de Utilitate credendi, cap. 17: « Si unaquæque disciplina, quanquàm vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare? » Simili utitur ratiocinio S. Hieronymus, in Epist. ad Paulinum. Præfatus ipsum in Scripturis sanctis, « sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi magistro, » admonitionem hanc illustrat, ducto vel à minoribus artibus exemplo, iis « quæ non tam linguâ quàm manu administrantur. Agricolæ, inquit, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumve cæsores, lanarii quoque et fullones, et cæteri qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt: quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est quam sibi omnes passim vindicant. » Nonne in omnes sectas viam auctoritatis aversantes conjici potest illa S. Hieronymi objurgatio? Nonne apud eas (si instituta sua sequantur) factitari pronum est quod indignans adjicit de eâdem Scripturarum scientiâ: « Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant. »

Incassùm reponerent Claudius minister et alii, non hanc esse tironum suorum mentem, ut judicium suum anteponendum duxerint judicio veræ et internæ Ecclesiæ quæ Spiritu Dei regitur, solisque ex justis coalescit, et (quod apud Calvinistas idem est) prædestinatis, sed quandoque necessum esse obluctari judicio externæ ac visibilis Ecclesiæ, quæ variis cupiditatibus præjudicatisque potest opinionibus depravari.

Futilis hæc prorsùs responsio: cùm enim dignosci nequeat interna illa et invisibilis, conflata ex solis justis et prædestinatis Ecclesia, judicium ipsius haberi non potest tanquàm certò dirigens in pervestigandâ veritate, regula.

VII. Stantibus adversariorum placitis, eradenda forent ex Scripturis, et omnibus traditionis constantis ac perpetuæ monumentis, quæcumque de hæresi hæreticisque statuta sunt; delenda forent hæc testimonia: *Oportet hæreses esse; hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita.* Hæc et alia id genus pronuntiata abirent in auras; nulla esset propriè dicta hæresis; nulli essent qui haberi debeant hæretici; neque enim, ut in tractatûs ideâ indicatum est, vocari possent hæretici qui post discussas privato examine, quantùm opus esse ipsi judicaverint, Scripturas sacras, eam doctrinæ formam teneant quam sibi tenendam putaverint; privati examinis methodus id postulat, ut quando versatur causa fidei, tum suæ quisque permittatur conscientiæ. Soli illi fortè viderentur hæretici, quos ostendi posset conscientiæ suæ in rebus fidei obluctari; id autem quâ ratione ostenderetur, quamdiù propositæ credendi regulæ, Scripturis scilicet et quidem solis addictos se profiterentur, paratosque omnia amplecti dogmata quæ revelata esse certò judicaverint?

Ut nulli forent qui propriè haberentur hæretici, ita nulla foret quæ jure posset Christi Ecclesia nuncupari; neque enim hoc nomine digna foret Ecclesia, quæ viam assequendæ veritatis fallacem, plerisque saltem alumnis suis imperviam proponeret tanquàm securam ac necessariò ineundam, divinitùsque præstitu-

tam ; talem esse viam indagandæ privato examine, seu privato spiritu prosequendæ necessariæ ad salutem doctrinæ, jam hactenùs patefactum est ; ergo à terris exularet vera Christi Ecclesia. Erravisset proinde Christus cùm audiri jussit Ecclesiam, dùm futurum prænuntiavit ut portæ inferi non prævaleant adversùs eam; inanis foret Apostolorum prædicatio, perpetuisque ludibriis suâpte constitutione objiceretur christiana religio.

CAPUT III.

Refelluntur hæreticorum systemata de judice controversiarum.

Quæ hactenùs ad vindicandum dogma catholicum protulimus argumentorum genera, his omnibus et singulis retunduntur varia quæ exposita sunt errantium systemata ; si enim constitutum sit docendi ministerium cui, Deo jubente, sincero animo sit obsequendum ; si ferat et exigat constitutio ac natura Ecclesiæ, ut viâ auctoritatis dirimantur quæ exurgunt de religione controversiæ; si methodus illa invictè munita sit, et confirmata jugi et notoriâ Ecclesiæ praxi, statim intelligitur à divinis recedere institutis, damnosisque illos obcæcari erroribus qui contendant, vel *novis et immediatis revelationibus*, vel *solius ope rationis humanæ*, vel privato qualis à Protestantibus commendatur, spiritu, dijudicanda esse, quæ ad fidem moresve pertinent, dissidia.

Quibusdam tamen speciatim telis relata proderit percellere systemata ; inde etiam splendidiùs apparebit quanti omnium intersit, quàm necessarium ad Ecclesiæ auctoritatem et judicia pronis mentibus confugere.

ARTICULUS PRIMUS.

Refellitur systema Enthusiastarum.

1° Hoc systemate evertitur funditùs ille ordo quem ad informandam fidem Deus ipse constitutum voluit : *Fides ex auditu*, atque, ut antea dixerat idem qui istud effatus est, Apostolus : *Quomodò autem audient sine prædicante?* Rom. 10. Ex auditu, docentibus Verbi divini ministris, et aspirante gratiâ, concipitur fides quæ ad capessendam salutem dirigat et incitet. Si quando contingeret ut nonnullis defectu aliquo laborantibus adhiberi non posset ordinaria erudiendi methodus, ut puta, hominibus surdis, qui præterea oculis capti, aut alio impediti defectu, edoceri non valeant; tum si peccando non obstiterint, immediatâ illis revelatione subventum iri meritò confidimus; consueto derogaret ordini immediata hæc revelatio, ita providente sapienter Dei misericordiâ, qui neminem perire velit, nec absque fidei præsidio salvari. At illa derogatio quæ rationem naturamque præ se fert miraculi, habenda esset (si crederetur Enthusiastis) tanquàm via comparandæ fidei ordinaria, quæ privatis et singulis hominibus, ad consummationem usque seculi auctore Deo destinata sit; id quantùm divinæ providentiæ institutis religionisque repugnet œconomiæ, nemo præjudicatâ opinione tantisper vacuus non cernit.

2° Immediatâ quidem opus fuit revelatione Apostolis ut novi Fœderis conditiones, placita mysteriaque addiscerent ; hæc illis revelavit Mediator Dei et hominum Christus, hæc illis exponenda curavit Spiritus sanctus : quin etiam sicut spoponderat Christus, tradita est illis sapientia *cui contradicere et resistere* non potuerunt eorum adversarii ; verùm ita informari, ita erudiri singulos in Christum credituros, neque constitutum est, neque oportuit aut decuit; hinc quando Christus quos elegerat, Apostolos, misit in orbem terrarum, non ipsis dixit : Admonete, ut comperiendi causâ quid ad salutem credendum, quid agendum sit, novis in dies et immediatis confidant et innitantur revelationibus, sed dixit : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti ; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, Matth. ult. Tum apostolicis renuentes credere documentis, æternis mulctandos pœnis asseruit : *qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. Quæ condemnatio, ut ex supra dictis concluditur, iis quoque intentatur qui Apostolorum in ministerio docendi successoribus fidem adjungere detrectaverint.

3° Commemoratum est quàm graviter, quàm severè Apostolus in quosdam invehatur, qui citò translati fuerant ab illâ quam de cæremoniis legalibus acceperant ab Apostolis, doctrinâ : *Licet*, inquit, *nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Apostolicæ istâ auctoritatis censurâ denuntiatur non privatâ revelatione dijudicandam esse catholicam doctrinam, sed catholicâ potiùs doctrinâ, seu derivatis à publico pastorum ministerio institutionibus, privatam esse dijudicandam revelationem, eamdemque diabolicæ deputandam pravitati, si ab inconcussâ illâ discernendi regulâ deviaverit ; hanc regulam cùm aspernentur Enthusiastæ, quomodò apostolicum anathema poterunt, nisi

resipiscant, effugere? In Apostoli mox depromptum testimonium, legatur præsertim cap. 13 et 14 Commonit. Vincentii Lirinensis. Revocanda est pariter in memoriam necessaria illa S. Joannis Apostoli admonitio : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint*, 1 Joann., cap. 1. Probandi sunt ergo spiritus, ne mendaces pro veracibus habeantur : quâ autem ratione, quâ regulâ probari illos oporteat? Si enim privatâ revelatione dijudicandi sint, relabimur in pericula quæ prædictâ probatione declinari et præcaveri propositum fuerit. Sic de probante, perinde ac de probando spiritu tota recrudescet controversia.

4° Revinci possunt omnes Enthusiastæ ineluctabili isto Bellarmini ratiocinio : « Regula « catholicæ fidei certa notaque esse debet; nam « si nota non sit, regula nobis non erit; si certa « non sit, ne regula quidem erit. Porrò privata « spiritûs revelatio, ut in se certa sit, nobis ta- « men nota esse nullo modo potest, nisi fortè « divinis testimoniis, id est, veris miraculis con- « firmetur, quorum extremâ penuriâ ii præser- « tim laborant qui hoc nostro seculo non minùs « quàm cæteri spiritum jactant; nam quis mihi « fidem faciat non mentiri anabaptistam, cùm se « spiritu afflatum dicit? Sed fac non mentiri : quâ « viâ cognoscam spiritum illum, spiritum lucis « et non spiritum tenebrarum esse? Et cùm tam « multi hoc tempore ducem ac pastorem Spiri- « tum sanctum habere se glorientur, et tamen « inter se sic animis sententiisque dissideant, « ut alii aliis sint hæretici, fieri certè non potest « ut omnes rectè sentiant; quòd si falluntur « omnes, aut quod est omninò necessarium, ali- « qui, quis affirmare audebit ex eorum numero « se non esse, qui à spiritu Satanæ deludun- « tur? » Lib. 1 de Verbo Dei, cap. 2.

Articulus II.

Refellitur systema Socinianorum.

Diximus, ex Socinianis alios nihil esse credendum, nihil divinæ revelationi adscribendum arbitrari, nisi quod intrinsecis, atque ex rei naturâ sumptis argumentis demonstrari possit; alios verò postulare, non ut credendorum veritas, sed eorumdem possibilitas naturali ostendatur lumine : hoc est, ut vel solâ ratione probetur, non negativè duntaxat, seu evincendo veram nullam demonstrationem opponi ab adversariis, sed ut aiunt, positivè, seu ut ipsa possibilitas propriis asseratur ac demonstretur rationibus. Prioris generis Socinianorum quàm temeraria sit assertio, quàm absona, quantùm et à revelatione, et ab ipsâ ratione abhorreat, ex sequentibus patebit argumentis.

1° Persuasionem merè humanam divinæ subrogat fidei, cujus naturam et indolem prorsùs depravare non verentur; hæc fidei natura atque vis est, ut per ipsam supremi Numinis auctoritati subjaceat et serviat humanus intellectus; sic enim à S. Paulo exhibentur evangelicæ prædicatores doctrinæ : *Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, 2 ad Corinth. cap. 10.

Quænam foret ista humani captivitas intellectûs? quo pacto dici posset divinâ subactus auctoritate, si nihil foret credendum, quod certum et perspicuum priùs non facerent deprompta ex rei visceribus rationum momenta? Tum humanæ rationi potiùs quàm Dei crederetur testimonio. Prælucere quidem oportet susceptam ante fidem extrinsecas rationes, seu externa credibilitatis motiva, quibus certò persuasum fiat Deum esse cum hominibus locutum; hâc autem positâ conditione, cognitâque christianæ religionis veritate, firmissimè credendum est nihil ipsâ contineri, quod non sit verum, quod non sit sanctum Deoque dignum, qui se *ipsum negare non potest*, etiamsi non afferantur intrinseca et accersita ex rei naturâ cœlestis doctrinæ argumenta.

2° Positis Socinianorum placitis, ignorâssent Apostoli, ignorâsset ipse Christus legitimum docendi modum; eamque commonstrarent viam quæ creaturis rationalibus instituendis minimè congrueret; si quando enim Christus naturalibus ratiociniis parabolisque utatur, eò manifestè collineant, ut audientium incitentur animi ad capessenda et servanda quæ tradidit præcepta, vel ut redarguatur incredulorum tarditas aut pervicacia, non autem ut intima mysteriorum penetralia recludantur, neque ut perfundatur evidentiæ radiis, quidquid complecti debeat fides. Quapropter ut incredulæ gentis pertinaciam frangeret, innumera objiciebat, quæ passim edidit miracula. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, Joan. 10, 38.

Miracula pro ratione erant; porrò non intrincesis illa, sed extrinsecis annumerantur argumentis, sicut et prophetarum oracula. « Miraculis, inquit S. Augustinus, conciliavit « auctoritatem; auctoritate meruit fidem; fide « contraxit multitudinem; multitudine obtinuit

« vetustatem; vetustate roboravit religionem, « quam non solùm hæreticorum ineptissima no- « vitas fraudibus agens, sed nec gentium qui- « dem veternosus error violenter adversans, ali- « quâ ex parte convelleret. » De verâ Relig. c. 34; epist. 120, aliàs 122. Judæos iterùm sic increpat Christus : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt me.* Joan. cap. 15, v. 34. At nonne immeritò ipsos objurgaret Christus, si priusquàm crederentur fidei dogmata, naturali ratione oporteret illa demonstrari ? Talibus quippe demonstrationibus non impendebat operam. Quàm longè aberat à Socinianorum methodo Apostolus gentium ! *Sermo meus,* inquit, *et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis.* Ex humanâ sapientiâ hærere suspensam noluit divinam fidem idem Apostolus, cujus hæc sunt dicta : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus... quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat sapientes;* antea dixerat : *Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* 1 ad Cor., c. 1.

3° Ut credendorum dogmatum veritatem, ita ipsam fidei lacessunt naturam Sociniani, dùm humanâ ratione metiri conantur quidquid revelatum voluerit Deus. Multa sunt in Scripturis quæ humanæ mentis aciem et captum evidenter superant. Hinc postquàm Jesum esse missum à Deo, Deique Filium confessus fuit Petrus, memorandis illum his verbis allocutus est Christus : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est,* Matth. 16, 17. Quâ sententiâ declaratur non hominis esse sed Dei aperire quid de Christi missione, ejusque à Patre origine tenendum sit. Hùc pertinet illud Sapientis effatum : *Qui scrutator est majestatis opprimetur à gloriâ,* Proverb. 25, v. 27. Nec minùs ponderandum celeberrimum istud pronuntiatum Apostoli : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* Hinc vehementer sic urgebat Manichæos S. Augustinus : « Hos verò quis ferat ad Christum perti- « nere se profiteri, qui nisi apertissimam ratio- « nem stultis de Deo protulerint, nihil creden- « dum esse contendunt? » De Utilit. cred. c. 14. Exposuit disertè idem S. doctor quo maximè ducantur incitamento, qui rerum ad fidem spectantium arbitram judicemque statuunt humanam rationem. « Porrò, inquit epist. 118, « aliàs 56, n. 32, illi qui cùm in unitate atque « communione catholicâ non sint, christiano « tamen nomine gloriantur, coguntur adversari « credentibus, et audent imperitos ratione tra- « ducere; sed hoc facere coguntur, quia jacere « se abjectissimè sentiunt, si eorum auctoritas « cum auctoritate catholicâ conferatur. » Inhærendum est igitur ejusdem doctoris prudentissimæ admonitioni : « *Non cognoscimus ut credamus; sed contra credimus ut cognoscamus.* » Tract. 4 in Joan.

4° Si rerum naturalium arcanas proprietates permeare atque rimari nequeat humanum ingenium, quomodò divina dogmata se posse confidat ad rationis humanæ trutinam revocare? *Difficilè æstimamus,* ait Sapiens; *quæ in terrâ sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt quis investigabit?* Sap. 9, 16. Hoc sæpissimè utuntur argumentandi genere SS. Patres : ita SS. Irenæus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, aliique, ad obsistendum nefariorum illorum temeritati, qui cùm in naturalibus cæcutiant, ac perpetuò titubent, respuere cœlestia non dubitant, eò quòd obductam ipsis, quæ mortales hebetat visus, caliginem depellere non valeant.

Unum et alterum ex operibus SS. Patrum, in re quæ in propatulo habetur, exscribemus testimonium. S. Athanasius in hæc verba : *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare,* Matth. 11, 27, subjicit : « Quid igitur de his « rebus quas scrutari nefas est, effutire non « verentur, illi, inquam, qui et homines sunt, « nec vel ipsam rerum terrestrium naturam « possunt evolvere? Imò quæ vel ipsos spectant, « ipsi explicent nobis; num videlicet suam ipso- « rum naturam percipere queant? » Arianum solitâ sic eloquentiâ sollicitat vexatque S. Hilarius : « Non quæro sensum unde hauseris, « vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde « adeptus sis : quale est quod in te sit odor, « sensus, visus, auditus; certè nemo quod facit « nescit : quæro unde ista iis quos generes « indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos « accendas, cor affigas? Hæc si potes, enarra. « Habes ergo quæ nescis, et tribuis quæ non « intelligis, æquanimiter imperitus in tuis, in- « solenter in Dei rebus ignarus? » lib. 2 de Trinit. num. 9.

5° In revelatis occurrunt multa quæ à liberis Dei decretis omninò pendeant; eorum ergo

veritas intrinsecis necessariisque rationibus deprehendi non potest ac vindicari; talia sunt sacramentorum institutio, modus redimendi generis humani, leges merè positivæ, seu quæ rerum ipsâ naturâ minimè nituntur.

Jam coarguenda est altera Socinianorum classis, quæ scilicet credendorum omnium velit haud quidem veritatem, sed possibilitatem naturali lumine debere demonstrari.

1° Eadem in incommoda et absurda, quæ mox exposuimus, relabitur ut plurimùm; nam inter dogmata de quibus dissident à Catholicis Sociniani, multa recensentur, quæ si existant, ut profitentur Catholici, intrinsecâ et absolutâ necessitate existunt, ita ut ea non esse, vel aliter esse, ipsi eorum essentiæ omninò repugnet; sic utrùm Deus sit immensus, omnium sive absolutè sive sub conditione futurorum præscius, immutabilis simul et liber, trinus in personis; utrùm Verbum Dei sit Patri consubstantiale, utrùm ejusdem cum ipsis substantiæ Spiritus sanctus; hæc omnia dogmata, si vera sint, ut obstrepentibus licet Socinianis, credunt omnes Catholici, talia esse nequeunt nisi rerum ita exigente essentiâ; non aliud est illis esse posse, et reverà esse, unumque nunquàm potest divelli ab altero, nec sine altero concipi; ergo ipsorum non potest investigari possibilitas et repugnantia, eademque ratione humanâ demonstrari, nisi pariter ac simul eorumdem expendatur natura, nisi cum principiis lumine naturali cognitis conferatur ejus veritas ut et possibilitas, quæ reipsà inter se non differunt, et sic positivè ratione duce utraque demonstretur. Ergo recurrunt tum Scripturæ aperta testimonia, tum et rationum momenta quibus probatum est non eò usque valere humanam rationem, ut supremi Numinis naturam, intimasque proprietates pervadat et clarè introspiciat. Naturali quidem lumine ostendi potest Deum esse immensum, omnium etiam sub conditione futurorum certò præscium, immutabilem simul et liberum; sed quomodò hæc ita se habeant: quomodò, v. g., cohæreat cum immutabilitate libertas, cum simplicitate immensitas, cum certitudine divinæ scientiæ, futurorum liberâ sub conditione revelatio; modus ille assignari eâ certitudine et perspicuitate non potest, quam requirunt Sociniani aliique Rationalistæ. Quin etiam inter ipsa opera Dei, de quibus consulenda sit revelatio, nonnulla obversantur, quorum intrinseca, seu primaria possibilitas, humanâ ratione non valeat certò innotescere; talis est Messiæ ortus, ex intactæ et immaculatæ Virginis utero; talis est ejusdem post suam resurrectionem ingressus, januis clausis, in cubiculum ubi erant congregati Apostoli; hæc et alia si utrùm intrinsecè possibilia sint, solo lumine naturali dijudicandum sit, videbis quid ratiocinando de iisdem proficerent tot inprimis rudes et imperiti, nec humanæ assueti aut idonei philosophiæ disquisitionibus et argutiis.

2° Sectæ Socinianæ doctiores quosdam ministros fac acerrimè more suo et omni telorum genere aggredi mysteria Incarnationis, vel sanctissimæ Trinitatis, aut originalis peccati propagationem. Haud minore hæc eadem studio defendantur à viris sagacibus, peritisque disputandi, qui contortas excutiant Scripturarum interpretationes, versutorumque et fallacium argumentorum satagant extricare sophismata; fac ut arduis illis contentionibus intersint homines de plebe, nullo mentis acumine præditi, rei familiaris occupati curis, opum angustiâ distracti, atque tum in theologiâ, tum in philosophiâ peregrini prorsùs et hospites, quorum tamen saluti consultum voluit Deus, omnium Creator et Pater. Futurumne putas ut tirones illi varia quæ tunc proferentur ratiocinia ita valeant animo percipere, æquâ lance librare, solisque naturalibus principiis tantas dijudicare lites, firmissimâ ut fide inde colligant quænam sit ad salutem proponenda tenendaque ad ultimum usque spiritum doctrina? Nonne multò magis proclive est et consequens, ut abeant incerti quibus se adjungant partibus, vel fortè ab omni resiliant genuino sensu religionis? Hoc intercedit Deum inter et homines, inter alia, discrimen, quòd ubi homines loquuntur quæ ereditu habeantur difficilia, quæri quandoque liceat et expediat, an possibilia, an rationi repugnantia sint, quæ pronuntiant. At de revelante Deo summâ et incommutabili veritate, id percontari vel suspicari nefas. « Quis est ergo ita impius et « mente alienus, inquit Clemens Alexandri- « nus Strom. l. 5, ut Deo non credat, et pro- « bationes à Deo postulet tanquam ab homi- « nibus? » Protervo isto inquirendi genere quem in scopum intendet se humana ratio? num ut compertum habeat Deum esse locutum? id constat ex evidentibus credibilitatis motivis. Num ut perspectum sit Deum pugnantia non loqui? id indubitatum facit vel sola divinæ veracitatis idea; num verò ut persuasum sit fidem esse loquenti Deo adhibendam? Id omnibus evidentissimum est, antequàm cre-

dendorum expendatur possibilitas; quis enim nisi insanus negaverit, absolutè et essentialiter infallibili auctoritati esse obsequendum?

Contexere hìc præstat indivulsam et claram principiorum seriem ac necessitudinem, quibus invicem compositis planè demonstratur quantùm omni probabilitate careat, et à normâ rationis, quam perpetuò venditant Sociniani, systema eorumdem abhorreat. Præcellentior est Dei natura quàm ut ipsam valeat mens humana comprehendere, seu cogitatione assequi, et velut adæquare: *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* (Baruch. cap. 3), *incomprehensibilis cogitatu* (Jerem. cap. 32), *vincens scientiam nostram* (Job. cap. 36). Neque ipsa decreta Dei, neque operum ejus naturam humana ratio potest intelligendo penetrare atque evolvere. Quis hominum poterit scire consilium Dei? Aut poterit cogitare quid velit Deus? *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (1 ad Corinth. c. 2); *mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ob initio usque in finem* (Eccles. cap. 3). Humanam rationem infinitè superat increata ratio quæ Deus est; humanam scientiam tantùm transcendit scientia Dei, quantùm naturam humanam, ipsa natura Dei: *Novit omnia* (1 Joann. cap. 3): *et sapientiæ ejus non est numerus* (Psalm. 146).

Potuit Deus revelare hominibus quæcumque voluit; tametsi inter revelata multa sint venerandis circumfusa tenebris, atque supra humani ingenii captum posita, revelatis potest procul dubio per extrinseca etiam testimonia conciliare fidem; in tractatu de Religione demonstratur, in miraculis, v. g., et prophetiis certissima suppeditari veritatis argumenta; at vis eorum et cum veritate conjunctio non pendent ab ipsâ rerum quæ revelantur perspicuitate vel altitudine et obscuritate, sed tota manat à veracitate et sapientiâ Dei, quæ deficere nunquàm possunt, plenumque merentur assensum et obsequium ipsius auctoritate innixum; quo sublato fundamento, humanæ rationi ancillaretur divina fides; nec divina, sed merè philosophica nuncupari deberet. Nihil itaque rectæ rationi consonum magis et consentaneum est, quàm auctoritati Dei revelantis, in quem neque dolus, neque error ullus cadere unquàm potest, sincero adhærere et constanti obsequio. Quæ nobis obscura sunt, nec humanâ queunt ratione contrectari, hæc eadem ipsi clara sunt et aperta; lucem inhabitat inaccessibilem totus ipse lux et oculus, cui sicut lumen ita et tenebræ; neque minorem gerit atque expromit in obscuris quàm in perspicuis revelandis auctoritatem.

Irrideretur imperitus aliquis, aut usum rationis vix adeptus infans, qui gravia quædam facta vel capita quædam doctrinæ à viro admirandæ sagacitatis, absolutæ numeris omnibus scientiæ, probitatis illibatæ, eminentisque auctoritatis proposita, validissimis confirmata testimoniis, repudiaret eo nomine eoque obtentu, quòd eorumdem factorum et dogmatum veritas aut saltem possibilitas non ipsi demonstraretur ductis à solo naturali lumine momentis. Quàm verò imperiti, quàm infantis illius similes atque inepti videbuntur homines, vel, ut putatur, eruditissimi omnibusque pollentes dotibus ingenii, si cum ipso Deo, qui ut *solus bonus*, ita et solus vocari potest sapiens, contendere quis audeat? Quid mirum igitur si revelare hominibus possit ac voluerit quæ aciem humanæ mentis excedant? Multa quæ refellendis Socinianis apta sunt, subministrant, speciatim S. Anathasius, in illud Christi Domini: *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, et Epist. ad Serapionem; S. Hilarius, lib. 1 de Trinitate passim, inprimis, num. 8, 12, 15, et lib. 2; S. Ambrosius, lib. de Fide, cap. 10, et lib. 4, cap. 1; S. Augustinus, lib de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 25, num. 45; lib. 2 de libero Arbitrio, cap. 2, num. 6; tract. 4 in Joann. num. 9; epistolâ 132, olim 3, ad Volusianum, num. 81: « Demus, inquit, Deum « aliquid posse, quod nos fateamur investigare « non posse; in talibus causis, ratio facti est « potestas facientis. » Idem S. doctor, lib. 15 de Trinitate, cap. 6, num. 9, tum integro lib. de Utilitate credendi: « Hæretici omnes, in- « quit hujusce libri cap. 9, eis quos illectant, « rationem se de obscurissimis rebus pollicen- « tur reddituros, eòque catholicam maximè « fidem criminantur, quòd illis qui ad eam ve- « niunt, præcipitur ut credant, se autem non « jugum credendi imponere, sed docendi fon- « tem aperire gloriantur. »

Consule etiam S. Chrysostomum, homil. 24, aliàs 23, in Joannem; S. Cyrillum Alexandrinum, libris contra Julianum; S. Basilium, etc.

Articulus III.

Refellitur systema Baylii.

Commenta Socinianorum procacitate et insulsitate vincit nefarium illud systema, quo non auctoritas duntaxat, et judicia Ecclesiæ, sed tota divina revelatio, ipsaque cujus patro-

num se jactitat humana ratio, penitùs à sede suâ dejicerentur. Contendit nimirùm Baylius, ut diximus, posse veras demonstrationes revelatis opponi dogmatibus, quæ tamen fide tenenda esse nihilominùs affirmat, hoc generali, inquit, et altissimo invictoque principio : *Deus est summè verax;* quam conciliationis viam sic aperit : « Lorsque la raison dit une chose et « la révélation une autre, nous devons fermer « l'oreille à la voix de la raison (de rectâ ratione loquitur). La philosophie doit plier « sous l'autorité de Dieu, mettre pavillon bas « à la vue de l'Ecriture : la raison elle-même « nous conduit à nous soumettre de la sorte. » OEuvres, tom. 3. Iterumque : « *Le témoignage « de Dieu est préférable à celui des hommes.* Si « l'on en conclut : Il n'y a donc rien de plus « raisonnable que de croire plutôt ce que Dieu « dit que ce que la lumière naturelle dicte, il « faut donc abandonner ce qu'elle dicte qui ne « ne s'accorde pas avec l'Ecriture-Sainte, n'é- « tablit-on pas son christianisme sur l'une des « plus évidentes maximes de la raison ? » Ad explodendum expositum figmentum, id satis est, ut Baylio ipse opponatur Baylius qui scitè dictus est *omnis homo et nullus homo.* Etsi doceat, renitente licet naturali ratione, credenda esse revelata mysteria, atque ut verbis illius utamur, *qu'il faut les croire, soit que la philosophie s'en accommode, soit qu'elle ne puisse s'en accommoder, ou qu'elle puisse même les contredire invinciblement,* idem ille scriptor se ipsum impugnat et confodit. Disserentem attendamus : « Si la même proposition était vraie « et fausse, selon qu'on la considérerait, ou en « théologie ou en philosophie, il s'en suivrait nécessairement que nous ne connaî- « trions pas la vérité en elle-même, et qu'elle « ne consisterait que dans un rapport muable « aux dispositions de notre esprit. » Dictionnaire de Bayle, article *Hoffman,* rem. 7.

Quin et rationi subjiciendam fidem tradit, ipse qui fidei principatum etiam atque etiam adjudicat : hoc enim placitum quod per calumniam omnibus attribuit theologis probare adnititur : « Que le tribunal suprême, et qui juge « en dernier ressort et sans appel de tout ce « qui nous est proposé, est la raison parlant « par les maximes de la lumière naturelle ou « de la métaphysique. » OEuvres, tom. 2.

Quidquid sit de auctore, systema ipsum aggrediamur. 1° Quid est veritas alicujus propositionis? In eo sita est ut subjecto conveniat et consentiat illius attributum; quemadmodùm in istâ propositione : *Deus est æternus; Deus est immutabilis,* veritatem propositionis declarat, non efficit evidentia aut revelatio; propositionem prius est in se ipsâ esse veram, quàm ut talem ope revelationis aut evidentiæ innotescere. Eadem in se permanet; non mutatur habitudo attributi ad subjectum, seu dicta consensio et convenientia, sive ut evidens, sive ut revelata consideranda sit. Ergo fieri non potest ut eadem propositio sit vera, quatenùs revelationis auctoritate nobis asseritur, et simul falsa, quatenùs rationis lumine nobis exhibetur. 2° Deum cum Deo pugnare, quis nisi desipiens somniaverit? At pugnaret manifestè cum Deo Deus, si naturalis ratio ut recta, ut sana (de illâ quippe hìc igitur) divinam posset revelationem impugnare, ipsiusque moliri exitium; tum enim Deus rationis ac revelationis auctor, per alterutrum nos falleret, cùm utramque nobis hanc facem admoveret. Deinde metaphysicæ demonstrationes coalescunt ex necessariis tum principiis, tum conclusionibus inde derivatis; quomodò autem necessaria principia, necessariò certæ conclusiones possent repugnare veritati dogmatum, quæ summè veracis Dei invictâ auctoritate muniuntur? 3° Quid prodesset grande illud axioma : *Deus est summè verax,* quod simulatè Baylius anteponit rationis naturalis evidentibus placitis? Nec de illo ipso constaret axiomate, si evidentia quandoque ipsa falleret, quam fallere posse pronuntiat Baylius, dùm hanc statuit revelatis posse adversari dogmatibus, quibus tamen firmiter adhærendum esse idem asseverat : lumine naturali cognoscitur errori impervium esse supremum numen, quo in asserendo principio, si nobis illudere naturalis posset evidentia, (et quare non posset, si divinæ quandoque adversaretur revelationi?) nutarent prorsùs omnia quæ appellantur *credibilitatis* motiva, prævia fidei divinæ argumenta. Nutaret ac dilaberetur divina ipsa revelatio : vocaretur in dubium, quæ totius Religionis fundamentum est, veracitas Dei; nec certum assensum elicere valeret evidentia. Quid ergo superesset nisi totius societatis totiusque hominis, capitalis vesanusque hostis, universalis pyrrhonismus? En quò recidit simulata Baylii in Dei revelationem reverentia : en quo judice definiantur, repulsis Ecclesiæ auctoritate et judiciis, controversiæ.

Articulus IV.

Refellitur systema Protestantium.

Devenimus ad caput et fontem ex quo manâ-

runt diversorum quidem, sed in Ecclesiæ exscindendam auctoritatem conspirantium systematum portenta. Protestantium quale supra exposuimus, systemati plurima repugnant rationum auctoritatisque momenta.

1° *Arctâ necessitudine conjungitur cum Sociniano systemate Protestantium methodus.* — Docent Sociniani solis Scripturis contineri verbum Dei, in illisque interpretandis neminem esse judicio et auctoritate Ecclesiæ constrictum. Idem clamant Protestantes.

Docent Sociniani claram esse et singulis apertam revelationem divinam in his omnibus quæ credenda vel agenda sunt ad salutem consequendam; idem tenent unanimiter Protestantes: hæc duo systematis principia, Socinianis nedùm exprobrent, gratulantur Protestantes. Quo jure? Ex allatis jam argumentis satis intelligitur, iterùmque mox expendetur. Nunc tertio in capite paulisper immoramur, de quo Socinianis vel ipsi litem intentant Protestantes, quam in se ipsos spontè contorqueri non animadvertunt, aut non animadvertere se dissimulant. Docent nimirùm Sociniani emollienda esse atque metaphoricum in sensum adducenda Scripturæ illa testimonia, quæ doctrinam naturalibus principiis contrariam præ se ferre videantur. Eamdem viam, cùm expedire sibi existimant, Protestantes ineunt, atque insistere se gloriantur, Socinianis, velint nolint, indulgentes, et impietati arma subministrantes. Sic testimonia Scripturæ quæ ad realem Christi in Eucharistiâ probandam afferuntur præsentiam, Calvinistæ ad metaphoram detorquenda esse judicant, « eò quòd, inquiunt, dogma illud « vim ac testimonium sensuum infringeret : « rerum ipsam violaret essentiam : divinam « læderet majestatem, et absurdis scateret « consectariis. » Talibus impetunt dicteriis et cavillationibus Sociniani multa christianæ Religionis dogmata : humanæ quidem rationi indicendum fatentur silentium Protestantes ubi de Incarnatione Verbi, ubi de sanctissimâ Trinitate movetur controversia ; si dixerint Calvinistæ realem Christi in Eucharistiâ præsentiam longè majoribus, quàm ista mysteria patere difficultatibus : quomodò discrimen hoc si valeret percipere, logicæ sophismata solvere, altioris irrumpere secreta metaphysicæ poterit hominum vulgus, multò minoribus solitum obicibus impediri?

Si regerant Calvinistæ, præter humanæ rationis repugnantiam, favere sibi Scripturæ loca, quæ metaphoricum ad sensum præsentiam Christi in Eucharistiâ deflectendam suadere videantur, idem reponent pariter Sociniani de Christi divinitate et Incarnationis veritate ; objicient Scripturæ testimonia quæ illis mysteriis metaphoram affingere crediderint, simulque rursùs obtrudent humanæ philosophiæ placita quibus se à mysteriorum fide absterreri profiteantur, ut à reali Christi in Eucharistiæ sacramento præsentiâ credendâ Calvinistæ. (Lege Bossuetii commonit. sexti tertiam partem, num. 18 et sequent.) Si fortè respondeant Calvinistæ vel ipso sensuum testimonio, absque ratiociniis, constare sibi non esse realiter in Eucharistiâ præsentem Christum, non animadvertunt, ut observat Bossuetius, quæstionem hanc in eo esse funditùs positam, utrùm possit Deus humanum aliquod corpus exiguo admodùm spatio circumscribere, istudque sub aliquâ specie ita occultare ut non apprehendatur sensibus. Unde istud controversiæ genus ad humanæ rationis normam exigendum concluderent cum cæteris *Rationalistis* Sociniani.

2° *In systemate Protestantium certò constare non potest de canonicitate Scripturarum.* — Quærendum est à Protestantibus undenam dignosci certò possit ab hominum etiam vulgo, quos debeat complecti libros canon Scripturarum? Quæ Scripturis contineantur ad salutem creditu et servatu necessaria? Utrùm extra Scripturas nihil habeatur quod credi ac servari debeat? An et qualis sit in exponendis Scripturis supremus controversiarum judex? hæc autem omnia si privato examine vel ipsis rudibus et illitteratis, mulieribus, artificibus, et aliis assiduâ laborum et negotiorum serie occupatis, discutienda forent et explananda, interclusam illis voluisset Deus comparandæ viam fidei ac salutis ; impossibilia juberet summè licet bonus ac justus, quod patebit si mente breviter excurratur per singula.

Ut igitur quod enuntiatum est exequamur, ad librorum qui sacri vocantur canonicitatem dijudicandam, expendi oporteret utrùm sint illi omnes authentici, nullusque ex iis supposititius ; an eorum nullus sit quoad substantiam corruptus vel interpolatus : utrùm omnes sint reipsà afflante Spiritu sancto conscripti; tantâ, tamque implicatâ discussione ritè defungi nemo potest, nisi libros omnes quorum explorat canonicitatem, accuratè legat, aut eos qui legant, arrectâ mente audiat, tum memoriâ, quo tempore judicabit, satis teneat quæ legerit vel audierit ; præcipuas necnon necesse est superare possit difficultates, vel ex regulis

critices, vel diversis aliis ex capitibus petitas, quæ ad sacrorum librorum infirmandam *authenticitatem, integritatem ac divinitatem* congeruntur. Hæc omnia in quibus discutiendis ac solvendis desudant eruditi, ac studio impensiùs dediti, posse ab hominum vulgo, quantùm opus foret, aptè præstari, nonne id evidenter et à ratione, et à jugi experimento prorsùs alienum est? Hinc ad eximendum plerisque laborem hunc improbum, illisque impervium, celeberrimi Protestantium ministri docuerunt, id tantùm postulandum esse à rudibus et illitteratis, à mulieribus et pueris, ut illorum textuum canonicitatem calleant et dijudicent, quibus fundamentales, ut aiunt, articuli continentur, seu ad salutem credenda necessariò dogmata : nunc prætermittimus silentio famosam de articulis illis quæstionem, quæ amplissimam nobis suppeditaret argumentorum segetem ; alia nobis præstò sunt quibus occludatur assignatum effugium : primùm deleatur ex solemni professione fidei Calvinistarum articulus quo profiteri teneantur sese pro canonicis, certâque fidei regulâ libros omnes ibi enumeratos agnoscère. (Gallicanæ Professionis parte 3, artic. 3.)

Deinde fac instituendis tironibus laborandum esse duntaxat, de agnoscendâ testimoniorum canonicitate, quæ fundamentales articulos omnes complectantur : confiteamur, ut observant spontè Scripturarum interpretes, in ipsarum veluti collectione earumque multis in partibus, tum serie et contextu, tum stylo et rerum pulchritudine ac magnitudine attentè consideratis, exhiberi divinitatis characteres quibus secernantur à profanis quantùmlibet exquisitis operibus ; at characteres illi neque certò dijudicari queunt ab omni hominum genere, neque in testimoniis extractis, seorsimque ponderatis, animum ita percellunt, ut illa sola si attendantur testimonia, de ipsorum canonicitate nemo prudenter possit ambigere. Quod ut magis patescat, admisceantur textibus illis separatim spectatis, doctrinâ verborumque tenore insignes quidam textus quos è profano vel pio, non tamen inspirato auctore excerpseris, experiare utrùm talibus ex textimoniis, canonica omnia ab adscititiis secernere valeant, seclusâ auctoritatis ope, plerique instituendi ad fidem alumni. Et certè non minores præ se ferebant divinitatis characteres prolata ipsius ore Christi documenta, quàm eadem inanimatis mandata litteris, imò vividiùs animos afficere debuerunt quatenùs à Christo pronuntiata, cujus in ore sedebat sapientiâ : cujus ex fronte eminebat tanta sanctitas, tanta majestas : attamen ipse sic de Judæis : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* (Joann. cap. 15, v. 24.)

Denique si dicatur propositum iri imperitis ac rudibus illa Scripturarum testimonia, quorum canonicitatem omnes confiteantur christianæ societates, ergo viâ potissimùm auctoritatis dijudicabitur sacri canonicitas contextûs : quod evidenter pugnat cum appellatâ Calvinistarum scriptâ Gallicano idiomate Professione ipsâ fidei, quâ inspiratos quos retinuerunt libros asserunt sese pro canonicis habere, atque ab aliis libris ecclesiasticis discernere, non tam propter communem sententiam consensionemque Ecclesiæ, quàm propter Spiritûs sancti testimonium, internamque suasionem. Præterea, undenam perspectum erit edocendis tironibus, sibi proponi omnia quibus indigeant Scripturarum testimonia, et quidem ea quæ sint ad ipsorum informandam fidem apposita? Nonne timendum, ne diversarum ac dissidentium sectarum ministri alii alia proponant plura vel pauciora, et ea quæ suis quisque partibus obsecundare putaverit ? Hæc si depromant Sociniani à cæteris divulsa : *Pater major me est.* (Joann. cap. 14, v. 28.) *Ascendo ad Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* (Ibid. cap. 20, v. 17.) *De die autem illâ* (die judicii) *et horâ, nemo scit, nèque angelorum, nisi solus Pater.* (Matth. cap. 24, v. 36.) Quid de divinitate Christi sentiendum credendumque existimabunt, ad hæc sola attendentes, Socinianorum alumni?

3° *In systemate Protestantium, via non suppetit indubitanter dijudicandi Scripturarum genuini sensûs.* — Præter librorum, aut saltem depromptorum ex illis textuum canonicitatem, oportet ut compertus habeatur genuinus eorumdem sensus : esto, ne omnia discutiamus, jam meritò persuasum sit iis qui non nisi patriam calleant linguam, accuratas esse illorum librorum vel testimoniorum versiones ; esto etiam, ut eorum solummodò textuum debeant sensum intelligere, quibus fundamentalia exprimuntur dogmata (hoc et illud gratis conceditur); tradenda esset regula cujus adminiculo illa possint ab omnibus aliis certò dignosci : verùm ut ea non prævertamus argumenta, quæ ubi de unitate Ecclesiæ afferentur, id potest interim ex Bossuetii commonitorio sexto summatim observari : tota fundamentales articulos dijudicandi ratio ad revelatam rerum quæ in illis versantur gravitatem earumque cum ho-

minum salute et gloriâ Dei specialem necessitudinem revocatur; sed qualis sit illa gravitas, qualis sit illa necessitudo, quæ solis illis dogmatibus competat, id nullo potuit ad prædicatam à Protestantibus distinctionem accommodato et apto testimonio commonstrari. Quare, v. g., à Calvinistis, in fundamentalibus non ducitur erroribus, nefandum et impium Lutheri dogma, Deum constituentis auctorem scelerum ipsiusque proditionis instigatorem? Nonne ab hominum salute et honore Dei abhorret detestanda hæc doctrina? Quâ de causâ lethiferos etiam inter errores non recenseatur à Calvinistis propugnatum quoque à Luthero portentosum *ubiquitatis* figmentum? Cùm enim Christo ut homini immensitatem tribuat, instauratur quidquid deterius effuderit Eutychiana hæresis. Nonne æquo pariter jure oporteat à Lutheranis numerari capitales inter errores, defensum tam acriter à Calvino dogma de absolutâ tum certitudine, tum de *inamissibilitate* justitiæ christianæ, quo foventur, stimulantur, atque impunitate donantur turpissima quælibet immanissimaque crimina? Nihil hominum saluti, nihil divinæ sanctitati, totiusque ordini providentiæ contrarium magis excogitari potuit. Præterea, ut rectè disseruit Nicolius (prétendus Réformés, convaincus de schisme, chap. 2), è sacris codicibus eruuntur nonnulla testimonia, quæ specie tenùs errorem ingerere dixeris : quibus aptari possit id quod de quodam textu adnotavit S. Augustinus, epist. ad Hesychium: « Promptior quidem « sensus est; sed Scripturæ scrutandæ sunt, « nec earum superficie debemus esse contenti, « quæ ad exercitationem nostram ita modificatæ sunt, ut altiùs se penetrari velint. » In rebus ipsis quæ ad fundamenta religionis pertineant, afferri possunt testimonia, quæ nisi cum aliis textibus attentè conferantur, errandi occasionem imperitis præsertim et inexercitatis præbeant : tales sunt quæ ad impugnandam Christi divinitatem à Socinianis advocantur. Tale est istud (præter illa quæ retulimus): *Hæc autem vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* (Joann. cap. 17, v. 3.) Textus ejusmodi si obtulerint suis tironibus Sociniani seorsim ab aliis omnibus quas ad vindicandam Christi divinitatem congerunt Catholici ipsique Protestantes, tirones illi, ut indicavimus, nonne Socinianis imbuentur erroribus, à quibus non avocabit eos privatus spiritus? Cùm enim propriè nihil ille revelet mentibus quas dirigat et adjuvet, non facta seu testimonia ponet ob oculos, quæ prolatis ab hæresi textibus lucem afferant, germanumque illorum sensum aperiant.

Ab Enthusiastarum commentis et ludibriis alienos se palam prædicant Protestantes : hanc sibi labem aspergi molestissimè ferunt et stomachantur : quantâ ergo illis cognatione jungantur, serio respiciant : privato spiritu animis insidente, volunt Protestantes dijudicari sensum Scripturarum ; internas spiritûs illustrationes mentibus affundi ad interpretandas Scripturas volunt pariter Enthusiastæ; externo nullo testimonio se produnt, quas comminiscuntur illuminationes, Enthusiastæ : manifesto nullo exeritur signo, ille quo se irradiari fingunt Protestantes, spiritus : revelationes Enthusiastarum nemo est fanatismo arreptus, vel doli artifex qui affingere sibi non possit : privatum spiritum Protestantium, nemo est deceptor aut deceptus qui adscribere sibi non valeat : neque apud Enthusiastas, neque apud Protestantes ullus jure divino constitutus occurrit judex, quo palam et apertè redargui, condemnari, mulctari contumaces obtingat ; nullus est cujus decreta sontes et insontes, quod attinet ad judicandi formam, trahere ad se ipsos, coram societate æquo jure non possint : hunc sibi Lutherus, ut observatum est, hunc sibi Calvinus, licet inter se maximè dissentientes, adstipulari jactârunt. Itane Scripturarum suarum majestatem et interpretationem Deus voluisset hominum variantibus cupiditatibus aut præjudiciis, quasi lege positâ tradere? Hæc si invaleret methodus, causam obtinerent Ariani, Nestoriani, Eutychiani, et alii quicumque ut ab Ecclesiâ, ita quantùmlibet à se invicem discrepantes hæretici. Novis in dies et erroneis Scripturæ distraherentur et proscinderentur commentis; quâ innovandi cupidine considerată exclamat ipse Lutherus : « Si diutiùs steterit mundus, iterùm erit ne- « cessarium propter diversas Scripturæ inter- « pretationes quæ nunc sunt, ut ad conservan- « dam fidei unitatem, conciliorum decreta reci- « piamus, atque ad ea confugiamus. » (Lib. 1 contra Zuinglium et OEcolampadium.) Hæc nunc sufficiant de Scripturarum expositione, in Protestantium systemate : dùm refellentur quæ ex prætensâ eorum perspicuitate objiciunt, inde affluent nova auctoritatis Ecclesiæ in illis interpretandis argumenta.

4° *Immeritò profitentur Protestantes credenda omnia, et servanda, Scripturis contineri.* — Haud mirum est ad inescandos homines incautos ac

simplices, hoc esse in more positum et instituto hæreticorum omnium, ut errores suos obvelare corrasis undique Scripturarum testimoniis studeant : « Nihil unquàm penè de suo « proferunt, inquit Vincentius Lirinensis, Com- « monit. cap. 35, quod non etiam Scripturæ « verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samo- « zateni opuscula, Priscilliani, Eunomii reliqua- « rumque pestium cernas infinitorum exemplo- « rum congeriem, propriè nullam omitti pagi- « nam, quæ non novi aut veteris Testamenti « sententiis fucata et colorata sit; sed tantò « magis cavendi et pertimendi sunt, quantò oc- « cultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant. » At eo concesso (quod omni vacat specie probabilitatis), posse privato examine, et canonicitatem Scripturarum omnium, et genuinum Scripturarum sensum certò dijudicari ab ipsis rudibus et imperitis, necessum foret insuper ut privatâ discussione aut alio modo, sepositâ auctoritatis viâ, certi fierent, in dogmatibus fidei investigandis soli esse inhærendum Scripturæ, ut volunt quos hìc refellimus adversarii, nec ullam esse in illâ inquisitione habendam rationem traditionis cujus auctoritatem, veritatem ac necessitatem constanter defendunt tum Latina, tum Græca Ecclesia : verùm quò se vertant ut evincere queant, nullas esse quæ fidem mereantur, consulique debeant traditiones? Hìc delibare quædam duntaxat animus est, quæ in præsenti controversiâ præteriri non licet : nam de traditionibus divinis, apostolicis, ecclesiasticis, appendicem in fine tractatûs edere nobis constitutum est.

Protestantibus Scriptura sola est definiendi regula undenam hauriendum sit quid credi, quid servari ad christianam vitam oporteat; sed in Scripturis nullum extat testimonium, quo indicetur contineri Scripturis quæcumque ad fidei depositum pertineant : imò traditionibus esse inhærendum haud obscurè testatur sacra Scriptura : sic Thessalonicenses, Epist. ad eos secundâ cap. 2, compellat S. Paulus : *Tenete traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Sic alloquitur Timotheum idem Apostolus : *Quæ audìsti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui ìdonei erunt et alios docere* (Timoth. epist. 2, c. 2). Deinde, ut taceamus de validitate baptismi apud hæreticos collati aliisque nonnullis dogmatibus, haud expressè Scripturâ divinitùs inspiratâ enuntiatis, quo in loco Scripturarum determinatur, v. g. (quod tamen christianæ plurimi interest societatis), quinam sint soli et omnes libri inspirante Spiritu sancto exarati? Si respondeant Protestantes, privato spiritu, et canonicos, et apocryphos libros propriis quosque characteribus posse distinctè secerni, sciscitari ab eis liceat, quâ de causâ contigerit, ut, v. g., Epistolam S. Jacobi Lutherus abjecerit, vocaveritque *epistolam stramineam*, hanc verò eamdem veneratus Calvinus, canonicas inter litteras duxerit esse collocandam : ergone alterutrum deseruit privatus spiritus in componendâ de canonicitate Scripturarum controversiâ, cùm utrumque ad reformandam solâ Scripturarum auctoritate universam Ecclesiam, elegisset Deus! Hùc revocari possunt cuncta quæ prompsimus ubi dè indagandâ Scripturarum canonicitate, argumenta.

Quæri etiamnùm potest quare Luthero potiùs et Calvino adfuisse censeatur spiritus ad secernendos à cæteris omnibus sacros libros, quàm Carthaginensi celeberrimo concilio, ann. 397, sanctissimo pontifici Innocentio primo, S. Augustino, S. Gelasio, et habitæ sub ejusdèm pontificatu, Romæ synodo? quare putaretur idem spiritus Lutheranis et Calvinistis suggessisse ablegandum à canone Scripturarum Tobiæ librum, quem tot pietate et sacrarum litterarum studio insignes Patres canonicis annumerandum sanxerint? quam ob rem libro illo postposito, Canticum, cui sub aliquo respectu anteponendus esse videbatur, inspiratum habeant ipsi Protestantes? Respondere solent Hebræorum canone contineri Canticum canticorum, non librum Tobiæ : at synagogæ canoni si credatur, cur Ecclesiæ christianæ canoni, qui ante prætensæ auctores reformationis vigebat, non credendum? *Canticum canticorum cæterosque protocanonicos libros,* traditionis auctoritate transmissos fuisse, tum apud synagogam, tum deinceps apud christianam societatem, firmissimè tenendum, diffiteri non audeant Protestantes; cur in assumendis deuterocanonicis habenda non esset ratio inveteratæ apud Christianos traditionis, quæ exortam de libris istis dubitationem discusserit, eosque in canonem referendos esse duxerit?

Veteres, ut rectè adnotat Bellarminus, non aliunde quàm ex traditione compertum esse canonicorum librorum numerum testificantur; lib. 4 de Verbo Dei non scripto, cap. 4 : « Sic « apud Eusebium, lib. 6 Historiæ, cap. 10, Se- « rapion rejicit quædam falsò inscripta Petro, « quia per traditionem acceperat, nihil tale « scripsisse Petrum. Et cap. 11, Clemens Ale-

« xandrinus secundùm traditionem sibi à se-
« nioribus commendatam, docet quæ sint vera
« Evangelia. Et cap. 18, Origenes : Ex tradi-
« tione, inquit, didici de quatuor Evangeliis
« quòd hæc sola. Basilius quoque de Spiritu
« Sancto, cap. 27, dicit : si traditiones scri-
« ptæ negligantur, fore ut Evangelium etiam
« magnum detrimentum patiatur. Denique Au-
« gustinus lib. contra Epistolam fundamenti,
« cap. 5, clarè dicit se Evangelio non creditu-
« rum, nisi id Ecclesia præcipiat. » Tanta est ad assignandos sacros libros traditionis utilitas ac necessitas, ut eam quoad istud doctrinæ caput, Brentius ipse in Prolegomenis, et Kemnitius, in Examine concilii Trid., Lutheros inter ministros celeberrimi, recipiendam esse fateantur.

5° *Privato examine non potest id quod est caput controversiarum dijudicari.* — Quomodò maxima præsertim hominum pars, quæ ex imperitis coalescit, persuadere sibi prudenter valeat, opus esse ut privato « ipso examine « percontandis Scripturis certò addiscat quæ-« cumque credenda, quæcumque agenda sunt « ad assequendam salutem? »

Facilè intelligitur posse homines propriæ conscios infirmitatis et imperitiæ, sibi in animum rationabiliter inducere, ineundam esse auctoritatis viam, ut ad notitiam pertingant Religionis quæ factis innititur, et altissima complectitur mysteria : tùm hanc viam ab omnipotenti et sapientissimo numine, quod neminem perire velit, paratam esse ac præstitutam : verùm hâc eâdem ratione debet illud inprimis hominum genus agnoscere sibi nec tenendam nec probandam esse privati methodum examinis : hanc non esse ad captum suum attemperatam, nec sibi proinde divinitùs propositam. Nonne christianæ prorsùs repugnat modestiæ, et rectæ conscientiæ, ut homo etiam, eruditionis expers, ac tardus ingenio, (idem de homine docto et ingenioso statui potest), infallibilitatem sibi quamdam adjudicare audeat, quam Ecclesiæ abnegaverit, plusque adjuvari se à Spiritu sancto in causis fidei judicandis, quàm ipsam illam Ecclesiam quam Scripturarum et sacræ doctrinæ custodem Deus constituit? Prætereà numquid Protestantium alumni, per Scripturas, quæ Protestantibus sunt sola fidei regula, expendent utrùm in causis religionis, privato debeant duci potissimùm spiritu? At id jam cognitum perspectumque habere illos oporteret, ante omnem Scripturarum discussionem, cùm hanc ipsam aggredi privato spiritu teneantur in systemate Protestantium. Adde quòd sive veteris, sive novi Testamenti codices adeant, ad sequendam auctoritatis viam, non ad sectandum privatum spiritum impelli se sentient, si sapiant. Deuteronomii cap. 17, si quem haberet sollicitum difficilis et ambigua causa, jubebatur adire sacerdotes Levitici generis, et ad judicem illo tempore constitutum ; atque subjungitur : *Quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; et facies quæcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus ; sequerisque sententiam eorum.*

Quantæ autem arrogantiæ arguerentur, quam severam subirent pœnam, qui prolato judicio refragarentur, patet ex verbis sequentibus : *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel.*

Novo autem in Testamento, quid statuerit Christus de homine judicium Ecclesiæ aspernente, non latet : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ;* hoc et alia testimonia retulimus, hujus sectionis cap. 2 ; quantæ autem sit superbiæ, judicii Ecclesiæ obluctari, declarat S. Augustinus lib. de Utilitate credendi : capite enim 6, enumeratis quàm pluribus *credibilitatis motivis*, sic concludit cap. 17 : « Cùm igitur tantum auxi-« lium Dei, tantum profectum fructumque vi-« deamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ con-« dere gremio, quæ usque ad confessionem « generis humani, ab Apostolicâ sede per suc-« cessionem episcoporum, frustra hæreticis « circùm latrantibus, et partim plebis ipsius « judicio, partim conciliorum gravitate, par-« tim etiam miraculorum majestate damnatis, « culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle pri-« mas dare, vel summæ profectò impietatis est, « vel præcipitis arrogantiæ. »

6° *Suâ Protestantes agendi ratione, suo ipsi derogant systemati.* — Placitis suis mirabiliter, agendi saltem suâ ratione repugnant et Protestantium vulgus, et eorum quandoque ipsi pastores. Urgeantur è Lutheranis aut Calvinistis, agricolæ, artifices, mercenarii, interpositis quibusdam Scripturæ, ad impugnandam eorum fidei professionem, testimoniis; provocant statim ad suæ sectæ ministros ; quàm pauci occurrunt, qui propositam ab eisdem doctrinam, scrutandis seriò litteris sacris, privato examini subjiciendam curaverint! obtecto quasi capite descendunt in opiniones unius vel alterius

privati hominis, levis aliquando armaturæ, licet edoceantur ab ineunte ætate, ne generalibus quidem Ecclesiæ synodis concedere, nisi decreta eorum ponderibus suis examinaverint, atque instar judicum approbaverint? Quod attinet ad Protestantium pastores, quantæ sit necessitatis in rebus Religionis non privati spiritûs instinctu, sed viâ auctoritatis progredi, testantur ubi è re suâ judicaverint, synodorum suarum decretis, ac disciplinæ suæ ecclesiasticæ constitutionibus. Famosâ in synodo Dordrectanâ, quam approbavit Charentoniana synodus, et cui interfuerunt ex Protestantium ecclesiis theologi Anglicani, Scoti, Palatini, Hassiaci, Helvetii, Wehteravici, Genevenses, Bremenses, Emdani, proscripta est Remonstrantium seu Arminianorum doctrina, qui partem non minimam Calvinianorum dogmatum oppugnaverant. Frustra obtestati sunt, viam detrectantes auctoritatis, causantesque suis ex adversariis constare maximam synodi partem. Adnotatu dignum, atque exscribere operæ pretium est, quid illorum expostulationibus in illâ synodo responsum fuerit. (Acta synodi nationalis Dordrectanæ, sessione 29.)

« Refragatur primò perpetua praxis omnium « Ecclesiarum, nam in synodis œcumenicis, « Nicænâ, Constantinopolitanâ, Ephesinâ, « Chalcedonensi, in synodis etiam nationali- « bus et provincialibus approbatis, qui anti- « quitùs receptam doctrinam non approbâ- « runt, ab illis qui eamdem sibi traditam « admiserunt, et approbârunt, examinati, « judicati et damnati sunt. » Deindè confutatis quæ ad deprecandum, declinandumque judicium obtendebantur à Remonstrantibus, sic concluditur : « Hasce ob causas putamus pro- « testationem Remonstrantium infirmis fun- « damentis nixam, illosque tam divino quàm « humano jure obligatos, ut se huic synodo « subjiciant, et protestationi suæ tanquàm « temerè factæ renuntient. » In libro cui titulus : *La discipline des Eglises réformées de France,* statuitur, cap. 5, art. 31, si quis, aut si qui unioni Ecclesiæ insidiantes, contentionem aliquâ de parte doctrinæ vel disciplinæ excitaverint, nec privatis potuerint admonitionibus emendari, illos esse ad concordiam adnitente absque strepitu fori, consistorio sollicitandos, cui morem gerere si noluerint, traducendos esse ad colloquium *(au colloque)*, à colloquio ad concilium provinciale, à concilio provinciali ad synodum nationalem ordinariam, aut si necesse sit, extraordinariè convocatam, quâ quidem verbum Dei exponente, nisi in omnibus acquiescant erroresque susceptos et prolatos disertè respuerint, illos esse ab Ecclesiâ ejiciendos (vide etiam citatum librum, cap. 9, art. 3, in observationibus, pag. 144).

Baylius ipse dissimulare non potuit, quàm sit arduum, imò desperandum privato examine ad veram et indubitatam dogmatum fidei notitiam pertingere : conqueritur propositum fuisse sæpiùs, et exquisitâ præsertim in Galliis arte versatum genus illud argumenti : tum subjicit, quodam sensu esse confitendum, carere solutione idem argumentum, nisi ad eam veritatis speciem confugiatur quam *putativam* vocat, cui veritatis *absolutæ* utilitates attribuit (1) : quam autem trahat secum errorum malorumque colluviem fictitiæ hæc putativæ prærogativa veritatis, demonstravimus in tractatu de Religione, tom. 6.

CAPUT IV.

Solvuntur objecta.

ARTICULUS PRIMUS.

Solvuntur quæ à Protestantibus objiciuntur.

NOTA : Inter varia quæ à Protestantibus objiciuntur, sunt quæ et ab aliis auctoritatis Ecclesiæ jugum detrectantibus, pariter opponuntur : at nihil vetat quominùs proposito ea comprehendantur titulo, confutatis jam à nobis auctorum à quibus obtruderentur, principiis.

Diluuntur objecta ex Scripturis, et claritate Scripturarum, qualis fingitur à Protestantibus.

OBJECTIO PRIMA.—Rudes et imperiti nequeunt solo lumine naturali, omnium quæ credenda vel agenda sunt notitiam adipisci : at Spiritu sancto adjuvante, illustrante intellectum, voluntatem impellente, donum intelligentiæ possunt accersere, simplicibus quidem conferendum, vanamque denegatum ostentantibus sapientiam. Non frustra dictum est : *Si quis*

(1) « Il faut avouer, en un certain sens, « qu'ils (les Catholiques) ont raison de le pro- « poser et reproposer, parce qu'on n'y répond « point, et qu'on n'y saurait répondre en sup- « posant, comme on le fait d'ordinaire, que « Dieu demande de l'homme privativement et « exclusivement à toute vérité putative, qu'il « connaisse la vérité absolue, et qu'il sache « certainement qu'il la connaît. Avouons la « dette : ni savants, ni ignorants ne peuvent « en venir à bout par la voie d'examen. »
Œuvres de Bayle, tome 2, Commentaire philosophique, part. 2, chap. 10.

autem vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei, Jacobi Epist. cap. 1, v. 5. Eodem sensu dictum fuerat à Regio prophetâ : *Accedite ad eum, et illuminamini.*

Resp. : 1° Si dicatur privatus ille spiritus non differre ab immediatâ et propriè dictâ revelatione, ergo renovantur et consecrantur Enthusiastarum commenta et deliramenta, quibus iterùm exsufflandis non est cur tempus conteri oporteat; si verò Sancti Spiritûs illud auxilium, aliud non sit præter internam eliciendæ fidei destinatam necessariamque gratiam, ea quidem prævenit, adjuvat, et causæ efficientis fungitur munere ; at non est ipsa ratio credendi, et fundamentum fidei : intellectui non proponitur per modum objecti ; fugare potest offusas menti tenebras quæ propositam veritatem obnubilant, et cor aperire ut receptis in Ecclesiâ dogmatibus, fide supernaturali assentiat; verùm gratiæ illius interioris adjutorio, non ita suppletur naturale lumen, ut qui eam acceperint, valeant quæ captum ipsorum superant, attingere, et intelligendo consequi ; non efficit, ut absque alio deprehendatur argumento canonicitas illorum Scripturæ testimoniorum, quæ sufficientem ex seipsis characterem divinitatis non præ se ferunt: non eò usque mentes illuminat, ut perspectum habeant germanum sensum textuum quorum intelligentia religata pendeat ab aliis quæ ipsas fugiant, testimoniis ; quale est, v. g., istud : *Pater major me est.* Demùm neque id præstat ut fundamentales omnes certò secernantur articuli, quamdiù certa illos secernendi non subministratur regula. 2° Reverà dictum est : *Petite et accipietis. — Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo.* At etiam dictum est : *Petitis et non accipitis, eò quòd malè petatis,* Jacobi cap. 4, v. 3. Malè autem petunt, qui revelationes à Deo, qui miracula, aut dona revelationibus et miraculis similia, absque urgente necessitate petunt : tales sunt eorum petitiones qui privato examine aggrediuntur ea rimari, et secernere quæ ad ipsorum intelligentiam mentisque aciem non sunt accommodata. Malè petunt qui postpositâ Ecclesiæ auctoritate, et spreto quod erudiendis hominibus Deus instituit, ministerio, sapientes sunt apud semetipsos, nec dubitant suæ rationem fidei, summamque salutis, titubanti judicio suo permittere. 3° Quis rerum prudens æstimator non fateatur paratum esse potiùs Spiritum sanctum roganti adesse Ecclesiæ, quæ docendis constituta est omnibus gentibus, et quam sibi sponsatam voluit Christus, quàm privatis temerariisque hominibus quorum unusquisque, quò suî plus amans simulque audentior, eò jactantiùs ac securiùs arrogabit sibi, quo cæteros carere pronuntiabit, spiritum. 4° Jam satis ostendimus, quàm varias sustineret, et contrarias partes, privatus ille spiritus ; quantis dissidiis, nedùm ea restingueret, ansam subministraret potiùs ac fomitem : recolatur memoriâ quantùm à se mutuò dissentiant tum in assignandis sacris codicibus, tum in exponendis Scripturæ multis etiam non admodùm difficilibus testimoniis, prætensi auctores atque promotores reformationis. Attendatur quanti faciendam esse viam auctoritatis duxerint ipsi Protestantes, Dordrectanâ præsertim in synodo, quem admodùm supra retulimus. Nec reponant, sic eos qui colloquio reluctantur, ad provinciale concilium, et ultimò nationalem ad synodum traduci, ut supremum judicium non synodo nationali, sed verbo Dei meliùs in eâ explicato reservatum esse censeatur. Nationalis synodi ea mens si non fuerit, ut suâ auctoritate, quasi foret infallibilis, adigantur errantes ad suscipiendam sancitam doctrinam ; id unum si constitutum sit, ut numerosiori hominum peritorum cœtu instruantur uberiùs potentiùsque admoneantur, cur ab Ecclesiæ communione separatos voluerit Dordrectana synodus, quos pertinaciter aberrare existimaverit? Protestantium inhærendo placitis, debuit Remonstrantibus seu Arminianis facultatem concedere, sive relinquere, eam doctrinam sectandi, quam revelationi consentaneam, privato præeunte examine judicaverint. Mirum sanè accidit ut qui generalibus conciliis sese putant posse tutâ obsistere conscientiâ, viamque auctoritatis dedignari se profiteantur, iidem excommunicatos voluerint, qui de Scripturarum interpretatione, in decretis Dordrectanæ synodi noluerunt acquiescere.

Objectio II. — Opus non esse ut instruendâ vel confirmandâ fide confugiatur ad Ecclesiæ auctoritatem, persuadent plura Scripturæ testimonia : Isaiæ cap. 54 : *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.* Jeremiæ cap. 31 : *Non docebit ultra vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim scient me à minimo eorum usque ad maximum eorum.* 1 Joan. c. 2 : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio docet vos de omnibus.* Qui docentur à Domino, quorum mentibus infunditur cœlitùs notitia Dei, qui internâ et divinâ erudiuntur unctione, illis

quid prodesset Ecclesiam sibi magistram ducemque præstituere?

Resp. : Longè abesse à Prophetis et Apostolis ut velint vel nullum esse, vel inutile habendum ministerium docendi publicum, Jerem. cap. 3 : *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.* Amos. c. 8 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terram : non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini :* famem istam minatur Deus tanquàm gravissimum malum : ergo, etc. Ephes. 4 : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores, ut jam non simus parvuli fluctuantes.* Hæc et alia quæ prompsimus in asserendâ propositione fundamentali, non utilitatem modò, verùm etiam necessitatem pastoralis ostendunt ministerii ad hauriendam salutis doctrinam. Voluit Deus homines edoceri ab hominibus, quos inter idcircò elegit, quibuscum ad id muneris auctoritatem suam communicaret. Hinc missus est ad Ananiam Paulus, quem Christus ipse fuerat allocutus, spirantemque in ipsius discipulos minas ac cædem edomuerat : missus est Petrus ad Cornelium angelo admonente, quem docendo imparem non dixeris. Dùm igitur soli Deo videtur in quibusdam Scripturæ testimoniis attribui hominum ad quærendam salutem institutio, non excluditur docentis Ecclesiæ ministerium, sed gratiæ intellectum voluntatemque afficientis commendatur necessitas, spondeturque uberius auxilium. In pariendâ, sustentandâ et augendâ fide principem licet locum obtineat gratia anterior, eâque sublatâ ne una quidem mentem humanam subire queat salutaris cogitatio, haud tamen vi suâ et pondere defraudantur externa quæ ad credendum incitant providente Deo, momenta. Sic etiam cœlesti unctione, docentisque interiùs Dei beneficio, nihil detrahitur pastoralis officii necessitati et auctoritati. Qui dixit Christus : *Sine me nihil potestis facere,* ipse mandavit Apostolis ut docerent omnes gentes, extremaque ei qui non crediderit, intentavit supplicia. Idem qui Apostolis dixit Salvator : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. cap. 10, v. 20), ille sic eosdem affatus est : *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis,* Joann. cap. 15, v. 26 et 27. Hinc elicitur responsio ad singula quæ objecta sunt Scripturæ testimonia : *Ponam omnes filios tuos, doctos à Domino,* interiùs et efficaciter suadente ut credant et faciant, quæ à magistro exteriori edoceantur verbum Dei explicante, atque divinitùs mandatam obeunte legationem. *Non docebit ultra vir proximum suum dicens : Cognosce Dominum, omnes enim scient me.* Verum Deum quem hominum plerique ignorabant, agnoverunt omnes passim populi, dissipante falsorum numinum cultum ministerio apostolico. *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos : sed unctio docet vos de omnibus.* Hunc optimè textum sic interpretatur Bellarminus : « Non loquitur absolutè (S. Joannes) de cognitione « rerum divinarum, quasi non egeant magistro « ullâ in re, qui Spiritum sanctum acceperunt: « nam si ita esset, cur Joannes hanc Epistolam scriberet, ac moneret et instrueret eos « quos unctio docebat de omnibus ? et quorsùm posuit Deus in Ecclesiâ pastores et doctores? Loquitur igitur tantùm de iis dogmatibus quæ jam acceperant ab Apostolis, « et cooperante unctione Spiritûs sancti didicerant et crediderant, atque eos monet ut « in fide permaneant et non præbeant aures « pseudo-Apostolis contraria docentibus. » Hunc esse sensum testimonii S. Joannis demonstrant ejusdem verba præcedentia : *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam; vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* 1 Joan. cap. 2, v. 21 et 24.

Objectio III. — Laudantur in Actibus Apostolorum Beroenses, *qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidiè scrutantes Scripturas, si ita se haberent.* (Act. Apost. cap. 17, v. 11.) Non ergo culpandi sunt, qui post publicum præpositorum Ecclesiæ magisterium, examen privatum adhibeant. Adhortatur Fideles ipse Apostolus, ut si quid dubitationis inciderit, sedulâ utantur discussione : *Omnia probate,* inquit; *quod bonum est, tenete.* (1 ad Thessal. cap. 5.) Tùm privato examine si qui abducantur in errorem, sibi imputent, utpote malè affectis, cùm scriptum sit : *Si quis voluerit facere voluntatem ejus (Dei patris), cognoscet de doctrinâ utrùm ex Deo sit.* (1 Joann. cap. 7, v. 17.) *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei.... spiritualis autem judicat omnia, et ipse à nemine judicatur.* (1 Corinth. cap. 2 v. 14 et 15.) *Interpretatio sermonum* aliis an numeratur donis de quibus generatim pronuntiatur : *Hæc autem omnia operatur unus atque*

idem spiritus, dividens singulis prout vult. (1 Corinth. cap. 12, v. 10 et 11.) Ergo possunt privati docente Spiritu sancto, meliùs interpretari Scripturas, quàm numerosæ synodi præjudicatis fortè opinionibus in transversum actæ, aut cupiditatum æstu.

Resp.: Quæri potest à Protestantibus utrùm sicut Beroenses, ita Christiani laudabiliter potuerint acceptas à sancto Paulo quem Apostolum Christi, et à Spiritu sancto afflatum agnoverant, institutiones expendere, discernendi causâ utrùm approbandæ essent vel repudiandæ? Nondùm christianæ militiæ nomen dederant Beroenses; nondùm profitebantur missos esse divinitùs et inspiratos Apostolos : Scripturas adeunt : diligenter exquirunt utrùm in illis tales obversentur prophetiæ, quales fuerant à sancto Paulo propositæ; non est cur redarguatur profectum istud à veritatis amore studium : non refugiebant viam illius dignoscendæ à Christo designatam, sed in eam pervestigandam, intentis, quod laudabile est, incumbebant viribus. Secùs autem sentiendum foret de Christianis qui decreta Ecclesiæ vellent ad privati examinis trutinam revocare, quasi licet initiati baptismate, instructi habitu fidei, atque inter Ecclesiæ membra coaptati, propositam ab ipsâ christianam doctrinam possint in dubium legitimè adducere.

Post celebratam Hierosolymæ ad componendam *de cæremoniis legalibus* synodum, electi ad promulgandam illius sententiam Saulus et Barnabas, *cùm pertransirent civitates, tradiderunt eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus qui erant Jerosolymis.* Tradebant Fidelibus non examinanda, sed custodienda dogmata : obsequium præcipitur, non permittitur et approbatur anceps incertaque discussio. Ex dictis colligitur nullum posse à Protestantibus erui argumentum ex methodo quam erudiendis et ad fidem alliciendis infidelibus usurpavêre veteres christianæ Religionis apologistæ; suadebant illis meritò Tertullianus, Lactantius et alii, ut in Scripturis scrutandis navarent operam, qui litteris et ingenio valerent, ut simplici earumdem majestate, admirabili prophetiarum serie, eximiâ reformandis moribus doctrinâ commoti, lethifero ex veterno excitarentur. Persuadenda illis erat christiana Religio, quam sincerè amplexi, catholicamque ad fidem adducti, Ecclesiæ auctoritati et judiciis spontè obsequerentur. « Etsi, ut ritè Bellarminus adnotavit, peccat « hæreticus dubitando de auctoritate Ecclesiæ in quam per baptismum regeneratus « est, neque eadem est conditio hæretici, qui « semel fidem professus est, et Judæi aut « ethnici, qui nunquàm fuit Christianus, tamen posito hoc dubio, et hoc peccato, non « malè facit scrutando et examinando an loca « Scripturæ et Patrum à concilio Tridentino « prolata ita se habeant, modò id faciat intentione inveniendi veritatem, non calumniandi. Deberet quidem ille sine examine recipere doctrinam Ecclesiæ; tamen meliùs est « ut examinando præparetur ad veritatem, « quàm negligendo remaneat in suis tenebris. » (De Verbo Dei, lib. 3, cap. 10.) Accedit quòd longè differat aliunde à privato Protestantium examine genus illud examinis, quod hæreticis permittunt et suadent prudenti condescensu Catholici, ne pergant illi facem fidei repellere, susceptisque obdurescant erroribus. Volunt Protestantes ut non canonicitatem solùm Scripturarum, sed et singula dogmata quorum necessaria sit fides, discutiant singuli, proprioque innitantur judicio, quidquid sentiant generalia ipsa concilia : at hoc unum postulant Catholici, ad illud quod quandoque proponunt hæreticis examen, ut tum insignia Scripturæ testimonia, quibus apertè commendatur Ecclesiæ auctoritas, perlustrent qui possunt; tum ut ad alia in eamdem asserendam conspirantia, pro suo quisque captu, animis attendant : futurum quippe credunt Catholici omnes, ut vel hoc solo dogmate comperto, cætera ipsi rudes et imperiti, quantùm ad verè christianam vitam sufficiat, docente ac regente Ecclesiâ, tutò addiscere valeant.

Ad hæc Apostoli verba : *Omnia autem probate; quod bonum est, tenete :* quibus adjungi possunt hæc S. Joannis : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* (1 Joan. cap. 4, v. 1.) Resp. 1° Paulum et Joannem, cùm aiunt *probate*, vel *probate spiritus*, non hoc significatum velle, ut omnes qui sunt de Ecclesiâ, id faciant, sed ut faciant ii ad quos pertinet : sicut si scribatur ad aliquam academiam, ut aliquem examinet librum, non id significatur ut liber ille omnibus illius academiæ hominibus præbeatur examinandus, sed iis tantùm quibus hoc munus competit.

Resp. 2°, etiamsi locus uterque de privatis hominibus intelligeretur, sic esse intelligendum ut probatio fiat servandis ordine et regulâ divinitùs constitutis. Agebatur non de pro-

phetiis jam comprobatis et receptis, sed de prophetiis recentibus, dubiis, et examine pertentandis. « Modus autem probandi (novos « prophetas) legitimus est, si non adversetur « Scripturis (ad sensum pastoralis ministerii « intellectis), sed illis consentiant : si cum « traditis per Ecclesiam, et cum ritu perpetuo « observatis consentanea sint : si nihili scandali concitent : si sectas et schismata non « pariant : si curiosa et vana, et quæ nullam « proximi ad ædificationem faciant, non loquantur. Si moniti à superioribus, et præsertim à supremo præsule, acquiescant vel « silendo, vel cum omni humilitate rationem « reddendo. » (Salmeron, in 1 Epist. ad Thessal. cap. 5, disput. 5.) Nec enim dubitandum est *apud illos esse judicium* de doctrinâ, quorum est officium docere, et, ut in concilio Aquileiensi sapienter loquitur imperator Gratianus, hoc nomine à divo Ambrosio laudatus, à quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eis discordes eruditionis repugnantias solvi. (Stapleton, lib. 5, cap. 5.)

Illis Christi verbis : *Si quis voluerit facere voluntatem ejus, cognoscet de doctrinâ utrùm ex Deo sit,* indicatur, observandis Dei mandatis comprimendisque cupiditatibus, removeri obices quibus homines à veritate deterreantur, etiamsi debito ordine ac legitimâ auctoritate doctrina illa proposita sit : nihil enim magis obcæcat hominum mentes quàm inordinati et deflectentes à divinâ lege affectus : hinc scriptum est : *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Joann. cap. 5. Tùm etiam : *Audiebant hæc omnia Pharisæi qui erant avari, et deridebant illum.* Luc. cap. 16, v. 14. At non inde sequitur posse bonos omnes viros, per se ipsos atque sepositâ Ecclesiæ interpretantis auctoritate, Scripturas, ut par est intelligere : imò nec facerent, sed aspernarentur voluntatem Dei, qui investigandâ Christi doctrinâ, christiano gloriantes nomine, respuerent pastorum judicium, ad quos pertinent hæc effata : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit : qui autem me spernit, spernit eum qui misit me,* Luc. ibid. Addi potest declarare Christum, eos qui divinæ dociles se præbent voluntati, generatim et absque arduo labore agnoscere eam è cœlo manare doctrinam quam invexit, innumerisque confirmavit miraculis : seu illum esse missum à Deo, nec posse nisi vera revelare; at nusquàm privatos asseruit sibi ipsis sufficere ad singulorum credendorum discretionem dogmatum : nec ipsis unquàm pollicitus est auxilia gratiæ quibus confidentes eximerentur à debito Ecclesiæ obsequio.

Ad hoc Apostoli pronuntiatum : *Spiritualis autem judicat omnia, et ipse à nemine judicatur...* Respondeo semper fuisse, ac semper futuros in Ecclesiâ spirituales homines, seu homines qui ductum Spiritûs sancti sequentes, rectè judicent, tenendamque doctrinam rectè secernant erroneis ab opinionibus; eosdem nemo sive spiritualis, sive animalis homo jure condemnabit : non *spiritualis,* seu qui divino regitur spiritu : illis enim potiùs consentiet, cùm adversari sibi ipsi quo diriguntur, veritatis spiritus nequeat : non *animalis,* cùm in divinis non sit idoneus judex, qui secundùm carnem judicat. Nec tamen privatos ad spirituales pertinet *definitivum* de controversiis in causâ fidei judicium; fallere quidem non potest Spiritus sanctus : at quibus privatis specialiter adesse dignatur, illi specialem hanc præsentiam non possunt absque propriè dictâ revelatione compertam habere, certitudine plenâ et absolutâ; quin etiam, quò efficaciùs ipsis aderit, eò firmiùs tenebit illos auctoritati et judiciis Ecclesiæ addictos, quam non deserit, nec patitur impunè contemni. Præterea quos vocat spirituales Apostolus, eosdem satis patet jam ab ipsò evangelicâ fuisse imbutos doctrinâ : *Notum vobis,* inquit, *facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo statis, per quod salvamini,* 1 ad Corinth. cap. 15, v. 1. Cæterùm si quæratur quo sensu dictum sit : *Spiritualis judicat omnia,* respondeo : Dixerat Apostolus : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei :* tùm subjicit : *Spiritualis judicat omnia.* Hoc est animalis homo non judicat nisi de terrenis; quæ Dei sunt, videntur ei stultitia : attendit eo in loco Apostolus ad genera singulorum, non ad singula generum. Constat enim, gravibus etiam in causis errâsse aliquandò nonnullos qui spirituales meritò haberentur, ut inprimis testatur *rebaptizantium* historia.

Objicies 4° : Dijudicandis fidei dogmatibus ideò parendum esset auctoritati, quia frequenti caligine obvelantur Scripturæ, quam hominum inprimis vulgus non possit discutere : non ita multis quot fingitur, tenebris obtectas ne credideris : quos autem in illis caligantes videas, non Scripturis, sed suis tribuant affectibus; quòd si etiam *opertum est Evangelium nostrum,* inquit Apostolus, *in iis qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus seculi excæcavit*

oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi (2 Corinth. cap. 4, v. 3 et 4). Præterea si quorumdam Scripturæ testimoniorum recondítus sit sensus, componantur cum aliis : inde necessariam mutuabuntur lucem. « Magnificè et salubriter Spiritus sanctus ita « Scripturas modificavit, inquit S. Augustinus, ut locis apertioribus fami occurreret, « obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruit, « quod non planissimè dictum alibi reperiatur, » lib. 2 de Doctrinâ christianâ. S. Chrysostomus postquàm adnotavit locutos fuisse obscurè philosophos, subjungit : « Apostoli « verò et prophetæ omnia contrà fecerunt; « manifesta et clara quæ prodiderunt, exposuerunt nobis veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ « dicuntur, ex solâ lectione. »

Respondeo : Ecclesiæ judicanti non ea duntaxat de causâ obsequendum est, quòd in multis quibus abutuntur indocti præsertim, aut suo præsidentes ingenio, obcura sit Scriptura sacra, verùm etiàm, 1° quia Scripturis sacris non omnia contineantur quæ ad fidem pertineant, quale est illud quod jam observavimus: Valere collatum ab hæreticis baptisma; tum et istud : Mansisse post partum illibatam beatæ Mariæ virginitatem. 2° Necesse est legitimâ ut auctoritate coerceri, et in ordinem redigi possint illi qui suis obtendentes erroribus, loca etiam Scripturæ nonnulla, quæ intellectu facilia videantur, unitatem scinderent Ecclesiæ, Deique verbum nefariè adulterarent. 3° Quædam sunt Scripturæ loca, quæ dùm ad solam adverteretur incurrentem primo aspectu speciem, neque cum aliis componerentur sacris testimoniis, gravissimè aberraretur à sanâ doctrinâ; tale est istud Christi : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* 4° Sublatâ auctoritate Ecclesiæ, tolleretur unitatis principium, quo semoto, singulis sensu suo abundantibus dissolveretur compago constringendis necessaria membris ex quibus coalescit morale Christi corpus. 5° Detractâ seu disclusâ Ecclesiæ auctoritate cognitam certò habere Scripturarum inspirationem nequeunt imperiti præsertim, assiduisque distracti, extraneisque occupationibus. Hæc oportuit summatim reducere in memoriam, ne putaretur unam duntaxat ob causam vigere in terris auctoritatem Ecclesiæ. Verùm hallucinantur supra modum qui sensum Scripturæ passim obvium esse et apertum existimaverint; contradicunt manifestè Apostolorum principi candidè asserenti *quædam esse* in beati Pauli Epistolis *difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* (2 Petri cap. 3). Manifestis quoque refelluntur experimentis. Interrogatus à Philippo vir ille religiosus Candacis Æthiopum reginæ, qui prophetias Isaiæ legebat : *Putasne intelligis quæ legis?* Respondit : *Quomodò possum, si non aliquis ostenderit mihi* (Act. Apost. cap. 8)? Attamen « tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, « inquit S. Hieronymus, ut etiam in vehiculo « sacras litteras legeret, et tamen cùm librum « teneret, et verba Domini cogitatione conci« peret, linguâ volveret, labiis personaret, « ignorabat eum quem in libro nesciens ve« nerabatur » (S. Hieronymi epist. ad S. Paulinum).

Diffiteri non possunt Protestantes, in multis maximi momenti dogmatibus à Luthero dissidere Calvinum, à Lutheranis Calvinistas : nihil tamen credere se, quantùmlibet dissentiant, profitentur, nisi quod in Scripturis revelatum sit. Hæc igitur Scripturæ testimonia quæ suas in partes hi et illi rapere conantur, vel obscura censentur, vel clara et aperta : si obscura dicantur, evanescit proposita objectio; si verò clara et aperta habeantur, ergo vel miserandâ cæcitate, vel malâ fide et obstinatâ mentis perversitate digladiantur secum invicem in exponendâ fidei doctrinâ homines orbi christiano ad evangelica instituta revocando, ut Protestantibus videtur, à Spiritu sancto præordinati. Qui primarias saltem interpretationis Scripturarum regulas attentè respexerint, illi non abnuent, in Scripturis multa reperiri, quæ considerato verborum cortice perspicuum sensum referant, quæ tamen ut rectè intelligantur, cum aliis conferenda sunt locis; ponderari insuper accuratè oportet quæ exponendos textus antecedunt vel consequuntur; prudenter conciliari quæ in speciem mutuò se elidunt : *Prævaleri oppositiones falsi nominis scientiæ* (1 ad Timoth. cap. 6, v. 20). Quæ ex ipsâ mysteriorum altitudine et obscuritate, erroris tenaciùs retinendi, ac defendendi occasionem aucupantur. Ad textum hunc Apostoli : *Quòd si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum*, respondeo S. Paulum sermonem non habere de Scripturarum intelligentiâ, sed de suscipiendâ fide quam prædicabant Apostoli : novâ in lege cognoscuntur passim mysteria, quibus in veteri obductum

erat quoddam quasi velamen : at nec ea sine pastorum ministerio, prædicantium scilicet Apostolorum addiscebantur : qui autem coruscante luce Evangelii, quæ ultrò ipsis offerebatur, credere apostolicæ prædicationi renuebant, *quasi opertum* esset ipsis Evangelium, id obcæcantibus eos cupiditatibus, attribuendum erat : *Lex venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem* (Joann. cap. 3, v. 19). Ad S. Augustini hæc verba : « Magnificè et salubriter Spiritus sanctus Scripturas « ita modificavit, » respondeo hoc ipso testimonio significari multa esse in Scripturis quæ nonnisi conquisitis earum aliis textibus, secumque invicem diligenter collatis, elucidari possint; quanti autem sit laboris, quàm plerisque impervia conquisitio illa testimoniorum inter se collatio, quàm multi etiam litterati in eâdem fallantur, colligere est ex prolatis hactenùs argumentis : advertere etiam possumus cum Bellarmino, lib. 3 de Verbo Dei, cap. 2, in objecto testimonio, « non frustrà B. Au« gustinum addidisse illud *ferè*, nam quædam « reperiuntur obscurissima, quæ nunquàm in « totâ Scripturâ explicantur, ut magna pars « Apocalypsis, principium et finis Ezechie« lis. »

Quàm ipsa in Scripturæ loca quæ ad alia explananda indicantur, argutè ac dolosè cavillentur hæretici, testantur exemplo suo inprimis Sociniani : v. g., cùm verbis illis Christi abutuntur : *Pater major me est*, dicitur et meritò, conferendum esse cum aliis illud pronuntiatum, maximè cum istis : *Ego et pater unum sumus : tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus : et hi tres unum sunt.* Reponunt sophistæ illi ejusmodi testimoniis non declarari unitatem naturæ, sed unitatem consensûs : sicut, inquiunt, infertur ex istis textibus : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos*, Joann. cap. 17, v. 11. *Tres sunt qui testimonium dant in terrâ, spiritus et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt*, 1 Joann. cap. 5.

Refelluntur quidem illa Socinianorum responsa, at ea possetne hominum vulgus discutere ac solvere ? Numquid ista cura remordet ac sollicitat infantes, agricolas, ac tot immersa civilibus negotiis hominum genera ? Quò adigentur si hæc ipsis ad christianam institutionem et salutem ineunda sit ac tenenda methodus ? Ut revertamur ad S. Augustini testimonium quod huic adnotationi occasionem præbuit, quid ipse sentiat haud ambiguè ostenditur sequentibus verbis, lib. de Doctrinâ christianâ, cap. 6 : « Multis et multiplicibus obscuritatibus « et ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè « legunt, aliud pro alio sentientes : quibusdam « autem locis, quid vel falsò suspicentur, non « inveniunt, ita obscurè quædam dicta, den« sissimam caliginem obducunt. » Ad S. Chrysostomi testimonium respondeo amplificationes quasdam à S. doctore adhiberi, ut auditorum torporem excutiat eosque ad lectionem Scripturarum accendat : hoc unum verò indicatum voluit, multa esse in Scripturis quæ legentibus sint obvia, quales sunt historiæ, qualia sunt præcipua morum instituta illaque dogmata quæ ab ineunte ætate instituti pastorum ministerio fideles, facilè deinceps in Scripturis deprehendere valeant : at ipsis in locis ex quibus depromitur objectio, agnovit S. Chrysostomus difficiles esse intellectu Scripturas. In Homiliâ tertiâ, de Lazaro, ante citata verba, sic loquitur : « Quid igitur, inquiunt, si non intelliga« mus ea quæ contineantur in libris ? Maximè « quidem, etiamsi non intelligas illis recondita, « tamen ex ipsâ lectione multa nascitur san« ctimonia. » Et infra : « Sume librum in ma« nus, lege historiam omnem, et quæ nota « sunt memoriâ teneas, et quæ obscura sunt « parùmque manifesta, frequenter percurre : « quòd si non poteris assiduitate lectionis in« venire quod dicitur, accede ad sapientiorem, « vade ad doctorem. »

Instabis : Spiritui sancto quo afflante scripserunt auctores sacri, injuriam irrogaret quicumque suspicaretur vel eum non potuisse, vel eum noluisse ita loqui in Scripturis quas inspiravit, ut intelligerentur ab iis ad quos destinatæ sunt; egregiè vocantur à S. Gregorio Magno, *omnipotentis Dei ad creaturam suam epistola*. Numquid igitur instar ænigmatis epistola conscribi solet, ubi præsertim multa complectitur cognitu maximè utilia, aut etiam necessaria illis ad quos et propter quos scripta est? Artem docendi non meliùs callet Ecclesia quàm ipsemet Deus ; quare ergo aptiora forent instituendis hominibus decreta Ecclesiæ, quàm ipsæ Scripturæ sacræ? Iisdem in Scripturis si quædam occurrerent difficilia intellectu, numquid tutior haberi potest interpres quàm Spiritus sanctus ? « Scripturæ « enim, ut disserit Lutherus, intelligendæ sunt « eo Spiritu quo scriptæ sunt ; at nusquàm « ille vivaciùs aut præsentiùs inveniri potest « quàm in sacris suis quas scripsit litteris : « illis ergo diligentissimè incumbendum erat,

« ut quò majus periculum est, ne quis proprio « spiritu eas intelligat, eò magis assiduâ le- « ctione et studio, hoc periculo superato, « usus nobis certum faceret sensum Scripturæ « qui nisi in Scripturâ non invenitur. » Vide Stapletonem, controversiâ sextâ, lib. 11, cap. 2.

Respondeo multa esse in Scripturis obscura, quorum intelligentiam, rudes præsertim et imperiti, nisi auctoritate ducantur, assequi certò non possent, jam satis supraque ostensum est. Hujus obscuritatis causas ita exposuit Bellarminus, lib. 3 de Verbo Dei, cap. 1, ut textum illius integrum quamvis prolixum, quia perutilem, exscribere non pigeat. « In Scri- « pturis duo considerari possunt, res quæ « dicuntur, et modus quo dicuntur; si res « consideres, necessariò fatendum est Scri- « pturas esse (multis in locis) obscurissimas, « si quidem tradunt summa mysteria de Tri- « nitate, de Incarnatione Verbi, de Sacra- « mentis cœlestibus, de naturâ Angelorum, « de operatione Dei in mentibus humanis, de « æternâ prædestinatione et reprobatione, de- « que aliis rebus arcanis et supernaturalibus, « quæ non sine magno studio et labore, nec « sine gravissimo erroris periculo investi- « gantur : certè si scientia metaphysicorum « difficilior atque obscurior est omnibus aliis « disciplinis, quia causas altissimas tractat, « quomodò non obscurissima erit sacra Scri- « ptura, quæ de rebus altioribus agit? Quid « quòd magna Scripturæ vaticinia continent de « rebus futuris, at vaticinia carmine scripta, « quibus certè nihil difficilius, nihil obscu- « rius. Si verò modum dicendi consideremus, « inveniemus innumerabiles rationes difficul- « tatis. 1° Sunt in Scripturis plurima quæ vi- « dentur primâ fronte contraria, ut illud Exodi, « 20 : *Deus zelotes visitans peccata patrum in « filios in tertiam et quartam generationem ;* et « illud Ezechielis 18 : *Filius non portabit iniquita- « tem patris, sed anima quæ peccaverit, ipsa mo- « rietur.* 2° Sunt verba et orationes ambiguæ, ut « Joann. cap. 8, petentibus Judæis : *Tu quis es,* « respondit Christus : *Principium qui et loquor « vobis.* Mirè enim torquent se interpretes, « nec adhuc scitur, quid sit illud principium, « quæ et in græco adhuc res est obscurior, ubi « principium est accusativi casûs, τὴν ἀρχήν. « 3° Sunt orationes imperfectæ ut Roman. « 5 : *Sicut per unum hominem peccatum intra- « vit in mundum, et per peccatum mors, et ita « in omnes homines mors pertransiit, in quo « omnes peccaverunt,* et quæ sequuntur, ubi « in totâ periodo, non est verbum principale. « 4° Sunt orationes præposteræ, ut Genes. 10 : « *Isti sunt filii Sem, secundùm cognationes et lin- « guas, et regiones in gentibus suis;* nam continuò « sequitur initio capitis 11 : *Erat autem terra « labii unius et sermonum eorumdem.* 5° Sunt « phrases propriæ Hebræorum, ut Psalm. 18 : « *Thronus tuus sicut dies cœli ;* item Psalm. « 118 : *Anima mea in manibus semper,* et aliæ « permultæ. 6° Sunt orationes figuratæ pluri- « mæ, tropi, metaphoræ, allegoriæ, hyperba- « ta, ironiæ, et aliæ id genus sine numero. » Jamdudùm reponere solent Protestantes claram esse, intellectu facilem, rusticorum captui accommodatam et infantium Scripturam sanctam, in iis quorum fides ad salutem absolutè necessaria est : at quorsùm ista responsio? Numquid vellent ut præter dogmata explicitè ad salutem absolutâ necessitate credenda (quæ à multis privati examinis defensoribus pauca admodùm recensentur), cætera penè omnia vel ignorarentur à plerisque fidelibus, vel non apprehenderentur nisi incerto et vacillante assensu?

Præterea, ut ostensum est, nulla ipsis eruditis atque in ratione disserendi exercitatis suppeditatur regula, ad quam tutò exigatur fundamentalium selectio dogmatum; hinc tanta in illorum assignandis et discrimine et numero, sententiarum discrepantia : ut quid ergo omnibus quantùmlibet illitteratis, ipsisque infantibus proponitur ea omnia determinandi labor, tanquàm saluti omninò necessarius, et qui facilem possit ac debeat reperire exitum? De Scripturarum ipsis textibus quibus præcipua continentur Religionis dogmata, videas quot et quales studio partium enatæ sint contentiones; nihil intentatum relinquunt Sociniani ut ad metaphoras ea detorqueant, tum Scripturarum, tum Symboli testimonia, quibus aut personarum in Deo pluralitas, aut Verbi divini enuntiatur incarnatio : de testimoniis Scripturæ quæ ad promissionem aut institutionem Eucharistiæ pertineant, cogita quantùm inter se dissideant Calvinistæ et Lutherani, tametsi privati necessitatem et efficaciam examinis utrique pro aris ac focis profiteantur. Nonne igitur opus fuit certâ et immotâ auctoritate, quâ duce et magistrâ removeantur ab alienis interpretationibus, quicumque sincero veritatis ac salutis studio commoveantur? Quod objicitur auctorem Scripturarum Deum perfectè nôsse quâ ratione scribendi essent libri qui vocantur sacri, quis nisi mente captus

dubitaverit? At hominis non est illi præscribere quam rationem adhibere expediat; quid inde colligendum? Offusa est caligo plurimis Scripturæ locis; ergo divino proposito, divinæ sapientiæ congruit ut obscura sint plurima Scripturæ testimonia : hujusce obscuritatis plures attulimus causas, quibus etiam silentio prætermissis veneranda sit, nedùm redarguenda. Haud quidem diffitemur enuntiandis fidei præcipuis dogmatibus adhiberi in Scripturis verba *in se* distincta satis et aperta, sed quæ propter eorumdem dogmatum naturam et altitudinem, atque diversa mentibus humanis illapsa præjudicia, et ingruentes tenebras, distrahuntur in varios adulterinosque sensus; hinc nedùm repudietur, jugi potiùs gratiarum actione excipienda est et sequenda Ecclesiæ auctoritas divinitùs constituta, non solùm ut in præcipuis dogmatibus, verùm etiam in illis quorum fides non tantæ necessitatis est, depellantur quantùm opus est tenebræ, errores-que præcaveantur. Hinc in epistolis Apostolorum, inprimis sancti Pauli, si quædam occurrant ardua intellectu, non erat cur fideles conquererentur propter quos scriberet : namque cùm, ut observatum est, id plurium ferat natura dogmatum, tùm etiam ipsi ducebantur, atque jam christianâ doctrinâ instituti erant suis à præpositis, quorum auctoritati studiosè parebant. Atque hic unum cum doctissimo Stapletone animadvertendum est, quod plurimi refert ad eluendum id objectionum genus. « Scriptura « sacra, inquit, liber est fidelium catholicorum, nec rectè intelligi potest nisi prævia « fide catholicâ et orthodoxâ; nam ut in homine carnali tota regula intelligendi, est « consuetudo cernendi, ut ait Augustinus; sic « in homine ethnico et cujuscumque sectæ « hæretico, tota regula intelligendi, est opi-« nionum præsumpta consuetudo. Idcircò sa-« nè quemadmodùm Evangelistæ et Apostoli « quæ scripserunt, fidelibus ea, non infidelibus scripserunt,... sic ut intelligantur, haud « dubiè à fidelibus et jam ab orthodoxis ea « legi debent, non ab infideli aut hæretico. » Controversiâ septimâ, lib. 11, cap. 1.

Ad hoc placitum aptari potest istud effatum : *Nisi credideritis, non intelligetis*, lib. 1 adversùs Judæos : quod eumdem in sensum adhibuerunt SS. Patres, et maximè inter alios S. Augustinus. Nihil posse intelligere Judæos de Scripturis, nisi priùs crediderint in Christum, inquit S. Cyprianus, Isaias docet dicens, *nisi credideritis*, tractatu 27, in Joannem. S. Augustinus in hæc verba Christi : *Sunt quidam in vobis qui non credunt :* « Non dixit, inquit, sunt « quidam in vobis qui non intelligunt, sed « causam dixit quare non intelligunt; sunt « enim quidam in vobis qui non credunt, et « ideò non intelligunt quia non credunt; Pro-« pheta enim dixit : Nisi credideritis, non in-« telligetis, Isai. cap. 7, v. 9. » (Legitur in Vulgatâ : *Si non credideritis, non permanebitis.*) Idem contra Manichæos, scilicet lib. 4, cap. 2, contra Faustum Manichæum : « Sed vos « ista, inquit, non intelligitis, quia sicut Pro-« pheta dixit : Nisi credideritis, non intellige-« tis : non enim estis eruditi in regno cœlorum, « id est, in Ecclesiâ Christi verâ catholicâ; quòd « si essetis, de divitiis sanctarum Scripturarum, « non solùm novâ, sed etiam vetera proferre-« tis. » Quod allatum est à Luthero argumentum, merum est sophisma : inspirante quidem Spiritu sancto scripti sunt libri sacri : eodem Spiritu quo Spiritu scripti, intelligendi sunt : at Spiritus ille verborum cortici non est illigatus, quod manifestum est, si linguam vel res ipsas non intelligas, quas vel legis vel audis. Quis autem jure ac prudenter, fore confidat, ut sibi potiùs quàm Ecclesiæ adesse dignetur ille Spiritus, donumque intelligentiæ potiùs quàm generalibus synodis largiatur Deus, homini etiam illitterato, proprium judicium suum decretis illorum audenter anteponentis? Quod tamen consequens est, si privato duceretur examine.

Objicies 5° : Tum ex Scripturis, tum ex traditione colligitur sufficere Scripturas ut certò addiscantur quæ necessaria sunt ad salutem dogmata. Non ergo Ecclesiæ opus est auctoritate et judiciis ad informandam fovendamque fidem. Secundæ ad Timoth. cap. 3, dilectum hunc discipulum sic alloquitur Apostolus : *Ab infantiâ sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu; omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Joannis 20 : *Hæc scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* « Electa sunt, « ait in hunc locum S. Augustinus, quæ saluti « credentium sufficere videbantur. » Ergo instruendis ad salutem, instituendis ad vitam æternam sufficiunt Scripturæ.

Non aliam dirimendis de fide controversiis idoneam regulam præter Scripturas proposue-

re SS. Patres. S. Cyprianus in celeberrimâ de Baptismo hæreticorum quæstione, ad illud S. Stephani, summi pontificis, decretum : *Nihil innovetur nisi quod traditum est,* ait : « Si ergo « aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis continetur, ut à quâcumque « hæresi venientes non baptizentur, sed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, « observetur divina hæc et sancta traditio : « si verò ubique adversarii, nihil aliud quàm « adversarii et antichristi nominentur. » Epistolâ ad Pompeium. Arbitratur ergo S. Cyprianus solis esse Scripturis inhærendum. S. Hieronymus : « Quod de Scripturis auctoritatem non habet, facilitate eâdem contemnitur « quâ probatur. » S. Augustinus. lib. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 9 : « In iis quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa « omnia quæ continent fidem moresque viventi, spem scilicet et charitatem. »

Respondeo ad textum S. Pauli ad Timoth. : Quas noverat ab infantiâ litteras Timotheus, illæ non complectebantur, neque complecti poterant ullum ex novi Testamenti libris afflante Spiritu sancto exaratis : non illis continebatur quidquid in novâ lege ab ipso Apostolorum tempore credendum est : non ergo sufficiebant, ad comparandam doctrinam tùm creditu necessariam, cùm ad Timotheum scripsit Apostolus. Alloquebatur discipulum evangelicam doctrinam jam vivâ voce edoctum, ut ostenditur his verbis : *Tu verò permane in iis quæ didicisti, sciens à quo didiceris.* Ad Timotheum, cap. 14. Hortatur ipsum ut attendat lectioni Scripturarum, quibus possit susceptâ in fide confirmari, novosque in pietate progressus habere. Nihil dixit quod etiamnùm pertinere ad fideles non posset, qui ut olim Timotheus, à sapientibus institutoribus, in Scripturis legendis prævià fide dirigerentur. Deinde aliud est, quas legerat Scripturas Timotheus, utiles esse ad docendum, ad erudiendum ; aliudque, illis contineri quidquid ad hæc munera et officia adhiberi oporteat ; aliud est insuper, id omne illis contineri ; aliudque, id omne privato examine, et sepositâ auctoritatis viâ, posse ex eisdem rectè decerpi ac intelligi. Ad testimonium sancti Joannis : Haud significatum voluit ad vitam æternam assequendam satis esse, ut Jesum Christum credatur esse filium Dei : alia sunt hunc ad finem credenda dogmata, nec sola requiritur fides ad salutem adipiscendam ; sed declaravit hoc sibi scribendo Evangelio propositum fuisse, ut divinitatem Christi testatam magis ac magis faceret, ad eamque credendam incitaret : quæ fides æternam in vitam collineat, licet ad eam capessendam per se solam non sufficiat. Nihil aliud adnotatione in hunc locum voluit S. Augustinus. Scripturarum præstantiam dum maximè commendant SS. Patres, hæc nimis inculcare studuerunt, nempe respuendum esse quodlibet dogma Scripturis contrarium ; maximi esse illas ponderis ad retundendam hæreticorum pervicaciam ; humanis eam omnibus argumentis, et cuilibet alii auctoritati antecellere ; easdem si ritè exponantur remotisque præjudicatis opinionibus, sufficere ad resecandas et finiendas plerasque de Religione lites : verùm ad rectam et indubitatam Scripturarum expositionem, nedùm quidquam voluerint debito Ecclesiæ obsequio detrahere, ejusdem extollendæ auctoritati certatim allaborârunt. Ad testimonium S. Cypriani, seu animadversionem in hæc verba S. Stephani : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est,* cùm nondùm expressè universalis Ecclesiæ judicio definitum esset valere collatum ab hæreticis baptisma ritè administratum, putabat S. Cyprianus sibi licitum repugnare præcepto S. Stephani ; adjuvantibus multis sanctitate et eruditione venerandis episcopis, paratus tamen, ut observat S. Augustinus, ad obtemperandum, si talé vidisset quale posteà prolatum est, plenarii concilii de non iterando hæreticorum baptismo decretum. Quomodò Ecclesiæ catholicæ quod sibi innotuisset judicio parere noluisset sanctus ille doctor, qui insigni speciatim tractatu de Unitate Ecclesiæ, nervos omnes eloquentiæ intendit ad asserendam necessitatem nunquàm deficiendi ab Ecclesiæ communione, uniusque cum ipsâ tenendæ fidei? Inter alia istud occurrit : « Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, « hostis est; habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

Quod spectat ad objecta SS. Hieronymi et Augustini testimonia, restringuntur, ut patet ex contextu, verba S. Hieronymi ad quæstionem de Zachariâ filio Barachiæ, plurimùm ac diversimodè apud interpretes agitatam, nec ullo Ecclesiæ eliquatam decreto ; de sequendâ autem auctoritate quid cogitaret S. Hieronymus, demonstrant quæ scripsit ad S. Damasum, summum pontificem : « Discernite, si placet, « obsecro, non timebo dicere tres hypostases. « Si jubetis, » etc. ; tum eâdem in epistolâ : « Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum.

« mundi salutem, per ὁμούσιον, trinitatem, ut « mihi epistolis tuis sive tuendarum, sive ta- « cendarum hypostaseon detur auctoritas. » Ita S. Hieronymus, adeò in Scripturis omniqu scientiarum genere versatus. Denique conces serit S. Augustinus in his quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniri quæ explicitè credenda sunt ab hominum etiam vulgo, dogmata, præcipuaque morum instituta : non indè infringitur supremæ necessitas auctoritatis, cujus constituendæ causas, in asserendâ fundamentali propositione, et refellendo Protestantium systemate, deditâ operâ exposuimus, neque hinc labefactantur Ecclesiæ judicia, cui nemo se magis addictum, nemo constantiùs obsequentem se professus est quàm S. Augustinus, cujus relatis jam testimoniis hæc adjici possunt. Lib. 1 contra Cresconium, cap. 33 : « Quisquis falli metuit, hujus obscuritate « quæstionis, Ecclesiam de illâ consulat, quam « sine ullâ ambiguitate Scriptura illa demon- « strat. » De libro Actuum Apostolorum sic pronuntiat : « Cui libro necesse est ut credam, « si credo Evangelio, quoniam utramque Scri- « pturam similiter mihi catholica commendat « Ecclesia.

Instabis : S. Augustinus non aliâ viâ quàm Scripturarum testimonio secerni posse veram Ecclesiam declaravit; non ergo valere credidit auctoritatem Ecclesiæ ad componendas gravissimas omnes de Religione controversias. Lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 1 : « Inter nos, inquit, « et Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia : « quid ergo facturi sumus ? In verbis nostris « eam quæsituri sumus, an in verbis domini « sui? Puto quòd in illius potiùs verbis quæ- « rere debemus, qui est veritas, et optimè novit « opus suum; » et cap. 3 : « Utrùm ipsi Ecclesiam « habeant, non nisi divinarum Scripturarum « canonicis libris ostendant. » Hinc Donatistis se concessuros affirmabant trecenti Ecclesiæ catholicæ episcopi, quos inter eminebat S. Augustinus, si vel unum depromere possent Scripturæ testimonium, quo partes Donatistarum adjuvarentur. De auctoritate Ecclesiæ per Scripturas demonstrandâ legatur etiam S. Optatus, lib. 5 contra Donatistas.

Resp. : Scripturis adhibendam esse fidem confitebantur Donatistæ ; ex libris quos canonicos habebant, videbat S. Augustinus clarissima et obvia posse expromi testimonia quæ ostenderent prænuntiatum fuisse divinitùsque constitutum, ipso eventu evidenter comprobante, ut totum per orbem diffunderetur christiana Ecclesia, ac proindè verè titulum ac proprietates Ecclesiæ falsò sibi arrogâsse Donatistas angustis quibusdam Africæ limitibus circumscriptos ; quapropter ne diversa quæ obtendebant argumenta Donatistæ moram injicerent, postulat pro conditione et naturâ causæ, ut solius auctoritate Scripturæ dirimatur. Eâdem ratione trecenti episcopi, quos inter in solemni collatione principem locum ille obtinuit, pollicebantur ultrò sese partibus Donatistarum adjungendos, si vel unum à Donatistis promeretur Scripturæ testimonium quod ipsis faveret : pro certo enim habebant et explorato, tale nullum proferri unquàm posse. Cæterùm, ut scitè observat Stapletonus, rationi valdè est consentaneum, ut in Ecclesiæ describendâ naturâ et astruendâ auctoritate, copiosa magis et aperta sit Scriptura ; in aliis autem multis dogmatibus, aut obscura, aut parca, ut de illis judicium ab Ecclesiâ, non à se solâ peti voluerit. « Simile enim hoc est ac « si hæredem quis testamento scribat, aut ad- « ministratorem testamenti constituat verbis « apertissimis; cætera in testamento aut magnâ « ex parte taceat, jubeatque ab hærede seu « administratore inquiri, aut obscuriùs ponat « jubeatque in illorum explicatione, hæredis « vel administratoris judicio stare, quem qui- « dem in hunc finem pleniùs de rebus omni- « bus privatim instruxerit. »

Objicies 6° : De canonicitate librorum Scripturæ, ejusque de genuino sensu, si posset Ecclesia judicare, vim suam et auctoritatem ab Ecclesiâ mutuaretur eique subjaceret, quod suspicari, et iniquuum foret, et injuriosum in auctorem Scripturæ Spiritum sanctum.

Respondeo : Non sic judicat de canonicitate Scripturarum Ecclesia, quasi ipsam auctoritatem divinis posset conferre Scripturis, sed tantùm ut declaret, quænam Scripturæ divinitùs inspiratæ sint. Num regiæ constitutiones pendere dicantur, vimque suam intrinsecam ducere à judicibus censeantur qui secernendas illas à suppositiis curaverint, eisdemque jusserint, ut principis supremâ potestate munitis obtemperari : tum etiam Ecclesia cùm judicat de Scripturarum sensu, expendendum non suscipit utrùm vera sint et credenda quæ Deus revelaverit, absit hoc impietatis portentum ! sed quem sensum referant desumpta ex Scripturis testimonia : quid illis testimoniis Spiritus sanctus nobis significatum voluerit : non igitur in Scripturas exerit auctoritatem Ecclesia, sed tota quâ utitur, potestas, in nos exeritur

qui judiciis illius jubeamur constanter obsequi.

Inst. : Joannis, cap. 5, v. 34, dixit Christus: *Ego autem non ab homine testimonium accipio :* at si judicio Ecclesiæ determinari oporteat Scripturarum canonicitatem et sensum, testimonium acciperet Christus ab hominibus, cùm opus esset testificari Ecclesiam, in libris qui canonici habentur locutum esse Deum ; tum per eamdem notum fieri utrùm propositis in textibus, eam de quâ disceptatur, doctrinam revelaverit.

Respondeo : Significavit appellato in loco Christus sese testimonio Joannis Baptistæ non egere, ut se probaret Christum Domini : missioni suæ vindicandæ sufficere quæ continuò edebat miracula : *Ego autem*, inquit, *habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ mihi dedit Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me,* Joann. cap. 5, v. 36. Nec idcircò non voluit testimonium sibi ab hominibus perhiberi, eidemque testimonio adjungi fidem. Nam de Joanne dixerat : *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* Ibid. v. 33. Apostolos sic allocutus est : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ,* Act. Apost. cap. 2, v. 8. Quâ ratione suspicari possimus, ab eo repelli testimonium pastorum ad quos ipso volente manaverit creditum Apostolis jus ac docendi ministerium, quosque velit audiri tanquàm semetipsum notum est, jam à nobis memoratum istud oraculum : *Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit.*

Objectio desumpta ex actu fidei prudenter à rudibus etiam et illitteratis eliciendo.

Argumentorum quæ adhibentur ad vindicandam auctoritatis viam, pars maxima eò spectat, ut persuadeatur viam quamlibet aliam plerisque saltem hominibus arduam nimis fore, aut inaccessam plenamque periculis. At Romanæ tironibus Ecclesiæ quæ duci eos auctoritate velit, nec minora superanda sunt impedimenta, nec minùs arduo minùsque periculoso incedendum tramite, ut certam ad notitiam veritatis, si fieri possit, promoveantur. 1° Necesse est ut compertum perspectumque habeant, viâ auctoritatis dirimendas esse subnascentes de rebus fidei controversias. 2° Ut pari certitudine illis constet quænam tot ex christianis societatibus, eâ cui sincero animo parendum sit, auctoritate polleat. 3° Cùm Romana Ecclesia suos omnes et singulos alumnos, immediatè alloqui atque edocere nequeat, quærendum est quo innixi principio, hominibus ipsius vices gerentibus, sæpiùs utique parentibus aut parochis, rationabile possint ac debeant præstare obsequium. Quod pertinet ad impositam necessitatem sequendi in rebus fidei viam auctoritatis, quomodò de illâ necessitate quam numerosæ tot inficiantur sectæ, certiores fieri possint ipsimet rudes et imperiti Romanam apud Ecclesiam instituendi? Num ratione solâ duce progredientur? Methodus ista, si Romanæ credatur Ecclesiæ, in discutiendis de Religione controversiis, non est ad vulgus hominum attemperata. Eritne ipsis ad Scripturæ testimonia confugiendum? Sed unde priùs eorum canonicitatem agnoverint? Deinde, quo pacto illis constabit de significatione testimoniorum, quæ à privato examine deterrere videantur? Quid Lutheranis, Calvinistis, Socinianis responderent, longè diversas eorum intricatasque interpretationes afferentibus? Numquid Romanæ ipsius Ecclesiæ auctoritate dirigentur, dùm inquirendum suscipient utrùm auctoritate componendæ sint controversiæ, et ubinam sita sit ac vigeat auctoritas cui tanquàm regulæ animatæ et omninò securæ obtemperandum sit? Esto tamen talis auctoritas à Christo derivata sit ; esto Romanæ sit Ecclesiæ præ cæteris omnibus adjudicanda; solutu difficiliores adhuc supersunt nodi : rudes et ignaros, de quibus potissimùm agitur, Romana Ecclesia per semetipsam et immediatè, ut dictum est, erudire nequit et instituere ; fallere aut falli possunt parentes vel parochi quibus plerùmque traduntur instituendi, quò erunt obsequentiores alumni, eò faciliùs ac periculosiùs combibent altiùsque animis repositos servabunt propinatos sibi, ut rarò non continget, errores. Hæccine est certa quam Deus elegerit via pariendæ et obfirmandæ fidei, quæ nullis pateat dubitationibus, ac *rationabile,* ut ait Apostolus, involvat *obsequium ?*

Respondeo 1° : Auctoritate Ecclesiæ dijudicari posse ac debere tenendam de Religione doctrinam, persuadere sibi haud temerè possunt ipsimet rudes et imperiti. Demonstratum est hanc fuisse notoriam et continuam Ecclesiæ praxim, ut ipsius judicio componerentur exortæ de Religione controversiæ; in eo acquiescendum duxerunt ab omni ævo, quicumque salutis suæ curam gererent; poterat ergo etiam à rudibus et illitteratis intelligi et agnosci, perveniendum esse viâ auctoritatis ad catholicæ notitiam Religionis et christianæ vitæ

institutionem, aut necessariò dicendum est, (quod catholicæ refugiunt aures), caruisse tot per secula rationabili et verâ fide innumerabilem illam multitudinem non minùs Deo charam et acceptam quàm litteratos inani sæpiùs inflatos scientiâ. Præter sectas Protestantium aliasque ex illis oriundas, profitentur etiam nunc christianæ omnes societates, auctoritate Ecclesiæ innitendum esse, tum ad sedandas de Religione lites, tum ad instruendam sustentandamque fidem. Omnes ergo illæ existimant posse ab indoctis ut à doctis ordinem illum providentiæ sentiri aut conspici. Ipsâ in societate Protestantium experimento constat, alumnos ejusdem plerosque auctoritatem ministrorum in veritatis inquisitione consectari, quantumvis ab eisdem prædicetur, veritatem non esse auctoritate Ecclesiæ pervestigandam. Præterea privato examine, ut Protestantibus placet, si valeant apud ipsos, ut dictitant, tot illitterati totque sagacis expertes ingenii, ope Scripturarum secernere quidquid ad salutem credendum, quidquid agendum sit, quare Romanam apud Ecclesiam, hominum quoque vulgus, obviis rationum momentis, tum et facilibus intellectu quibusdam Scripturæ testimoniis non poterit dignoscere, utrùm auctoritati Ecclesiæ tradere se debeat intromittendum in arcem fidei? Quâ unâ quæstione expeditâ nihil morantur cætera; de omnibus enim quæ ad fidem moresque pertineant, id unum supererit officii ac muneris, ut docenti ac decernenti Ecclesiæ dociles præbeantur aures et animi. Revocentur in memoriam quæ allata sunt argumenta, ut demonstretur quantæ temeritatis crimen subeant rudes præsertim et imperiti, qui privato examine et postpositâ Ecclesiæ auctoritate, quidquid creditu, quidquid factu necessarium sit, attentarent dijudicare, atque indubitanter decernere: ultronea, ex illis omnibus evidensque deducetur ista conclusio: Alumnis Ecclesiæ, nedùm sit molestè elaborandum abstrusisque incumbendum ratiociniis, ut illius auctoritati obsequendum esse comperiant, rationi potiùs ac pudori vim maximam incuterent, si totam, quantùm indigent, christianam Religionem solis ex Scripturis addiscere tenerentur, suoque ipsorum præ omni Ecclesiæ auctoritate standum foret judicio. At nec multâ opus est illis inquisitione, non multâ disceptatione, ut principem ducemque in credendo et agendo habendam esse Ecclesiam agnoscant. Quærendum esse in eâ certum quo dirigantur, lumen, firmum quo excipiantur, præsidium, admonentur ipsâ mentis infirmæ, labilis ad errandum et naturalibus etiam in rebus caligantis assiduâ conscientiâ; undè pronum est ut confidant, tutam et aditu facilem constitutam esse, quâ erudiantur auctoritatem ab ipso Deo, qui paterno humanum genus complectitur affectu, eaque inprimis commendat, et curat officia, quæ ad Religionem hominumque salutem referuntur: itaque vel interno sensu quasi naturali instinctu quem approbat ratio, fovet et incitat gratia, confirmant perceptæ indè utilitatis experimenta, persuasum fideles habent, sibi esse auctoritate et institutionibus Ecclesiæ comparandam christianæ doctrinæ notitiam.

2° Quâ autem in societate præstò sit illa auctoritas divinitùs præposita, cui necessariò in causis fidei salutisque auscultandum sit et adhærendum, id quoque animadvertere ac perspicere, vel ipsis rudibus et indoctis, haud nimis operosum est. Tum à proximâ assertione, tum à prioribus, manat hæc assertio, et sic demonstratur. Constituta est divinitùs auctoritas cui in negotio Religionis ac salutis morem gerere et obsequi etiam interiùs oporteat; rationi, conscientiæ monitis, et providentiæ ordinationi, divinum illud ita consonat institutum, ut vel rudibus et imperitis probari facilè possit, sibique idem ultrò ipsi maximè persuadeant; ergo et auctoritas cui parendum sit, et ea, quæcumque sit, in quâ versatur, societas, non est rudibus et indoctis cognitu impervia, seu non caret signis et argumentis quæ sint ad eorum conditionem et captum accommodata; neque hunc ad finem necesse est Ecclesiæ notas sigillatim exponere ac perpendere: tractandâ enim quæstione de judice controversiarum, id unum attenditur et quæritur, utrùm in Ecclesiâ Christi cœlitùs sit ordinatum ut Ecclesiæ auctoritate judicentur emergentes de Religione controversiæ: quænam autem societas inter tot diversas habenda sit pro verâ Christi Ecclesiâ? Id pertinet ad alteram quæstionem cum eâ de quâ nunc agitur, arctè conjunctam, at propriis deinceps ponderandam explanandamque momentis. Ulteriùs tamen progredimur, et antequàm speciatim et distinctè disseramus de notis Ecclesiæ, evinci potest argumento ad vulgus hominum attemperato, Romanâ in Ecclesiâ sitam esse ac vigere auctoritatem illam cui in causis ad fidem bonosque mores spectantibus, concedendum et credendum sit. Christianas nimirùm inter societates, aliæ negant, dijudi-

candas esse auctoritate Ecclesiæ intentatas de Religione lites : et hoc ipso declaratur et patet, eâ illas esse auctoritate orbatas, cujus decretis necessariò assentiendum sit. Quod verò attinet ad societates, quæ licet Romanæ expertes communionis, viam auctoritatis tenendam esse profiteantur : inter illas eminent Græci schismatici ; at primo vel aspectu constat eos Romanâ cum Ecclesiâ non posse auctoritate contendere, si nempè vel leviter attendatur ad illius episcoporum sub uno capite tam cohærentem seriem, propagata splendidè per quatuor mundi partes, ejusdem instituta, tam numerosam tot à seculis virorum doctrinâ, pietate ipsisque prodigiis spectandorum multitudinem, perspectam in ejusdem fidei professione constantiam : deindè hanc quam sibi arrogant auctoritatem Græci, undenam hauserant? Ante schisma Photii, quod quidem post restitutam pacem ac redintegratam unitatem, instauratum fuit à Michaele Cærulario, Græci Romanæ adhærebant Ecclesiæ ; conspirabant cum Latinis in asserendum Romani pontificis, ut Ecclesiæ universæ capitis, primatum ; quò igitur evaserit ingruente schismate, Græcorum ecclesiastica auctoritas?

Nota. Romanam quidem apud Ecclesiam, in hominum vulgo multi, saltem inter rusticanos, non audierunt vel animum adverterunt ut intelligerent, alias esse præter illam, Ecclesias quæ ab ipsâ dissideant, et tanquàm hæreticæ vel schismaticæ rejiciantur; vel denique, si quid audierint et attenderint, confusam vixque adumbratam earumdem sibi effingunt imaginem, quam horrori habent, vel contemptui. Non est ergo cur in illis secernendis sollicitam impendant operam. Nullam aliam, nedùm præstantiorem suspicarentur, noverunt præter Romanam cui addicti sunt, Ecclesiam : hæc eos nascentes gremio excepit materno : vix mundum ingressos initiavit sacramento regenerationis : vix sublucentis adeptos rationis usum, christianæ lacte doctrinæ alendos curavit : sentiunt quàm aptè hæc in moralibus doctrina congruat primariis quæ velut insculpta gerunt animo principiis. Sentiunt ex ipsis de quibus erudiuntur mysteriis, advocari et adhiberi sibi documenta quibus informantur ad pietatem, eâdemque ratione fieri apud Romanam Ecclesiam Catholicos, quâ Christianos : hinc nullâ concutiuntur dubitatione de illius auctoritate, prudenterque, quantùm eorum sinit ætas et conditio, profitentur esse tam venerandæ Ecclesiæ, communi ut matri ac tutæ magistræ, penitùs obsequendum. Quantùm proclive sit ut Ecclesiæ quâ sic instituuntur et adjuvantur, addictos sè ac dociles præbeant, quasi subjicit oculis ea quam attulit illustrissimus Fenelonius, egregia comparatio. « Représentons-nous un paralytique « qui veut sortir de son lit, parce que le feu « est à la maison : il s'adresse à cinq hommes, « qui lui disent : Levez-vous, courez, percez « la foule, sauvez-vous de cet incendie. Enfin, « il trouve un sixième homme qui lui dit : « Laissez-moi faire, je vais vous porter entre « mes bras. Croira-t-il les cinq hommes qui « lui conseillent de faire ce qu'il sent bien « qu'il ne peut pas? Ne croira-t-il pas plutôt « celui qui est le seul à lui promettre le se- « cours proportionné à son impuissance! Il « s'abandonne, sans raisonner, à cet homme, « et se borne à demeurer souple et docile en- « tre ses bras. Il en est précisément de même « d'un homme humble dans son ignorance : « il ne peut écouter sérieusement les sectes « qui lui crient : Lisez, raisonnez, décidez, lui « qui sent bien qu'il ne peut ni lire, ni raison- « ner, ni décider ; mais il est consolé d'enten- « dre l'ancienne église qui lui dit : Sentez « votre impuissance, humiliez-vous, soyez do- « cile, confiez-vous à la bonté de Dieu, qui ne « vous a point laissé sans secours pour aller « à lui : laissez-moi faire, je vous porterai en- « tre mes bras. »

3° Esto, inquies, præcellentem docendi ac regendi auctoritatem obtineat Christi Ecclesia; esto Romanæ Ecclesiæ talem esse concessam potestatem, suos cùm tirones immediatè alloqui atque per se ipsam edocere nequeat, quomodò possunt ita dirigi et institui ut divinæ revelationi rationabile præstent obsequium, *ac divinæ eliciant actum fidei?* Momentosæ atque in speciem intricatæ hujusce difficultatis solutio spontè colligitur ex modò positis confirmatisque assertionibus. Si enim, ut probatum est, docendi potestas, cui necessariò parendum sit, collata fuerit divinitùs Ecclesiæ, eâque potestate polleat Romana Ecclesia, improbari non potest usitata constanter et universim apud eam docendi methodus, tametsi distinctè et particulatim explicari non posset quâ ratione propositum scopum hæc methodus assequi valeat. Etenim pro sapientiâ suâ Christus, et quo exardet amore Ecclesiæ, passus non fuisset eam ignorare, et quidem à primordiis, quæ iniri debeat via, sui ut alumni

catholicæ rudimenta doctrinæ et pietatis ritè doceantur, atque ad rationabilem adducantur divinoque consentaneam instituto professionem fidei. Alioqui in necessariis defuisset Ecclesiæ Christus; ergo singulos Ecclesia suos alumnos si per se ipsam et *immediatè*, nec instituat, nec possit instituere, concludendum est, eò usque valere adjuvante Deo, eam quam eorum plerique à parentibus aut parochis, Ecclesiæ obsequentibus suscipiunt christianam institutionem, ut fidei morumque placitis, quantùm opus sit, imbuantur.

Verùm ut hæc omnia pleniùs evolvantur ac utiliùs, quinque sunt accuratè animadvertenda: videlicet, 1° *principium fidei interius*, 2° *generalia et communia credibilitatis motiva*, 3° *organum fidei universale*, 4° *organum fidei particulare*, 5° *motivum in quod tota ultimò resolvitur fides*. I. *Principium fidei interius* est gratia interior et supernaturalis, sine quâ ne haberi quidem potest initium fidei, ut contra Semipelagianos definitum est. *Non sumus sufficientes*, inquit Apostolus, *cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, 2 ad Corinth. 3, 5. II. *Motiva credibilitatis generalia et communia*, sunt rationes extrinsecæ impellentes ad fidem, qualia sunt miracula, prophetiæ aliaque argumentorum genera quæ christianam Religionem faciunt omnibus evidenter credibilem : hæc eadem reipsà demonstrant catholicæ veritatem Ecclesiæ, neque enim seorsim ab Ecclesiâ constituta est atque propagata christiana Religio. III. *Organum fidei universale*, est ipsa catholica Ecclesia, cujus caput visibile, Christus, quam Scripturarum et traditionis probatissimum interpretem supremumque omnium de fide ac moribus judicem instituit, severas in eam rebellantibus minitatus pœnas. IV. *Organum fidei particulare*, multiplex esse potest : aliquando à parentibus, aliquando à parochis, aliisve Ecclesiæ quibusdam ministris erudiuntur Ecclesiæ alumni : cùm enim, ut observatum est, Ecclesia edocere singulos proximè seu per semetipsam nequeat, nec pares sint privato examine dignoscendis cognitu et creditu necessariis, neque immediatas simul et ordinarias possint expectare revelationes, necesse omninò est privatis ut institutoribus tradantur informandi et catholicâ imbuendi doctrinâ. V. *Motivum in quod tota ultimò resolvitur fides*, est Dei revelantis auctoritas, in quem nec ullus error, nec fallendi voluntas cadere unquàm potest : cætera quæ actum fidei antecedunt, prærequisita dicuntur et præambula, sed veritate et auctoritate Dei ita innituntur credentes, ut interrogati, quare, v. g., credant Incarnationis mysterium, responderent et respondere ultimò debeant, se indubitanter credere, quia mysterium illud revelavit summè verax Deus.

Jam operæ pretium est ostendere, quomodò ab organis fidei particularibus, hoc est, à parentibus, à parochis, vel aliis Ecclesiæ ministris possint ipsi rationis usum assecuti infantes, edoceri quantùm satis est, ut rationabilem supernaturalemque fidei assensum præstare valeant. Confitendum est jure ac meritò profligatam esse ab Innocentio XI sequentem propositionem : « Assensus fidei supernatura- « lis et utilis ad salutem stat cum notitiâ so- « lùm probabili revelationis : imò cum for- « midine ne non sit locutus Deus. » (Inter damnatas ab Innocent. XI, die secundâ martii 1679.) Ad vitam citiùs quàm fidem amittendam paratus esse debet unusquisque fidelium; eo animo ita affecti quâ ratione esse possent, qui probabili duntaxat ducerentur notitiâ revelationis? Formidandum videretur ne non loqui dignatus sit Deus : quo pacto radix ac fundamentum salutis esse posset fides quæ tum objiceretur tam facili jacturæ et ludibrio? Oportet igitur, ad eliciendum supernaturalem utilemque assensum fidei, ut *morali saltem certitudine* constet revelata esse à Deo quæ credenda proponantur dogmata. Hæc ergo si proximè à parocho infantibus proposita fuerint, necessum est ut *morali certitudine absolutâ vel respectivâ* persuasum habeant, in his tradendis parochum nec deceptum fuisse, nec deceptorem. *Absolutam certitudinem* eam dicimus quæ vel peritissimos et sagacissimos ad assentiendum posset inflectere : *respectivam* nuncupamus illam quæ non ad omne, sed ad quoddam hominum genus, pro diverso illorum statu mentisque dotibus pertineat. Prudenter possent inclinari infantes et imperiti, rationibus eo modo propositis, qui litteratos perspicacesque homines haud ita commoveret, ac certos faceret.

Restat ut explicandum suscipiamus, quâ ratione ab organo fidei particulari, v. g., à parocho, ipsis infantibus ingenerari possit moralis et prudens certitudo de dogmatibus revelatis à Deo et catholicæ creditis Ecclesiæ. Ad hanc in mentibus pariendam certitudinem, qui fortè dixerint ut oporteret singulos ab universali Ecclesiâ *immediatè* erudiri, in magno versan-

tur errore : namque, ut verbis utamur hominis qui opinionem vel suspicionem hanc exosam et malevolam accuratè discusserat, ita ratiocinantur : « Comme si on disait que le « simple peuple ne peut être assuré de la volonté « du roi, ni des lois fondamentales de la société, « sous ombre qu'il n'en est instruit que par des « particuliers, ou par des juges subalternes. « Quand Jésus-Christ serait encore sur la terre, « à prêcher et à enseigner lui-même, comme il « a fait autrefois, il ne prêcherait pas partout en « même temps; il ne parlerait lui-même à tout « le monde non plus que le roi : il se servirait « encore du ministère des hommes pour publier « ses lois et faire connaître sa volonté. » Pélisson.

Non dubitant, nec prudenter dubitarent catholicæ tirones Ecclesiæ, vel de missione parochi, aliorumve ministrorum quos vident palam et nemine reclamante, docendi munere defungentes, vel de doctrinâ ab iisdem more solito propositâ; hanc audiunt, nomine Dei et Ecclesiæ traditam omnibus et prædicatam; hanc perspiciunt omnibus quos noverint consentientibus divulgatam; hanc habent in comprobato quem terunt manibus, catechismo exaratam : hujus præcipua capita recepto ubique symbolo fidei conservantur : templis, altaribus aliisque insignibus ea commendantur monumentis : solemnibus, pio concursu celebrantur festis : conjunguntur cum notioribus prædicationis Apostolicæ miraculis : usu sacramentorum, sanctorum historiis, spirantibus Dei amorem libris, frequentatisque christianæ vitæ exercitiis ita inculcantur, ut ipsi infantes pro suo quique captu, catholicam quantùm indigeant, doctrinam, competente sibi certitudine cognoscere valeant. His omnibus adde, præveniente et opitulante gratiâ interiori, absque tamen propriè dictâ revelatione, *illuminari* in Ecclesiæ alumnis, *oculos cordis*, ut loquitur Apostolus, eosque aspirante providentiâ, in addiscendo fidei eloquio, sicut in addiscendâ patriâ linguâ, mirum in modum adjuvari, profundâ, ut ait Bossuetius, secretâque viâ. Ad infantes qui parentum studio quandoque instituuntur et christianâ imbuuntur doctrinâ, accommodari possunt, ut patet, quæ exposuimus, exceptis quæ de ministrorum propriâ missione et ecclesiasticâ auctoritate diximus. Hùc referri potest quod observat etiam Bossuetius, admonente Deo, parentibus infantes tanquàm primis eorum doctoribus, erudiendos mandari : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi*, Deut. cap. 32.

« Saint Basile, un si grand théologien, adjicit idem Bossuetius, se justifie, et tout ensemble il confond les hérétiques, en leur alléguant la foi de sa mère et de son aïeule, « sainte Marine : et il cite saint Paul, qui loue « Timothée d'avoir une foi *sincère*, telle « qu'elle était dans sa mère Eunice, et dans « Loïde, son aïeule. » Quò magis ætate crescente, crescit in Ecclesiæ tironibus, seseque expandit et explicat ratio, eò magis etiam in dies intelligunt, veritati et divinæ religioni quàm consonet illa doctrina quam teneris ab annis acceperant, eamque nedùm arbitrentur esse deserendam, complectuntur, tenentque si sapiant studiosiùs, applaudentes prioribus quibus instructi fuerant, documentis. Ita citatus mox S. Basilius testatur in apologeticâ contra Eustatium Sebastensem Epistolâ, sese annis et ratione progredientibus nihil comperisse quo suaderetur, sibi esse à primoribus deflectendum institutis : eadem potiùs quæ tum à beatâ suâ matre, tum ab aviâ suâ susceperat, diuturnitate temporis in se ipso invaluisse, uberioribus aucta doctrinæ incrementis. Cæterùm, si fortè à parocho vel parentibus, sive ex ignorantiâ, sive ex dolo, erroneum aliquod dogma proponeretur, illud quidem, nihil mali suspicantes, revelatum à Deo putarent plerùmque alumni, at divinâ fide tale dogma non crederent, nec possent credere, quia nec Dei veracitate inniti potest error, nec ad eum credendum gratia interior impellere. Silentio hìc præteundum non est, fore profectò, ut si ageretur de dogmate explicitâ fide credendo *ex necessitate medii*, seu ex necessitate ad salutem absolutâ, non sineret pro suâ providentiâ Deus, instituendos, nisi gratiæ obluctarentur, ita decipi, ut dogma tam necessarium repudiarent : fieri enim non potest ut quis inculpatè excidat à fide sine quâ *impossibile est placere Deo*, tum et, quod consequens est, à salutis viâ deflectat.

Inst. 1° : Quæcumque cogitentur, posita in parochi, parentumve institutionibus, moralis fundamenta certitudinis, hæc non eò assurget, ut infallibilem, qualem divina postulat fides, pariat assensum : ista semper animis recurret vel leviter attendentibus cogitatio. Parochus parentes, quantumvis credibile videatur illorum testimonium, fallere possunt, vel falli, dùm testantur sese et verbum Dei, et catholicæ vocem Ecclesiæ referre; quis enim nisi

somniando dixerit eorum singulis collatum esse infallibilitatis donum?

Resp. : Quamvis nec parochus, nec parentes infallibilitatis dono præditi sint, eorum tamen de Ecclesiæ doctrinâ testimonium, moralem potest in mentibus audientium procreare certitudinem, quæ rationabile omne dubium omnemque errandi metum propulsare queat : hâc autem certitudine positâ, ad certitudinis genus aliud firmius nobiliusque, instigante ac promovente gratiâ, conscendunt alumni, revelata credentes propter solam Dei veracitatem et auctoritatem. Hinc damnata est gravem ob causam sequens propositio : « Voluntas non « potest efficere, ut assensus fidei in se ipso « sit magis firmus, quàm mereatur pondus « rationum ad assensum impellentium, » Propos. 19 ex damnatis ab Innocentio XI, die 10 martii, anno 1679. Illius ratio censuræ sic potest probari : sicut impendentis naufragii, aut ipsius gehennæ metus, non est proprium charitatis ac perfectæ contritionis *motivum*, licet ad eam impellere possit et adducere, ita neque impellentes ad fidem rationes, seu quæ vocantur credibilitatis motiva, quibus evincitur Deum esse locutum, ea non sunt proprium et specificum ac *formale* motivum fidei ; cùm enim extrinsecis quæ exhibentur rationibus, mens persuasum habuerit aliquod esse revelatum dogma, nec posse de illius revelatione prudenter rationabiliterque dubitari, tum inclinante gratiâ interiori totam se confert ad considerandam Dei veritatem et auctoritatem : eâ tanquàm ineluctabili testimonio movetur : tanquàm inconcussâ basi innititur assensumque præbet absolutum et supernaturalem, qualem postulat summæ veritatis præstantia, et æternæ salutis ratio. Credendi ordinem illum possumus illustrare inprimis exemplo ducto ab historiâ Samaritanæ mulieris ; Samaritanorum multi quibus jam testimonium ea perhibuerat, ad Christum cùm venissent, mulieri dicebant : quia *jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est verè Salvator mundi.* (Joann. cap. 4, v. 42.)

« Fides, ut optimè observat Steyaert, argu- « mentando non generatur : neque ejus cer- « titudo aut firmitas mensuratur ex motivis et « rationibus quæ ad fidem tanquàm præambu- « la inducunt ; per hæc enim ita innotescit « Evangelii et Ecclesiæ auctoritas, ut divinâ « operante gratiâ permota voluntas, accipiat, « et intellectum accipere faciat *verbum auditûs « Dei, non ut verbum hominum, sed sicut est verè « verbum Dei :* » ideòque jam illud amplectatur eâ *certitudine et firmitate,* quæ omnem aliam « seu moralem, seu naturalem excedit; alioqui « fides de quâ loquitur hìc damnatus error (in « propositione mox relatâ), naturalis est, huma- « na est, nihil divini habens, aut gratiæ debens, « nec captivans intellectum in obsequium fidei, « sed eum duntaxat ducens quò naturaliter « sequitur. » Hinc Holdenum, qui eamdem de certitudine fidei sententiam tenuerat, quam hìc perstringit Steyaert, ita nervosè reprehendit D. d'Argentré : « Pace tuâ dixerim, mi « Holdene, et cum rectâ ratione, et cum om- « nibus theologis pugnat hæc tua opinio de « certitudine fidei divinæ : primùm enim pu- « gnat contra rectam rationem, propriam effe- « cti causam, in ipsum non magis influere « quàm aut prævìæ aut adjunctæ conditiones, « quæ ad applicandam primariam causam con- « currunt ; divina autem revelatio est propria « causa, seu formalis ratio firmitatis fidei di- « vinæ. »

Inst. 2° : Fac infantem aut imperitum aliquem rusticum, à parocho suo aliquod accepisse dogma verè revelatum, at postea incidere in manus plurium hæreticorum qui suâ in sectâ pastoris personam sustineant, morumque gravitate et famâ eruditionis commendandi videantur ; prædicto infanti vel rustico suggerant errorem aliquem verò fidei dogmati quod primitùs tirones illi hauserant contrarium. Prudenter sanè isti, auctoritate si ducantur, susceptum prius illud dogma rejicient, majorem sequentes quàm præ se ferunt novi sui institutores, auctoritatem : quare igitur proscripsit Romana Ecclesiâ hanc propositionem : « Po- « test quis prudenter repudiare assensum « quem habebat supernaturalem ? » (Proposit. 20 inter damnatas ab Innoc. XI.) Prolata est et damnata hæc propositio tanquàm consectarium propositionis 19, inter proscriptas ab Innocentio XI; haud erit inutile utramque ut conjunctam oculis subjicere :

19. « Voluntas non potest efficere ut assensus « fidei in se ipso sit magis firmus quàm merea- « tur pondus rationum ad assensum impellen- « tium. »

20. « Hinc potest quis prudenter repudiare « assensum quem habebat, supernaturalem. » Hujusce propositionis vigesimæ doctrina et insita lues clarius etiam se produnt, si conferatur cum propositione 21 : « Assensus fidei super- « naturalis et utilis ad salutem, stat cum no- « titiâ solùm probabili revelationis, imò cum

« formidine quâ quis formidat ne non sit lo-
« cutus Deus. » Jure ac meritò damnata est hæc propositio : si enim ad assensum fidei supernaturalem sufficeret probabilis notitia revelationis, nutaret perpetuò divina fides, nec à merâ opinione discreparet : at probabilitatis fines non excedit ea revelationis notitia, quam infantibus aut rusticanis erudiendis subministrant parentes aut parochus : illorum per se ulteriùs non provehitur testimonium : prudenter igitur possent eorum alumni traditum ab iisdem dogma ejurare, si fortè alios nancisce-rentur magistros, quorum auctoritate documenta priorum elidi atque convelli existima-rent.

Resp. Non probabilem duntaxat, sed moralem, saltem *respectivam*, in mentibus tironum parere possunt parentes aut parochus, aliive privati, qui christianæ elementa doctrinæ tradiderint; id supra mox ostendendum curavimus : at illa parochi aut parentum documenta, ut indicavimus, habenda sunt ut conditiones, ut præambula respectu eliciendi assensûs fidei : at intra certitudinis quam ingerunt, gradum et genus non cohibetur mens alumnorum qui concessæ ad credendum gratiæ interiori non resistunt : ac reipsà nisi quem præbent revelatis, assensus, altiorem certitudinis dignitatisque gradum mutuaretur à divinâ veracitate et auctoritate tanquàm *à proprio fidei motivo*, jam, ut adnotavimus cum Steyaert, humana foret et naturalis, non divina et supernaturalis fides : nec mirum accideret si assensus ille qui falsò putatus fuisset supernaturalis, posteà repudiaretur. Aliter prorsùs statuendum de firmitate assensûs divinæ incumbentis veracitati ac supernaturalis

Sunt qui nullâ adhibitâ distinctione dogmatum *necessitate* duntaxat *præcepti* credendorum, à credendis *necessitate medii*, respondeant, nullius ex his vel illis dogmatibus, posse prudenter ab infante, v. g., aut rustico assensum supernaturalem repudiari, etiamsi à sexcentis episcopis dedoceantur, atque ad contrarium errorem impellantur. « Teneretur, « inquiunt (infans ille, vel rusticus) inqui-« rere, quid pontifex et Ecclesia catholica, « columna et firmamentum veritatis hâc de re « doceat, nec Deus qui, ut dicitur Joannis « cap. 1, *illuminat omnem hominem venientem « in hunc mundum*, permitteret hunc frustrari « notitiâ sufficiente ad retinendam veram fi-« dem : undè non posset prudenter à fide « supernaturali semel conceptâ recedere. »

Ita Dominicus Viva, damnatarum propositionum theologicâ Trutinâ, parte secundâ, pag. 82, qui testatur hanc esse communem theologorum sententiam. Hæc responsio quo sensu videatur intelligenda et asserenda, juvat libratis attentè omnibus exponere. 1° Si habeatur sermo de aliquo ex illis dogmatibus quæ credenda dicuntur *necessitate medii*, quorum sepositâ notitiâ, adultum neminem esse salvandum decrevit supremus conferendæ gratiæ et gloriæ auctor et arbiter Deus, illo quod Dominicus Viva protulit, argumento evincitur, ne explicitum quidem assensum verè supernaturalem tali præstitum dogmati, non posse prudenter repudiari : à bonitate enim Dei, suaviterque ac sapienter disponente providentiâ penitùs alienum est, ut homo verè fidelis, divinæ supernaturalisque fidei excidium citra culpam ac demeritum patiatur, ideòque ad eum miserè dejiciatur statum, in quo si morti occumberet, æternâ salute privaretur. 2° Si agatur de credendis *necessitate* duntaxat *præcepti* dogmatibus, quorum scilicet non ita necessaria est *explicita fides*, ut etiamsi inculpatè defuerit, nunquàm sit ab adultis comparanda salus, probatu difficile saltem foret et arduum, nunquàm posse contingere, ut infans aliquis aut rusticus, prudenter, id est, erroneo quidem, sed inculpato dissensu, repudiet *explicitum* quem præbuerit assensum, alicui ex dogmatibus quorum explicitâ fide sejunctâ, posset tamen salus obtineri. Diximus *explicitum assensum* : non enim excidet ab *implicitâ* divinâque dogmatis illius fide : hæc enim generali et sincero affectu continetur quo paratus erit credere, et reverà credet, quidquid à Deo revelatum fuerit, et ab Ecclesiâ propositum : quamobrem præstitum eidem dogmati assensum supernaturalem propriè non repudiabit. Etverò quot in pagis, quot in urbibus fideles observantur, qui etsi à catholicis semper institutoribus edocti fuerint, mente tamen ignoranter et inculpatè gerant varias opiniones, nonnullis revelatis dogmatibus adversantes : illorum nihilominùs dogmatum divinam et supernaturalem retinent constanter, licet implicitè fidem, auctoritati et judiciis Ecclesiæ tenacissimo animo subditi.

Hactenùs à nobis exposita qui summatim secum recoluerit, ille fatebitur, ad informandam fidem componendasque de Religione controversias, viam nullam eligi potuisse meliorem viâ auctoritatis, qualem propugnamus, egendisque in salutis negotio aptiorem homi-

nibus. Statutum erat, ut exhaustis missionis suæ laboribus, ad Patrem ascenderet Christus : edocendis post ascensionem suam hominibus consultum sincerè voluit : intolerabili, ut ostendimus, fanatismo pateret aditus, si ducendos sese confiderent immediatis ordinariisque revelationibus; ardua nimis et impossibilia tentare juberentur et exequi, si adigerentur ad discutiendas privato examine, quantùm sibi opus esset, excitatas de fide ac moribus controversias ; Ecclesiæ suæ Christus Dominus qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, eminentem contulit auctoritatem, quâ præstantior, aut cui æqualis nulla usquàm in terris appareat; Ecclesia quidem suos singulatim, per semetipsam instituere alumnos non potest : quid igitur superest, nisi suis ut tradantur parentibus, ac potissimùm Ecclesiæ ministris, qui revelatam à Deo propositamque ab Ecclesiâ doctrinam ipsis referant et exponant. Inerrantiæ quidem prærogativâ institutores illi non donantur, at singulis illis fuisse concedendam, quis effutire aut suspicari audeat? Ratione ergo duce admonemur et constat inhærendum esse adhibitæ Romanam apud Ecclesiam docendi methodo, quæ quomodò christianæ institutioni idonea sit et planè sufficiat, jam satis declaratum est.

Instabis 3° : Romanâ in Ecclesiâ dùm instituuntur à catechistis tirones, de hoc uno laboratur, nempe ut quæ audiunt teneant memoriter : ad auctoritatem Ecclesiæ attendere non solent; atque interroganti cur credant, prætermissâ auctoritatis illius mentione responderent sese credere, quia hæc et illa doctrina vel à parocho, vel à parentibus tradita sit. — Resp. Ipsos infantes rationis usum adeptos, Ecclesiæ auctoritatem edoceri, dùm vulgatum addiscunt Apostolorum Symbolum ; dùm ipsis proponitur composita et expressa ad eliciendum fidei assensum formula ; dùm ipsis exhibetur doctrina catechismi tanquàm doctrina societatis sacræ cui per baptismum adunati sunt; satis intelligunt non hæc sibi documenta tradi tanquàm privatorum hominum instituta ; et quamvis analysim fidei explicare sermone non valeant, immeritò fingeretur, eos auctoritate Ecclesiæ modò *explicitè, modò implicitè,* non impelli ad credendum, eorumque fidem in veracitatem Dei, *tanquàm formale proprumque motivum non resolvi.*

Inst. 4° : Ad fidem divinam requiritur evidentia saltem credibilitatis: nam voluntas credendi, non est voluntas utcumque credendi, verùm ita credendi, ut à fide non absterreant ulla quæ in contrarium afferantur, rationum auctoritatisve momenta : atqui talem habere evidentiam rustici nequeunt, si Romanæ Ecclesiæ methodo instituantur. Potest enim intrà se dicere rusticus : Ego quidem rudis sum et ignarus, nec video quid propositis credendi motivis objiciatur; alii doctiores et prudentiores hæc eadem fortè possent diluere. Ergo carebit necessariâ ad fidem, tum evidentiâ credibilitatis, tum et consequenter firmitate consensûs.

Resp. : Extra quæstionis statum excurrit conficta hæc hypothesis. Ita secum si reputaret rusticus, sibique in mentem induceret, credibilitatis motiva qualia et quomodò sibi proponuntur, posse forsitan à peritioribus elevari, nutaret ipsius incerta fides ; non promoveretur ultra probabilis assensûs limites nec proinde supernaturalis foret ac divina; comparationem hanc non instituunt, nec, si mentibus eorum occurreret, rationem illius habendam judicarent rudes et illitterati de quibus loquimur; propositis sibi dogmatibus absque ullâ dubitatione, simpliciter ex animo acquiescunt, persuasum habentes credendum esse pastoribus et aliis qui interpositâ Dei auctoritate, atque Ecclesiæ adjuncto testimonio, ipsis proposuerint, quæ credere, quæ agere ad salutem consequendam oporteat. Quomodò autem rationabilem ac supernaturalem fidei assensum possint elicere, conferantur, si juvat, quæ supra exposuimus.

At, inquies, si fallerent parentes aut parochus, nullus tum ab alumno eliceretur de proposito tunc dogmate assensus fidei; ergo illorum testimonium habetur tanquàm fundamentum assensûs quem præstandum tirones putaverint; ergo assensus ille non potest majorem sortiri certitudinem eâ quæ per se nascitur ex testimonio parentum aut parochi. — Resp. Si fallerent aut fallerentur parentes vel parochus, tum divinâ veracitate, quæ errori consentire non potest, haud inniteretur assensus quem præberent ipsorum alumni; non idcircò parentum aut parochi testimonium habetur, nec habendum est tanquàm fundamentum assensûs fidei, ejusdemque certitudinis ac firmitatis mensura et regula : quando enim consonat revelationi, atque ita propositum fuit tironum mentibus, ut rationabile quodlibet dubium ab eisdem amoveat, tunc, ut diximus, totos se divinæ veracitati devovent,

qui sic instituuntur; non alio, tanquàm *proprio et formali motivo* incitantur ad credendum: eblandiente et urgente gratiâ in eum erumpunt assensum, qui divinæ auctoritati, quam unam attendunt, quantùm in ipsis est, respondeat: ac proinde altioris ordinis obtineat certitudinem, eâque longè superiorem, quàm humana possit institutio procreare; hinc revelatum dogma ipsis propositum accipiunt, *non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.*

Objectio ducta ex statu Ecclesiæ prioribus mundi seculis.

Temporibus quæ legem Mosaicam anteverterunt, nulla extabat in causis fidei visibilis auctoritas dirimendis destinata controversiis, quam adire tenerentur, qui inter se dissiderent; disseminati erant diversis in regionibus fideles, et illi quidem numero pauci, nulli subjacentes visibili capiti, nullâ exteriore communione sibi invicem devincti : post constitutam verò synagogam stabat quidem tribunal ad quod deferri quidem oportuit subortas inter Judæos de cultu divino lites; at non lege Mosaicâ, nec sacerdotum ejus auctoritate obstringebantur extraneæ gentes, quæ tamen salutem consequi, ac ideò veram ad fidem poterant pertingere.

Resp. Ab initiis quidem mundi extitit Ecclesia, seu fidelium societas extra quam nulla salus; at nulla tunc erat constituta hierarchia, non publicum et universale docendi ministerium, nulla publica auctoritas cui parere populi omnes tenerentur. Acceptâ primis à patriarchis traditione dirigebantur fideles, quam docebant sive parentes, sive constituti variis in civitatibus ad Religionis munia sacerdotes, ita ut illis quoque temporibus adhiberetur auctoritatis via in rebus Religionis. Deus etiam interdùm per angelos, per prophetas, aliquando per semetipsum erudiebat quos vellet. Præter naturalem legem, pauca erant revelata dogmata, qualis erat destinatio supernaturalem ad finem, fides in Messiam quem ab origine mundi promiserat Deus, paucissimi erant fideles. Eadem quidem semper fuit Ecclesia quoad substantiam; sed eamdem semper formam, eumdem semper statum non induit; ad eam pertinebant, eamdem in societatem cooptati censebantur, qui licet per diversas disseminati regiones, eamdem profitebantur fidem, ac præsertim in Messiæ qui tum expectabatur meritis, spem salutis suæ collocabant : idem ferè post legis Mosaicæ constitutionem sentiendum est de omnibus præter Israeliticam gentibus; neque enim propriis legis illius mandatis tenebantur. Poterant tamen qui voluerint, eam amplecti; poterant qui eamdem noverint, plurimùm hâc notitiâ in iis quæ ad bonos mores fidemque spectarent, adjuvari.

Propositâ objectione, si quid haberet difficultatis et laboris, urgerentur præ cæteris omnibus Protestantes; namque ante tempora legis Mosaicæ, nullis erat libris Spiritu sancto afflante scriptis consignata Religio : Scripturis tamen in eâ investigandâ, tanquàm soli et credendi et docendi regulæ inhærendum esse contendunt Protestantes; traditione transmittebatur, à gente in gentem, à generatione in generationem; traditionis nullam aut penè nullam in fide instruendâ rationem habent Protestantes; si respondeant alium fuisse statum Ecclesiæ priscis mundi ætatibus, alium verò post invectam christianam legem, multaque vigere in isto, quibus alter caruerit, idem accipiant à nobis responsum, cui adjicimus, constitutum esse à Christo ministerium publicâ, perpetuâ, universali in spiritualibus auctoritate, cui doctos et indoctos ad salutem assequendam obtemperare voluit, cujus ope certò ab adulterinis genuinæ secernantur Scripturæ, dignoscantur ac defendantur veræ traditiones, verbi divini tùm scripti, tum et traditi exploretur atque exponatur sensus, retegantur ac repellantur insidiantes catholicis dogmatibus hæreses, nec omni vento doctrinæ, fractis repagulis fideles abripiantur.

ANNOTATIO EDITORUM.

Antequàm ad alias objectiones transeamus, non abs re erit audire eximium auctorem P. Rozaven, hanc ipsam materiam, nempe visibilem in spiritualibus auctoritatem sub lege Mosaicâ, luculenter versantem in opere cui titulus : *Examen d'un ouvrage intitulé : Des doctrines philosophiques sur la certitude,* etc. Porrò de catholicæ theologiæ principiis circa fidem ante Christi tempora sic disserit capite 5 :

« L'auteur dans ce chapitre s'étend à prouver ce qu'aucun Catholique ne pensera certainement à lui contester, que le Christianisme a commencé avec le monde, et que la révélation faite à nos premiers pères est parfaitement d'accord avec la foi que nous professons. Il n'y a rien a dire là-dessus, il est d'accord avec tout le monde, il a pour lui *le consentement commun* des Chrétiens. Mais à la page 103 recommencent l'exposition de ses sentiments particuliers, et les raisonnements de sa

raison individuelle ; il est nécessaire de les distinguer de la doctrine catholique, et convenable de les examiner.

« Tous les théologiens, dit-il, reconnaissent « que l'ordre primitif et général était *que les « pères instruisissent les enfants, et que la foi fût « conservée par une tradition perpétuelle.* Mais « l'ordre établi de Dieu pour conserver la « vraie Religion, étant indépendant de la vo- « lonté des hommes, a dû toujours subsister, « et n'a pu jamais cesser d'être obligatoire « pour tous..... Si l'ordre de tradition demeu- « rant obligatoire pour tous, la tradition eût « cessé de fait dans le genre humain, cette « unique voie de connaître la Religion eût été « à-la-fois nécessaire et impossible. » Les mots soulignés sont de Suarez (*de Fide, disput. 4, sect. 1*). Et ce théologien ajoute : *Et hoc modo Adam instruxit in fide filios suos.* Oui, tous les théologiens reconnaissent sans difficulté que tel était l'*ordre primitif et général.* Les pères avaient incontestablement l'obligation d'instruire leurs enfants dans la foi. Mais tous les théologiens ne reconnaîtront pas la légitimité des conséquences que l'auteur tire de ce principe, ni la force de ses raisonnements. Dans quel sens l'ordre général établi de Dieu pour connaître la vraie Religion était-il indépendant de la volonté des hommes? Dans ce sens sans doute que Dieu n'avait pas consulté les hommes pour établir cet ordre, et dans ce sens encore que les hommes n'avaient pas le droit de changer cet ordre, et qu'ils devaient s'y conformer. Mais personne n'ignore qu'il y a une indépendance de droit et une indépendance de fait. L'homme est toujours, *de droit,* soumis à l'ordre établi de Dieu, mais il ne l'est pas toujours *de fait,* et il ne s'en écarte que trop souvent. C'est là une triste suite de sa liberté, qui est aussi dans l'ordre établi de Dieu. Dieu avait ordonné que les pères instruisissent leurs enfants dans la Religion ; c'était l'ordre qu'il avait établi, et l'homme devait s'y soumettre. Suarez dit qu'Adam s'y conforma en effet, et qu'il instruisit ses enfants dans la foi. Il remplit en cela son devoir; mais Suarez ne dit pas, et je crois que personne ne peut affirmer que tous les enfants d'Adam eurent la même fidélité à s'acquitter de cette obligation. Dieu avait aussi créé l'homme innocent et immortel, et tous ses enfants devaient hériter de ces précieuses prérogatives. C'était l'ordre établi de Dieu, et nul doute qu'Adam ne fût obligé de transmettre à ses descendants les dons qu'il avait reçus. L'ordre était indépendant *de droit* de la volonté de l'homme, et c'était évidemment la volonté de l'homme qui devait y être soumise. Cependant le contraire arriva ; l'homme libre se révolta contre l'ordre établi de Dieu, et cet ordre cessa par suite de sa rébellion. Dieu, plein de miséricorde, n'abandonna pas l'homme à sa misère ; il établit un autre ordre de grâce ; il fit à l'homme pécheur des promesses, soumit sa raison à la foi, et le chargea de transmettre à ses descendants, avec l'histoire de sa dégradation, les promesses consolantes et les conditions de sa réintégration. Cette obligation qu'Adam remplit fidèlement, il la transmit à sa postérité, et c'étaient les chefs de famille qui étaient chargés d'instruire leurs enfants. Mais en recevant cette obligation, ils ne perdirent pas la liberté; ils devaient obéir, mais ils pouvaient se soustraire à l'obéissance. On conçoit donc très-bien que cet ordre établi de Dieu a pu cesser de fait par suite de l'abus de la liberté des descendants d'Adam, qui ont pu négliger ce devoir essentiel. Je n'examine pas pour le moment si cet ordre a cessé effectivement ; il me suffit d'avoir montré qu'il a pu cesser, et que les raisonnements de l'auteur, ici comme dans presque tout son ouvrage, portent sur des équivoques. Il joue sur le mot *indépendant,* qui, comme je viens de le faire voir, et comme je l'avais déjà montré ailleurs, peut être pris dans deux sens différents. Quelques lignes plus bas il joue sur le mot *pouvoir,* lorsqu'il dit : *Si, à aucune époque, il eût été au pouvoir de l'homme de l'abolir, de constituer un ordre différent,* etc. Si l'homme ne *pouvait* que ce qu'il *doit,* le raisonnement serait bon ; mais comme, malheureusement, le *pouvoir* dans l'homme est beaucoup plus étendu que le *devoir,* il y a un vice radical dans cette manière de raisonner. Adam n'avait pas le *pouvoir,* c'est-à-dire *le droit* de changer l'ordre heureux que Dieu avait établi pour lui et pour sa postérité, mais il en avait le *pouvoir de fait,* et il ne l'a que trop prouvé. Cette distinction n'est pas moins applicable à ses descendants.

« Sous la loi nouvelle, l'ordre établi de Dieu pour propager et perpétuer la vraie Religion est la prédication des apôtres et de leurs successeurs. Cet ordre est sans doute indépendant de la volonté des hommes, si l'on ne considère que *le droit* et l'obligation qu'ont tous

les hommes d'obéir à Dieu ; mais a-t-il également l'indépendance de *fait* ? L'expérience nous prouve le contraire. L'ordre établi de Dieu a cessé de fait chez plusieurs peuples, et en particulier pour le Japon. Il est incontestable qu'il existe des millions, je dirai des centaines de millions d'individus pour qui l'ordre de la prédication des apôtres est comme s'il n'existait pas. Si nous considérons le train que prennent les choses, nous avons lieu de craindre que cet ordre ne cesse également de fait en bien d'autres pays, et nous pourrions même prévoir une cessation totale, si les promesses de Jésus-Christ ne nous garantissaient la perpétuité du sacerdoce et du ministère apostolique jusqu'à la fin des siècles.

« Maintenant, si nous considérons que, dans les temps qui ont précédé la venue du Messie, il n'existait pour l'univers, la Judée seule exceptée, aucun corps enseignant la Religion, mais que cet enseignement était abandonné aux pères de famille, il est aisé, indépendamment de l'histoire, de conjecturer ce qui a dû arriver aux traditions. Il était comme impossible qu'elles ne se perdissent pas, ou qu'elles ne s'altérassent pas essentiellement; d'autant plus que les pères de famille n'avaient aucune promesse divine, ni d'assistance particulière pour ne se point tromper, ni de fidélité pour s'acquitter de leur devoir. « Lorsque les familles, dit Bergier, furent obligées de se disperser, plusieurs, uniquement occupées de leur subsistance, oublièrent les leçons de leurs pères et la tradition primitive, et tombèrent dans un état de barbarie et dans une ignorance aussi profonde que si jamais Dieu n'eût rien enseigné aux hommes. » Aussi voyons-nous que, peu de temps après la dispersion des familles, Dieu se choisit une famille, puis un peuple à qui il confia le dépôt de ses promesses, pour que le souvenir ne s'en perdît pas sur la terre. *Credita sunt illis eloquia Dei.* (Rom. 2, 2). Et même chez ce peuple élu, le culte du vrai Dieu ne put se conserver que par une multitude de promesses, et par la mission presque non interrompue de prophètes, interprètes de la volonté divine, et chargés de lui annoncer les menaces et les promesses que Dieu lui adressait pour le retenir dans ce devoir ou pour l'y ramener lorsqu'il s'en était écarté. Que serait donc devenu le peuple lui-même, ce peuple de prédilection pour qui Dieu avait si souvent déployé la force de son bras, si l'instruction religieuse y avait été abandonnée aux seuls soins des pères de famille ?

« Je sais les efforts qu'on a faits pour prouver que tous les peuples ont reconnu l'unité de Dieu, et qu'il n'a jamais existé un vrai polythéisme sur la terre; mais je sais aussi que, sans contredire la doctrine catholique, on peut soutenir que, si le souvenir des antiques traditions n'était pas entièrement perdu chez les nations, ce souvenir était si obscur, si imparfait, si altéré par les erreurs que le temps, l'ignorance, les passions y avaient jointes, qu'il était comme nul pour la masse du genre humain; vu que, pour démêler l'erreur de la vérité, il aurait fallu des recherches et des études dont peu de personnes sont capables. J'ai dit qu'on pourrait soutenir cette assertion sans contredire la doctrine catholique, et je pourrais sans doute dire quelque chose de plus. Ce sont surtout les protestants, et entr'autres le célèbre Beausobre, qui ont travaillé avec le plus d'ardeur à prouver que la connaissance du vrai Dieu et de son unité était universellement répandue chez tous les peuples, qu'il n'a existé nulle part un vrai polythéisme, que nulle part on n'a attribué les attributs de la divinité à des créatures, et surtout à des créatures inanimées, etc. Des théologiens catholiques ont réfuté cette doctrine qu'ils croyaient ne pas s'accorder avec la doctrine catholique, et ont cru pouvoir en démontrer la fausseté par l'autorité même des divines Ecritures. Mais c'est là une discussion dans laquelle je ne veux pas entrer; il me suffit d'avoir fait voir que notre auteur, qui avait annoncé qu'il allait exposer les principes de la théologie catholique touchant la foi avant Jésus-Christ, nous donne des principes qui n'appartiennent pas à cette doctrine.

« Il prétend que, si la tradition eût cessé de fait dans le genre humain, cette unique voie de connaître la religion eût été à la fois nécessaire et impossible. Mais d'abord, aucun théologien ne prétend que la tradition ait cessé dans le genre humain. Le mode de transmettre la tradition a pu changer, sans que la tradition ait cessé pour cela. L'Histoire sacrée nous apprend que lorsque les pères de famille devinrent négligents à remplir l'obligation qui leur était imposée, Dieu suppléa à leur négligence par le choix d'une famille et d'un peuple chez qui le dépôt des croyances religieuses se conservât intact. Le peuple Juif, quoique peu nombreux et habitant un pays d'une petite

étendue, était en relation avec les principaux peuples de la terre. Les fréquentes captivités des enfants d'Israël chez différentes nations les avaient fait connaître. La singularité de leur culte, son contraste avec les cultes de toutes les nations frappait les yeux et devait exciter la curiosité. Les individus de ce peuple, bien loin de dissimuler leur croyance dans les lieux où ils étaient exilés ou qu'ils parcouraient pour leurs propres affaires, regardaient comme un point de religion et une affaire de conscience de répandre autant qu'ils le pouvaient la connaissance du vrai Dieu. C'était là un moyen très-suffisant d'amener tous les peuples à cette connaissance si nécessaire, si les peuples, insouciants et livrés au désordre de leurs passions, avaient fait quelque cas de la vérité. Joignez à cela les hommes extraordinaires que Dieu suscitait de temps en temps chez les nations, et qui avaient aussi sans doute une mission, puisque saint Paul leur reproche de ne l'avoir pas remplie, et les accuse d'injustice pour avoir retenu captive la vérité qu'ils étaient chargés de manifester. Voilà l'ordre public et général que Dieu avait substitué à cet autre ordre qui avait cessé par la négligence et la perversité des hommes; et c'est aussi à cette négligence et à cette perversité qu'il faut s'en prendre, si des moyens très-suffisants en eux-mêmes pour faire connaître la vérité par toute la terre ne produisirent pas cet heureux effet.

« Ensuite, nous savons qu'il existe deux ordres de la divine Providence, l'un général, l'autre particulier; l'un public, l'autre secret. Ecoutons saint Augustin : « Quoniam divina (1) « Providentia, non solùm singulis hominibus « quasi privatim, sed universo generi humano « tanquàm publicè consulit, quid cum singulis « agatur, Deus qui agit atque ipsi cum quibus « agitur sciunt. Quid autem agatur cum genere « humano, per historiam commendari voluit, « et per prophetiam. » (De verâ Relig. n. 46.) L'ordre général de la Providence est pour le genre humain et pour les nations en masse; cet ordre serait très-suffisant pour les individus, si les nations s'y conformaient fidèlement. Par exemple, si toutes les nations avaient reçu les prédicateurs de l'Evangile et écouté leurs leçons avec docilité, il n'y aurait aujourd'hui que des chrétiens sur la terre. Mais comme il n'arrive que trop souvent que les nations résistent à cet ordre général et le rejettent, sans qu'il y ait de la faute de tous les particuliers, la divine Providence paraîtrait en défaut, si, outre le moyen général destiné au genre humain en général, elle n'avait pas des moyens particuliers pour la conduite des individus.

« Cette Providence particulière, en ce qui concerne la religion, a toujours été et est encore aujourd'hui nécessaire; car malgré la grande facilité qu'il y a de connaître la religion chrétienne, c'est un fait incontestable qu'il y a des millions d'individus à qui cette connaissance est impossible, à ne considérer que l'ordre général de sa promulgation. Sous l'ancienne loi, il est indubitable que l'ordre général était encore beaucoup plus insuffisant pour les individus; et c'était à l'ordre particulier, alors comme à présent, qu'il appartenait d'y suppléer. Mais par quels moyens y suppléait-il? C'est ce qu'il est inutile d'examiner; car, comme le dit saint Augustin, si nous connaissons par l'histoire et par les prophéties l'ordre général et la conduite de Dieu à l'égard du genre humain, ce qui se passe entre Dieu et la créature individuelle n'est connu que de Dieu et de l'âme sur laquelle il agit. Cet ordre secret nous sera connu au jour des manifestations; et il nous suffit, pour le présent, de savoir que cet ordre est essentiellement juste, et qu'aucun individu ne sera condamné ou puni pour avoir ignoré ce qu'il n'était pas en son pouvoir de connaître. C'est donc fort mal raisonner que de dire : Les hommes, pris individuellement, n'avaient d'autres moyens de connaître la religion que l'instruction des pères; donc cette instruction n'a pas pu cesser. Les moyens qui nous sont connus sont les moyens généraux, qui constituent l'ordre public et commun, et à leur défaut, il y a pour les individus des moyens qui nous sont inconnus et dont ils ne sont jamais privés que par leur faute. Cela doit s'entendre dans les choses qui sont d'absolue nécessité.

« Que le gouvernement du Japon, par exemple, ferme la porte aux prédicateurs de l'Evangile et prive ainsi tous ses sujets de ce moyen général que Dieu a établi pour que les hommes parviennent à la foi, c'est sans doute un grand malheur; car le moyen commun est sans contredit le plus efficace pour les indivi-

(1) « La divine Providence ayant pourvu « non seulement aux besoins de chaque homme « en particulier, mais encore aux besoins « communs de tout le genre humain : ce que « Dieu fait pour chaque individu, lui seul le « sait, et celui en faveur duquel il agit; ce « qu'il fait pour le genre humain, il a voulu « nous le manifester par l'histoire et par les « prophéties. »

dus. Mais les individus qui ne sont point coupables de cet obstacle mis à la prédication de l'Evangile, seront-ils pour cela entièrement abandonnés, et n'auront-ils aucun moyen de parvenir au salut? L'infinie miséricorde de Dieu ne nous permet pas de le penser. Le salut leur est devenu beaucoup plus difficile, mais pas impossible. Dieu a pour chaque individu un ordre de Providence dont il s'est réservé le secret. Les uns ont plus de secours et de grâces que les autres, car Dieu distribue ses dons comme il lui plaît; mais personne n'est entièrement abandonné. Ce que je dis du Japon s'applique de soi-même à bien d'autres peuples et à la généralité des peuples avant Jésus-Christ. Ils s'étaient privés par leur faute du moyen général que Dieu leur avait donné de connaître la religion, ils s'étaient soustraits à l'ordre établi de Dieu; mais l'ordre particulier de la Providence n'a jamais cessé d'exister, parce que cet ordre est pour chaque individu, et qu'il dépend de chacun d'y être fidèle.

« Je ne suivrai pas l'auteur dans la description qu'il fait du christianisme avant Jésus-Christ. Il voit les pères de famille, égyptiens, chaldéens, grecs, romains, gaulois, etc., occupés à instruire leurs enfants dans la connaissance de la loi divine; il n'a aucune difficulté à trouver en tous lieux une autorité infaillible et visible, pour juger les controverses qui pouvaient s'élever en matière de religion; il voit que partout il était facile à tous les hommes de connaître la vraie religion. Tout cela, je l'avoue, est beau, mais, malheureusement, un peu idéal et pas assez d'accord avec ce que l'histoire nous apprend de l'état des nations à la venue du Messie. Je crois avoir démontré que cette théorie n'appartient pas à la doctrine catholique, et que rien ne nous oblige de l'admettre contre notre propre conviction. L'auteur substitue visiblement les principes qu'il s'est faits à ceux de la théologie catholique qu'il avait promis d'exposer. Je n'examinerai pas s'il a toujours saisi le vrai sens de Suarez dans les nombreux passages qu'il en cite. Il me paraît qu'il a lu bien superficiellement les ouvrages de ce grand théologien; mais une discussion sur ce point me conduirait trop loin, et elle n'est nullement nécessaire. »

In sequenti capite, Cartesianam doctrinam, quatenùs ad fidem ante Christum respicit, hoc modo expendit egregius auctor :

« Je ferai peu d'observations sur ce chapitre. L'auteur n'y fait guère que répéter ce qu'il a déjà dit, ou déduire des conséquences des principes qu'il a établis. J'ai examiné ces principes et je les ai trouvés fort peu solides. Nous devons admettre en tout et sans hésiter la doctrine catholique, mais l'auteur confond trop souvent avec cette doctrine ses propres idées; or ses idées ne sont pas des dogmes, ni toujours des vérités. Il combat, dit-il, le cartésianisme et la théologie fondée sur le cartésianisme. Pour moi, je ne défends ni ne condamne le cartésianisme, qui est un système de philosophie que l'Eglise n'a ni approuvé ni condamné, et je ne connais pas de théologie fondée sur le cartésianisme. Lorsque je me suis permis de combattre les idées de l'auteur, je ne me suis appuyé que sur saint Augustin et saint Thomas, qui n'étaient pas cartésiens.

« Arrêtons-nous un instant sur un raisonnement fort singulier que l'auteur met dans la bouche d'un Cartésien qui croit que la raison générale peut se tromper : « La raison humaine, lui fait-il dire, peut se tromper, et « même elle se trompe de fait sur plusieurs « points; en conséquence, je dois trouver la « certitude dans ma propre raison, qui n'est « cependant qu'une partie de la raison humaine essentiellement faillible. » L'auteur ajoute : « Est-ce assez d'absurdités ? » (p. 129). Je conviendrai sans aucune difficulté que ce raisonnement est passablement absurde, et la plus grande absurdité que j'y trouve est de dire que la raison de l'individu n'est qu'une partie de la raison humaine. On dirait tout aussi bien que l'âme de l'individu n'est qu'une partie de l'âme humaine, que sa volonté n'est qu'une partie de la volonté humaine, que son corps n'est qu'une partie du corps humain. Je demanderai volontiers avec l'auteur : Est-ce assez d'absurdités? Et je demanderai de plus : Est-ce à un Cartésien qu'il faut attribuer ces absurdités? Les trouve-t-on dans quelqu'ouvrage de Descartes ou d'un autre philosophe qui professe sa doctrine? Assurément, la philosophie qui les enseigne ne sera jamais ma philosophie. Une seconde absurdité est de dire : *La raison humaine peut se tromper : en conséquence, je dois chercher la certitude dans ma propre raison.* Cette conséquence, je l'avoue, est inepte, absolument contraire aux règles de la logique, et je ne prendrai jamais pour maître de dialectique celui qui raisonnerait de la sorte. Si l'auteur a trouvé ce raisonnement dans quelque philoso-

phe ou théologien cartésien, il a toute raison de s'en moquer, mais je soupçonne que c'est un raisonnement de sa façon, imaginé pour faire paraître ses adversaires aussi niais et aussi sots que possible.

« Quoi qu'il en soit, je ne prétends pas justifier les Cartésiens, mais je crois que ce ne serait pas trop mal raisonner que de dire : Quoique toute raison humaine soit sujette à se tromper, et que par conséquent ma raison qui est aussi une raison humaine, soit également faillible, il ne s'ensuit nullement de là qu'elle ne soit capable d'aucune certitude, qu'elle n'ait en elle-même aucun principe de certitude, ou qu'elle puisse se tromper toujours et en toute chose; et par conséquent je dois rejeter également et le sentiment de ceux qui attribuent à la raison humaine l'infaillibilité ou la certitude de ne se tromper jamais, et le sentiment de ceux qui soutiennent que je ne puis trouver en ma raison humaine aucune certitude quelconque. L'auteur est-il de mon avis? ou bien ce raisonnement lui paraîtrait-il également absurde? S'il le condamne, je m'en consolerai par l'assurance que j'aurai pour moi saint Augustin et saint Thomas, et sans doute bien d'autres qui font quelque cas de ces saints docteurs. De plus, en raisonnant ainsi, je ne crains pas que la théologie catholique me condamne.

« Mettons de côté une bonne fois les préventions et les fausses notions, et raisonnons. La raison générale, comme je l'ai dit plusieurs fois, est un pur être de raison. Vouloir en faire un être réel, la personnifier, lui attribuer l'infaillibilité, est une absurdité manifeste. La raison humaine, supposée existante, est tout aussi essentiellement individuelle que l'âme humaine, la nature humaine. Il existe autant d'âmes humaines, de natures humaines, de raisons humaines, qu'il existe d'individus à qui la dénomination d'hommes peut convenir. Il est absurde d'entendre les expressions d'âme humaine, de nature humaine, de raison humaine, d'une âme, d'une nature, d'une raison générale distribuée par parties entre les individus qui composent l'espèce humaine; elles ne peuvent se prendre que pour l'âme, la nature, la raison, qui existent tout entières dans chacun des individus qu'on appelle hommes, et qui ne seraient tout au plus que des parties d'hommes s'ils n'avaient qu'une partie de la nature humaine. Ces notions si simples, si incontestables, suffisent pour renverser des théories imaginaires, fondées uniquement sur des mots auxquels on n'attache aucune signification précise. On parle de raison générale, de raison particulière, de raison humaine, de raison des sociétés, de raison des chrétiens; et on ne pense seulement pas à donner une définition claire de la raison. Voilà ce qu'on appelle rétablir l'enseignement sur sa véritable base!

« Partant donc du principe incontestable que la raison humaine est une faculté de l'âme humaine, et que chaque individu reçoit immédiatement de Dieu sa raison comme il en reçoit son âme, laquelle n'est point une participation d'une âme supérieure, d'une âme générale, mais bien une substance créée de Dieu, et par sa nature dépendante de Dieu seul; la seule question raisonnable que l'on puisse proposer sur le point qui nous occupe, est si, pour connaître la vérité, surtout en matière de religion, c'est une règle toujours sûre et prudente de s'en rapporter au jugement du plus grand nombre. Cette question a beaucoup d'affinité avec cette autre : Si, pour se bien conduire, c'est une règle toujours sage et prudente d'agir comme le plus grand nombre; car l'influence de la volonté de l'homme sur sa raison est telle, qu'un cœur dépravé entraîne la raison dans les plus grands égarements.

« Le premier homme, créé dans un état d'innocence et de sainteté, ayant un empire absolu sur toutes ses passions, possédait la raison humaine dans son plus haut degré de perfection. Il paraît même que les défenseurs du nouveau système ne peuvent, sans démentir leurs principes, lui refuser l'infaillibilité, puisqu'ils en font un attribut de la raison humaine, qu'il devait posséder en entier et non seulement en partie comme les individus qui peuplèrent ensuite la terre. Les théologiens catholiques ne reconnaissent cette infaillibilité ni dans le premier homme seul, ni dans la multitude de ses descendants; car ils pensent que l'infaillibilité proprement dite est un attribut incommunicable de la divinité; mais ils croient avec saint Thomas que l'innocence primitive de l'homme le garantissait de l'erreur comme du péché, de sorte que sa volonté seule pouvait l'entraîner dans l'erreur en le faisant d'abord tomber dans le péché. Mais le péché originel changea bien la condition de l'homme, sa raison s'affaiblit en proportion de la corruption de son cœur. Il paraît donc que l'on dut chercher la vérité là où l'on pouvait trouver la

vertu. Or ce n'est pas sans doute dans la multitude qu'on peut espérer de trouver la rectitude de la volonté, d'où il suit que ce n'est point dans le grand nombre qu'il faut chercher la vérité ou la perfection de la raison. L'Esprit-Saint nous apprend à nous défier de la multitude corrompue : *Non sequeris turbam ad faciendum malum ; nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* (Exod. 23, 2.) *Consiliarius sit tibi unus de mille.* (Eccli. 6.) *Stultorum infinitus est numerus.* (Eccle. 1, 15.) Et c'est surtout lorsqu'il est question des vérités religieuses, de ces vérités qui imposent des devoirs à l'homme, qui l'obligent à maîtriser ses passions, que le jugement de la multitude doit nous être suspect ; car il est écrit : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei.* (1 Cor. 2, 14.) Dans les temps antérieurs au déluge, pour avoir des notions saines de la divinité, je crois qu'il aurait fallu plutôt s'adresser à ceux que l'Ecriture appelle *enfants de Dieu*, et qui étaient presque réduits à la seule famille de Noé, qu'à cette multitude insensée dont il est dit : *Omnis caro corruperat viam suam.* (Gen. 6, v. 12.) Et en tout temps, la méditation, la prière, la pureté de cœur furent plus efficaces pour connaître les vérités du salut, que le sentiment du plus grand nombre. *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* (Ps. 118, 99.) *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.* (Ibid. 100.) Je crois qu'il serait difficile de trouver un texte de l'Ecriture sainte qui nous présentât le sentiment du plus grand nombre comme règle de nos croyances et principe de nos certitudes. »

Denique de doctrinâ auctoritatis in suis ad fidem respectibus ante Christi tempora specialiùs disputat toto capite 7, quod, licet paulò longius, pro rei gravitate hâc in annotatione libenter adjungimus :

« L'auteur, à son ordinaire, trouve ici sa tâche extrêmement facile ; et en effet, il faut avouer qu'au moyen de quelques suppositions, qui ne lui coûtent rien, il arrange les choses avec une merveilleuse facilité. Sa doctrine philosophique n'est autre que la doctrine catholique même ; qui osera le contredire ? « Pour « constater, dit-il, l'identité de la doctrine « théologique et de la doctrine philosophique, « il suffit de les exposer : que dit en effet la « théologie ? Que la révélation primitive a été « pour le genre humain le principe de la foi ; « que d'après l'ordre établi de Dieu, cette ré- « vélation devait être connue de siècle en siè- « cle par voie de tradition ; que l'Eglise uni- « verselle se composait d'hommes qui confor- « maient leurs croyances à l'enseignement de la « tradition des vérités primitivement révélées. »

Est-il bien vrai que la théologie catholique dise tout cela ? Malgré le ton affirmatif que l'auteur prend ici, il est permis d'en douter, et de soupçonner qu'en exposant à sa manière la doctrine catholique, il use de certaines réticences qui pourraient induire en erreur. Efforçons-nous donc de démêler ce qui est vrai de ce qui est faux ou hasardé.

« La théologie catholique enseigne, il est vrai, que Dieu a, dès le commencement, révélé à l'homme quelques vérités dont la connaissance lui était nécessaire, telles que le mystère de la rédemption et le moyen d'obtenir la rémission des péchés. Quant au dogme de l'unité de Dieu, la théologie n'enseigne pas qu'une révélation fût nécessaire pour l'enseigner au premier homme, puisque sa raison bien éclairée suffisait pour lui donner la connaissance certaine de cette vérité et de bien d'autres. J'entends parler d'une révélation proprement dite, qui se fait par un moyen extérieur ; car la lumière divine qui éclaire la raison, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9), est aussi une révélation, mais non une révélation qui soit l'objet de la foi. La théologie enseigne aussi que l'homme avait l'obligation de transmettre à ses descendants la connaissance des vérités qui lui avaient été révélées, mais elle ne nous oblige pas de croire que les hommes aient toujours été fidèles à cet ordre établi de Dieu, elle nous dit plutôt le contraire ; elle n'enseigne pas que la connaissance des vérités primitivement révélées ait été transmise de siècle en siècle par une tradition perpétuelle et universelle, ni que cette connaissance se soit conservée dans tous les pays ; elle n'enseigne pas qu'il existât une Eglise universelle qui fût visible chez tous les peuples ; elle n'enseigne pas que chez tous les peuples il existât un enseignement public et infaillible de la vraie Religion et des vérités primitivement révélées. Je crois même qu'il est bien difficile de concilier ces dogmes de nouvelle invention avec l'enseignement théologique tel que nous l'ont transmis nos pères ; car selon cet enseignement, lorsque le Messie parut dans le monde au temps annoncé par les prophètes, l'universalité des hommes était plongée dans l'ignorance la plus déplorable des vérités les plus nécessaires au

salut. Anciennement, dit saint Thomas, Dieu n'était connu que dans la Judée, maintenant il l'est par toute la terre : *Antiquitùs Deus erat notus tantùm in Judæâ, nunc autem per totum mundum.* (Expos. in Symb. art. 9.)

« Si nous consultons l'histoire, nous trouvons que le vrai Dieu n'avait d'autel nulle part; ou s'il en avait un dans la ville la plus renommée par sa civilisation, par sa science et ses beaux-arts, cet autel n'existait que pour proclamer qu'on ne connaissait pas ce Dieu créateur du ciel et de la terre, et que tout au plus soupçonnait-on son existence ; il portait pour inscription : *Ignoto Deo.* Aussi cet hommage insignifiant rendu à la Divinité n'empêchait-il pas que la ville entière ne fût livrée au culte superstitieux et insensé des idoles : c'était là le culte qui était approuvé par le *consentement commun. Hoc peccatum apud gentes commune erat, et non reputabatur.* (S. Thom. in 1 ad Cor. c. 12, lect. 1.) Saint Paul annonce aux Athéniens ce Dieu auquel ils rendaient une espèce de culte sans le connaître, ce Dieu créateur de l'univers et inconnu à l'univers. *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* (Joan. 1, 10.)

« Le docteur des nations donne aux Athéniens une autre leçon dont ils avaient également besoin : il leur apprend qu'ayant une origine divine, comme quelques-uns de leurs poètes l'avaient dit, ils ne devaient pas croire que la Divinité pût être semblable à de l'or, de l'argent, ou de la pierre, dont l'art et l'industrie des hommes avaient fait des figures. Enfin il leur déclare que Dieu, après avoir souffert l'ignorance de ces temps, leur fait prêcher la pénitence : *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, et cogitationis hominis, divinum esse simile. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant.* (Act. 17, 29, 30.) Le même Apôtre écrivant à des gentils nouvellement convertis à la foi, leur rappelle leurs égarements et leurs erreurs sur la Divinité, et leur dit : Vous vous souvenez bien qu'étant païens vous vous laissiez entraîner (en suivant le consentement commun), selon qu'on vous menait, vers des idoles muettes. *Scitis quoniam cùm gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.* (1 Cor. 12, 2.) Et encore : *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis.* (Galat. 4, 8.) Ces reproches de l'Apôtre paraissent-ils bien fondés dans la doctrine de ceux qui prétendent que la foi des vérités primitivement révélées s'était conservée chez tous les peuples par une tradition perpétuelle, universelle, infaillible ?

« Enfin les théologiens catholiques anciens et modernes et les docteurs de l'Eglise enseignent communément que, pour parvenir au salut, il n'était point nécessaire d'appartenir à la Synagogue, et que Dieu a pu avoir et a eu en effet des élus parmi les nations; mais ils enseignent également qu'il n'y avait de vraie Eglise visible, ayant un enseignement connu et public, que celle du peuple de Dieu.

« L'auteur ajoute : « Que dit la doctrine philosophique ? Partant du principe d'autorité, « elle en conclut d'abord la *nécessité* d'une révélation primitive, qu'elle établit en même « temps comme *fait*, d'après le témoignage de « tous les peuples ; elle conclut, en second « lieu, du principe fondamental d'autorité, « la nécessité perpétuelle et universelle de la « tradition, et elle prouve en même temps que, « de fait, les vérités révélées aux premiers « hommes ont été toujours conservées dans le « genre humain par la tradition perpétuelle, « universelle; d'où il suit que l'Eglise a eu « dans tous les temps les caractères de la plus « haute autorité visible, et qu'elle a pu toujours être aisément discernée des hérésies, « qui n'étaient que des erreurs particulières « opposées à la tradition générale. » (p. 135.) Il est incontestable que la doctrine philosophique de l'auteur dit tout cela et beaucoup d'autres choses encore plus merveilleuses; il ne peut pas y avoir de controverse là-dessus. L'unique question qu'on puisse faire est de savoir si tout cela est bien dit, si cela est conforme à la vérité et d'accord avec le *sentiment commun* des théologiens, des Pères et des docteurs de l'Eglise. Car, moi aussi, je tiens au *consentement commun*, et je le prends volontiers pour règle de ma croyance, toujours prêt à soumettre mon jugement au jugement de ceux à qui je dois respect et obéissance. L'existence *de fait* d'une tradition perpétuelle et universelle des vérités primitivement révélées peut paraître prouvée à la raison individuelle de l'auteur; mais ce n'est pas là, je pense, une de ces vérités qui soient admises communément et sans contradiction ; et s'il est vrai qu'il n'y ait d'autre principe de certitude que le consentement commun, il sera forcé d'avouer que son assertion n'est rien moins que certaine.

« D'abord, les Cartésiens ne sont certainement pas de son avis; et si nous l'en croyons, sous cette dénomination il faut comprendre presque tous les théologiens modernes. Voilà déjà un bon nombre de dissidents; mais on s'en débarrasse facilement en disant qu'on sait bien que les Cartésiens sont ennemis du sens commun. Cette réponse, comme on voit, est péremptoire. Laissons donc pour ce qu'elle vaut l'autorité des philosophes et des théologiens Cartésiens, et regardons-la comme de nul poids dans la balance. Mais l'autorité de l'Eglise doit toujours être parfaitement d'accord avec celle du consentement commun ; autrement il y aurait conflit entre deux autorités infaillibles. Or, sans contredire la doctrine de l'Église catholique, il est très-permis de dire: 1° Que les nations infidèles n'ont pas la foi, car c'est là ce que veut dire le mot même *infidèle* ; 2° qu'à la venue du Messie, toutes les nations, une seule exceptée, étaient infidèles. D'où il suit, si je ne me trompe, que la foi n'existait nulle part chez les nations, faisant toujours l'exception des élus que Dieu a pu se réserver par cet ordre particulier de sa providence, qui, comme le dit saint Augustin, n'est connu que de lui et des individus qui en sont l'objet; mais ces individus isolés et unis seulement par un lien invisible, ne pouvaient pas constituer une Église qui eût *les caractères de la plus haute autorité visible*.

« Parmi les hérésies qui, selon l'auteur, n'étaient que des erreurs particulières, il faut sans doute compter l'*idolâtrie*. Mais, de bonne foi, pouvons-nous être condamnés, en vertu du sens commun, à croire que le culte des idoles n'a été qu'une erreur particulière? Ce culte n'était-il pas répandu sur toute la surface de la terre? Et l'auteur lui-même, deux pages plus bas, ne dit-il pas que *les superstitions idolâtriques étaient le crime commun des nations païennes?* Si c'était un crime commun, l'erreur sur laquelle était fondé ce crime était donc aussi une erreur commune. Aura-t-on recours au subterfuge de dire que c'était une erreur de conduite et non de croyance? Mais, outre qu'il n'est guère concevable qu'une conduite commune ne soit point fondée sur une croyance commune, puisque, selon l'auteur, *ce sont les croyances qui déterminent les devoirs*, comment prouvera-t-il que le crime commun de l'idolâtrie n'était qu'une erreur de conduite et non une erreur de croyance? Dira-t-il que la généralité des idolâtres croyait l'unité de Dieu? Je conçois qu'il faut bien qu'il le dise, puisque, dans la nouvelle doctrine, l'unité de Dieu n'est prouvée que par le consentement commun. Je ne veux pas contester là-dessus pour le moment, quoique cela paraisse bien étrange. Je veux bien admettre, ou du moins ne pas nier que les idolâtres croyaient généralement l'unité de Dieu; la difficulté n'est pas pour cela résolue. En effet, ne pas croire l'unité de Dieu n'est pas la seule erreur possible en matière de foi, et l'unité de Dieu n'est pas la seule vérité de foi qui soit en contradiction avec l'idolâtrie. Quelque chose que l'on puisse dire, il faudra bien avouer que l'idolâtrie ou le culte des idoles était un culte criminel rendu à des idoles que l'on honorait comme des divinités ou comme représentant des divinités. Sur quoi je propose ce dilemme : Ou les nations idolâtres croyaient que les objets de leur culte étaient des dieux, ou elles ne le croyaient pas ; si elles croyaient que c'étaient des dieux, elles erraient sur l'unité de Dieu; si elles ne le croyaient pas, elles pensaient donc qu'il est permis de rendre les honneurs divins, d'offrir des sacrifices à des créatures, et ainsi elles niaient ce premier précepte du Décalogue : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies;* précepte qui devait sans doute se trouver dans le dépôt des vérités primitivement révélées. Je dis qu'elles le niaient; car elles ne regardaient pas le culte des idoles comme une chose illicite et criminelle. *Peccatum hoc*, dit saint Thomas, *commune erat apud gentes, et non reputabatur*.

« Il serait inutile de dire qu'il n'y avait point erreur commune, puisque chaque nation avait ses dieux et son culte différent de celui des autres nations ; car l'erreur ne consistait pas à adorer les dieux de Rome plutôt que ceux de la Grèce ou de l'Egypte; l'erreur commune aux Romains, aux Grecs, aux Égyptiens et à toutes les nations idolâtres, a été de rendre à la créature l'honneur qui n'est dû qu'au Créateur et qu'il s'est réservé à lui seul. Voilà l'erreur que l'Apôtre reproche aux gentils. *Ignorantes Deum, iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis.* Quelques noms que les hommes donnassent à leurs dieux, l'erreur était la même, comme l'objet de leur culte était le même. C'est constamment le démon qui se faisait adorer sous ces différentes figures et ces différentes dénominations: *Omnes dii gentium dæmonia.* (Psal. 95, 5.) Dira-t-on que le premier objet du culte des nations, celui à qui s'adressaient les sacrifices, était toujours le vrai

Dieu ? Pourquoi donc l'Apôtre dit-il : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, non Deo?* (1 Cor, 10, 20.)

« Il n'en est donc pas du crime de l'idolâtrie comme des autres crimes des nations, dont l'Apôtre fait une si hideuse énumération. Ces crimes étaient les crimes des individus ; ils ne supposaient aucune croyance commune erronée, et la preuve en est qu'ils étaient réputés crimes par les gentils eux-mêmes, qu'on se cachait pour les commettre, et que les lois les punissaient. Mais peut-on en dire autant de l'idolâtrie ? Quelle loi, excepté celle des Juifs, l'a jamais défendue ? Dans quel pays n'était-elle pas au contraire publiquement autorisée et commandée par les lois? Ne faisait-on pas un crime aux Chrétiens de ce qu'ils désobéissaient aux lois en refusant d'adorer les dieux de l'empire? On comprend que des individus puissent pécher contre leurs croyances les plus intimes, mais il est inconcevable que toutes les nations aient à l'envi fait des lois pour autoriser, pour commander un culte condamné par la croyance commune et par cette tradition perpétuelle, universelle, qu'on nous donne pour conservatrice fidèle et infaillible des vérités primitivement révélées.

« Voyons maintenant de quelle manière l'auteur répond à quelques objections qu'on lui a faites ou qu'il se propose lui-même. « On a « prétendu d'abord, dit-il, que, suivant un « passage de l'Epître de saint Paul aux Romains, les philosophes seuls avaient la notion de l'unité de Dieu, ignorée de la plus « grande partie du genre humain. Ceux qui « ont imaginé cette difficulté auraient dû prendre la peine de lire le passage de saint Paul. » Ceux qui ont cru que, dans le passage de saint Paul dont l'auteur veut parler, l'Apôtre attribue la connaissance de l'unité de Dieu, non à la multitude des gentils, mais seulement aux philosophes, ou aux sages d'entre les gentils, sont presque tous les commentateurs de l'Epître aux Romains, et à leur tête plusieurs saints Pères et saint Thomas d'Aquin. Cette autorité n'en impose pas à l'auteur : il s'en débarrasse fort lestement en disant qu'ils auraient dû lire le passage de saint Paul, ce qui suppose qu'ils ne l'ont pas lu. Cette réponse pourra paraître à plusieurs lecteurs passablement arrogante. Pour moi, j'aime mieux y voir une preuve de la modestie singulière de l'auteur, qui pousse la condescendance jusqu'à prendre la peine de répondre à une objection fondée sur un passage que ses adversaires n'ont pas lu.

« Comme je ne suis pas du sentiment de l'auteur sur le sens de ce passage, pour ne pas m'exposer au même reproche, je dois commencer par lui prouver que j'ai lu le passage, et je crois ne pouvoir en donner de preuve plus convaincante que de le transcrire. Je l'interpréterai ensuite avec saint Thomas qui en a parlé fort au long, et j'espère que l'auteur restera convaincu que ce saint docteur avait lu le passage en question, pour le moins aussi bien que lui. Voici le passage en entier : *Non erubesco Evangelium* (1). *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primùm, et Græco. Justitia enim Dei* in eo *revelatur ex fide in fidem; sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum* eorum *qui veritatem Dei in injustitiâ detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ; dicentes* enim *se esse sapientes, stulti facti sunt.*

(1) « Je ne rougis point de l'Evangile ; car « il est la vertu de Dieu pour sauver tous ceux « qui croient, le Juif d'abord, et ensuite le « gentil. En effet, la justice que Dieu communique à l'homme y est révélée comme venant « de la foi et se perfectionnant dans la foi, selon ce qui est écrit : Le juste vit de la foi. « Et l'on y découvre aussi la colère de Dieu « qui éclatera du ciel contre toute l'impiété « et l'injustice de ces hommes qui retiennent « la vérité de Dieu dans l'iniquité ; parce qu'ils « ont eu la connaissance de ce qui peut se découvrir en Dieu, Dieu le leur ayant manifesté : car ce qu'il y a d'invisible en lui est « devenu visible et manifeste depuis la création du monde, ainsi que sa puissance éternelle et sa divinité ; de sorte qu'ils sont « inexcusables, parce qu'ayant connu Dieu, « ils ne l'ont point glorifié comme Dieu et ne « lui ont point rendu grâces; mais ils se sont « égarés dans leurs vains raisonnements, et « leur cœur insensé a été rempli de ténèbres. « Ainsi, en s'attribuant le nom de sages, ils « sont devenus fous, au point de transférer « l'honneur dû au Dieu incorruptible à l'image « d'un homme corruptible et à des figures « d'oiseaux, de quadrupèdes et de reptiles. « c'est pourquoi Dieu les a livrés aux désirs « de leurs cœurs.... Et après avoir connu la « justice de Dieu, ils n'ont pas compris que « ceux qui font ces choses sont dignes de « mort. »

Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.. qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. (Rom. 1, 16, 32.)

« L'auteur, je pense, sera convaincu que j'ai lu le texte. J'ai lu également sa traduction, et j'ai remarqué que les mots que j'ai soulignés dans le texte ont été omis par le traducteur. Cependant quelques-uns de ces mots ne sont pas inutiles pour saisir le vrai sens du passage. Il y aurait d'autres remarques encore plus importantes à faire sur cette traduction. Je pourrais demander, par exemple, si ces mots, *revelatur ex fide in fidem*, peuvent signifier, *est revélée par le moyen de la foi*. Si ces mots, *quod notum est Dei manifestum est in illis*, sont bien rendus par, *la connaissance de Dieu est en eux*, etc. Mais pour ne pas trop m'étendre, je me bornerai à examiner si ce passage interprété par saint Thomas est favorable au nouveau système qu'on décore du nom de doctrine d'autorité.

« L'auteur conclut de ce passage de l'Apôtre, 1° que les gentils en général avaient la connaissance de Dieu et une connaissance fondée sur la foi; 2° qu'ils connaissaient également la loi divine ou *la justice de Dieu*, expression, dit-il, qui n'aurait aucun sens, *s'ils avaient ignoré la loi d'après laquelle la justice de Dieu devait les juger*. Je vais montrer que saint Thomas, interprétant l'Apôtre, fait voir, 1° que la connaissance de Dieu, dont parle saint Paul, est bornée aux sages d'entre les gentils, et qu'elle ne peut s'entendre d'une connaissance acquise par la foi, mais d'une connaissance naturelle fondée sur la raison; 2° que l'Apôtre ne donne nullement à entendre que ceux dont il parle aient eu connaissance de la loi divine révélée, et que, s'ils connaissaient *la justice de Dieu*, ils la connaissaient de la même manière que l'existence même de Dieu, par leur raison qui leur enseignait que Dieu possède nécessairement toutes les perfections; d'où il suit que ce n'est que par un aveuglement volontaire qu'ils n'ont pas su en conclure qu'ils se rendaient dignes des plus terribles châtiments, en se livrant aux abominations que décrit l'Apôtre, ou simplement en ne les condamnant pas.

« Et d'abord, saint Thomas n'entend point le passage de saint Paul des gentils en général, mais seulement des sages d'entre les gentils, c'est-à-dire des philosophes, ou de ceux qui avaient l'esprit cultivé par l'étude. En effet, interprétant ces paroles de l'Apôtre : *Revelatur enim ira Dei de cœlo*, etc., voici comment il explique la pensée du Docteur des nations : L'Apôtre, dit-il, reconnaît que les sages d'entre les gentils ont eu une vraie connaissance de Dieu; ensuite il déclare qu'ils se sont rendus coupables d'impiété et d'injustice; enfin il dit qu'ils se sont attiré la colère de Dieu : « Primò consentit quòd *sapientes* gentilium « de Deo cognoverunt veritatem; secundò attendit quòd in eis impietas et injustitia fuerint; tertiò quòd iram Dei incurrerint. » Saint Thomas dit ensuite que ce que les sages des gentils ont connu de Dieu, ils l'ont connu, non par la révélation, mais par la raison. « Quia *quod notum est Dei* (1), id est, quod est « cognoscibile de Deo ab homine per rationem, « *manifestum est in illis*, id est, manifestum est « eis ex eo quod in illis est, id est, ex lumine « intrinseco. » Et encore : « Hujusmodi cognitionem habuerunt (2) per lumen rationis; « (Psalm. 4, 6.) *Multi dicunt : Quis ostendit « nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* »

« Mais saint Paul dit que c'est Dieu lui-même qui leur a manifesté ces vérités, *Deus enim illis manifestavit*, — Sans aucun doute, l'homme ne peut connaître aucune vérité, si Dieu ne la lui manifeste. La lumière de notre raison n'est-elle donc pas une lumière divine? Outre la révélation sur laquelle sont fondées les connaissances que nous devons à la foi, Dieu, dit saint Thomas, a deux manières de nous instruire qui n'appartiennent pas à la foi. « Deus « autem (3) dupliciter aliquid homini manife-

(1) « Parce que ce qu'on connaît de Dieu, « c'est-à-dire ce que l'homme peut connaître « de Dieu par la raison, est manifesté en eux, « c'est-à-dire leur est manifesté par ce qui « est en eux, savoir par une lumière intérieure. »

(2) « Ils ont eu cette connaissance par la « lumière de la raison. Plusieurs, dit le Psalmiste, demandent qui leur découvrira ces « biens. La lumière de votre visage, Seigneur, « a été gravée sur nous. »

(3) « Dieu manifeste quelque chose à l'homme « en deux manières : d'abord en mettant en « lui une lumière intérieure par laquelle il « connaît; selon ce mot du Psalmiste : Envoyez votre lumière et votre vérité; ensuite « en faisant voir des signes extérieurs de sa « sagesse, savoir les créatures qui tombent « sous les sens; suivant cette parole : Il a répandu sa sagesse sur toutes ses œuvres. C'est « ainsi que Dieu s'est manifesté aux sages, ou « en répandant sa lumière en eux, ou en leur

« stat, uno modo infundendo lumen interius « per quod homo cognoscit; (Ps. 42, 3.) « *Emitte lucem tuam et veritatem tuam;* alio « modo proponendo suæ sapientiæ signa exte- « riora, scilicet sensibiles creaturas; (Eccli. 1, « 10.) *Effudit illam* (scilicet sapientiam) *super « omnia opera sua.* Sic ergo illis Deus manife- « stavit, vel interiùs infundendo lumen, vel « exteriùs proponendo visibiles creaturas, in « quibus sicut in quodam libro Dei cognitio « legeretur. » On le voit, le saint docteur n'a pas recours, pour expliquer cette connaissance des gentils, à une tradition perpétuelle et universelle, conservatrices des vérités révélées. Il ne connaissait vraisemblablement pas cette tradition telle qu'on nous la dépeint. Il est du moins certain qu'il n'en est fait aucune mention dans ses ouvrages. Ici il attribue tout à la raison des sages et à la manifestation que Dieu leur a faite de lui-même par ces œuvres extérieures et par la lumière qu'il a mise en eux. Écoutons-le encore : « *Per ea quæ facta « sunt* (1). Sicut enim ars manifestatur per « artificis opera, ita et Dei sapientia manifes- « tatur per creaturas; (Sap. 13, 5.) *A magni- « tudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter « poterit Creator horum videri.* »

« On voit par ces citations que saint Thomas n'a pas cru qu'il fût question, dans ce passage de saint Paul, d'une connaissance de Dieu fondée sur la révélation et généralement répandue parmi les gentils. Il est clair qu'il a, comme la foule des commentateurs, entendu les paroles de l'Apôtre d'une connaissance acquise par un usage de la raison, dont la multitude n'est guère capable. Je ne puis croire que l'auteur veuille éluder l'autorité de saint Thomas comme il a fait celles de ses adversaires, et qu'il soutienne sérieusement que ce saint docteur n'a pas lu le passage de saint Paul. Il ne lui reste donc qu'à soutenir que ce passage n'a pas été compris de saint Thomas, et que c'est lui qui en a l'intelligence. C'est au lecteur à choisir entre ces deux autorités. Pour moi, mon choix est bientôt fait, et je me tiens à saint Thomas. Je crois que celui qui ne connaîtra le passage de saint Paul que par la traduction qu'en donne l'auteur, en aura une idée tres-imparfaite.

« Saint Thomas n'admet pas davantage que les gentils aient eu connaissance de la loi divine révélée, et cependant il trouve un sens aux paroles : *Cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Selon lui, elles signifient simplement qu'ayant connu par la raison que Dieu est juste et possède toutes les perfections, ils n'ont point voulu comprendre qu'il punirait leurs péchés : *Cùm cognovissent Deum justum et omnes perfectiones habentem, non crediderunt quòd pro peccatis pœnam inferret.* Ces péchés qu'ils devaient juger dignes de châtiments étaient les péchés contre la loi naturelle, loi que saint Thomas et tous les théologiens distinguent de la loi révélée et enseignent être connue par les lumières de la raison.

« L'auteur dit que « les superstitions idolâ- « triques, et les désordres qu'elles enfantaient, « n'étaient point un crime particulier aux « philosophes, mais le crime commun des na- « tions païennes » (p. 138); et il en conclut que l'Apôtre parle des gentils en général et pas seulement des philosophes. Il me semble que cette conséquence n'est pas légitimement déduite. Il est bien vrai que l'idolâtrie et les désordres qui s'ensuivaient étaient le crime commun des nations païennes; mais ce n'en était pas moins un crime particulièrement imputable aux philosophes et à la partie éclairée des nations, et c'est avec raison que saint Paul le leur reproche. On sait assez que c'est la partie éclairée d'une nation qui dirige toute la nation, et que la multitude ignorante se règle d'après l'exemple des sages ou de ceux qu'elle croit tels. C'est à cette multitude aveugle que s'adresse ailleurs l'Apôtre lorsqu'il dit : *Ad simulacra muta, prout ducebamini, eunles.* Ces paroles sont une sorte d'excuse pour atténuer la faute. Ici il s'adresse à ceux qui étaient faits pour conduire et donner l'exemple; il reproche à ceux qui ont eu la connaissance de Dieu d'avoir retenu injustement la vérité captive, parce que c'était pour eux un devoir de la confesser, de la publier, de la faire connaître généralement, ce qui aurait pu prévenir les désordres. Au lieu de cela, ils se sont enorgueillis d'une connaissance qui ne devait pas être purement spéculative; ils se sont perdus dans leurs propres pensées, et leur prétendue sagesse est devenue une véritable folie; ils sont tombés eux-

« montrant extérieurement les créatures visi- « bles, afin qu'ils y lussent comme dans un « livre la connaissance de Dieu. »

(1) « Par les choses qui ont été faites; car « comme l'art de l'ouvrier se manifeste par ses « ouvrages, de même la sagesse de Dieu se « manifeste par les créatures. En effet, le « Créateur se montre et se fait connaître « dans la grandeur et la beauté de la créa- « tion. »

mêmes dans tous les égarements dont ils devaient préserver les autres. C'est donc à eux que devaient s'adresser les reproches et les menaces.

« (Pag. 139) : « Les théologiens Cartésiens « ont cru trouver aussi, dans un autre passage « de saint Paul, une objection contre la né- « cessité de la tradition et de la révélation « elle-même. » L'auteur donne la traduction d'un long passage de l'Apôtre, traduction sur laquelle il y aurait aussi quelque remarque à faire, mais je m'en abstiens. Ce qu'il y a de principal dans ce passage et ce qui doit fixer notre attention, est que l'Apôtre dit que les gentils, sans avoir la loi, font naturellement les œuvres de la loi, et montrent ainsi qu'ils ont l'œuvre de la loi écrite dans le cœur. « *Cùm enim gentes quæ legem non habent, na-* « *turaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi* « *legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui* « *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* » S'il y a des théologiens Cartésiens qui ont trouvé dans ce texte un argument contre la nécessité de la tradition pour conserver et transmettre les vérités révélées, je conviens qu'ils ont eu tort; car il n'y est fait aucune mention ni directe ni indirecte de la tradition, pas plus que de la révélation primitive. Au reste, l'auteur ne nomme aucun théologien qui ait donné dans ce travers, et son assertion est du nombre des assertions vagues et dénuées de fondement qui se trouvent si fréquemment dans son ouvrage. Je conviens également que la loi dont il est question dans ce passage est la loi donnée aux Juifs par le ministère de Moïse, c'est-à-dire la partie morale de la loi, ou le Décalogue écrit sur la pierre; car ce n'est sans doute pas des cérémonies prescrites par la loi que veut parler l'Apôtre, lorsqu'il dit que, sans avoir la loi, les gentils faisaient naturellement ce qui est prescrit par la loi. Ce passage peut s'entendre, et a été entendu par beaucoup d'interprètes, des gentils convertis à la foi; mais tous les interprètes, sans exception, conviennent qu'on peut aussi l'entendre des gentils en général, qui, n'étant point soumis à la loi révélée aux Juifs et qu'ils ne connaissaient pas, devenaient coupables s'ils n'observaient pas la loi morale écrite dans leur cœur et qu'ils pouvaient connaître par la raison, loi morale qui était nécessairement d'accord avec le Décalogue, ou avec la loi morale que le doigt même de Dieu avait écrite sur les deux tables.

« Écoutons toujours saint Thomas. C'est notre guide, beaucoup plus sûr que Descartes; et si ses principes s'accordent avec ceux des théologiens que l'auteur appelle Cartésiens, nous pourrons en conclure que ces théologiens Cartésiens sont de très-bons Catholiques. « *Cùm enim gentes quæ legem non habent*, scilicet « divinam, quam non acceperunt; non enim « Gentibus data est lex, sed Judæis..... *natu-* « *raliter faciunt quæ sunt legis*, id est, quæ lex « mandat, scilicet quantùm ad præcepta mo- « ralia, quæ sunt de dictamine rationis natu- « ralis (1). » Peut-on dire plus clairement, plus expressément que les préceptes que remplissent ceux qui n'ont pas la loi écrite sont les préceptes moraux qui leur sont connus par la lumière naturelle de leur raison? Le saint Docteur explique ensuite comment on doit entendre le mot *naturaliter;* il donne les deux interprétations qu'admettent les Catholiques, et fait voir que cette expression n'exclut pas la grâce, laquelle n'est pas moins nécessaire pour observer les préceptes de la loi naturelle que ceux de la loi écrite. « *Naturaliter*, id est, « per naturam gratiâ reformatam; loquitur « enim de Gentibus ad fidem conversis, qui « auxilio gratiæ Christi cœperunt moralia legis « servare. Vel potest dici *naturaliter*, id est, « per legem naturalem ostendentem eis quid « sit agendum, secundùm istud (Ps. 4, 6): « *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domi-* « *ne;* quod est lumen rationis naturalis, in quâ « est imago Dei; et tamen non excluditur « quin necessaria sit gratia ad movendum af- « fectum (2). » C'est ainsi que saint Thomas, lorsqu'il parle des gentils non convertis et de leurs connaissances en matière de Religion et de morale, explique tout par la loi naturelle et par cette lumière divine qui est en l'homme, c'est-à-dire par cette raison individuelle qu'on

(1) « Car lorsque les gentils qui n'ont pas la « loi, savoir la divine, qu'ils n'ont pas reçue, « puisque ce n'est point à eux, mais aux Juifs, « qu'elle a été donnée..... pratiquent naturel- « lement ce qui est de la loi, c'est-à-dire ce que « commande la loi, quant aux préceptes mo- « raux dictés par la raison naturelle. »

(2) « Naturellement, c'est-à-dire par la na- « ture soutenue de la grâce : car il parle des « gentils convertis à la foi, qui, avec le secours « de la grâce de Jésus-Christ, ont commencé « à observer les préceptes moraux de la loi. « On peut encore dire : Naturellement, savoir « par la loi naturelle, qui leur montre ce qu'il « faut faire, ainsi que le dit le Psalmiste : La « lumière de votre visage, Seigneur, a été im- « primée en nous, c'est-à-dire la lumière de

veut nous présenter comme incapable de toute connaissance certaine. On ne trouvera nulle part que ce saint docteur ait dit ou pensé que les gentils avaient la vraie foi, et qu'il existait chez eux une autorité visible, interprète infaillible de la révélation et enseignant la vraie Religion. C'est là un dogme qui n'était connu ni de lui ni de ses contemporains.

« Voyons maintenant comment l'auteur raisonne sur ce passage de saint Paul. « Les paroles de l'Apôtre, dit-il, supposent que les « gentils connaissaient la Religion nécessaire « au salut : *Ceux qui ont vécu sans la loi, périront « sans la loi.* Mais, s'ils devaient être condamnés ou périr pour n'avoir pas suivi cette « autre loi que tous connaissaient, cette loi « universelle comprenait donc tous les dogmes « et les préceptes indispensables pour *vivre* ou « être sauvés, et par conséquent le dogme de « l'unité de Dieu, sans lequel la véritable foi « ne saurait exister. » Remarquons d'abord que l'Apôtre n'a pas dit : Ceux qui ont *vécu* sans la loi ; mais : Ceux qui ont péché sans la loi. La différence est bien notable, car on pouvait vivre sans la loi, et ne pas périr ; mais je suppose volontiers que ce changement fait au texte de saint Paul est une distraction de l'auteur. Quant à son raisonnement, je ne saurais voir qu'il existe une liaison entre l'antécédent et le conséquent. De ce que l'on pèche en n'observant pas une loi, et de ce que l'on est puni pour l'avoir transgressée, il ne suit pas nécessairement que cette loi renferme tous les préceptes qu'il est nécessaire d'observer pour parvenir à la vie éternelle. Cette loi que les gentils connaissaient, ou qu'il était en leur pouvoir de connaître, et que nous pouvons bien, avec saint Thomas et avec la foule des théologiens, appeler *loi naturelle*, non seulement parce qu'elle est conforme à notre nature, comme l'auteur l'insinue, mais encore par opposition à la loi révélée, qui est également conforme à notre nature, cette loi, dis-je, était universelle et particulière. Elle obligeait tous les hommes et chacun en particulier. Quiconque ne l'observait pas était digne de la mort éternelle ; mais il ne s'ensuit nullement qu'elle contînt tout ce qui était nécessaire pour parvenir à la vie. Celui qui prendra du poison mourra infailliblement ; s'ensuit-il que pour conserver la vie, il suffise de s'abstenir de prendre du poison ?

« Si les nations qui, par leur faute, avaient perdu la connaissance de la révélation, avaient été fidèles à cette loi naturelle que la raison leur enseignait, Dieu, sans doute, leur aurait donné ce qui était encore nécessaire pour parvenir à la vie, et nous croyons que les particuliers qui l'ont exactement observée, ce qui, comme le remarque saint Thomas, n'a jamais pu avoir lieu sans la grâce, ont obtenu des grâces ultérieures dont ils avaient besoin pour se sauver. Nous le croyons, fondés sur le double ordre de Providence générale et de Providence particulière que reconnaît saint Augustin et que reconnaissent avec lui tous les théologiens catholiques. Cette loi universelle naturelle prescrivait le culte d'un seul Dieu, dont on pouvait avoir la connaissance par la lumière de la raison ; mais cela ne suffisait pas pour avoir la *véritable foi*. Aussi persisté-je à soutenir, désirant que l'auteur ne se scandalise pas de mon assertion, que les gentils n'avaient pas la véritable foi, et qu'il n'y avait point chez eux d'autorité infaillible et visible, dépositaire des vérités révélées et chargée de les enseigner.

« Veut-on, ajoute l'auteur, n'entendre ce « passage que des préceptes moraux? alors « tout ce qui en résulte, c'est qu'il existe chez « toutes les nations une loi morale, que cette « loi est naturelle ou conforme à la nature, « qu'elle est écrite dans le cœur, que la conscience la reconnaît et lui rend témoignage. « Conclure de là que cette loi, pour être connue, n'a pas besoin d'être enseignée, c'est « faire dire à l'Apôtre ce qu'il n'a point dit, « c'est ajouter une opinion à une vérité cer « taine. » (Pag. 141.) En changeant à son gré la signification des mots, et en les détournant de l'acception communément reçue, il n'est point de fausseté qu'on ne puisse établir sur les autorités les plus respectables, point de vérité qu'on ne puisse attaquer et renverser par les mêmes moyens. Il plaît à l'auteur d'entendre par *loi naturelle* une loi conforme à la nature ; partant de ce principe, rien n'est plus facile que de démontrer que toutes les lois sont naturelles ; car une loi qui ne serait pas naturelle en ce sens, c'est-à-dire qui ne serait pas conforme à la nature, ne serait pas une loi, puisque toute loi impose une obligation, et qu'il répugne qu'un être puisse avoir l'obligation d'agir contre sa nature. Que deviennent

« la raison naturelle dans laquelle paraît l'i« mage de Dieu ; ce qui n'exclut pas la né« cessité de la grâce pour émouvoir le cœur. »

donc les distinctions que les saints Pères, les théologiens, et généralement tous les écrivains qui ont traité cette matière ont mises entre les lois? Tous ont parlé de la loi naturelle comme d'une loi distinguée des autres, et pourtant personne que je sache, n'a enseigné qu'il existe des lois non conformes à la nature, ou non naturelles, dans le sens que l'auteur donne à cette expression. Ce n'est donc plus l'enseignement, mais le langage même qu'il s'agit de réformer. En attendant que cette réforme soit autorisée par le consentement commun, il nous sera libre de penser et de parler comme les docteurs de l'Eglise ont pensé et parlé jusqu'ici. Voyons donc quelle est leur doctrine sur ce point.

« Saint Thomas nous enseigne que la loi naturelle se borne à l'enseignement des vérités pratiques que la raison naturelle fait connaître. « Illud solum est de lege naturali quod « ratio naturalis suadet (1). » (In S. Matth. c. 33.) Suivant ce saint docteur, ce qui appartient à la foi est *surnaturel*, et ne peut être dit naturel qu'improprement. « Fides est supra co- « gnitionem rationis naturalis.... propriè na- « turalia dicuntur quæ ex principiis naturæ « causantur (2). » (4, d. 17, 9, 3, sol. 2.) Ailleurs il nous explique d'une manière fort claire ce que c'est que la loi naturelle. « Cùm Psal- « mista (3) dixisset (Ps. 4): *Sacrificate sacrifi- « cium justitiæ;* quasi quibusdam quærentibus « quæ sunt justitiæ opera, subjungit: *Multi « dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quæ- « stioni respondens dicit: *Signatum est super « nos lumen vultûs tui, Domine;* quasi lumen « rationis naturalis, quâ discernimus quid sit « bonum et quid sit malum, quod pertinet ad « legem naturalem, nihil aliud sit quàm im- « pressio divini luminis in nobis. Unde patet « quòd lex naturalis nihil aliud est quàm par- « ticipatio legis æternæ in rationali creaturâ. » (1-2, q. 91, art. 2, 0.) Le maître qui nous enseigne cette loi naturelle est donc en nous-mêmes. C'est notre raison, c'est-à-dire cette lumière divine que Dieu a mise en chaque homme, *quæ illuminat omnem hominem*, qui nous fait discerner *ce qui est bien et ce qui est mal*. Si cette loi est écrite en notre cœur, il ne s'agit que de la lire, il ne faut pas la chercher au dehors. « Noli foras ire (1), in te ip- « sum redi, in interiore homine habitat veri- « tas. » (S. Aug. de verâ Relig. n. 72.)

« La loi dont parle saint Paul, dit encore « l'auteur, est universelle; elle appartient à « tous les peuples, *gentes*. S'ensuit-il que la « connaissance en soit innée dans chaque « homme? Pourquoi cette connaissance ne lui « viendrait-elle point comme celle de toutes « les autres vérités universelles, par la société « qui en conserve le dépôt? Une fois connue, « elle se grave dans le cœur, elle y devient un « sentiment; et c'est ce sentiment qui s'ap- « pelle conscience. » La loi dont parle saint Paul est une loi universelle qui appartient à tous les peuples, mais elle est en même temps une loi particulière qui appartient à tous les individus; et, si elle est écrite dans le cœur, ce n'est sans doute pas dans *le cœur de la société;* il faut bien que ce soit dans le cœur de chaque homme, à moins qu'il n'y ait aussi *un cœur général*, comme une raison générale. Je ne dirai pas pour cela que la connaissance de cette loi soit innée dans chaque homme. Il faudrait d'abord attacher une idée claire à ce mot *innée*, et c'est ce qu'on n'a pas fait jusqu'ici. Être écrit et être connu sont deux choses. Pour que ce qui est écrit soit connu, il faut qu'il soit lu. *Dicitur intelligere* (2), dit saint Thomas, *quasi intùs legere*. Ce n'est donc que lorsque le développement des organes permet à l'homme de faire usage de sa raison, qu'il est en état d'acquérir cette précieuse connaissance, et il ne l'acquiert qu'à proportion de la réflexion et de l'attention qu'il apporte à consulter cette lumière intérieure qui est en lui. De là vient que quoique personne, s'il a l'usage

(1) « La loi naturelle ne renferme que ce « qu'enseigne la raison naturelle. »

(2) « La foi est d'un ordre supérieur à la « connaissance que donne la raison natu- « relle..... Les choses naturelles sont propre- « ment celles qui naissent des principes de la « nature. »

(3) « Après que le Psalmiste a dit : Offrez « un sacrifice de justice, il suppose qu'on lui « demande quelles sont les œuvres de justice. « Plusieurs disent : Qui nous fera connaître « ces biens? Et répondant à cette question, il « dit : La lumière de votre visage, Seigneur, a « été imprimée en nous; comme pour faire « entendre que la lumière de la raison natu- « relle par laquelle nous discernons ce qui est « bien et ce qui est mal, objet propre de la loi « naturelle, n'est autre chose que la lumière « divine imprimée en nous. D'où il suit claire- « ment que la loi naturelle n'est autre chose « qu'une communication de la loi éternelle « faite à la créature raisonnable. »

(1) « N'allez point au dehors, rentrez en vous- « même : c'est dans l'intérieur de l'homme « qu'habite la vérité. »

(2) « On dit *intelligere*, avoir de l'intelligence, « c'est-à-dire *intùs legere*, lire dans l'inté- « rieur. »

de la raison, ne puisse ignorer les premiers principes de la loi naturelle, les passions, les préjugés de l'éducation et plusieurs autres causes peuvent entraîner dans des erreurs grossières sur les conséquences qu'une droite raison peut déduire de ces principes, comme nous savons par expérience qu'il est arrivé à des nations entières.

« L'auteur demande pourquoi cette connaissance ne viendrait pas à l'homme, comme celle de toutes les autres vérités universelles, par la société qui en conserve le dépôt? Je réponds qu'à proprement parler, aucune connaissance intellectuelle ne peut être produite en nous par une cause extérieure. Toute connaissance que l'on peut acquérir suppose une connaissance antérieure acquise, ou inhérente à notre raison, dont elle est le développement. Prenez-vous-y de telle manière que vous voudrez pour enseigner une vérité à quelqu'un, vous n'en viendrez jamais à bout, si vous ne partez d'une vérité ou d'un principe qu'il connaît déjà; d'où il suit que la première vérité ne peut pas être enseignée. Cette seule considération suffit pour prouver combien il est absurde de chercher le principe des connaissances de l'homme hors de l'homme ou de sa raison. Cette raison, principe divin, contient les principes de toutes les connaissances spéculatives ou pratiques que nous pouvons acquérir. Ce sont ces principes qui la constituent. Il est impossible de concevoir une intelligence qui ne comprenne rien, une lumière divine qui ne manifeste rien; et ce que cette intelligence comprend, ce que cette lumière divine manifeste, ne peut avoir ailleurs le principe de sa certitude. L'homme, dit saint Thomas, peut instruire un autre homme, comme un médecin peut rendre la santé à un malade. Les instructions de l'un peuvent être utiles ou nécessaires comme les remèdes de l'autre; mais le principe de certitude n'est pas plus dans celui qui instruit, ou dans ses instructions, que le principe de la santé n'est dans le médecin qui prescrit les remèdes, ou dans les remèdes mêmes. C'est aussi la doctrine de saint Augustin. J'ai déjà rapporté plusieurs passages de ces grands docteurs, qui prouvent l'accord de leurs principes, et j'en rapporterais beaucoup d'autres si ceux que j'ai déjà cités n'étaient pas suffisants. De crainte néanmoins que quelqu'un ne s'imagine que les passages cités peuvent être détournés de leur vrai sens, il ne sera pas inutile de transcrire ici en entier le dixième chapitre du dixième livre des Confessions de saint Augustin. Je me sers de la traduction adoptée par M. de La Mennais dans sa *Bibliothèque des Dames*: « Lorsque j'entends dire que sur chaque « chose on peut faire trois sortes de questions, « *si elle est, ce qu'elle est, quelle elle est;* je « retiens très-bien dans ma mémoire les ima- « ges des sons qui ont formé ces paroles, et je « sais qu'après avoir passé dans l'air, en y pro- « duisant un certain bruit, ces sons ont cessé « d'être et se sont évanouis. Mais ce n'est par « aucun de mes sens que j'ai connu les choses « dont ils sont les signes, et *je ne les ai vues nulle « part, si ce n'est dans mon esprit.* Ce ne sont « point leurs images, ce sont elles-mêmes que « j'ai renfermées dans ma mémoire. Qu'elles « me disent donc, s'il leur est possible, d'où « et comment elles y sont venues : car c'est « vainement que je visite tous mes sens, je ne « saurais trouver une seule de ces portes de « mon corps par où elles aient pu se frayer « une entrée.

« Mes yeux me disent : Si ces choses sont « colorées, c'est nous qui vous les avons fait « connaître ; mes oreilles me disent : Si elles « ont rendu quelque son, c'est par nous que « vous les connaissez ; le sens de l'odorat me « dit : Si elles ont exhalé quelqu'odeur, c'est « par moi qu'elles se sont ouvert un passage ; « le sens par lequel je goûte me dit de même : « Si elles n'ont point de saveur, ne m'inter- « rogez point sur ce qu'elles peuvent être : Si « elles ne sont point corporelles, me dit enfin « le toucher, je n'en ai senti aucune impres- « sion, et n'en ayant rien senti, je n'ai pu vous « indiquer ce qu'elles sont. Par où ces choses « sont-elles donc entrées dans ma mémoire, et « d'où ont-elles pu venir ? Je ne le sais en au- « cune manière : car lorsque je les ai apprises, « *ce n'est pas sur le témoignage d'un autre que « je les ai crues;* c'est dans mon propre esprit « que s'en est fait l'examen; *c'est là que je les ai « reconnues vraies,* et alors je les lui ai confiées « comme un dépôt qu'il devait me rendre cha- « que fois qu'il me plairait de le lui demander. « Ces choses étaient donc dans mon esprit « avant que je les eusse apprises, mais peut- « être n'étaient-elles point encore dans ma mé- « moire. Comment se fait-il donc que je les ai « reconnues à l'instant même où la parole me « les a montrées ? Pourquoi ai-je aussitôt ré- « pondu : *Cela est vrai, cela est ainsi;* si ce « n'est qu'en effet elles étaient déjà dans ma

« mémoire, mais tellement à l'écart et comme « enfoncées dans des antres si profonds, que « si quelqu'autre ne m'eût averti de les en ti- « rer, je n'en aurais peut-être jamais eu la « pensée. » Que l'on contredise donc ouvertement saint Augustin si l'on veut, mais qu'on cesse de nous le donner comme ayant enseigné une doctrine entièrement opposée à ses sentiments.

« L'auteur a cru trouver une parité entre la loi naturelle que l'Apôtre dit être écrite dans le cœur de l'homme, et la loi évangélique, *loi révélée*, dit-il, *et connue seulement par le moyen extérieur de l'enseignement;* cette loi étant également écrite dans nos cœurs, suivant la doctrine du même Apôtre. *Manifestati quòd* (1) *epistola estis Christi, ministrata à nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi : non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* (2 Cor. 3, 3.) « Si l'on conclut, ajoute l'au- « teur, du premier passage, que tous les hom- « mes trouvent en eux-mêmes la Religion pri- « mitive, il faudra conclure du second, que « tous les Chrétiens trouvent aussi la Religion « de Jésus-Christ en eux-mêmes, ce qui est ma- « nifestement faux. » (Pag. 142.) Je réponds 1° qu'aucun théologien catholique ne prétend que tous les hommes trouvent en eux-mêmes la Religion primitive; car tous les théologiens conviennent que la Religion primitive nécessaire au salut, ou nécessaire à l'homme pour parvenir à sa fin *surnaturelle*, contenait des dogmes dont la connaissance était au-dessus de sa raison, et qu'il ne pouvait par conséquent connaître que par la révélation et en soumettant sa raison. Il n'a jamais été possible de se sauver sans la foi : *Sine fide impossibile est placere Deo.* C'est l'Apôtre qui le dit ; les théologiens n'ont garde de le nier, et tous souscrivent à la doctrine que saint Thomas exprime en ces termes : « Necessarium « fuit homini (2) ad salutem quòd ei nota fie- « rent quædam per revelationem divinam, quæ « rationem humanam excedunt. » (1, q. 1, art. 1, 0) Tout ce que l'unanimité des théologiens et des interprètes conclut du passage de saint Paul, est que ceux qui, sans connaître la loi divine révélée aux Juifs, font ce qui est prescrit par la loi, en matière de morale, montrent que les préceptes de morale sont écrits dans leurs cœurs : *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Ce n'est point la loi divine révélée qui donne aux hommes cette connaissance; elle la suppose, du moins quant aux principes généraux qui sont le fondement de la loi naturelle. « Sicut gratia præsupponit naturam (1), « ita oportet quòd lex divina præsupponat « legem naturalem. » (1-2, q. 99, art. 2, ad 1.)

« 2° Si du premier passage nous concluons que tous les hommes trouvent en eux-mêmes la loi naturelle, j'avoue que du second il faut conclure également que tous les Chrétiens trouvent en eux-mêmes la loi évangelique ; cette conséquence me paraît bien déduite, et je ne puis la nier. — Mais cela est manifestement faux. — Vraiment j'aurais cru que cela était manifestement vrai, et je ne puis assez m'étonner que l'auteur paraisse convaincu du contraire. En effet, si la loi évangélique est écrite dans le cœur de tous les Chrétiens, comment serait-il possible que tous les Chrétiens ne trouvassent pas la loi évangélique en eux-mêmes ou dans leur cœur? Est-ce donc qu'elle y serait écrite sans s'y trouver? Pourquoi donc, demandera l'auteur, la loi naturelle pourra-t-elle être connue, sans le moyen de l'enseignement extérieur, puisque la loi évangélique ne le peut pas, quoiqu'elle soit également écrite dans le cœur? Je ne ferai pas de grands efforts pour trouver la réponse, car l'auteur me l'a suggérée lui-même sans s'en douter. Ne dit-il pas, avec Tertullien, que les hommes ne naissent pas Chrétiens, mais le deviennent? Voilà ma réponse à la question. Pour que la loi évangélique soit écrite dans le cœur d'un homme, il faut que cet homme soit Chrétien ; or il n'est pas Chrétien par naissance, il faut qu'il le devienne et il ne peut le devenir que par un moyen extérieur, par une régénération. C'est lorsqu'il devient Chrétien par le baptême, que la loi du Chrétien, la loi évangélique se grave dans son cœur ; cela est manifeste. Mais peut-on dire également que les hommes ne naissent pas hommes, *fiunt, non nascuntur homines?* Il faudrait qu'on pût le dire pour que la parité établie par l'auteur subsistât. Car si l'homme naît avec la nature

(1) « Il est manifeste que vous êtes la lettre « de Jésus-Christ, dont nous n'avons été que « les ministres, et qui est écrite, non avec de « l'encre, mais par l'esprit du Dieu vivant, « non sur des tables de pierre, mais sur des « tables de chair, qui sont vos cœurs. »

(2) « Il a été nécessaire à l'homme, pour par- « venir au salut, d'acquérir par la révélation « divine la connaissance de certaines choses « qui surpassent la raison humaine. »

(1) « Comme la grâce suppose la nature, de « même la loi divine suppose nécessairement « la loi naturelle. »

humaine, avec la raison humaine, comme cela est incontestable, on voit qu'on ne peut pas raisonner de la loi naturelle, ou inhérente à la nature humaine, comme de la loi évangélique, qui est ajoutée à la loi naturelle, qu'elle suppose et qu'elle perfectionne; la loi évangélique est une loi de grâce, et la grâce, dit saint Thomas, présuppose la nature; la loi évangélique est une loi divine, et la loi divine présuppose la loi naturelle. Mais la nature, la raison, la loi naturelle ne présupposent rien que l'action de Dieu, créateur de la nature et de la raison.

« J'avoue cependant qu'il se présente ici une difficulté, et je ne veux pas la dissimuler. Les enfants qui reçoivent le baptême aussitôt après leur naissance deviennent Chrétiens, et par conséquent, d'après ce qui vient d'être dit, ils doivent avoir la loi évangélique écrite dans le cœur. Or cela n'empêche pas que l'enseignement extérieur ne leur soit nécessaire pour connaître la loi évangélique; donc aussi, quoique la loi naturelle soit écrite dans le cœur de tous les hommes, l'enseignement extérieur peut leur être nécessaire pour la connaître.

« Pour résoudre cette objection, j'aurai encore recours à saint Thomas, qui est mon unique garant, par la crainte que j'ai qu'en citant un autre théologien, je ne rencontre, sans m'en douter, un théologien Cartésien; car je ne sais à quel signe je pourrais distinguer un théologien Cartésien d'un théologien non Cartésien. Si, pour n'être pas Cartésien, il faut adopter les idées de l'auteur, je crains bien qu'il ne soit très-difficile de trouver un théologien qui ne le soit pas. La seule chose qui me rassure pour saint Thomas lui-même, c'est qu'il vivait quatre siècles avant Descartes. Or, ce saint docteur nous enseigne que la loi évangélique est écrite dans le cœur des Chrétiens, non en ce sens que tout ce qui appartient à cette loi soit écrit dans nos cœurs, mais seulement en tant que la loi évangélique est une loi de grâce, une loi d'amour, loi qui n'est autre chose que l'opération de l'Esprit-Saint dans nos cœurs. Mais outre ce qui appartient principalement à la loi nouvelle, comme la foi, la grâce, l'amour, qui sont des choses intérieures, il y a plusieurs autres choses nécessaires comme dispositions à ce qui est intérieur, ou comme direction pour en faire bon usage; d'où il suit que la loi évangélique est en partie écrite et en partie non écrite dans nos cœurs. Écoutons saint Thomas, dont je ne fais qu'exposer la doctrine : « Id quod est potissimum « in lege novi Testamenti (1), et in quo tota « virtus ejus consistit, est gratia Spiritûs san- « cti, quæ datur per fidem Christi. Et ideò « principaliter lex nova est ipsa gratia Spiri- « tûs sancti, quæ datur Christi fidelibus..... « Habet tamen lex nova quædam sicut dispo- « sitiva ad gratiam Spiritûs sancti, et ad usum « hujus gratiæ pertinentia, quæ sunt quasi se- « cundaria in lege novâ, de quibus oportuit « instrui fideles Christi et verbis et scriptis, « tam circa credenda, quàm circa agenda. Et « ideò dicendum est quòd *principaliter lex no-* « *va est lex indita, secundariò autem est lex scri-* « *pta.* » (1-2, q. 106, art. 1, 0.) Je n'ai pas besoin de dire que par, *lex indita,* il faut entendre la loi écrite dans le cœur, et par, *lex scripta,* la loi extérieure; il suffit de lire l'article cité pour s'en convaincre. Le saint docteur confirme sa doctrine par l'autorité de saint Augustin : « Quid sunt leges Dei ab ipso « Deo scriptæ in cordibus (2), nisi ipsa præ- « sentia Spiritûs sancti, qui est digitus Dei, « quo præsente diffunditur charitas in cordi- « bus nostris, quæ plenitudo legis est et præ- « cepti finis? » (S. Aug. de Spirit. et Litt. c. 21.)

« Maintenant il est facile de résoudre l'objection, ou plutôt, elle est déjà résolue. L'enfant, en recevant le baptême, reçoit la grâce, le Saint-Esprit, l'amour de Dieu, la foi infuse; en un mot, tout ce qui est principal dans la loi évangélique, tout ce que l'enseignement extérieur ne peut pas donner; mais il n'a rien de ce qui appartient à la loi extérieure ou écrite; et il ne peut, dans l'ordre ordinaire,

(1) « Ce qu'il y a de plus essentiel dans la « loi du nouveau Testament, et ce qui fait toute « sa vertu, c'est la grâce du Saint-Esprit qui « est donnée par la foi en Jésus-Christ. C'est « pourquoi la loi nouvelle est principalement « la grâce même de l'Esprit-Saint donnée à « ceux qui croient en Jésus-Christ. Cependant « la loi nouvelle a certaines choses qui servent « comme de dispositions à la grâce du Saint- « Esprit et appartiennent à l'usage de cette « grâce. Ces choses ne sont que secondaires « dans la loi nouvelle; et il a fallu que les fi- « dèles de Jésus-Christ en fussent instruits de « vive voix et par écrit, pour avoir une règle « de foi et de conduite. Ainsi l'on doit dire « que la loi nouvelle est principalement une « loi intérieure, et secondairement une loi « écrite. »

(2) « Les lois de Dieu, écrites par lui-même « dans les cœurs, que sont-elles, sinon la pré- « sence même de l'Esprit-Saint, qui est le doigt « de Dieu, présence par laquelle est répandue « dans nos cœurs la charité, qui est la pléni- « tude de la loi et la fin du précepte? »

l'acquérir que par l'instruction, par la prédication de la parole, laquelle ne peut lui donner la foi, mais bien lui faire connaître ce qu'il doit croire. L'auteur nous dit que *c'est la parole qui a écrit la loi de* Jésus-Christ *dans les cœurs;* mais l'Apôtre nous enseigne que c'est l'Esprit-Saint : *Scripta Spiritu Dei vivi.* Si c'était la parole entendue qui donnât la foi, qui l'écrivît dans les cœurs, tous ceux qui entendraient la parole recevraient la foi, ce qui n'est pas; et ceux qui ne l'entendraient pas ne pourraient pas avoir la foi, ce qui est encore faux, puisque les enfants ont la foi avant de pouvoir entendre la parole.

« Mais dans quel sens entendrons-nous donc ces paroles de l'Apôtre : *Fides ex auditu?* Demandons-le à saint Thomas : « Dicendum « est quòd ad fidem duo requiruntur (1), quo- « rum unum est cordis inclinatio ad creden- « dum, et hoc non est ex auditu, sed ex dono « gratiæ ; aliud est determinatio de credibili, « et istud est ex auditu. » (In epist. ad Rom. 10.) Et ailleurs : « Fides principaliter est ex infu- « sione (2), et quantùm ad hoc per baptismum « datur ; sed quantùm ad determinationem « suam est ex auditu ; sic homo ad fidem per « catechismum instruitur. » (4, dist. 4, q. 2, art. 2, ad 3.) Qu'il y ait trois personnes en Dieu, c'est une vérité que le Chrétien ne peut apprendre que par la parole ; mais la foi qui lui fait croire cette vérité, ne lui vient point de cette parole, elle est produite dans son cœur par l'opération du Saint-Esprit ; elle appartient à cette loi écrite dans le cœur par l'Esprit du Dieu vivant. On peut juger de là qu'il est peu exact de dire, avec l'auteur, que *la loi évangélique est connue seulement par l'enseignement extérieur.* Ce que nous connaissons par l'enseignement extérieur n'est que la partie secondaire de la loi évangélique, comme le dit saint Thomas. La partie principale ne peut nous être enseignée que par l'Esprit de Dieu, qui la grave dans nos cœurs.

« Je crois avoir suffisamment démontré que si la loi naturelle et la loi de grâce sont dites toutes deux gravées dans nos cœurs, elles le sont d'une manière bien différente ; l'une tenant à notre nature et ayant son principe dans notre raison, que nous recevons de Dieu avec l'existence ; l'autre étant un don de Dieu ajouté à notre nature et qui nous élève à un état surnaturel. J'ajoute encore un passage de saint Thomas, qui explique la chose avec sa clarté ordinaire. « Dupliciter est aliquid inditum ho- « mini (1). Uno modo, pertinens ad naturam « humanam : et sic lex naturalis est indita ho- « mini. Alio modo est aliquid inditum homini, « quasi superadditum, per gratiæ donum, et « hoc modo lex nova est indita homini, non « solùm indicans quid sit faciendum, sed etiam « adjuvans ad implendum. » (1-2, q. 106, art. 1, ad 2.)

« Je dois peut-être demander pardon au lecteur de multiplier ainsi les citations de saint Thomas, ce qui peut paraître fastidieux ; mais je m'y vois en quelque sorte forcé pour faire voir combien cette théorie qu'on veut nous donner pour identique à la doctrine catholique s'en éloigne en effet. Si je ne m'appuyais que sur le raisonnement, on se contenterait de me répondre que je suis Cartésien, ce qui, aux yeux de bien des personnes, à qui on a fait un épouvantail de ce mot, paraîtrait une réponse péremptoire ; et si je citais des auteurs modernes, on dirait également qu'ils ont suivi les principes de Descartes. J'ai donc cru que je ne pouvais prendre de guide plus sûr qu'un docteur que l'Eglise honore depuis six siècles, ni m'appuyer sur une autorité moins suspecte.

« Quant à la solution que l'auteur donne à la troisième objection qu'il se propose, savoir que les Pères et les théologiens disent que les hommes ont vécu sous la loi de la nature depuis Adam jusqu'à Moïse, et admettent pourtant une révélation transmise par la tradition ; je me contenterai de dire que quiconque est tant soit peu versé dans la lecture des Pères et des théologiens avouera sans peine que dans leurs écrits, la loi de la nature est quelquefois

(1) « Il faut dire que deux choses sont re- « quises pour la foi : l'une est l'inclination du « cœur à croire ; ce qui ne vient pas de l'ouïe, « mais du don de la grâce ; l'autre est la déter- « mination de la vérité proposée à croire ; ce qui « vient de l'ouïe. »

(2) « La foi est principalement infuse, et « sous ce rapport elle est donnée par le bap- « tême : mais quant à la détermination des « choses à croire, elle vient de l'ouïe ; et c'est « ainsi que l'homme est disposé à la foi par les « instructions du catéchisme. »

(1) « L'homme a reçu deux sortes de biens « dans son intérieur : les uns appartiennent à « la nature humaine ; et c'est ainsi que la loi « naturelle est gravée en lui : les autres sont « ajoutées aux premiers par le don de la grâce; « et c'est ainsi que la loi nouvelle est gravée « dans l'homme, non seulement en lui indi- « quant ce qu'il doit faire, mais de plus en l'ai- « dant à le faire. »

prise dans un sens plus étendu, par opposition à la loi de Moïse et à la loi évangélique; mais ce serait mal raisonner que d'en conclure qu'ils ne la prennent jamais dans un sens plus strict, par opposition à toute révélation proprement dite. Je ne crois pas que l'auteur veuille soutenir sérieusement le contraire. Assurément, c'est par opposition à la révélation que saint Thomas a dit : « Illud solum est de lege natu- « rali, quod ratio naturalis suadet (1). »

« A la page 144 l'auteur parle *d'un argument bizarre* que le dogme du péché originel a, dit-il, fourni à quelques personnes contre la doctrine qu'il défend; et là-dessus il écrit une page de plaisanteries fort agréables. C'est sans doute bien fait d'égayer une discussion qui, de sa nature, est un peu sèche; mais comme, après tout, des plaisanteries, quelque spirituelles qu'on les suppose, ne sont pas des réponses, il est permis de voir si cet argument *bizarre* n'a pas aussi son côté sérieux. Supposons pour un instant qu'une cause physique quelconque affaiblisse tout d'un coup considérablement *la vue humaine, la vue générale*; supposons que la presque totalité du genre humain, au lieu de s'efforcer d'arrêter les progrès du mal que produit cette cause physique toujours agissante, en augmente au contraire par son imprudence l'intensité et la maligne influence; supposons enfin qu'un petit nombre d'individus mieux avisés, connaissant l'origine du mal qui en est résulté pour leur vue individuelle, s'appliquent à combattre cette cause désastreuse, s'efforcent par tous les moyens qui sont en leur pouvoir, de diminuer le mal déjà causé et d'en arrêter les progrès, en s'abstenant sagement des excès auxquels se livre une multitude insensée. Je le demande : dans les jugements qui doivent être fondés sur le bon état du sens de la vue, sera-t-il plus sage de s'en rapporter au jugement de la multitude qui a subi toutes les conséquences du mal, qu'à celui du petit nombre de ceux qui ont combattu ces conséquences et ont su s'en garantir? Je crois que la réponse à cette demande ne souffre pas de difficulté. Or l'application est facile.

« Le péché originel a porté un coup terrible à la raison humaine. Les enfants d'Adam sont nés dans un état bien différent de celui où ce père du genre humain avait été créé. Ce péché, passant de génération en génération, est une cause toujours existante, dont les effets sont toujours également funestes. Cependant, si les hommes, avec les secours qu'une miséricordieuse Providence ne leur a jamais refusés, s'étaient abstenus de joindre leurs propres péchés à celui dont ils avaient hérité, le mal aurait été beaucoup moindre, et du moins n'aurait pas fait des progrès : mais au lieu de cela, la presque totalité du genre humain s'est livrée sans retenue à la brutalité de ses passions, et la corruption du cœur allant toujours croissant, la raison a dû nécessairement s'affaiblir dans la même proportion. Il est dit des hommes avant le déluge : *Omnis caro corruperat viam suam;* et si nos livres saints ne disent pas en termes exprès la même chose de la généralité des hommes au temps de la venue du Messie, ils en disent assez pour nous le faire conjecturer. L'histoire appuie cette conjecture, et le tableau hideux que nous fait saint Paul de ceux qui se disaient et qu'on appelait sages ne nous permet guère le doute à cet égard. Cependant, de même qu'avant le déluge cette terre corrompue portait quelques *enfants de Dieu,* de même, après cette catastrophe, Dieu a eu des enfants, des amis, des prophètes, non seulement dans le peuple Juif qu'il avait choisi, mais même parmi les nations. « *Sapientia per nationes in animas sanctas* « *se transfert, amicos Dei et prophetas consti-* « *tuit* (1). » (Sap. 7, 27.) Ces hommes en très-petit nombre, comparativement à la masse du genre humain, ne se sont point abandonnés aux excès de corruption dont ils étaient témoins; ils ont fait usage de leur raison affaiblie, mais non éteinte, pour réprimer leurs passions; ils ont été fidèles aux mouvements intérieurs de la grâce, qui n'abandonne jamais entièrement l'homme, et qui va toujours croissant en proportion de sa fidélité à y correspondre; ils ont étudié leur propre cœur et cette nature où resplendissent si admirablement les perfections de la Divinité; ils se sont adressés avec ferveur à l'auteur de tant de merveilles, ont invoqué son secours, l'ont supplié de les éclairer. Serait-ce une chose si bizarre de dire que ce moyen de parvenir à la vérité est un peu plus sûr que celui de compter les voix d'une multitude abrutie? De tels hommes me paraissent plus faits pour instruire la multitude que pour en recevoir des leçons.

(1) « La loi naturelle ne renferme que les de- « voirs indiqués par la raison naturelle. »

(1) « La sagesse se communique aux âmes « saintes qui se trouvent parmi les gentils; elle « en fait des amis de Dieu et des prophètes. »

Je crois qu'un individu dont le cœur est pur et la volonté droite, en apprendra toujours plus par la méditation que n'en peut savoir une foule aveuglée par les passions. Le Saint-Esprit lui-même ne nous met-il pas dans la bouche ces paroles : *Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est?* Et cela doit être surtout vrai, si ceux qu'on suppose les maîtres, *docentes*, sont plongés dans une profonde ignorance, comme était la *raison générale* asservie à une *volonté générale* corrompue au dernier point.

« L'auteur termine ce chapitre en disant que les conséquences du système Cartésien et du système Janséniste sont *constamment parallèles*. Je ne comprends pas trop cela, et cette assertion me paraît aussi un peu bizarre. Mais je crois qu'il serait fort inutile de m'arrêter à la réfuter, puisque je n'ai pas entrepris la justification du système Cartésien, que j'ai toujours cru tout-à-fait étranger à la théologie. »

Objectio desumpta ex auctoritate quâ etiam post adventum Christi valebat apud Judæos synagoga.

Argumentum istud omni contentione animi premebat minister Claudius, nec unquàm posse enodari aut resolvi jactanter asserebat : ipsemet audiatur : « Selon le principe de M. de « Meaux, le peuple ne doit jamais s'ingérer « de juger après l'Eglise, ni avoir d'autre sen- « timent que le sien : s'il le fait, c'est un or- « gueil inconcevable, insupportable; c'est « donner lieu à des conséquences qui font « horreur, à des propositions affreuses et dé- « testables. Comment donc pouvoir, ce prin- « cipe demeurant en son entier, croire que, « dans les miracles de Jésus-Christ, il y avait « une pleine démonstration de la puissance « divine et une claire confirmation de sa mis- « sion, et par cette créance recevoir son au- « torité, c'est-à-dire être dans une formelle « contrariété de jugement avec leur Eglise? » (Réponse au discours de M. de Condom.) Antè adventum Christi jure docendi ac præcipiendi potiebatur synagoga, eâque in rebus ad Religionem pertinentibus auctoritate pollebat, cui nulla in mente Judæorum videbatur antecellere. In mundum venit unigenitus Dei Filius, plenus gratiæ et veritatis; cum hominibus conversatus est; stupenda et innumera passim edidit in divinæ suæ legationis probationem miracula; sed illum esse à Deo missum pernegabat synagoga, eumdemque tanquàm Mosaicæ osorem legis, nedùm divinis colendum honoribus, diris afficiendum judicavit suppliciis. Quid igitur tum facerent? Quasnam in partes inclinandum statuerent Judæi? Num Christi debuerunt concedere miraculis, ad eumque supplices se ut mundi redemptorem adjungere? Sed de ipsâ ejus miraculorum origine propositoque in iisdem fine movebatur ingens controversia. Ortum illa ducere à dæmonum consortio dictitabat synagoga, eòque spectare ut traditis à Moyse divinitùs inspirato mandatis detraheretur; ergo Ecclesiæ auctoritate si dirimendæ sint exortæ de fide ac moribus controversiæ, potuerunt prudenter ac debuerunt Judæi auctoritati synagogæ quæ jure possessionis gaudebat, obsequi in prophetiarum interpretatione et discussione miraculorum Christi.

Resp. 1° : Præmittere possemus, non synagogæ formali decreto condemnatum esse Christum Dominum, sed tumultuantibus invidiâque percitis sacerdotum principibus et scribis, atque seductâ et concitatâ impotentiùs plebe. Verùm quidquid sit de judicandi usurpatâ tunc formâ, totum ferè propositum argumentum evertitur vel nudâ solvendæ quæstionis expositione; delusus aut mentitus fuit Claudius, dùm hanc tribuit Catholicis sententiam, in alicujus auctoritate Ecclesiæ, absque ullâ temporis differentiâ positam fuisse vim dijudicandi enatas de rebus fidei controversias : verùm quæstionis statum accuratè pro more suo exposuit doctissimus Bossuetius : « Afin « qu'on pût faire un tel argument du temps « que Jésus-Christ fut condamné, inquit illus- « trissimus præsul, il faudrait dire qu'il n'y « avait aucun moyen extérieur ni aucune au- « torité certaine à laquelle on dût nécessaire- « ment céder : or qui peut le dire, puisque « Jésus-Christ était sur la terre, c'est-à-dire la « vérité même, qui paraissait visiblement au « milieu des hommes, le Fils éternel de Dieu, « à qui une voix d'en haut rendit témoignage « devant tout le peuple : *C'est ici mon Fils* « *bien-aimé, écoutez-le;* qui, pour confirmer « sa mission, ressuscitait les morts, guérissait « les aveugles-nés, et faisait tant de miracles « que les Juifs confessaient eux-mêmes que « jamais homme n'en avait tant fait. » Paucis interpositis sic prosequitur Bossuetius : « Je dis « qu'il n'y eut jamais aucun temps où il n'y « ait eu sur la terre une autorité visible et « parlante, à qui il faille céder. Avant Jésus- « Christ nous avions la Synagogue. Au point « que la Synagoge devait défaillir, Jésus- « Christ parut lui-même; quand Jésus-Christ

« s'est retiré, il a laissé son Eglise, à qui il a « envoyé son Saint-Esprit. Faites revenir Jé- « sus-Christ enseignant, prêchant, faisant des « miracles, je n'ai plus besoin de l'Eglise; « mais aussi ôtez-moi l'Eglise, il me faut Jé- « sus-Christ en personne, parlant, prêchant, « décidant avec des miracles et une autorité « infaillible. » (Conférence avec le ministre Claude.) Majori itaque in auctoritate sita est via doctrinæ dignoscendæ, quæ ad informandam nutriendamque fidem pertineat; sed alicui determinatæ Ecclesiæ sic fuit concessa præcellens docendi auctoritas, ut ab illâ divini instituti ratione excipiendum sit tempus *extraordinarii* quo Christus ipse in terris fungebatur, ministerii; tantâ enim, externisque tam evidentibus argumentis demonstratâ auctoritate eminebat, ut quidquid illi adversaretur ac repugnaret, hoc ipso reprobandum esset et abjiciendum.

2° Decretoriam hanc solutionem planè confirmat causamque suam funditùs perimit ipse Claudius, insigni confessione quam ab eo expressit manifesta invictaque veritas; en propriis ejus verbis enuntiata hæc confessio : « Dites tant qu'il vous plaira qu'il y avait dans « les miracles de Jésus-Christ une pleine dé- « monstration de la puissance divine et une « confirmation de la mission de Jésus-Christ, « et qu'il n'y avait rien à y opposer qu'une « malice grossière et une manifeste obstina- « tion : non seulement j'en suis d'accord, « mais j'en dirai encore plus que vous. Ce « n'est pas là le point de notre question. Jé- « sus-Christ était une autorité vivante et par- « lante; son autorité était la plus grande et la « plus infaillible qui fut jamais sur la terre, « puisqu'elle était divine; il la confirmait par « des miracles qui de droit devaient être reçus « par eux-mêmes, sans autre examen. Tout « cela est constant, mais la Synagogue con- « damnait ces miracles et rejetait l'autorité « de Jésus-Christ; et, selon le principe de « M. de Meaux, cette condamnation rendait « inutiles tant les miracles que l'autorité de « Jésus-Christ, et empêchait le peuple de le « recevoir. C'est à quoi il faut répondre. » (Réponse au discours de M. de Condom.) Habendum est semper præ oculis, in majori auctoritate quæ eminenter appareat, repositam credere Catholicos vim ac potestatem judicia proferendi, quibus internum et externum impendere oporteat obsequium, sive in aliquâ visibili Ecclesiâ resideret illa auctoritas, sive in extraordinario vigeret ministerio, quod Christo in terris visibiliter degenti fuerit reservatum; eo constituto principio et quæstionis statu, quem vel ignoravit, vel dissimulavit Claudius, ita possumus ex allatâ ipsius confessione argumentari. Miraculis Christi exhibebatur plena divinæ ipsius potentiæ et legationis demonstratio; impugnari non poterant, nisi crassâ ex malitiâ apertâque obstinatione; jure debuerunt, *prævio nullo examine* approbari; id omne constabat, neque ulla unquàm in terris extitit auctoritas, quæ conferri potuerit cum auctoritate Christi; hæc omnia confitetur expressè Claudius; quid ergo opus erat Judæis percontari à Synagogâ sollicitisque animis ab eâ inquirere quid sentiendum *credendumque* statueret de miraculis Christi? Numquid ad trutinam necesse fuit revocari et ad nutum synagogæ reprobari oportuit miracula, quæ semetipsis erant evidenter credibilia, absque ullo recipienda examine, et quæ nisi ex pravitate inexcusabili intolerandâque manifestè pervicaciâ, potuissent repudiari?

3° Prænuntiatum fuerat sanciendum esse novum fœdus, abrogandamque legem Mosaicam : quamcumque mentem induerint Judæi de stabilitate synagogæ, certè evidenti nullo monumento constare ipsis poterat, eam semper esse permansuram, nec unquàm suâ auctoritate spoliandam, neque enim evidentia pugnare potest cum divinâ revelatione : quâ ratione igitur credendum fuerit et obtemperandum synagogæ, miracula Christi evidenter divina, ejusque doctrinam iisdem evidenter demonstratam reprobanti? Nedùm aliunde Christus legi Mosaicæ inimicum se profiteretur, palam prædicabat *se non vênisse ut legem solveret, sed ut adimpleret : tota unum, aut unum apicem non præteriturum donec omnia fierent.* Hortabatur populum ut quæcumque legi consona præciperent qui super cathedram Moysis sedebant, studiosè faceret, traditamque à Moyse instituendæ vitæ rationem, suis ipse apertè institutionibus confirmabat et perficiebat. Quapropter nihil erat quo potuissent retrahi probabiliter Judæi à fide adhibendâ miraculis Christi, divinæ characterem auctoritatis tam fulgidâ luce præ se ferentibus.

4° Quo tempore Christus Jesus apparuit, Messiam expectabant Judæi tanquàm gentis suæ gloriam et salutem : hinc ad Joannem Baptistam, cujus admirandâ sanctitate commovebantur, miserunt qui ab eo sciscitarentur utrùm ipse foret Christus. Christum quoque

mox venturum confidebant Samaritani, ut ex colloquio mulieris Samaritanæ cum Jesu intelligitur; ipsos apud gentiles fama increbuerat prodituruin ex oriente eximium liberatorem : pro certo etiam futurum habebant Judæi, ut doctrinâ, dignitate et auctoritate Messias omnibus antecelleret. Prodiit æterna veritas, Deique sapientia Christus Jesus : perfectissimam, informandisque moribus aptissimam doctrinam disseminavit : absolutæ virtutis evidentibus eam confirmavit exemplis, nec verebatur dicere palam : *Quis arguet me de peccato?* Tam stupendis, tamque frequentibus miraculis coruscabat ejus ministerium, ut ex Judæis exclamarent multi : *Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* (Joann., cap. 7, v. 31.) Eorumdem miraculorum vim dùm infringere nitebantur Scribæ et Pharisæi, manifestis sese implicabant contradictionibus, adscribentes dæmoni prodigia, quibus æternum dæmoni indicebatur bellum, Quidquid igitur obloqueretur synagoga, potuit jure ac meritò Christus de Judæis ita pronuntiare : *Nunc autem non habent excusationem de peccato suo,* Joann. cap. 15, v. 21 et 24. Ex his omnibus potest ista confici demonstratio : In controversiis ad Religionem spectantibus, præstantiori auctoritati concedendum est ac fideliter obsequendum ; atqui auctoritate synagogæ erat indubitanter et evidentissimè præstantior auctoritas Christi : ergo ipsi erat concedendum et fideliter obsequendum. Ergo posito à Catholicis principio, et hactenùs à nobis vindicato, nedùm à Christo abducerentur Judæi, debuerunt potiùs ad illum adduci, eumque præ synagogâ quæ tunc deficiebat, audire, venerari, pronisque constanter sequi mentibus.

Instabis 1° : Noverant Judæi atque in Deuteronomio admonebantur, posse prophetam aliquem surgere qui portentum annuntiet, quod reipsà eveniat : illum tamen esse morte mulctandum, si populum voluerit à vero Deo ad falsum numen devocare. Sic gentem Israeliticam allocutus est Moyses : *Si surrexerit in medio tuî prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis ; non audies verba prophetæ illius aut somniatoris... Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur : quia locutus est ut vos averteret à Domino Deo vestro.* Divina quidem erant prorsùs Christi miracula ; at cùm divinam ipsorum originem inficiaretur synagoga, et se Deum esse non obscurè Christus assereret, quam assertionem, impietatis notâ dignam putabant Judæi, potuerunt, si valeant Ecclesiæ Romanæ de judice controversiarum placita, fidem abrogare Christo Jesu, et synagogæ tenaciter inhærere judiciis.

Resp. 1° : Ex allato Deuteronomii textu nullo modo consequitur posse in patrocinium erroris divinum efferri miraculum : mendacio nunquàm patrocinari potest summè verax ipsaque veritas Deus : cùm igitur fatente ac profitente Claudio ministro, ita essent evidenter divina, quæ à Christo tanquàm ab inexhausto fonte manabant miracula, ut de illorum veritate ac sanctissimâ origine dubitari nisi insulsè et protervâ cæcitate non posset, evidentissimum quoque erat, ad Christum Jesum non pertinere Moysis de præcavendo atque condemnando fallaci et impio prophetâ, sapientissimam admonitionem. Non de miraculo vero ac propriè dicto (ut datâ occasione exponamus memoratum locum Deuteronomii), loquebatur Moyses, sed de aliquâ prædictione signi seu portenti, quod quale sit, non declaravit. Potest autem fieri ut homo perspicax et in arte fallendi exercitatus, conjecturâ mirabilem aliquem eventum auguretur, vel temerè, et rem fortunæ committendo prænuntiet. Potest dæmon, naturali, sed humanam conditionem superante sagaciâ, subtilitate, velocitate, quædam hominibus inaccessa, vel propter locorum distantiam incognita, perspicere, atque permittente Deo, alicui pseudo-prophetæ suggerere : quod à miraculis Christi quantùm abhorreat, nemo, ut conclamant omnes Christiani, nisi obcæcatus et obduratus, non intelligit. 2° Notoriâ et absolutâ evidentiâ constabat Judæis unum esse Deum eumque solum esse adorandum, præscriptamque divinâ lege animadversionem mereri prophetam aut somniatorem qui post latentem quem pronuntiaverit eventum diceret : *Eamus et sequamur deos alienos.* Numquid notoriâ pariter et absolutâ evidentiâ constabat Judæis, voluisse Christum Judæos ad abjiciendum supremi numinis cultum, profitendamque idololatriam inducere? Unum esse Deum, eum solum, et quidem in spiritu et veritate adorandum totoque corde diligendum, docebat, prædicabat et inculcabat. Sese ut hominem illi penitùs subditum verbis et factis continuò profitebatur. Deum quidem se ipsum asseruit,

neque enim abdicare se divinitate poterat; numquid verò fundamentale hoc dogma quo tota innititur christiana Religio, celare debuit? Unum se cum Patre et Spiritu sancto Deum testificatus est; grande quidem et ineffabile mysterium! sed illæsâ, ut diximus, divinæ naturæ unitate traditum, sed iisdem confirmatum miraculis, quibus cætera omnia Religionis christianæ dogmata : miraculis, ut etiam atque etiam, confitente Claudio, inculcandum est, tantâ certitudine, tam splendido veritatis lumine præstantibus, ut nisi insanâ pertinaciâ potuerint illa dæmonibus adscribere Judæi : ergo quidquid secum ipso pugnans obloquatur Claudius, debuerunt tabescentis invidiâ synagogæ clamoribus, auctoritatem ac testimonium Christi anteponere.

Instabis 2° : Eodem modo debuerunt affici erga synagogam Judæi, quo erga constitutam à Christo Ecclesiam Christiani : fac aliquando patrari miracula quæ ipsos electos in errorem possent pertrahere, qualia futura sunt Antichristi, tum si primæ partes in dijudicandis controversiis tribuantur Ecclesiæ, portenta illa quantamcumque ad percellendos animos vim habere viderentur, statim oporteret concitatâ indignatione rejici, atque auctoritati Ecclesiæ firmiter adhærere : ita Judæi, eodem si ducti fuissent placito, debuissent miraculis Christi, quantumlibet per semetipsa commendandis, denegare fidem, eamdemque totam synagogæ adjudicare. Argumento, ut aiunt, ad hominem, Catholicos sic premendos arbitratus est Claudius : « Puisque ce n'est point mal « fait de s'élever contre la Synagogue pour « se soumettre à Jésus-Christ, lorsqu'il était « une autorité vivante et parlante qui se con- « firmait par des miracles, ce ne sera pas mal « fait aussi de s'élever contre des assemblées « ecclésiastiques, pourvu que ce soit pour se « soumettre à Jésus-Christ vivant et parlant « dans ses Écritures, que nous reconnaissons « divines, et qui n'ont pas besoin d'une nou- « velle confirmation de miracles : la raison « pour laquelle il fallait alors se soumettre à « lui, n'était pas précisément parce qu'il était « en personne sur la terre, mais parce que « son autorité était divine et souveraine; or « elle n'est pas moins divine et souveraine au- « jourd'hui dans ses Écritures : elle mérite « donc aujourd'hui une pareille soumission et « une pareille préférence à l'autorité de l'É- « glise assemblée, lorsqu'il arrive que ces « deux autorités se choquent. »

Resp. : Perpetuò, triumphum ut agat Claudius, statum quæstionis invertit, quo quidem sincerè exposito, repentè delabitur, ut ostendimus, quidquid gestit obtrudere. Majori auctoritati in rebus Religionis semper fuit adhærendum; cùm igitur fatentibus adversariis nostris, Christus Jesus miraculis evidenter divinis auctoritatem suam exerceret, quæ omnem aliam certissimè et exploratè vincebat, ambigere absque gravi piaculo non poterant Judæi, quin ingenuè ipsi primas oporteret adjudicari partes, plenamque fidem adhiberi : nec patiuntur aures christianæ, fallacium ac veteratorum hominum portenta, miraculis Christi Domini, tam evidenter divinis, assimilari. Neque etiam Ecclesiæ Christi adæquari potest synagoga : prædictum enim erat, defecturam esse synagogam, sanciendumque novum fœdus : id quidem negabant pertinaciter Judæi, sed rerum veritati, sed prophetarum oraculis obstare non potuit incredulitas Judæorum : non prohibuit quominùs evidenter divina profunderet miracula Christus Jesus, quæ prædictam declararent defectionem synagogæ fœdusque novum confirmarent, quo *inveteratum est prius*. At ubinam prænuntiatum est futurum aliquando ut christiana deficeret Ecclesia, et opus fore extraordinario divinisque communito miraculis ministerio, ut vel suis excitaretur è ruderibus, vel in ipsius locum subrogaretur alia perfectior atque nobilior? Perlustrentur mente historica monumenta, atque perpendatur utrùm aliquâ ætate in eum corruerit statum Ecclesia Christi, ut ad eam instaurandam opus fuerit miraculis, qualia synagogæ opposuit Christus, novi conditor fœderis. Verùm non hìc agitur de probandâ indefectibilitate et inerrantiâ Ecclesiæ, quæ suo loco demonstrabitur, imò quæ cum assertionibus jam demonstratis necessariò cohæret, sed de refellendo consectario quod ex principiis Catholicorum derivari comminiscitur Claudius : argumentandum est ex principiis Catholicorum non truncatis et dimidiatis, sed integris, et qualia ab eisdem propugnantur; auctoritati autem Ecclesiæ sic obsequendum credunt, ut simul firmissimè credant, nunquàm esse defecturum, nullâ unquàm abrumpendum ætate ordinarium quod in ipsâ divinitùs institutum fuit, ministerium. Quod attinet ad confictam à Claudio comparationem inter Christum loquentem in Scripturis, et Christum Judæos vivâ voce allocutum, non quæritur, nec ambigi potest apud Christianos, utrùm

cuilibet auctoritati quæ Christo adversetur, anteponere debeamus auctoritatem Christi, sive animatâ voce, sive sacris ipse loquatur in Scripturis: supremam ipsius esse auctoritatem ac divinam confitemur, quocumque modo documenta sua expromere voluerit: sed quæritur quænam sit via externa, publica, apta et omnibus accommodata, quam hominibus præstituit Deus ut certò dignoscant, quibusnam monumentis contineatur verbum Dei, sive scriptum, sive traditum, tum quemadmodùm intelligendum sit et exponendum. Porrò quibus demonstravit Christus miraculis, missionem ac divinitatem suam, iisdem invictè demonstratum est, adhærendum esse Ecclesiæ quam et matrem, et magistram nobis constituit, tum etiam excusatione carere pervicaciam Judæorum, Christi institutionibus refragantium, quidquid obtenderit suo tunc ipso damnata judicio synagoga.

Solvitur objectio desumpta ex auctoritate Ecclesiæ Græcæ suos apud alumnos.

Hanc Deus non præstituit indagandæ veritatis viam quæ mentes à veritate detorquet, atque in susceptis periculosiùs detinet erroribus; talis est via auctoritatis quæ tantoperè à Romanis laudatur theologis. Eam sequentes, qui Græcam, qui Arminianam, qui Ægyptiacam, qui Æthiopicam communionem consectantur, illi omnes quâ ducuntur auctoritate, decepti et abstracti, fidentiùs aberrant obstinatiùsque adhærescunt ingestis sibi ab infantiâ hæresibus. (Quod dicemus de Græcis, dictum habeatur idem de cæteris.) Græcorum animos si quid dubitationis sollicitet de dogmatibus suæ sectæ, dubium illud privato examine quo sanam extunderent doctrinam, perpendere nequeunt, si principiis suis stare voluerint, sed illud statim judiciis Ecclesiæ suæ inhærentes repellere; uno verbo, eodem modo sese tum gerant oportet, quo Romanæ consortes communionis sese gererent, si quid animum ipsorum pulsaret, quo viderentur ab eâdem communione deterreri. Apud Pythagoræ discipulos, ille erat pervulgatus terminandi disceptationes modus. *Ipse* (Pythagoras) *dixit:* sic apud Græcos, non secùs ac apud Romanos, ista est ratio componendi de fide controversias: *Ecclesia decrevit; Ecclesia sanxit anathemate.*

Resp. 1°: In rebus ad causam fidei spectantibus, non dicimus adhærendum esse qualiscumque societatis christianæ judiciis, sed *auctoritati ac decretis veræ Ecclesiæ*. Hâc autem methodo, nedùm à veritate dimoveantur animi, atque in arreptis detineantur erroribus, imò quandiù eam tenuerint, non ab Apostolicâ doctrinâ se patientur divelli, nec aliter quàm illâ deserendâ viâ, suscitatæ sunt tot hæreses quæ nomen christianum deformaverint. Quod ut percipiatur clariùs, ad Ecclesiæ primordia cogitatione remeandum est. Fatentur omnes hanc in ortu suo et qualis à Christo condita est, immunem ab errore illibatamque fuisse: unâ tunc fide, unâ communione tenebantur omnes Christiani: nec aliunde principium duxerunt nefandæ Simonis, Cerinthi, Ebionis sectæ, quàm ex eo quòd Ecclesiæ jugum excusserint, coercentis ejusdem auctoritatis impatientes, suisque præ illius judicio indulgentes placitis. 2° Si, v. g., Protestantibus objiciatur eam ob causam rejiciendum esse privatum examen, quòd hâc viâ gravissimos in errores abripiantur Anabaptistæ, Sociniani, Enthusiastæ, quid respondere soleant? Non quocumque examine reserari aditum ad veram doctrinam, sed prudenti, maturo rectoque examine: nec ideò abjiciendam esse hanc methodum, quòd examen devium pravumque adhibeant multi, in agendo præcipites, præjudicatis servientes opinionibus, prurientibusque delusi cupiditatibus. Pari saltem responso, elidere possumus ductam objectionem ex Græcis abutentibus auctoritatis methodo. *Deo vero sacrificandum est*: num idcircò oblitterandum erit insitum illud omnibus placitum, quia falsis numinibus victimas tot populi mactaverint? Avellendus est abusus: retinendum est quod à legitimo usu detorquetur, sanum rectumque in se principium. Profitentur Græci, discernendam scilicet viâ auctoritatis doctrinam à Christo et Apostolis traditam: profitentur credendum firmiter symbolis fidei quibus continentur veri characteres Ecclesiæ: at suæ illos societati adjudicant, eòque consequenter errant, non quòd auctoritate dirimendas esse in causis fidei controversias existiment, sed quòd suæ sectæ legitimam, divinitùs constitutam et soli veræ Ecclesiæ concessam tribuant auctoritatem.

Instabis 1°: Negari non potest, Græcorum in societate versari multos qui bonâ fide, seu invincibili ex ignorantiâ credant veram Ecclesiam habendam esse sectam in quâ sunt instituti: quâ ratione igitur suis ab erroribus expedire se poterunt, quandiù putabunt in causis fidei tenendam esse viam auctoritatis, nec ab eâ unquàm resiliendum? Nefas enim

ducunt ab Ecclesiæ suæ doctrinâ et mandatis assensum cohibere, neque illis verti potest crimini constans illud obsequium, à quo si deflecterent, invincibiliter erroneæ, quod non licet, obluctarentur conscientiæ.

Resp.: Non inficiamur, in hæreticis Græcorum sectis inveniri qui hæresi aut schismati formaliter, ut aiunt, seu liberè non adhæserint: fatemur tales occurrere qui maturam jam ætatem attigerint : (nam puerilibus annis multò frequentiùs reperiri quis negaverit?) At 1° sicut observatum est, error ille non profluit ab officio veræ obtemperandi Ecclesiæ; consideretur sequens syllogismus : Adhærendum est et obsequendum auctoritati veræ Ecclesiæ : atqui Græcorum vera est Ecclesia : ergo illius auctoritati adhærendum est et obsequendum.

Priore hujusce syllogismi propositione continetur illud quod asserendum curavimus principium : at ex illâ propositione non consequitur pro verâ esse habendam ecclesiâ Græcorum schismaticam et hæreticam sectam, ejusque tenenda, quasi ad fidem pertinerent, falsa dogmata. 2° Alia est conditio Græcorum, quibus proponeretur amplexanda catholicæ fides Ecclesiæ, alia conditio Catholicorum, qui sollicitarentur ad ineundam Græcorum sectæ communionem : certissimis manifestisque argumentis suo loco exponendis(nam hìc agitur duntaxat de refutandis pravè ductis ex auctoritatis methodo consecutionibus),commonstrari potest quænam sit vera Ecclesia : ad hanc investigandam, tum ubi comperta est, ad ejus constanter retinendam communionem inclinat et adjuvat gratia interior quæ descendit *à Patre luminum*. At errantium Græcorum mentibus possunt aut scriptis aut vivâ voce suppeditari invicta et evidentia credibilitatis momenta, quibus aspirante et impellente gratiâ commoti et instructi, vel statim, spuriam esse sectam suam agnoscant, vel de ipsius statu vehementer dubitent; invalescente deinceps et obfirmatâ, cui nihil præponderantis opponetur, dubitatione, eò poterunt tandem promoveri, pleno ut fateantur assensu, abdicandam esse illam cui mancipati fuerant communionem, et veræ quæ ipsis ostenditur, totos se devovendos Ecclesiæ. Quibus verò proposita, quantùm sufficiat, nondùm fuerint rationum auctoritatisque subsidia, quibus ab errore suo deducantur, illi permanente in ipsis, de quâ locuti sumus *bonâ fide*, habebuntur coram Deo qui corda et renes scrutatur, excusati. Revocandum est in memoriam quod alibi indicavimus, nempe si qui invincibiliter aliquâ in societate aliquod ignorarent dogma *ex necessitate medii credendum*, non passurum esse Deum, illos nisi saluti suæ repugnent, dogmatis illius notitiâ et fide, ad extremum usque vitæ spatium carere.

Instabis 2° ; In solvendâ objectione concessum est observari apud schismaticam Græcorum societatem, multos qui errore hactenùs invincibili et necessariò credant, illius esse servandam communionem; indè non leves exoriuntur difficultates : namque 1° error licet necessarius, *formalis* tamen, ut aiunt, ac propriè dictus esset error; ergo tam alienum est à divinâ veracitate, ut hominem aliquem invadat error necessarius, quàm divinæ sanctitati repugnat, ut necessarium aliquis possit incurrere peccatum. 2° Erroneum qui dogma ita crederet, ab illo credendo prudenter ac licitè abstinere non posset, cùm illud tum non abjiceret nisi reluctante conscientiâ : ergo crederet errorem probante Deo, qui tamen non magis potest errorem quàm peccatum jubere vel approbare. 3° Homines aliquos si contingeret necessariis implicari erroribus, tolleretur è medio dignoscendæ veritatis regula, grassareturque impunè pyrrhonismus, quo dominante conciderent societas et Religio.

Resp.: In hâc elucidandâ quæstione, in quâ novimus laborâsse præjudiciis viros aliunde sagaces ac peritos, videtur operæ pretium aliquandiù immorari. Objecta verò solvere priusquàm aggrediamur, animadvertere non pigeat, id quod ex ipsâ propositæ quæstionis naturâ facilè intelligitur, nos scilicet sermonem hìc instituere de illis duntaxat erroribus, qui ab assequendâ salute non prohibeant sic errantes, ut sibi ipsis non defuerint. Hoc posito:

1° Quod attinet ad prolatam erroris necessarii cum peccato necessario comparationem, pugnantia loqueretur qui necessarium fingeret peccatum ; *nemo*, ut ipsâ clamante ratione dixit S. Augustinus, *peccat in eo quod cavere non potest* : nemo sine libertate, *vel in alio*, si de peccato agatur originali, vel *in se ipso*, si de peccato actuali, reatum potest peccati contrahere. At si commentitiâ quâdam et absonâ hypothesi prodire posset peccatum aliquod *formale* simul et strictè necessarium, ex hominis alicujus infirmitate, ac premente maligno tentatore profectum, permittente, non approbante Deo, nedùm se præbente adjutorem malitiæ, tum conferri non posset in Deum

divinæ legis necessaria illa transgressio. Non hæc magis in eum refunderetur quàm furtum aut homicidium ab homine somniante vel phrenetico commissum : mererentur pœnam transgressores, quia stipendium est peccati mors : nec tamen mererentur, quia demeritum excludit ineluctabilis antecedensque necessitas. Contradictoria non mirum est scaturire absurdo ex principio. Verùm cùm necessitate non pugnat error ; non enim pugnat *ex ipsâmet erroris naturâ*, ut patet : *non ex humanæ mentis conditione et essentiâ*, quæ cùm sit finita et imperfecta, nihil vetat quominùs aliquando cæcutiat, ac substracto veritatis lumine, invincibiliter tunc aberret; denique *non ex divinâ veracitate, aut bonitate ;* neque enim exigunt, omnibus ut hominibus largiatur Deus lumen speciale et indebitum, quo efficaciter avertantur errorum quædam genera, quibus licet ingruentibus, possint tamen haberi divina fides æternaque salus comparari.

2° Sic dilui potest argumentum ex eo desumptum, quòd prudenter ac proindè probante Deo ille crederet, qui conscientiam sequeretur invincibiliter erroneam, aliquid credendum, tanquàm interpositâ Dei auctoritate, proponentem. Approbat quidem Deus affectum animi, quo erroneum credentes invincibiliter dogma, sibi tum constituant, revelantis Dei auctoritati sincerum perpetuumque impendere obsequium : sed errori quem pro revelato habent dogmate, non suffragatur Deus : nec ab eis dogma illud creditur divinâ fide, quæ divino tota innititur testimonio. At nihilominùs fide supernaturali et divinâ credere possunt omnia quæ revelavit Deus, tumque implicitè certòque reprobant ipsum errorem, quo invincibiliter adhuc laborant. Proposito utamur exemplo : sunt apud Græcos qui licet persuasum habeant et meritò legitimæ obtemperandum esse auctoritati, sequendam esse rectam conscientiam, ab omni specie malâ esse abstinendum (quæ omnia Deus approbat); putant tamen *bonâ fide*, præditam esse legitimâ auctoritate Græcorum Ecclesiam, ad eamque firmiter adhærescendum : distortam hanc et falsam consequentiam improbat et aversatur Deus, quamvis crimini eam non vertat errantibus necessariò, neque ob eam causam plectere illos decreverit, nec à salute repellere, si nihil aliud obstiterit. Violatæ ergo prudentiæ non possunt propriè insimulari, nec tamen efficacem, veraque et recta assequentem prudentiam sectati sunt : at errorem quamvis secuti, *materiale* duntaxat peccatum, et idcircò à labe reatûs immune incurrerunt.

3° Perperàm inde futurum concluderetur, ut nulla tum superesset certa veritatis à mendacio secernendæ regula; egregiam profectò conclusionem : Potest revelatum aliquod dogma invincibiliter à quibusdam ignorari, ex eâque ignorantiâ suscipi necessarius error, quandiù propositaillis, quantùm oporteat, nondùm fuerint, probationum momenta, quæ credibile illud dogma faciant ; ergo ejusdem veritas neque persuaderi poterit, neque agnosci, quantumvis congerantur et exhibeantur inconcussa destinataque ad illius pariendam credibilitatem præsidia, qualia præ se ferunt doctis atque indoctis omnibus revincendis christiana Religio, ejusque columna firmamentumque catholica Ecclesia! Uberioris explicationis causâ, duo hic videntur adjicienda. Primum est, extitisse quidem theologos qui docuerint, à nemine posse ullam licet remotam principiorum naturalium consecutionem invincibiliter ignorari, quæ ad officia quibus teneatur, pertineat. Sed illâ in opinione (ut breviter expendatur), quid sentiendum foret de sanctissimis multis ac doctissimis auctoribus, quos inter appellare possumus SS. Thomam et Bonaventuram, qui post adhibitas assiduas preces, diligentemque inflammato studio veritatis indagationem, in gravibus inter se dissident legis ipsius naturalis consectariis, neque suam unquàm putaverunt revocandam esse sententiam? Numquid etiam rudes et imperiti, ac penè continuis vitæ humanæ distracti laboribus, intricatas et abstrusas juris naturalis quæstiones ad ipsa eorum negotia et officia interdùm spectantes, valeant remotâ omni dubitatione dissolvere? At saltem conspirant omnes theologorum scholæ, in asserendum facti vel juris positivi, tum eorum omnium quæ solâ revelatione innotescere possint, invincibilem sæpiùs occurrere ignorantiam; propositâ autem in objectione agitur de dogmatibus quæ sine revelationis ope cognosci nequeant. Alterum est adnotandum, ut excutiantur nonnullorum cavillationes : quamvis ab errore differat ignorantia, cùm error sit approbatio falsi pro vero, ignorantia autem sine affirmatione vel negatione esse queat; in multis tamen, ut attendenti patebit, nascitur frequentissimè ex ignorantiâ error : hinc errorum mater solet appellari. Quædam inter multa proponimus exempla : qui nihil unquàm

de revelatione audiverunt, quâ constat tres esse in Deo personas, venerandumque illud ignorant invincibiliter mysterium, nonne proclive est ut judicent, sicut unam in Deo naturam ita unam esse in Deo personam, quemadmodùm una est in homine persona, una in angelo (si tamen angelos esse noverint), quia una est in illis natura : numquid erroneum illud judicium crimini potiùs illis imputabitur, quàm revelati ignorantia mysterii, quàm *infidelitas negativa* (1)? En aliud exemplum : si quis invincibiliter ignoret aliquod intercedere impedimentum, quo irritum sit illud quod se putat contraxisse matrimonium, quis dixerit hominem eâ constrictum ignorantiâ teneri abstinere à judicando licitum esse sibi habere ut conjugem eam quæ ab omnibus conjux illius legitima reputatur? Denique, ut supra attigimus, dùm in variis de jure naturali controversiis dissentiunt inter se tot pietate commendandi et cruditione theologi, sunt certè qui aberrent, aliis nempe id affirmantibus quod ab aliis negatur. Num qui falluntur culpandi omnes, et quia falluntur, Deo judice, puniendi?

Instabis 3° : Imprudenter ac periculosè collocant operam Romanæ ministri Ecclesiæ, dùm tentant ab errore illos dimovere, qui sectis hæreticis vel schismaticis *bonâ fide* adhæreant; timendum enim, ne admoniti, qui *bonâ* sic errant *fide*, communionis cui obstricti sunt vincula nolint abrumpere, atque ita in *formalem hæresim*, aut *formale schisma* conjiciantur. — Resp. Ad publicum docendi ministerium pertinet, ut sana opportunè et importunè prædicetur doctrina, quamvis forsitan fore prævideatur, qui exoptandis illis abutantur suam in perniciem, institutionibus. Præterea quinam invincibili versentur in errore, certò compertum ut plurimùm non habetur, nec debent verbi divini præcones, ut quibusdam incerti alicujus occasionem abusûs præripiant, alios salutaribus ac necessariis defraudare documentis. Denique contingere facilè potest, ut qui nunc inculpato hæreticâ in communione detinentur errore, mutatis postea rerum adjunctis depravatoque affectu, *formalis* hæreseos aut schismatis crimen incurrant : quod præcavendum sperari non immeritò potest, si catholicæ Ecclesiæ dotes ac dogmata, prudenti et stimulato charitate zelo erudiantur.

(1) Hanc esse immunem à peccato declarat Urbanus VIII, Bullâ contra Baium.

Objectio desumpta ex vitioso qui Romanæ Ecclesiæ institutionibus exprobratur; circulo.

Nôrunt logici quàm disserendi legibus adversetur id quod vocant *petitionem principii* : in hanc tamen labuntur, ac vitioso implicantur circulo, qui viâ auctoritatis definiendas esse lacessentes Religionem controversias profitentur : interrogati enim quo probationis genere ipsis cônstet de Scripturarum canonicitate, continuò respondent : *Auctoritate Ecclesiæ;* sciscitantibus deinde undenam perspectam habeant Ecclesiæ auctoritatem, statim reponunt : *Testimonio Scripturarum.* Idem ergo per idem, inepto quodam circuitu, probatum volunt.

Resp. 1° : Quod Romanæ affingitur Ecclesiæ à Protestantibus, ridiculi vitium circuli, iidem in illud, suam nisi deserant methodum, necessariò incidunt. Quæratur ab eis quare credant Scripturarum canonicitatem, respondebunt hanc se compertam habere unctione Spiritûs sancti, seu privato spiritu; postuletur deinceps quare pro certo duxerint unctione illâ et privato examine dignoscendas esse sacras Scripturas, id responsi referes : Hoc illi unctioni, adjuncto privato examine, adscribendum esse munus, eam tribuendam esse efficaciam, divinæ testantur Scripturæ. 2° *A petitione principii*, à vitioso circulo longè discriminatur Catholicorum methodus : hunc in circulum reverà impingerent, si nullo jam probatam argumento auctoritatem Ecclesiæ assumerent ad vindicandam Scripturarum canonicitatem, et deinde Scripturis, quarum aliunde non esset probata canonicitas, uterentur ad astruendam Ecclesiæ auctoritatem. At nihil est cur eam cogantur inire disputandi rationem; primùm enim quasi seposito Scripturarum testimonio de concessâ divinitùs Ecclesiæ perpetuâ auctoritate, præstantem hanc auctoritatem probandam suscipiunt, tum prophetiis, tum miraculis, tum etiam stupendâ illius propagatione, stabilitate, triumphis, continuâ eminentis quo viguit ac viget, ministerii successione, uno verbo, confluentibus *motivis credibilitatis* iisdem omnibus, aut ferè omnibus, quibus ipsius christianæ Religionis demonstratur veritas; eisdem quippe ostenditur fundatam esse et constitutam à Domino Ecclesiam, cui servandam commiserit catholicæ doctrinæ, Scripturarumque thesaurum : ea porrò non ignoravit, neque ignorare potuit, utrùm collatâ divinitùs auctoritate polleat; quâ prælucente veluti face, in capessendis

quæ credenda et agenda sint, regatur populus christianus usque ad consummationem seculi : sic autem probatâ Ecclesiæ auctoritate, eâdem inconcussum perhibetur Scripturis testimonium, quarum sic assertâ et ostensâ canonicitate, tum propter ipsam Dei veracitatem creditur et Ecclesiæ auctoritas, et ipsa origo divina Scripturarum. Hâc in argumentatione *non idem probatur per idem,* non eâdem sub ratione, non eodem argumentorum genere, nec proinde occurrit, quam adeò vilipendunt logici, *petitio principii*. Methodum quam exposuimus, adhibuit disertè S. Augustinus, eximio in tractatu de Utilitate credendi. Nam postquàm commemoravit consulentem humano generi divinam providentiam « per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula; » ita pergit ducendâ ex his omnibus conclusione S. doctor : « Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani, ab Apostolicâ sede per successiones episcoporum, frustrà hæreticis circum latrantibus, et partim plebis judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. » Lib. de Utilitate credendi, cap. 17.

3° Perhibet Ecclesia testimonium Scripturæ, et Scriptura Ecclesiæ : mutui simul et aptissimi testimonii insignia nobis suppetunt exempla. Venit præcursor Joannes *ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ipsa quoque lux, Christus Dominus testimonium perhibuit Joanni, voluitque ut haberetur *plusquàm propheta, et ille de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Testimonium perhibuit Christus Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Dixerat : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Perhibuerunt Christo testimonium Apostoli : *Magnâ virtute testimonium reddebant resurrectionis Christi.* Hoc in mutuo testimonio quid vitiosi possit cogitari? 4° Vindicandâ Ecclesiæ auctoritate pensandum est sedulò quid teneant quos persuadere, aut revincere aggrediamur. Sermo si conferatur cum hominibus veræ jam deditis fidei, adductis Scripturæ traditionisque testimoniis, auctoritatem dotesque Ecclesiæ magis ac magis reverebuntur. Si conseratur manus cum Ecclesiæ inimicis, qui tamen Scripturis honorem et obsequium deferre non abnuant, tum ex Scripturis argumenta congerentur, eaque invicta, quibus apertam in lucem educantur Ecclesiæ auctoritas et proprietates : illius autem patefactâ auctoritate, tum sponte consequitur, eidem cætera proponenti dogmata, incunctanter esse credendum. Si verò decertandum sit cum hominibus qui neque veram Ecclesiam, neque Scripturarum canonicitatem agnoverint, tum illis splendida exhibentur probationum genera, quibus cum ipsâ christianâ Religione credibilis monstratur Ecclesia. Hâc autem magistrâ et duce, tam certo quàm facili operæ compendio edocetur quibusnam monumentis asservetur scriptum vel traditum Dei verbum ; necnon quidquid credendum agendumque, ad salutem promerendam præcipiat. Hæc omnia, ut videre est, cohærent, nec unum sub eodem respectu demonstratur per alterum.

Instabis. Ad omnia saltem fidei dogmata non pertinet auctoritas Ecclesiæ : nam inter fidei dogmata recensetur hæc ipsa auctoritas, quâ certè ad eamdem credendam non ducimur : via enim termino prior est : esset ergo prior semetipsâ Ecclesia. — Resp. Tria hìc eliciuntur judicia : 1° Judicatur non ex ipsâ Ecclesiæ auctoritate, sed extrinsecis, ut vocant, *credibilitatis motivis,* conditam esse divinitùs in terris societatem dirigendis ad salutem hominibus præpositam, cui concredita sint eloquia Dei perpetuumque docendi ministerium. 2° Judicatur habendam esse fidem illi societati, librum aliquem esse canonicum, aliquodve dogma revelatum fuisse pronuntianti. 3° Cùm sic probata declaraverit Ecclesia seu decretis, seu factis et praxi, suam verbo Dei munitam esse auctoritatem ipsiusque judiciis firmiter adhærendum, tum propter revelantis Dei veracitatem judicatur agnoscendam esse auctoritatem Ecclesiæ ; ac reipsà, fide divinâ, auctoritas illa creditur, sicut aliud quodcumque dogma divinitùs revelatum, et ab Ecclesiâ propositum. Ex his colligitur posse diversâ ratione spectatam Ecclesiam, nobis facere testatam indubitatamque suam auctoritatem.

de revelatione audiverunt, quâ constat tres esse in Deo personas, venerandumque illud ignorant invincibiliter mysterium, nonne proclive est ut judicent, sicut unam in Deo naturam ita unam esse in Deo personam, quemadmodùm una est in homine persona, una in angelo (si tamen angelos esse noverint), quia una est in illis natura : numquid erroneum illud judicium crimini potiùs illis imputabitur, quàm revelati ignorantia mysterii, quàm *infidelitas negativa* (1)? En aliud exemplum : si quis invincibiliter ignoret aliquod intercedere impedimentum, quo irritum sit illud quod se putat contraxisse matrimonium, quis dixerit hominem eâ constrictum ignorantiâ teneri abstinere à judicando licitum esse sibi habere ut conjugem eam quæ ab omnibus conjux illius legitima reputatur? Denique, ut supra attigimus, dùm in variis de jure naturali controversiis dissentiunt inter se tot pietate commendandi et eruditione theologi, sunt certè qui aberrent, aliis nempe id affirmantibus quod ab aliis negatur. Num qui falluntur culpandi omnes, et quia falluntur, Deo judice, puniendi?

Instabis 3° : Imprudenter ac periculosè collocant operam Romanæ ministri Ecclesiæ, dùm tentant ab errore illos dimovere, qui sectis hæreticis vel schismaticis *bonâ fide* adhæreant; timendum enim, ne admoniti, qui *bonâ* sic errant *fide,* communionis cui obstricti sunt vincula nolint abrumpere, atque ita in *formalem hæresim,* aut *formale schisma* conjiciantur. — Resp. Ad publicum docendi ministerium pertinet, ut sana opportunè et importunè prædicetur doctrina, quamvis forsitan fore prævideatur, qui exoptandis illis abutantur suam in perniciem, institutionibus. Præterea quinam invincibili versentur in errore, certò compertum ut plurimùm non habetur, nec debent verbi divini præcones, ut quibusdam incerti alicujus occasionem abusûs præripiant, alios salutaribus ac necessariis defraudare documentis. Denique contingere facilè potest, ut qui nunc inculpato hæreticâ in communione detinentur errore, mutatis postea rerum adjunctis depravatoque affectu, *formalis* hæreseos aut schismatis crimen incurrant : quod præcavendum sperari non immeritò potest, si catholicæ Ecclesiæ dotes ac dogmata, prudenti et stimulato charitate zelo eruditantur.

(1) Hanc esse immunem à peccato declarat Urbanus VIII, Bullâ contra Baium.

Objectio desumpta ex vitioso qui Romanæ Ecclesiæ institutionibus exprobratur; circulo.

Nôrunt logici quàm disserendi legibus adversetur id quod vocant *petitionem principii :* in hanc tamen labuntur, ac vitioso implicantur circulo, qui viâ auctoritatis definiendas esse lacessentes Religionem controversias profitentur : interrogati enim quo probationis genere ipsis cônstet de Scripturarum canonicitate, continuò respondent : *Auctoritate Ecclesiæ ;* sciscitantibus deinde undenam perspectam habeant Ecclesiæ auctoritatem, statim reponunt : *Testimonio Scripturarum.* Idem ergo per idem, inepto quodam circuitu, probatum volunt.

Resp. 1° : Quod Romanæ affingitur Ecclesiæ à Protestantibus, ridiculi vitium circuli, iidem in illud, suam nisi deserant methodum, necessariò incidunt. Quæratur ab eis quare credant Scripturarum canonicitatem, respondebunt hanc se compertam habere unctione Spiritûs sancti, seu privato spiritu ; postuletur deinceps quare pro certo duxerint unctione illâ et privato examine dignoscendas esse sacras Scripturas, id responsi referes : Hoc illi unctioni, adjuncto privato examine, adscribendum esse munus, eam tribuendam esse efficaciam, divinæ testantur Scripturæ. 2° *A petitione principii,* à vitioso circulo longè discriminatur Catholicorum methodus : hunc in circulum reverà impingerent, si nullo jam probatam argumento auctoritatem Ecclesiæ assumerent ad vindicandam Scripturarum canonicitatem, et deinde Scripturis, quarum aliunde non esset probata canonicitas, uterentur ad astruendam Ecclesiæ auctoritatem. At nihil est cur eam cogantur inire disputandi rationem; primùm enim quasi seposito Scripturarum testimonio de concessâ divinitùs Ecclesiæ perpetuâ auctoritate, præstantem hanc auctoritatem probandam suscipiunt, tum prophetiis, tum miraculis, tum etiam stupendâ illius propagatione, stabilitate, triumphis, continuâ eminentis quo viguit ac viget, ministerii successione, uno verbo, confluentibus *motivis credibilitatis* iisdem omnibus, aut ferè omnibus, quibus ipsius christianæ Religionis demonstratur veritas; eisdem quippe ostenditur fundatam esse et constitutam à Domino Ecclesiam, cui servandam commiserit catholicæ doctrinæ, Scripturarumque thesaurum : ea porrò non ignoravit, neque ignorare potuit, utrùm collatâ divinitùs auctoritate polleat; quâ prælucente veluti face, in capessendis

quæ credenda et agenda sint, regatur populus christianus usque ad consummationem seculi : sic autem probatâ Ecclesiæ auctoritate, eâdem inconcussum perhibetur Scripturis testimonium, quarum sic assertâ et ostensâ canonicitate, tum propter ipsam Dei veracitatem creditur et Ecclesiæ auctoritas, et ipsa origo divina Scripturarum. Hâc in argumentatione *non idem probatur per idem,* non eâdem sub ratione, non eodem argumentorum genere, nec proinde occurrit, quam adeò vilipendunt logici, *petitio principii.* Methodum quam exposuimus, adhibuit disertè S. Augustinus, eximio in tractatu de Utilitate credendi. Nam postquàm commemoravit consulentem humano generi divinam providentiam « per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate miracula; » ita pergit ducendâ ex his omnibus conclusione S. doctor : « Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani, ab Apostolicâ sede per successiones episcoporum, frustrà hæreticis circum latrantibus, et partim plebis judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. » Lib. de Utilitate credendi, cap. 17.

3° Perhibet Ecclesia testimonium Scripturæ, et Scriptura Ecclesiæ : mutui simul et aptissimi testimonii insignia nobis suppetunt exempla. Venit præcursor Joannes *ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Ipsa quoque lux, Christus Dominus testimonium perhibuit Joanni, voluitque ut haberetur *plusquàm propheta, et ille de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Testimonium perhibuit Christus Apostolis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Dixerat : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Perhibuerunt Christo testimonium Apostoli : *Magnâ virtute testimonium reddebant resurrectionis Christi.* Hoc in mutuo testimonio quid vitiosi possit cogitari? 4° Vindicandâ Ecclesiæ auctoritate pensandum est sedulò quid teneant quos persuadere, aut revincere aggrediamur. Sermo si conferatur cum hominibus veræ jam deditis fidei, adductis Scripturæ traditionisque testimoniis, auctoritatem dotesque Ecclesiæ magis ac magis reverebuntur. Si conseratur manus cum Ecclesiæ inimicis, qui tamen Scripturis honorem et obsequium deferre non abnuant, tum ex Scripturis argumenta congerentur, eaque invicta, quibus apertam in lucem educantur Ecclesiæ auctoritas et proprietates : illius autem patefactâ auctoritate, tum sponte consequitur, eidem cætera proponenti dogmata, incunctanter esse credendum. Si verò decertandum sit cum hominibus qui neque veram Ecclesiam, neque Scripturarum canonicitatem agnoverint, tum illis splendida exhibentur probationum genera, quibus cum ipsâ christianâ Religione credibilis monstratur Ecclesia. Hâc autem magistrâ et duce, tam certo quàm facili operæ compendio edocetur quibusnam monumentis asservetur scriptum vel traditum Dei verbum; necnon quidquid credendum agendumque, ad salutem promerendam præcipiat. Hæc omnia, ut videre est, cohærent, nec unum sub eodem respectu demonstratur per alterum.

Instabis. Ad omnia saltem fidei dogmata non pertinet auctoritas Ecclesiæ : nam inter fidei dogmata recensetur hæc ipsa auctoritas, quâ certè ad eamdem credendam non ducimur : via enim termino prior est : esset ergo prior semetipsâ Ecclesia. — Resp. Tria hìc eliciuntur judicia : 1° Judicatur non ex ipsâ Ecclesiæ auctoritate, sed extrinsecis, ut vocant, *credibilitatis motivis,* conditam esse divinitùs in terris societatem dirigendis ad salutem hominibus præpositam, cui concredita sint eloquia Dei perpetuumque docendi ministerium. 2° Judicatur habendam esse fidem illi societati, librum aliquem esse canonicum, aliquodve dogma revelatum fuisse pronuntianti. 3° Cùm sic probata declaraverit Ecclesia seu decretis, seu factis et praxi, suam verbo Dei munitam esse auctoritatem ipsiusque judiciis firmiter adhærendum, tum propter revelantis Dei veracitatem judicatur agnoscendam esse auctoritatem Ecclesiæ; ac reipsà, fide divinâ, auctoritas illa creditur, sicut aliud quodcumque dogma divinitùs revelatum, et ab Ecclesiâ propositum. Ex his colligitur posse diversâ ratione spectatam Ecclesiam, nobis facere testatam indubitatamque suam auctoritatem.

Solvitur objectio ex eo desumpta quòd ipsi romanæ alumni Ecclesiæ tenerentur dubitare de ipsius auctoritate ac dogmatibus.

Objicies : Eò impugnatur Protestantium methodus, quòd eâ retardentur infantes *ab eliciendo actu fidei* ; ac statim atque usum rationis adepti sunt, conjiciantur in dubitationem de canonicitate Scripturarum, de præcipuis Religionis christianæ mysteriis, compellanturque in crimen infidelitatis; nam recepto axiomate, *dubius in fide, infidelis est,* isto in argumento si quid momenti esse videatur, facilè potest idem in Ecclesiæ Romanæ methodum retorqueri : accusationem hanc sic intentat minister Claudius : « Supposons un « homme baptisé, que M. de Meaux reconnaît « de même que nous pour chrétien, qui selon « la doctrine définie dans le concile de Vienne « sous Clément V, a reçu le Saint-Esprit et « la foi infuse ou habituelle, et qui est parvenu à l'âge de raison : comme il y a un « temps où il n'a pas encore lu l'Ecriture-« Sainte, il y en a un aussi où il n'a pas en-« core appris qu'il y ait une Eglise catholique « infaillible ; car s'il est nécessaire de recon-« naître qu'il n'a pas lu cette Ecriture dès sa « naissance, il ne l'est pas moins de recon-« naître qu'il n'a pas eu dès sa naissance la « connaissance de cette Eglise infaillible : « l'une et l'autre de ces connaissances sont « précedées d'un temps où elles n'étaient « point, et ce temps doit être un âge de rai-« son, puisque s'il faut avoir de la raison pour « pouvoir lire l'Ecriture, et se persuader « qu'elle est divine, il en faut avoir aussi, « pour pouvoir connaître l'Eglise catholique, « et pour se persuader qu'elle est infaillible. « Comme donc, selon notre principe, il y aura « un point où un chrétien baptisé, en âge de « raison, et qui aura une foi infuse, ne pourra « pas faire cet acte de foi divine : Je crois, « comme je crois que Dieu est, que l'Ecriture « est sa parole, parce qu'il ne l'aura pas en-« core lue, il y en aura de même où ce chré-« tien baptisé en âge de raison, et qui aura la « foi infuse, ne pourra pas faire cet acte de « foi divine : Je crois, comme je crois que « Dieu est, que l'Eglise catholique est infail-« lible, parce que c'est une chose qu'il n'aura « pas encore apprise. » Paulò post addit idem Claudius, ut Bossuetium urgeat : « S'il veut « que l'état où est ce chrétien baptisé, et en « âge de raison, soit un acte de doute, si « l'Ecriture est inspirée de Dieu ou non, « parce que ne savoir pas si une chose est ou « non, c'est en douter, il faut qu'il veuille « aussi que l'état où ce chrétien baptisé et en « âge de raison, est touchant l'infaillibilité de « l'Eglise, ne soit pas moins un état de doute, « si l'Eglise est infaillible ou non, par la même « raison que n'avoir pas connaissance si une « chose est ou non, c'est en douter ; d'ailleurs « s'il prétend que, selon notre hypothèse, il « n'est pas possible, avant d'avoir lu l'Ecriture, « de faire aucun acte de foi divine sur les « mystères de la Religion, comme par exemple « sur la Trinité, sur l'Incarnation, sur la mis-« sion de Jésus-Christ, sur la rédemption du « genre humain, de peur de reconnaître un « autre principe de foi divine que l'Ecriture, « il faut qu'il confesse aussi que, selon son « hypothèse, avant d'avoir appris l'autorité « infaillible de l'Eglise, il n'est pas possible de « faire aucun acte de foi divine sur ces mêmes « mystères, de peur de reconnaître un autre « principe de foi que l'autorité de l'Eglise. » (Réponse au discours de M. de Condom, touchant l'Eglise.) Uno verbo, priusquàm Romanæ Ecclesiæ auctoritate adducantur ipsius alumni ad veræ fidei professionem, necesse est ut addiscant, et certò teneant, utrùm constituerit Deus Ecclesiam cui credendum sit et obtemperandum : ubi et quænam sit illa Ecclesia : deinde quam profiteatur doctrinam, tenendamque proposuerit : nonne ut hæc omnia comperta sint, quamdam oportet temporis interjici moram, interimque de iis dubitari dogmatibus, si nescire, dubitare sit ?

Resp. Præmittere possumus, in allato Claudii argumento perperàm induci Catholicos asserentes, Ecclesiam esse *principium fidei* : non principium fidei dicimus Ecclesiam, sed *regulam dirigentem,* constitutumque divinitùs interpretem, cui internum et externum debeatur obsequium. Jam ad propositam difficultatem : 1° Non hìc movetur quæstio de infantibus licet baptizatis rationisque ad usum provectis, quibus nihil adhuc voce aut scriptis suggestum sit de primis christianæ doctrinæ rudimentis : si quis enim nihil unquàm de revelatione divinâ, nihil unquàm de Ecclesiâ audiverit, mirandum videri non debet, illum quamvis baptismate initiatum, infusâque fide habituali instructum, nullum adhuc præstitisse assensum revelationi. Revocandum est tamen in memoriam, neque adultum gratiâ sanctificante orbatum, ad eam gratiam esse perventurum sine fide explicitâ credendorum *necessitate*

medii dogmatum, neque pro suâ providentiâ passurum esse Deum, ut qui regenerationis gratiâ donatus est (quam solum ipsi adimere potest peccatum mortale), diuturno nimis tempore careat prædictorum notitiâ dogmatum, sine quâ eorumque fide, non potest christianæ vitæ teneri cursus et salus obtineri. 2° Attendendum est quid *ex se* valeat Romanæ methodus Ecclesiæ, neque postulandum, ut prosit quando non adhibetur; quibus autem, ut par est, adhibenda curatur, illi nullo tempore adiguntur ad dubitandum de auctoritate Ecclesiæ, aliisve fidei dogmatibus. Quos enim sinu suo Romana Ecclesia fovet alumnos, illi solent ab ipsis ferè incunabulis, aliquâ christianæ Religionis imbui notitiâ : audiunt sese creatos esse, et hoc in mundo collocatos, Deum ut cognoscant, eum diligant, illique servientes æternam vitam consequantur : audiunt tres esse in Deo personas, Filium Dei natum ex beatâ Virgine, et pro nostrâ mortuum salute : audiunt unam et sanctam confitendam esse Ecclesiam : hæc et alia ipsis ingeruntur dogmata, quæ quidem etiam externo et sensibili cultu eorum in mentibus adumbrantur, aut potiùs imprimuntur. Increscente rationis usu, catholica in ipsis evolvitur institutio : tum sentiunt et advertunt, quantùm tenera hæc fert ætas, hominum saluti paterno Deum providisse affectu : sese pro suâ infirmitate et imperitiâ impares esse dignoscendis propriâ inquisitione dogmatibus fidei, et christianæ vitæ institutis : deinde, etsi cogitationes et affectus suos verbis explicare nequeant, rectè tamen concludunt oportere ut auctoritati, quâ edoceantur et regantur, sese permittant; porrò audiverunt, et etiamnum audiunt à parentibus et aliis, Christum Ecclesiæ quam condidit, eam reipsà contulisse auctoritatem quâ tantoperè indigent : præterea nullam noverunt, neque ullam in mundo reperire est societatem, quæ auctoritate Romanam Ecclesiam superare, aut assequi et æquiparare valeat : (haud obliviscendum non tam hic agi de Romanæ Ecclesiæ præstantiâ qualem ipsi vindicabimus, quàm de mutuâ ejusdem placitorum conciliatione) nihil aliunde vident hujus alumni, quod eos retardare possit, ab exhibendo eminenti huic Ecclesiæ sincero obsequio quæ ipsos materno complexa affectu, erudiendos, sustentandosque suscepit; quemadmodùm intra societatis humanæ fines, illis quos natura dedit, parentibus sponte tradunt se regendos, et fidenter obsequuntur : rationabile igitur ac prudens meritò censetur quod Ecclesiæ præstant obsequium, quemadmodùm latiùs exposuimus ubi de actu fidei à pueris rudibusque eliciendo : talis officii æquitatem ac necessitatem experiuntur ac perspiciunt, quamvis generalia quibus impelluntur rationum momenta, sermone depromere distinctè ac defendere plerique illorum non possint. Denique quò magis temporum lapsu in illis explicat se, ut diximus, vis ingenii, et augetur doctrinæ supellex, eò plura nanciscuntur, apprehendunt et intelligunt, quibus confirmatur ea quam Ecclesiæ teneris ab annis præstiterunt, obedientia. Atverò in methodo Protestantium, ut scilicet eorum tirones Scripturarum canonicitatem, earumdem sensum in fundamentalibus saltem articulis, eorumque distinctionem, numerumque ac naturam certò cognoscant, effluere priùs omninò necesse, est temporis aliquod intervallum quo de revelatis dogmatibus fluctuent incerti ac dubii, quo ex dubio quandonam prudenter emergent, suæ inhærentes methodo?

Objectio ultima ex diversis conflata.

Ut pro supremo controversiarum judice habeatur Ecclesia, necesse est compertum ut sit illam à doctrinâ Christi et Apostolorum non aberrâsse : hoc nisi priùs innotescat, timendum est ne ab ipsâ obtrudantur pro canonicis libri nonnulli supposititii, ac pro genuino Scripturarum sensu, commentitius et adulterinus : ergo antequàm Ecclesiæ ductum sequantur ejus alumni, oportet ut ab illis expendantur singula doctrinæ christianæ capita, necnon evolvantur continuæ monumenta traditionis, quæ cum Ecclesiæ institutionibus accuratè conferantur; fac ipsis imperitis talem præscribi indagationem, quo pacto vituperari possit Protestantium methodus, qui Scripturis, omnia creditu necessaria contineri existimantes, multùm eximunt de tanto exhauriendo labore. Præterea, si cognoscendis quæ ad salutem pertinent, præire necessum est Ecclesiæ documenta, quare in omnibus symbolis conjicitur in ultimam penè eorum partem articulus de credendâ Ecclesiâ? Quare Apostoli cùm evangelicam doctrinam prædicarent, non revocabant auditorum animos ad Ecclesiæ auctoritatem, quæ foret introducendæ fidei omninò necessaria? His addi potest primis Ecclesiæ christianæ temporibus, desæviente multiplici persecutione coactos fuisse latitare ac fugere pastores : quomodò tum potuissent opportunè

adiri, ad componenda in causis fidei pullulantia dissidia?

Resp. Multifariis demonstratum est argumentis, versari in terris societatem supremâ in causis fidei morumque definiendis auctoritate munitam, et quod necessariò consequens est, aditu facilem et cognitu, certissimis notis, suo loco ut præmonuimus, exponendis insignitam ; nedùm itaque necessum sit singulorum traditionem seculorum animo revolvere, singula improbo labore discutere dogmata, veraque privato examine priùs à falsis omnibus, et interpolatis secernere, quàm Ecclesiæ auctoritati et judiciis obtemperandum sit, tanquàm supremo controversiarum judici : divinitùs constituta est, auctoritas Ecclesiæ, promptâque ac docili mente audienda, ut sepositâ simul et privatæ discussionis operâ, et omni amoto dubio, ediscantur et constanter teneantur quæcumque ad christianæ instituum vitæ requiruntur. Exemplis potest id totum illustrari : nimirùm, ut medico habeatur fides, et ab illo præscripta exequantur ægroti, necesse non est, priùs ut singula mente percurrant artis medicæ subsidia, morborum diversa genera, remediorum efficacitatem et copiam, atque sigillatim expendatur, num in variis quos medicus ille curare aggressus est morbis, mortem nunquàm pro medicamine intulerit. Satis est, ut gravibus testimoniis de illius sagacitate et peritiâ constiterit; quis verò recuperandæ salutis cupidus, adire illum, eidemque morem gerere dubitaret, si divino ille commendatus, curandisque acerbioribus morbis præpositus esset testimonio. Ita, statim atque probatum est, conditam esse à Deo Ecclesiam, quæ supremi controversiarum judicis, et munere fungatur et auctoritate valeat, non ex dogmatum discussione, de illius judiciis, sed ex ipsius judiciis, de propositis dogmatibus sentiendum est. Quò evaderet civilibus ipsis in negotiis auctoritas judicum, si parere illorum sententiis, eâ duntaxat conditione tenerentur subditi, ut obsequi renuerent, quoties ponderatis privato examine sententiis, acquiescendum non putarent? quantò magis id æquitati et rationi repugnat, ubi agitur de præstando Ecclesiæ auctoritati et judiciis obsequio !

Ad alterum quod in objectione propositum est, respondemus duas in partes præcipuas dividi symbolum Apostolorum : ordinatè priore in loco commemorantur quæ ad unum Deum, personarum Trinitatem, et ad mysteria Christi pertineant : secundum locum appositè obtinet articulus de Ecclesiâ, eximio totius Trinitatis opere, laboribusque et morte Christi comparato . hâc autem symboli articulos disponendi ratione, non minùs constat, auctoritatem Ecclesiæ, viam esse ordinariam, Deo constituente et jubente, per quam, eodem adjuvante suscipi, intacta servari ac vindicari debeat fides. Denique quod in objectione additum est, primâ Ecclesiæ christianæ ætate, obscurum, et quasi ignotum fuisse docendi ministerium, id omninò fingitur ad invidiam : quomodò enim tum delituisset docendi ministerium et auctoritas, cùm Evangelii prædicatione personarent remotissimæ regiones? cùm *exiret in omnem terram* vox Apostolorum , *fructificaret in universo* mundo doctrina Christi, certatim erumperent ex umbrâ mortis populi, ac sese mutuò ipsosque Judæos provocarent exclamantes : *Ascendamus ad montem Domini,* et *docebit nos vias suas :* uno verbo, cùm profectâ ex Sion evangelicâ lege, confirmatoque et clarescente ministrorum Christi tum prodigiis ac virtutibus, tum ipso eorum sanguine, testimonio, undique consurgerent insignes, et præpositis suis *tanquàm Angelis Dei,* obsequentes Ecclesiæ, quæ professione fidei et vitæ exemplis fulgerent *tanquàm luminaria in mundo?*

Articulus II.

Solvuntur quæ objiciuntur à Socinianis.

Objicies 1° : Si dogma nullum admittendum sit, nihilque adscribendum revelationi, quod antea non exigatur rationis ad normam, cujusque veritatem aut saltem possibilitatem non introspexerit, dubitandum non est quin habenda sit humana ratio, tanquàm supremus controversiarum judex in causis morum ac fidei; atqui nihil esse credendum, nihilque revelationi imputandum, quod humanæ priùs rationi congruere non monstratum fuerit, colligitur tum ex ipsâ revelatione, tum ex totius certitudinis humanæ principiis. 1° Ex ipsâ revelatione : *Rationabile obsequium vestrum,* inquit Apostolus ad Roman. cap. 12. Dictum fuerat Ecclesiastici cap. 19 : *Qui citò credit levis est.* At citiùs crederet ac temerè, neque rationabiliter obsequeretur, quicumque in admittendis, vel reprobandis dogmatibus, humanæ judicium rationis, quâ maximè antecellit homo belluis, vel non adhiberet, vel sequi abnueret : quin etiam Deo irrogaret injuriam, cùm ultrò periculum incurreret, ea Deo atribuendi, quæ ipsum dehonestatum of-

fensumque habeant. 2° Evidentia certissimus est veritatis character, totiusque nostræ certitudinis fundamentum et regula : notum est quàm latè pateat istud effatum : *Quidquid percipitur est verum.* Hæc ultima est ratio, quæ afferri possit, cur de aliquâ nobis veritate constet. Repugnare autem rationi non potest fides, cùm utriusque auctor approbatorque sit Deus : ergo dijudicandi Scripturarum sensûs idonea necessariaque methodus ea est, ut cùm intrinsecis rationis humanæ placitis Scripturarum testimonia conferantur, tumque illa naturali et obvio sensu accipiantur, quæ humana ratio probaverit, ea verò ad metaphoram inflectantur, quæ si intelligerentur ad litteram, dedecere Deum, vel hominum saluti officere, maturum ipsa post examen judicaverit.

Resp. 1° : Assertionibus nostris minimè adversatur, quin potiùs perfectè consonat, pronuntiatum illud Apostoli : *Rationabile obsequium vestrum;* eò loci, cultui Judaico materiali et carnali opponitur cultus interior et spiritualis. Dixerat Christus Joan. cap. 4, v. 23 : *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. In spiritu,* non in figuris ac in victimis carnalibus, ut Judæi : *in veritate,* non falso et schismatico cultu, ut Samaritani. Adde impensum fidei obsequium meritò dici rationabile, non eò quidem quòd regula fidei et supremus judex habenda sit humana ratio, sed quia nihil magis rationis dictamini consentaneum, quàm illa omnia credere, quæ revelaverit Deus, et credenda proposuerint pastores Ecclesiæ. 2° Credere absque considerato ullo sufficiente rationis tum intrinseco, tum extrinseco momento, esset quidem citò et leviter credere : id humanâ redargueretur in fide, quantò magis in divinâ, quæ tota in testimonium ac veracitatem Dei refunditur! Ad effugiendam itaque temerariæ et præcipitis credulitatis notam, oportet credentibus suppeditetur accommodata ipsorum ad captum ratio credendi, quâ prudenter persuasum habeant, revelatam esse divinitùs eam, quæ credenda illis exhibetur, doctrinam; verùm nullo modo necesse est ut eorum quæ proponuntur illis dogmatum naturam scrutari ac perspicere valeant : ipsâ enim ratione admonentur, multa et numero infinita Deum nôsse et comprehendere humanæ menti inaccessa et impervia : eum nec falli posse, nec fallere : nihilque à ratione alienum magis, quàm detrahi fidem supremæ rationi quæ Deus est. Jam verò Deum esse locutum, et illa omnia revelâsse dogmata quæ credere jubeamur, compertum rudes ipsi et illitterati habere possunt, docente Ecclesiâ, cujus auctoritas, ut diximus, ab eodem quo Religio christiana, auctore profecta, iisdem comprobatur manifestaturque testimoniis. 3° Ad objectionem desumptam ex naturâ et dotibus evidentiæ, multiplex suppetit responsum. Usurpata naturali sensu Scriptura, qualem Ecclesia proposuerit, certissima est veritatis regula : ergo quidquid cum eâ pugnare videatur, continuò abjiciendum est, tanquàm falsæ et corruptæ rationis judicium, neque enim revelantis Dei summè veracis auctoritati, vera et recta ratio potest unquàm adversari : « Si ratio, ait S. « Augustinus, contra Scripturarum divinarum « auctoritatem redditur, quantumlibet acuta « sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non « potest. » Epist. 120, aliàs 122. Præponderare profectò debet et prævalere humanis in mentibus ratio Dei, increata, illimitata et infinita, rationi creatæ et finitæ, qualis nostra est, densis insuper obsitæ tenebris variisque præjudiciis obnoxiæ. Attamen, positâ Socinianorum methodo, ne ipsa quidem illa quæ nobis et illis communia sunt, fidei capita, ut puta creationem mundi, corporum resurrectionem possent consequenter defendere; idem quippe quod Sociniani principium obtendentes deistæ, contenderent illa sicut alia benè multa dogmata, cum humanâ ratione conciliari non posse, aut etiam ipsi repugnare, ideòque judice ratione, quæ primas ubique partes obtineat, omninò esse abjicienda atque sic tota gradatim proscinderetur christiana Religio.

Evidentiam fatemur certissimum esse veritatis characterem et argumentum, in multis quæ naturalem ad ordinem referuntur; diximus, *in multis,* quia hunc etiam intra ordinem multò plura substrahuntur evidentiæ; eadem etiam demonstrare potest probationum vim quæ *credibilitatis motiva* dicuntur, at evincere nunquàm poterunt Sociniani, aut dogmata nulla posse revelare Deum, quæ pervadere et scrutari humana ratio non possit, aut si revelentur, eo ipso denegandam ipsis fidem, quòd ea nequeant humano introspici ingenio, neque lumine naturali, seu evidentiâ collustrari : quasi verò de rebus summis et altissimis, de reconditâ mysteriorum possibilitate, de naturâ Dei, ejusque proprietatibus, divinisque operationibus judicanti humanæ rationi fidendum

esset potiùs, quàm significantibus expressæ verbis, atque propositæ, ut par est, revelationi. Quamvis certum sit quidquid evidenter percipitur, non id solum certum est quod ab hominibus evidenter percipitur : certè ad pariendam dogmatum fidem, evidentiæ vices eminenter gerit perspecta Dei veracitas et auctoritas; neque inde concludas velle nos derogari immutabilibus certitudinis humanæ principiis. Physicis quidem principiis, seu naturæ legibus, quædam derogare Religionis nostræ principia, libenter profitemur : v. g., id constat de mysterio Incarnationis, de Eucharistiâ. At naturalis ordinis leges, physica principia, utpotè à Deo constituta, possunt Deo volente exceptiones pati; tum si quæ fortè ex illis exceptionibus imminerent incommoda, compensare illa potest Deus aut avertere. Nullum autem dogma revelatum posse metaphysicis seu rerum essentiâ innixis principiis repugnare asserimus; quod enim illis repugnaret, adversaretur Dei æternis immutabilibusque ideis, ac proinde necessariis veritatis exemplaribus ac fontibus. In certitudinem physicam cadere idcircò potest derogatio, quia pendeat à naturali rerum ordine, qui divinæ omninò subjacet voluntati : sic pridiè quàm jubente Josue Dei ministro steterit sol, cursum solis non esse retardandum, pro certo tenebatur, sed physicâ tantùm certitudine. Qui futurâ de resurrectione Lazari nihil audiverant, consuetum poterant rerum ordinem prospicientes, certâ physicè sententiâ pronuntiare eum non esse suscitandum tumulo; nec in hujusmodi assertionibus propriè falluntur homines, quæ quidem ex subjectâ materiâ istam complectuntur conditionem : *Nisi Deus omnipotens, cujus ad nutum regitur mundus, aliter ordinaverit.* At neque certitudini metaphysicæ detrahi potest, cùm rerum illigata sit essentiis : neque etiam certitudini morali *absolutæ et perfectæ*, quæ scilicet morali cum evidentiâ ita conjuncta est, ut rationalem tollat omnem errandi formidinem; id certitudinis genus si quando abrumperetur, nutarent simul et conciderent firmissima societatis et Religionis fundamenta : talis est illa quâ nobis constat de urbis Romæ existentiâ, de orbis novi, seu Americæ inventione, etc. Hujusmodi certitudo, si vel semel deficeret, evellenda esset ex mentibus ineluctabilis, generalis, atque naturaliter insita propensio ad assentiendum innumeris nec ullo modo suspectis relationibus : fortuitum ad casum referendus esset obvius et constantissimus confluentium undique testimoniorum concentus, atque venirent in dubium præcipua ipsa facta, quibus incumbit christiana tota Religio : porrò nunquàm evincent Sociniani, nunquàm posse Religionis causâ physicæ derogare certitudini, quemadmodùm exposuimus, aut esse contraria dogmata nostra certitudini metaphysicæ, vel morali absolutæ et perfectæ qualem delineavimus.

Objicies 2° : Plurima in Scripturis observantur testimonia quibus in interpretandis tenetur ab ipsis Catholicis Romanis, sociniana methodus : Deo passim tribuuntur, quæ corporum sunt propria : magnitudo et dimensio triplex. Sic, Job cap. 11 : *Excelsior cœlo est, profundior inferno, longior terrâ, latior mari* : Situs, Psalm. 107 : *Exurge, Domine, in irâ tuâ*, et Psalm. 109 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis.* Isa. cap. 6 : *Vidi Dominum super solium.* Tribuuntur oculi : Exod. 33 : *Inveniam gratiam ante oculos tuos.* Psalm. 33 : *Oculi Domini super justos.* Aures : Psalm. 129 : *Fiant aures tuæ intendentes.* Odoratus : Genes. cap. 8 : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Os : Isai. cap. 1 : *Os Domini locutum est.* Manus : *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me.* Pedes : Isai. cap. 66 : *Cœlum sedes mea, scabellum pedum meorum.* Tribuuntur Deo affectiones humanis similes : pœnitentia, dolor, ira. Genes. cap. 6 : *Pœnituit eum quòd hominem fecisset.* Tactus *dolore cordis intrinsecùs, delebo,* inquit, *hominem quem creavi à facie terræ.* Psalm. 6 : *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me.* Alia sunt hujusmodi innumera. Quod urgere magis videatur, adscribuntur Deo, quorumdam hominum obsecæcatio et induratio : Joann. cap. 12, v. 40 : *Excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum ; ut non videant oculis, et non intelligant corde.* Neminem latet quid scriptum sit de induratione Pharaonis. Hæc et similia Scripturarum testimonia metaphoricum ad sensum inflectuntur ab ipsis Romanis theologis, nec aliâ de causâ quàm quòd socinianam sectantes methodum, prælucente rationis face judicant indigna Deo illa fore testimonia, si litterali et obvio sensu essent accipienda. Cur igitur impietatis insimulantur Sociniani dùm pariter metaphoricum ad sensum adducere moliuntur illa de Trinitate personarum in Deo, de Incarnatione Verbi, testimonia Scripturarum, quæ obvio sensu intellecta, immotis rationis humanæ repugnarent principiis, atque manifestâ contradictione implicarentur? Quod si negandum videatur, humanis erit certandum ratiociniis.

Resp. 1° : Unanimi consensu fatentur orthodoxi, in metaphoris ponenda esse ea omnia Scripturarum testimonia, quæ obvio et litterali sensu intellecta, primariis evidentissimisque notionibus adversantur, seu quæ, ut loquitur S. Augustinus epist. 143, aliàs 7 ad Marcellinum, manifestè repugnant principiis, axiomatibus et effatis ita perspicuis, *ut quisquis contradixerit, dementissimus habeatur*. Quapropter facilis est adductorum mox textuum explanatio. Sic cùm Christus dicitur sedere ad dextram Patris, *dextræ* nomine, non corporis pars aliqua designatur, sed æqualitas indicatur dignitatis. *Sic magnitudo et dimensio extensionis* significat immensitatem Dei : *situs*, immutabilitatem : *solii celsitudo*, majestatem : *oculi*, perspicaciam : *manus*, omnipotentiam : *aures*, benignitatem, misericordiam, attentionem : *pedes* præsentiam, vim agendi promptam et expeditam. *Zelus pœnitentiæ et ira*, non affectiones et animi motus vocibus illis enuntiari solitos, sed congruentes affectionibus motibusque illis effectus. — Ita etiam obcæcare dicitur et indurare Deus, non offundendo animis tenebras, non impertiendo malitiam, sed aptiorem illuminandis mentibus emolliendisque cordibus subtrahendo gratiam. 2° Si quod ex allatis mox textibus aliisque id genus impendere videretur periculum illud omne propulsaretur disertissimis et innumerabilibus ejusdem Scripturæ testimoniis; quædam exempli causâ proferre sufficiat. Job. cap. 10 : *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo et tu videbis?* Lib. 3 Regum cap. 8 : *Si cœlum et cœli cœlorum capere te non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi!* Joann. cap. 4, v. 24 : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in Spiritu et veritate oportet adorare*. Jacobi 1, v. 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Deuteronomii cap. 32, v. 4 : *Deus fidelis, et absque ullâ iniquitate, justus et rectus*. Ezechielis cap. 33, v. 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur à viâ suâ et vivat*. Jacobi cap. 7 : *Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. 3° Discrepant inter se metaphoræ multæ in Scripturis adhibitæ, nec secum invicem, si ad litteram sumerentur, cohærere possent. Vocatur Christus *lux, ostium, vitis ;* apprimè mutuò conciliantur, certatimque conspirant in Christum designatæ vocibus illis proprietates; at ipsa quibus adumbrantur symbola, ineptum foret ac stultum velle ad litteram intelligi, et in eodem *subjecto* sic intellecta coadunari. Aliud est procul dubio, tum ex ipsâmet Scripturâ, tum ex apertissimâ ratione interpretari, ut factum est, Scripturæ testimonia in speciem repugnantia : aliud verò statuere, cum Socinianis, ut nullum prorsùs dogma, tanquàm revelatum credendumque habeatur, nisi possibilitas ipsius, aut etiam, ut quidam somniârunt, ejusdem existentia lumine naturali demonstrari possit, tum illud ablegari et à numero credendorum oportebit eximi, quantumcumque expressis ac minimè æquivocis significetur verbis in recepto Scripturarum canone; meris itaque metaphoris omnia id genus accenseri testimonia; hæc disserendi methodus, quàm sit temeraria, irreligiosa et impia, tùm quantùm vergat in abolendam perimendamque prorsùs fidem, multis ostendimus argumentis, refellendo Socinianorum systema.

Instabis 1° : Quæ impellit ratio ad metaphoricum sensum illis adscribendum Scripturæ testimoniis, quæ, v. g., Deum esse corporeum humanisque instructum membris, significare videantur, eadem, inquiunt Sociniani, cogit nos idem sentire de testimoniis quæ depromere solent Romani theologi, ut probent tres esse in Deo personas, unam ex illis fuisse incarnatam : Christum esse in Eucharistiâ verè præsentem : propagari singulosque in homines transfundi peccatum primi parentis; ad ea expendenda mysteria, metaphorisque annumerandos textus, quibus enuntiata dicuntur, non minùs valet humana ratio, nec minùs juris sibi vindicat, quàm ubi agitur de textibus qui Deo corpus, si ad litteram usurparentur, affingerent; deindè si quibusdam in dogmatibus haberetur humana ratio tanquàm legitimus interpres supremusque judex, non est cur ad ejus examen et judicium non revocentur etiam cæteræ partes doctrinæ : rationis enim seu hominis ut rationalis interest, dogma nullum approbari quod cum naturalibus pugnet necessariisque principiis.

Resp. : Hujusce nostri non est instituti cavillationes omnes sigillatim discutere, quibus verenda Religionis mysteria lacessere singula gestiunt Sociniani: quasdam duntaxat hìc subjiciemus adnotationes, quæ proposito nobis scopo assequendo planè sufficiunt. 1° Nemo sanâ dixerit mente, tam apertè sibi constare necessariis essentialibusque principiis repugnare mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, quàm constat à rectâ ratione alienum esse, ut corpus dicatur Deus : qui corporeum essentiâ suâ, simulque nihilominùs immutabilem, omnipotentem, creatorem, ipsamque veritatem et sapien-

tiam Deum inducere machinaretur, ille deridendus potiùs judicaretur quàm seriò confutandus : vixque concipitur exoriri aliquando potuisse eam quæ appellatur *Antropomorphytarum* hæresim : at de personarum uno in Deo Trinitate, de Verbi divini Incarnatione compertum est quàm egregiis quæ adhuc extant operibus, disseruerint præstantissimi pietate, ingenio, eruditione Patres : Athanasios cogita, Hilarios, Augustinos, Ambrosios, Cyrillos, Gregorios, Basilios, Chrysostomos, etc. Recordare quantâ gravitate et majestate asseruerint prædicta dogmata generales Ecclesiæ synodi : quàm glorioso exitu damnaverint nefarias Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum molitiones. Quidquid argutis et conquisitis undique argumentis (quæ recuderunt Sociniani), quantocumque furore, abutentes principum quos seduxerant, potestate, bacchati olim fuerint, prævaluit olim in orbe christiano avita fides, alienos, fictitiosque sensus prohibente à Scripturis apostolicâ traditione et auctoritate Ecclesiæ. 2° Vel ipsis prudenter applicatis logicæ generalibus regulis quotidiè refelluntur acutissima Socinianorum argumenta, dùm nempe ostenditur, nullum ab ipsis afferri, cujus et evidentia sint principia, et evidenter deducta ex eisdem conclusio, quod utrumque tamen ad veram requiritur demonstrationem, quâ deficiente, immota stat atque integra fides ipso Dei vanas hominum cogitationes reprobantis, innixa testimonio. Unum etiam hìc animadvertendum ; quamvis solo lumine naturali agnosci facilè possit metaphoricum in sensum interpretari oportere quædam Scripturarum testimonia, attamen in illis exponendis atque in dirimendis, si quæ oriantur de illorum significatione, litibus, haud Ecclesiæ præripitur in hujusmodi controversiis, supremi auctoritas judicis. Numquid secularibus in negotiis, ad intricatas solùm et diremptu difficiles causas pertinet constituti à principe judicis potestas ? Nonne ipsas quæ nec ancipites forent in se ipsis et implexæ, componendi jus obtinet, contentiososque et pertinaces, debitâ coercendi sententiâ ?

Instabis 2° : Quæ dicuntur Religionis mysteria, possunt ut vera concipi, aut saltem ut possibilia, vel non possunt ita concipi : si possint concipi ut vera, aut saltem ut possibilia, hanc ideam sola mentibus subministrat ratio naturalis, neque enim à revelatione reseratur mysteriorum natura et intrinseca possibilitas : si autem mysteria fidei concipi nequeant, nec genuina ipsorum naturæ et possibilitatis idea possit meditantibus obtingere, non possunt ea sapienter credi, cùm nulla sit fides absque verâ credendorum ideâ, ipsorumque naturæ et possibilitatis competente cognitione, quam ideam, seu competentem cognitionem, cùm sola, ut diximus, naturalis ratio suppeditare valeat, restat ut de credendis dogmatibus supremum judicium naturali deferatur rationi. Hunc in sensum sic disputat Baylius (OEuvres de Bayle, tome 2) : « Tout dogme qui n'est point homologué, pour ainsi dire, vérifié et enregistré « au parlement de la suprême raison et de la « lumière naturelle, ne peut qu'être d'une autorité chancelante et fragile comme le verre. » His consentanea loquitur J. Jacobus Rousseau, Emile, tomo 3 : « Le Dieu que j'adore n'est « point un Dieu de ténèbres : il ne m'a point « doué d'entendement pour m'en interdire « l'usage : me dire de soumettre ma raison, « c'est outrager son auteur : le ministre de la « vérité ne tyrannise point ma raison, il l'é- « claire. » Et certè necesse est ut à variis contradictionibus quæ fidei mysteriis imputantur, eadem possint vindicari, ac proindè cum essentialibus rationis humanæ placitis componantur ; quâ tandem judice, quo loco haberi debeant, certissimè statuatur ; in hujusmodi ergo controversiis principatum tenet.

Resp. 1° : Hæc si valeret objectio, ipsum intra naturalem ordinem, vacillarent ac dilaberentur cognitionis innumeræ species pervulgatæ simul et certissimæ. An ut quis certus sit, hominem sentire, cogitare, diversis agitari desideriis, necesse est, ut priùs perspectam exploratamque habeat sensationum naturam, originem idearum desideriorumque intimam scaturiginem ? An ut possimus asserere nos circumdari corporibus, eaque esse verè divisibilia, dura, naturaliter impenetrabilia, oporteat ut percipiantur natura corporum, interna duritiei principia aliarumque proprietatum, quibus perpetuò, in vitæ humanæ commerciis utuntur homines, etiamsi de ipsarum naturâ perpetuò dissentiant inter se graviores philosophi ? « Il « y a dans la nature, inquit percelebris Religionis christianæ apologista (Abbadie), une « infinité de choses dont nous connaissons « l'existence, et il n'y en a pas une seule, « pour petite qu'elle soit, dont nous compre- « nions la manière, sans qu'il soit jamais tombé « dans l'esprit d'un homme qui a le sens com- « mun, de les révoquer en doute pour cela. « Pourquoi, étant si raisonnables dans la na-

« ture, le sommes-nous si peu dans la reli-
« gion ? C'est que dans la nature, notre es-
« prit agit naturellement, et que dans la reli-
« gion il est trompé par ses passions, qui ne
« cherchent que matière de doute. » (Traité de la Vérité de la Religion, seconde partie.) Dei ipsius existentiam inficiari necesse est, si ejus essentiam, aut quæ eadem cum ipsâ est, possibilitatem, distinctè animo concipere oporteat. « Plus je m'efforce de contempler son es-
« sence infinie, exclamat J. Jacobus Rousseau,
« moins je la conçois : mais elle est, cela suf-
« fit : moins je la conçois, plus je l'adore : je
« m'humilie, et lui dis : Être des êtres, je suis
« parce que tu es : c'est m'élever à ma source,
« que de te méditer sans cesse ; le plus digne
« usage de ma raison est de s'anéantir devant
« toi : c'est mon ravissement d'esprit, c'est le
« charme de ma faiblesse de me sentir acca-
« blé de ta grandeur. »

2° Profitentur mysteriorum fidei defensores, humanam supra rationem posita esse plurima ipsius dogmata : profitentur et probant in auctoritatem Dei revelantis ultimò resolvi et incumbere fidem. Quid ergo fidei nostræ officiant certitudini istæ quibus mysteria obvolvuntur nebulæ ? Non jubemur ipsorum indagare naturam et penetralia rimari : nuda sunt et aperta oculis Dei intuentis et comprehendentis abyssos : id unum postulari potest (quod abundè præstatur), nimirùm ut certis et claris argumentis Deum illa quoque revelavisse dogmata, probatum fuerit ; hoc ipso enim ea esse constat et credibilia, et certò credenda, propter auctoritatem Dei, in omnibus æqualiter infallibilis et summè veracis : confessionem hanc nonnunquàm ab ipsis incredulis expressit vis insita veritati. Audiatur incredulorum institutor et idolum Baylius : « La raison, la philo-
« sophie nous montrent, par leurs axiomes les
« plus évidents, que nous ne saurions tenir
« une conduite plus juste, que d'acquiescer,
« sans comprendre, aux mystères que Dieu
« nous a révélés » (Œuvres de Bayle, tome 3). 3° Tametsi nobis non insit idea, ut aiunt, adæquata, seu completa mysteriorum fidei, non idcircò caremus illorum cognitione quæ necessaria sit et sufficiat ad dirigendam fidem edendamque rationabilem fidei professionem. Dùm generale concilium Nicænum discussit, ac damnandam curavit Arianam hæresim ; Constantinopolitanum primum, Macedonianam ; Ephesinum, Nestorianam ; Chalcedonense, Eutychianam, non aerem verberabant : non phantasmata aut meras sonantesque sine sensu voces proscripserunt : quò spectarent illorum anathemata, rectè intelligebant diversi, quos percellebant, et ab Ecclesiæ communione repellebant hæretici ; hinc tot personabant querelæ, tot jactabantur in judices convicia, ut moris est, à litigantibus illis causâ cadentibus. Versate paulisper attentis mentibus, quæ auctores ecclesiastici, refellendis variis ac ferè omnigenis erroribus elucubraverunt opera, videbitis utrùm doctrinæ nullum caput impugnaverint : utrùm Arianam pro Nestorianâ, Pelagianam pro Prædestinianâ, etc., profligaverint : denique utrùm ad rem nullum ex tot testimoniis pertinerent, quæ tum ex Scripturis, tum ex traditione congerebant : videant Sociniani dùm nervos intendunt et argumenta undique corradunt, ut radicitùs, si fieri posset, evellant fidei mysteria, utrùm eadem promiscuè tela in Eucharistiam intorqueant quæ sanctissimam in Trinitatem audeant conjicere ; numquid unum mysterium nequeunt ab altero secernere, quamvis in mysterio, v. g., Incarnationis, intelligi et explicari distinctè non possit, quomodò potuerit verbum divinum naturam humanam in unitate personæ assumere, habetur tamen tum personæ, tum naturæ unionisque sufficiens idea, ut cognoscere et credere possimus, Verbum Dei factum esse verè hominem ; eumdem esse patri inferiorem, ut hominem, æqualem ut Deum. Hæc non ignorant rectè instituti apud Catholicos ipsi infantes ac rustici, nec vellent meris creaturis latriæ cultum impendere, quem Christo salvatori exhibere non dubitant.

Pleniùs ut introspiciatur adducta responsio, observandum 1° hanc propositionem : Mysteria fidei sunt *supra, et veluti extra rationem*, non sic esse intelligendam, quasi supra et velut extra rationem versarentur *absolutè et universaliter sumptam*, quæ veritatem omnem complectitur et comprehendit : universalis hæc et perfecta ratio, Deus est. Observandum 2° : dùm asseritur auctoritati Dei revelantis subjacere rationem naturalem, non idcircò indicatur deserendam esse evidentiam, quasi pugnare unquàm posset cum fide, sed significatur tanquàm falsam et fallentem eam esse repellendam evidentiam, quæ revelatis ac sufficienter propositis dogmatibus repugnare videatur : imò dùm credenda proponuntur dogmata, quæ naturali lumine demonstrari possint, non ideò creduntur, quia ratione demonstrata sint, sed quia revelavit ipsa Deus, cujus in auctoritatem, tanquàm in propriam et sufficientissimam assen-

tiendi causam recumbit divina fides. Observandum 3° Religioni malè consulere qui rationem naturalem sic deprimunt, ut quidquid suggerit, id omne quasi per se incertum ac nullius ferè momenti, despicari videantur; imprudentes non advertunt futurum, ut, mentes si occuparet hæc eorum præjudicata sententia, concideren vel firmissima *credibilitatis motiva;* contabesceret ac dejiceretur auctoritas Ecclesiæ ; pro nihilo duceretur atque evanesceret tota ipsa revelatio.

Objicies 3° : Impugnantur Sociniani eo maximè argumento: Ubi Deus loquitur, sileat humana ratio. Inspiratis à summâ veritate verbis adjungenda procul dubio fides, quæcumque obtrudantur credendi difficultates : hoc stante placito, inconcussa nihilominùs stat sociniana methodus : neque enim novatores illi, aut alii velificantes iisdem neoterici diffitentur inhærendum esse Dei verbis proprio et genuino sensu intellectis : verùm ut dignoscatur num in his vel illis textibus, sensus qui primâ fronte proprius ac genuinus esse videatur, reipsà talis habendus sit, accuratam volunt ejusdem institui eum ratione comparationem, et hâc factâ collatione respui tanquàm alienum et minimè revelatum, eum omnem sensum quem ratio non approbaverit; ad eam enim velut ad lydium lapidem admoveri volunt, et pertentari quodcumque dogma. Profitentur cum ipsis Ecclesiæ Romanæ theologis, ad legitimam Scripturarum expositionem, conferendos esse textus cum textibus, pensanda sedulò antecedentia et consequentia : introspiciendum auctoris Spiritu sancto afflati scopum : quidni pariter inquirendum est, utrùm rationi consentiant ea de quibus litigatur, dogmata? Tum deinde quæ dictatis illius dissentire putaveris, ablegenda censeas à divinæ revelationis complexu: benignioremque, seu metaphoricum ad sensum trahantur illa quibus enuntiari videntur testimonia. Ita creberrimè *Socinus, Crellius,* aliique insigniores Socinianarum partium duces : ita recentioribus temporibus nonnulli, qui sub signis eorum militare palam non audeant.

Resp. Aliud est adhiberi consuetas humani eloquii leges, ac moderatæ critices regulas, sic tamen ut sincero animus affectu paratus sit, obsequi testimonio Dei sufficienter revelato ac proposito : aliud autem metaphoricum in sensum detorqueri verba Scripturæ, quoties naturali et obvio quem præ se ferunt sensu, dogma significant, quod privato examine videatur non cohærere cum humanâ ratione, cui delatum fuerit ultimum in causis fidei judicium quæ Deus voluit mandari litteris, hæc certè credi non possunt nisi innotuerint, nec innotescere, nisi ex receptis et usu consecratis eloquii legibus cognoscatur, quæ sit verborum, quibus declarantur, vis ac propria significatio : hâc verò perspectâ, nihil velle tanquàm revelatum habere, quod ipse privatâ tuâ ratione alienum à ratione judicaveris ; hæc lethifero veneno referta methodus, plena est impietatis et superbiæ : plena temeritatis et periculi : dubios et incertos reddit certissimos divinæ revelationis fœtus : secernendæ veritatis præscriptam obsepit et præcludit viam : summam infert ipsi Deo injuriam, cujus verbis credendi, vel non credendi, staret penes humanam rationem, jus et arbitrium. Emollita igitur in speciem prædicta methodus conciliari non potest cum indubitato illo principio : Ubi loquitur Deus, sileat humana ratio ; quin etiam, quidquid humanæ rationi, hoc est, inimicis Ecclesiæ, naturali lumine abutentibus displiceret, id totum repudiaretur, quantumvis significantibus verbis expressum ex divinis litteris, interprete ipsâ Ecclesiâ expositis, quam ut vidimus, quasi semetipsum audiri Christus præcipit. Ita philosophicas in contentiones abiret simplicitas et majestas divinæ fidei. Hinc in Epist. ad Colossenses cap. 2, v. 8 : *Videte,* inquit Apostolus, *ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Hinc in Epist. secundâ ad Timotheum cap. 2, v. 14 : *Noli contendere verbis ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

Instabis : Esto, imponendum sit rationi silentium, ubi agitur de dogmatibus, quæ solummodò sint eidem impervia; at si revelata dicantur quæ placitis illius repugnent, quis credat voluisse Deum rationi homines obluctari, quâ secernuntur à brutis animantibus? — Resp.: Neque universali rationi, quæ omnem complectitur veritatem, ac reipsà Deus est, revelatum ullum dogma potest repugnare, neque creatæ ipsi ac limitatæ rationi, modò præjudiciis et cupiditatibus non depravatæ; fatemur etiam ac profitemur metaphoricum ad sensum necessariò inflectenda esse Scripturæ quædam testimonia : talia sunt, ut adnotavimus, ea, quæ si duntaxat attendatur ad verborum corticem, corpus esse Deum eloquantur : verùm supra satis superque ostendimus quantùm ab hujusmodi testimoniis ea differant, quibus enuntiantur quæ coluntur à nobis mysteria. Nihil est penè in revelatis, quod alienum in

sensum non detorqueatur, si rejectâ Ecclesiæ auctoritate, habenæ relaxentur humanæ rationi : quapropter tot eam demonstravimus argumentis auctoritatem, in causis fidei tam opportunam ac necessariam.

Instabis iterùm : Occurrunt in Scripturis dogmata, quæ non expressè neque perspicuè revelantur ; habenda sunt tanquàm consecutiones, ratiocinio ex revelatione deductæ : ergo ad rationis normam exigenda sunt, ac proindè abjicienda, nisi eisdem suffragata fuerit. — Resp. : Quæ expressè in Scripturis revelata non sunt, constanti traditione quam, velint nolint Sociniani, alteram habemus fidei regulam, possunt expressis testimoniis asseri et vindicari ; præterea, ad eliciendum fidei assensum, sufficit immediata, licet implicita revelatio, hoc est, expressis vocibus haud enuntiata : quæ judicio Ecclesiæ ita potest declarari, ut hæreticus habeatur, qui pertinaciter negaverit. Deinde quæ ratiociniis derivata videntur ex verbo Dei, non magis ad rationis normam tanquàm supremum ad judicem exigenda sunt, quàm ipsamet fidei placita ; ut enim in secernendis, quæ divinâ fide credenda sint, dogmatibus, ita in eruendis, quæ ex illis profluant, consectariis, obnoxia est diversis erroribus humana ratio, præsidio indiget quo sustentetur, seu animatâ auctoritate, quâ dirigi, defendi possit et obfirmari.

Objicies 4°, ex S. Augustino : Epist. 143, aliàs 7, sic loquitur : « Si ratio contra Scripturarum divinarum auctoritatem redditur, quàmlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. Rursùs si manifestissimæ certæque rationi, velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit ; et non Scripturarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potiùs objicit veritati, nec quod in eis, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit. » Ergo rationi parendum est, ejusque prorsùs standum judicio, in exponendis Scripturis.

Resp. : Mirum est adduci S. Augustinum in Socinianæ patrocinium methodi, cùm nemo disertiùs eam vehementiùsque expugnaverit, ut patet tum ex ipsius textibus inter probationes nostras relatis, tum ex Epist. 177, aliàs 112, ex lib. 33 contra Faustum cap. 9, ex lib. 2 de Baptismo, cap. 3, ex Epist. ad Consentium. Objecto in loco, duo statuit, quæ nemo ex nobis inficiatur : primùm, veram esse non posse, sed verisimilitudine fallere rationem illam, quæ scripturis opponeretur : id Catholicorum apprimè consonat principiis. Secundùm posse fieri, ut *velut* Scripturæ auctoritas, hoc est, tractum per vim aut fraudem testimonium aliquod Scripturæ, manifestissimâ ratione repellatur, tum verò decipi eum, qui tale sibi patrocinari crediderit, commentitiumque sensum pro genuino venditare non dubitaverit. Tota hæc solutio clariùs etiam patebit ex subjectæ disceptationis argumento, in quod intentus erat S. Augustinus. Varias de origine animarum quæstiones perstringebat adversùs quosdam vaniloquos, qui suam ipsorum opinionem, nempe ex animâ primi hominis cæteras omnes descendere, conabantur astruere illo Ecclesiast. effato : *Convertatur pulvis in terram sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum qui dedit eum.* Quid valeat id probationis genus contra *certam et manifestissimam* rationem, talemque ut sicut ex consequentibus colligitur, « contradictio nulla existat, aut insaniæ similis meritò judicetur. »

Instabis : Lib. contra Epistolam fundamenti, c. 4, post recensita *credibilitatis motiva*, in quibus posuit auctoritatis Ecclesiæ præstantiam, subjungit, veritatem, *si tam manifesta monstraretur,* ut in dubium venire non posset, præponendam esse omnibus illis rebus quibus in Ecclesiâ catholicâ teneri se dixerat. Ergo, etc.—Respondeo negando consequentiam : ibi enim certamen instituit contra Manichæos, quos premit proposito argumento, ut aiunt, ad hominem : scilicet non admittebant aliam Ecclesiæ notam et probationem quàm doctrinæ veritatem, iidemque jactabant sibi suppetere aversas à doctrinâ Romanæ Ecclesiæ, tam certas evidentesque rationes, ut nemo sapiens illis posset reluctari ; catholicæ causæ securus S. Augustinus, affirmare non dubitat, ita se animo affectum, ut si res ita se haberet, jam se obstrictum non putaret Ecclesiæ auctoritate: at exsufflandam duxit hanc hypothesim, à futili ostentatione profectam. Unde ibidem addit : « Si autem hæc manifesta veritas tantummodò promittitur et non exhibetur (à Manichæis), nemo me movebit ab eâ fide quæ animum meum tot et tantis nexibus christianæ Religionis astringit. » Paulò ante dixerat : « Apud vos (Manich.), ubi nihil horum est quod me invitet et teneat, sola personat veritatis pollicitatio. » Ostenditque idem S. doctor, eos nonnisi incerta aut absurda sectatoribus suis proponere.

Articulus III.

Solvuntur tum quæ à Baylio, tum quæ ab Enthusiastis objiciuntur.

De argumentis Baylii. — Ad tria capita, ut fusiùs expositum est, revocatur Baylii de judice controversiarum systema : arbitratur cum Socinianis, ratione tanquàm summo judice definiendas esse quæcumque de canonicitate aut sensu Scripturarum exoriuntur lites ; nec alia hìc occurrunt refellenda quàm quæ dissolvimus ubi de Socinianismo. At fidei dogmata contendit posse impugnari evidentibus argumentis manifestisque rationis axiomatibus. Hanc tamen fidei et rationis pugnam, non de ratione universali quæ Deus est, sed de ratione particulari quæ nobis inest, intelligendam esse, imò nec ad omnia rationis creatæ placita pertinere : altioris enim quibusdam evidentioribusque constare principiis, rationi humanæ et angelicæ anteponendam esse Dei veracitatem et auctoritatem. Absonum illud et contradictione implicatum systema confutavimus : quædam elevanda supersunt, quæ fucum nonnullis facere possent.

Objicies 1° : Hoc ipso quo mysteria fidei supra rationem sunt posita, videntur non esse consentanea rationi ; ergo judicatur et judicandum est eadem esse dissentanea rationi, quemadmodùm si quæ videantur non consentire veritati, ea judicatur, et judicandum est dissentire veritati ; id totum potest illustrari aptâ similitudine : eminùs conspecta quadrata turris videtur rotunda ; eam qui eminùs prospectat, rotundam asserit, si ratio habeatur testimonii sensuum ; negat verò qui cominùs aspexerit, sensuum quoque ductus testimonio : « C'est « ainsi, inquit Baylius, réponse aux Questions « d'un Provincial, seconde partie, chap. 159, « qu'un orthodoxe pourrait dire que contre « le témoignage de sa raison en particulier, « et non pas de la raison en général, il croit « le mystère de la Trinité; car je le crois sur « le témoignage de l'Ecriture, ajouterait-il, « quoique mon esprit, non seulement n'aper- « çoive pas une unité de nature dans trois « personnes dont chacune fait ce que les deux « autres ne font point, mais qu'il aperçoive « aussi trois natures, ou trois substances dans « ces trois personnes. » Si reponant theologi, rationi quidem corruptæ adversari posse fidei mysteria, non autem rectæ rationi, id ex ambiguo dictum esse sic probatur. « Si par la « droite raison, inquit Baylius, on entend celle « d'un théologien orthodoxe, et par la raison « corrompue celle d'un hérétique, on n'éclair- « cit rien, et au contraire l'on ouvre la porte « à de nouvelles disputes (uterque enim or- « thodoxum se contendet) ; que si la droite « raison signifie celle des saints du Paradis, et si « la raison corrompue signifie celle de l'homme « pécheur, l'on avouera que, pendant cette « vie, les mystères sont contre la raison de « l'homme. » Ibidem.

Resp. : Veritatem esse unam et indivisibilem evidentissimum est : eadem propositio non potest esse simul vera et falsa, quia eâdem in propositione, *attributum*, ut aiunt, non potest simul convenire et non convenire *subjecto*. Nullum hìc intercedit medium. At ex eo quòd supra rationem aliquod dogma sit positum, seu altioris ordinis, nec ad ea veritatis genera pertineat, quæ ratio humana complectitur aut attingere valeat, non inde consequitur, illud à ratione repudiari ; aliud est præeminere, aliud adversari : quidquid est superius, idem haberi necessariò contrarium, vetat ipsa indubitanter ratio ; imò, ex eo quòd dogmatis alicujus natura lateat, nec possit illud mente humanâ contrectari vel contingi, manifestò sequitur non posse prudenter humanâ ratione dijudicari, utrùm necessariis quibusdam repugnet essentialibusque principiis. Quod attinet ad similitudinem ductam à turri quadratâ, quæ cominùs ab uno homine aspiciatur, eminùs ab altero, ita ut rotundam eam unus judicet, alter inficietur, aut hallucinatur, aut ludere voluit Baylius : sive cominùs quadratam turrim, sive eamdem eminùs spectaveris ; sive quadrata, sive rotunda consequenter appareat, non idcircò fallunt oculi : id tunc referunt, quod referre debeant ex regulis ad visum humanum constitutis, quas qui attenderit, non falleretur; abstineret enim à judicando rotundam esse turrim procul spectatam, quam aliunde non noverit. Judicaret potiùs, id postulare naturæ leges, ut longè productis radiis luminis, sic videatur quam exhibent turris, quasi ejusdem abraderentur anguli. At ratio licet creata et finita, licet erroribus multis obnoxia, non id aut ex naturâ suâ, aut instituto creatoris habet, ut falsum pro vero, aut verum pro falso referat ; ipsâque mysteriorum altitudine admonetur homo ne solâ ratione dijudicari velit enatas de iisdem controversias ; deterretur à scrutandâ majestate ne obruatur à gloriâ : humanæ sapientiæ quis sapiens indagandum permittat, quod humani fugiat aciem ingenii?

Quid igitur faciet, qui solutionem non calleat argumentorum quibus appetuntur fidei mysteria? quid faciet? id quod præstituit S. Augustinus tanto licet præditus ingenii acumine. Ipse propositâ sibi de Peccato originali quæstione, lib. 3 de peccatorum meritis et remissione cap. 4 : « Ego verò, inquit num. 7, etsi « refellere istorum argumenta non valeam, « videndo tamen inhærendum esse iis quæ in « Scripturis sunt apertissima. » Poterat quidem ostendere non demonstrari à Pelagianis impossibilem esse peccati originalis propagationem, quamvis eamdem non esse impossibilem demonstrare ipse non valeret, quæ duo valdè discrepant. Inhærendum meritò censebat apertissimè revelatis : nihil à testimonio Dei et judicio Ecclesiæ dimovere potest hominem qui sapiat ad sobrietatem ; quin et ipse Baylius dùm profitetur, evidentibus argumentis quibus oppugnari quædam putat fidei dogmata, præponendam esse auctoritatem Dei revelantis, eaque firmiter retinenda, satis vel istâ malè cohærente confessione indicat quid de hujusmodi demonstrationibus sentiendum sit : eòque certiùs secum pugnantia loquitur, quòd eorum ipse explodit commentum, qui fingerent posse veritati veritatem refragari.

Ita docuerat speciatim Pomponacius, cujus error in synodo Lateranensi, sub Leone X, profligatus est : is nempe pseudophilosophus, ut censuræ quam ob negatam animæ immortalitatem promeruerat, sese subduceret, respondit se non ut *christianum*, sed ut philosophum fuisse locutum : adversùs ineptam hanc distinctionem sic pronuntiant Patres Lateran. : « Cùm « verum vero minimè contradicat, omnem as- « sertionem illuminatæ fidei contrariam, om- « ninò falsam esse definimus, et ut aliter do- « gmatizare non liceat, districtiùs inhibemus, « omnesque hujusmodi erroris assertionibus « inhærentes, veluti damnatissimas hæreses « seminantes, per omnia ut detestabiles hære- « ticos et infideles catholicam fidem labefactan- « tes, vitandos et puniendos fore decernimus. » Hoc in erroris portentum nonne turpiter prolabitur vel invitus Baylius, dùm rationem inducit revelatis quibusdam dogmatibus adversantem, quamvis disertè doceat, evidentiam esse genuinum veritatis signum? Distinctionem illam, seu potiùs mutuam repugnantiam veritatis philosophicæ et veritatis theologicæ, instauravit Lutherus disputatione theologicâ anno 1539 habitâ : « In theologiâ, inquit artic. 2, « verum est Verbum esse carnem factum, in « philosophiâ simpliciter impossibile est et ab- « surdum. » Eumdem errorem sectati sunt nonnulli ex discipulis Lutheri ; quo quidem figmento nihil perniciosius excogitari potest : hùc enim advocari promptum esset, quæcumque ad refellendum Baylii systema, in medium attulimus argumenta, quibus declinandis frustra diceretur, haud enuntiari duo contradictoria, dùm asseritur idem posse simul esse verum theologicè, falsumque philosophicè. diversam quippe hìc occurrere spectandæ veritatis ejusdem rationem diversumque ordinem, naturalem unum, supernaturalem alterum ; procul istud figmentum : inde etenim sequeretur, veritatem ipsam metaphysicam et essentialem, quæ simplicissima est, immutabilis ac necessaria, posse pugnare cum veracitate et auctoritate Dei revelantis, eamdemque veritatem ipsâmet evidentiâ testificantis. Talibus non vacat diutiùs commentis confutandis insistere.

Objicies 2° : Evidentibus licet demonstrationibus oppugnentur fidei mysteria, nihil inde eorum detrahitur certitudini ; nihil hinc adjuvatur pyrrhonismus. Evidentia quædam principia deserit ipsamet ratio, ut revelationi se permittat et subjiciat, tumque sibi nihilominùs constat, et ordinatè se gerit, cùm tunc ducatur eminentioribus præponderantibusque principiis : manifestò enim perspectum est, postpositis rivulis, inhærendum esse æterno et inexhausto fonti veritatis, Deo nimirùm, Patri luminum, cujus natura bonitas, et cui nihil est absconditum. — Resp. 1° : Genuinis demonstrationibus si quod impugnatur posset esse verum, quid prohiberet, id esse falsum, quod evidentibus astruitur argumentis ? ergo pateret undique aditus pyrrhonismo. 2° Certitudo absoluta evidentiæ, et ex eâ consequentis judicii, ex ipsius naturâ manat ; inde essentialiter repetenda est, quòd *quid clarè percipitur, id verum esse, et ab eo propulsari omnem dubitationem*, necessum sit ; ergo certissimum veritatis characterem præ se fert evidentia, quocumque in gradu constiterit. 3° Hanc ut pariat certitudinem, si requiratur, ut quibusdam intenta sit gradibus, quis hominum determinatum illum gradum pro variis doctrinarum generibus animorumque diversis affectibus, assignare valeat? Hos igitur ad figendos limites cùm nulla constituta sit, quæ innotescat hominibus, regula, vacillare perpetuò mentes oportet, quoties etiam libratis attentè omnibus, evidentia maximè affulgere videatur.

De objectionibus Enthusiastarum. — Quod solutu difficilius in speciem afferre possint, in eo collocatum est, quo pacto videlicet, sejunctis internis immediatisque revelationibus, rationabilem fidei assensum homines ipsi rudes et imperiti præstare possint : hæc jam difficultas explanata est; tum etiam solvimus, quæ ipsis sunt cum Protestantibus communia ; itaque nihil penè, nihilque explicatu arduum restat elucidandum, post confutationem eorumdem systematis.

Objicies : S. Paulus Epist. 1 ad Corinth. cap. 14, v. 29, 30, 31, præscribit modum quo utendum sit divinis immediatisque revelationibus : *Prophetæ autem,* inquit, *duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent. Quòd si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur.* Inspirante ergo immediatè Spiritu sancto dijudicandum est quid credendum, quid agendum ad promovendam salutis causam. — Resp. : Ætate apostolicâ, donis supernaturalibus affluebat Christianus populus : *Quid ergo est, fratres,* ait idem Apostolus, citatâ mox Epistolâ, v. 26, *cùm convenitis? unusquisque vestrùm Psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant.* Dividebantur à Spiritu sancto inter fideles ad Ecclesiæ utilitatem et propagationem, dona miraculorum, linguarum, interpretationis, doctrinæ, revelationum : tradit sapienter Apostolus regulas quibus charismatum illorum dirigatur usus, quo quidem *omnia honestè et secundùm ordinem fiant,* v. 40. At sicut non linguarum, non miraculorum, ita neque revelationum dono, tanquàm informandæ fidei viâ ordinariâ, singulos regere fideles constituit Christus Dominus ; non iidem qui sese afflatos Spiritu sancto putabant, habebantur judices, qui veras à falsis revelationibus secernerent : *Prophetæ autem,* inquit Apostolus, *duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent ;* non eos qui donis illis instruerentur, voluit eximere à debitâ pastoribus obedientiâ, ad quos maximè pertinet probare utrùm spiritus ex Deo sint ; auctoritati esse obtemperandum nonne testificatur, tradendis ipsis legibus, quæ fideles in adhibendis illis donis moderarentur, et in officio continerent?

Sectionis primæ secunda pars.

Utrùm ipso in populo, utrùm in principe seculari, resideat jus ac potestas dijudicandi causas Religionis.

Quin episcopalem ad ordinem pertineat judicandi auctoritas in componendis quæcumque oriantur de Religione controversiis, nemo dubitaverit, qui vel tantisper ad ecclesiastica monumenta, ad ipsam Ecclesiæ constitutionem, ad christianæ religionis principia historiamque, mentem admoverit; totoque in hocce tractatu cernere est illius auctoritatis vestigia et insignia. Utrùm verò in societatem auctoritatis illius veniant simplices presbyteri, videtur nobis, quæstionem hanc aptiùs esse disceptandam, ubi de conciliorum convocatione et celebratione disseretur ; duo nunc discutienda sunt quæ apposito indicantur titulo.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm ipse populus aliquâ polleat auctoritate in dijudicandis de fide moribusque controversiis.

Emerserunt, qui tametsi decretis Ecclesiæ obsequendum esse profiteantur, re tamen ipsâ populum christianum constituerint supremum in componendis de fide controversiis judicem ; ab illius quippe testimonio vel consensu, pendere volunt Ecclesiæ sive dispersæ, sive congregatæ judicia. Exitialis hujus placiti caput in eo positum est, quòd ejusdem auctoribus placuerit ministerii ecclesiastici jura et veluti dominium (le fond, la propriété), societati, seu *corpori* fidelium, ejusdemque muneris usum et functionem duntaxat pastoribus adscribere.

Conclusio. — *Populo christiano neque competit jus et auctoritas dijudicandi controversias de fide ac moribus, neque ab ejus testimonio vel assensu religata pendent pastorum Ecclesiæ judicia.*

Probatur 1° iisdem Scripturarum textibus quibus demonstratum est dirimendas esse viâ auctoritatis enatas de fide ac moribus controversias. Matth. cap. 28 : *Euntes ergo docete omnes gentes;* et ut legitur apud Marcum, cap. 16 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Apostolis eorumque successoribus committitur à Christo docendi mu-

lus, ac prædicandi exponendique Evangelii; populorum constituuntur ministri et duces in capessendâ salute; audiendi sunt ut ipse Christus : *Qui vos audit,* inquit, *me audit;* porrò ut ipse profatur, *non est discipulus supra magistrum;* ut designavit pastorum munus in fidei negotio, ita declaravit populorum officium, dociles scilicet aures, animumque accommodandi institutionibus episcoporum: ergo pastoribus, non populo, concessa est auctoritas · nec illorum ab ejus consensu vim suam judicia mutuantur.

Simile conficitur argumentum tum ex verbis istis Christi Petrum alloquentis : *Pasce agnos meos;* tum ex illâ ipsius Petri Apostoli exhortatione : *Pascite qui in vobis est, gregem Dei;* tum etiam ex illâ S. Pauli : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Gregis ea est genuina conditio, non ut præpositos sibi regat pastores, eisdemque tenendam monstret viam, sed quam ipsi monstraverint, eamdem fideliter teneat, nefasque ducat voci eorum non obtemperare.

Hinc dictante ratione ita præcipiebat S. Gregorius Nazianzenus orat. 9 : « Oves, pa- « stores vestros ne pascite; ne judicate, nec « legislatoribus leges præscribite; non est « enim confusionis Deus, sed pacis et ordinis; « ne quis igitur caput sit, qui vix manus aut « pes, aut vilius quoddam aliud corporis mem- « brum est. » Hinc verè dignam christiano principe sententiam hanc emisit in concilio generali octavo imperator Basilius : « Laicorum « cuicumque nullâ ratione de ecclesiasticis « causis disputandi fas esse dico; nam laicus, « etsi omni pietatis et sapientiæ laude præstet, « tamen laicus est ovis, non pastor. »

2° Post expensam ab Apostolis in synodo Hierosolymitanâ celeberrimam quæ animos tenebat ancipites, quæstionem de observandis legalibus, sic prolata definitio est : *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria,* etc. Nec semel adhibita est hæc aut planè similis judicandi ratio. Audeantne fideles loquentibus nomine et auctoritate Spiritûs sancti pastoribus Ecclesiæ obluctari, judicumque sibi partes in diversis de fide controversiis vindicare? Commemoratum in decretum sic disserit Bossuetius redarguendis Claudii ministri placitis : « Ce « n'est pas ainsi qu'on instruisit les peuples « après le concile de Jérusalem. Là, les Apô- « tres décident par l'autorité du S.-Esprit : « *Il a semblé bon,* disent-ils, *au S.-Esprit et à* « *nous.* Que font après cela Paul et Silas, por- « teurs de la lettre du concile? *Ils parcourent* « *les Églises,* comme il est écrit dans les Actes. « Quoi! pour y faire examiner le décret du « concile de Jérusalem? C'eût été examiner « après le S.-Esprit même. Quoi donc? Ils « parcouraient les Eglises, leur enseignant de « garder ce qui avait été jugé par les Apôtres « et les anciens dans Jérusalem. Voilà l'ordre, « l'examen dans le concile, l'obéissance sans « examen après la décision. » (Conférence avec le Ministre Claude.) Meminisse oportet in illâ synodo, non ut Spiritu sancto afflatos, locutos esse Apostolos; ut quid enim cogenda fuisset synodus? verùm ut pastores Ecclesiæ, futuris conciliis formam præstituentes.

3° Catholicus nemo sibi induxerit in mentem, ignotam fuisse universæ Ecclesiæ, aut ab eâdem violatam, ab ævo Apostolorum, ad nostra usque tempora, necessariam et supremam fidei regulam : nec vana est ista Apostoli gentium admonitio : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ.* At eo quod depellimus systemate, universam perpetuò latuisset Ecclesiam fundamentalis atque destinata divinitùs ad informandam fidem regula; evolvantur enim vel strictim concilia ipsa generalia : in omnibus statim deprehendetur non sub conditione consensûs fidelium, sed absolutè errores profligari, tum omnibus qui pertinaciter obstiterint, inflictum esse anathema; omnes qui ad Ecclesiæ communionem reverti voluerint, jubentur editis acquiescere incunctanter decretis; nec aliud populis nisi obsequii relinquitur officium. Theologorum si opus esset contexere catalogum, neminem catholicum tanto in agmine videres, qui prædicti systematis auctor vel patronus appellari possit : audiatur ipse qui adversariis suspectus non videtur, abbas de S. Cyran : « Nec patitur, inquit, Ecclesiæ « catholicæ disciplina, ut à solemni illustrium « antistitum judicio, ad privatorum hominum « suffragia provocetur. Hoc novum in Ecclesiâ; « hoc inauditum; hoc demùm plenum scan- « dali, et schismaticum patens via. » (In lib. cui titulus : *Petrus Aurelius.*)

Prædictum autem systema quantùm arrideat Protestantibus, operæ pretium est ostendere. In medium prodeat famosus nimiùm Antonius de Dominis, Spalatensis archiepiscopus : « Deus, inquit, Spiritum suum toti Ecclesiæ « promisit, non alligando ipsum certis perso- « nis, sive certo generi personarum, puta so- « lis presbyteris, aliisve clericis ad ministeria

« ecclesiastica deputatis, sed ipsum voluit esse « per omnes, licet non per singulos diffusum : « et consensus totius Ecclesiæ non minùs in- « telligitur in laicis quàm etiam in presbyteris « et prælatis ; sunt enim laici in Ecclesiâ, imò « ex Ecclesiâ, ipsiusque solidam ei majorem « partem constituunt. » (Marcus de Dominis, lib. 1, cap. 12, num. 42.) Quæ doctrina sic à Facultate Parisiensi proscripta est anno 1617 : « Hæc propositio est hæretica et statûs Eccle- « siæ perturbativa, quatenùs ad fidei proposi- « tiones statuendas, consensum laicorum re- « quirit. »

De opere cui titulus : *Témoignage de la vérité dans l'Eglise catholique,* ita mentem suam aperit minister Basnage : « Les Protestants pré- « tendent avoir une grande conformité de sys- « tème avec l'auteur du *Témoignage de la vérité*, « et que, malgré l'éloignement qu'il paraît « avoir eu pour eux, ils croient s'accorder « parfaitement avec lui. » (*L'unité, la visibilité, l'autorité de l'Eglise renversées,* etc.) Eodem de opere idem declaratur in diario apud Hollandiam conscripto, in quo inter alia hæc legere est : *Son principe est tout protestant;* postmodùm subjicitur : « On sait aujourd'hui en quoi « les Jansénistes et les réformés se ressemblent, « et il y aurait peut-être de l'avantage pour « ceux-ci à en convenir de bonne foi. » (*Journal littéraire.* La Haye, novemb. et décemb., 1714.)

4° Principiis momentisque theologicis perspicuè adhuc refelli potest convulsum illud jam auctoritate commentum ; post editam aliquam episcopali ministerio definitionem, eamdemque sufficientem propositam quid faciendum sibi constituet populus christianus ? Num privato examine priùs eam discutere molietur, quàm eidem adhæreat ? ergo recurrunt, quæ multimodis dissipata sunt, Protestantium figmenta : num repentino quodam instinctu, rapiendus erit ad consensum vel dissensum ? ergo redeant oportet Enthusiastarum somnia. Superest ergo ut episcopali auctoritati, quâ major in terris nulla expectanda est, simpliciter et absolutè pareat. Undenam oriri dicatur christianæ plebis consensûs necessitas, ad conciliandam vim decretis episcoporum ? Non à jure naturali ; hìc enim agitur de ordine supernaturali, et ad æternam animarum salutem ordinato. Non à jure positivo divino, ut convincitur omnibus, quæ de ministerii ecclesiastici naturâ et institutione congessimus, in assignando controversiarum judice. Non à jure humano ; eo quippe revelli ac dissipari nequeunt, quæ divinis institutis provisa et ordinata sunt.

Erroris quem debellamus principium, de quo fusiùs agetur ubi de potestate constituendi et sanciendi ecclesiasticam disciplinam disseremus, in eo positum est, ut non valeant pastorum Ecclesiæ judicia, nisi præsumptâ saltem populorum approbatione ; quos igitur constituit Christus rectores, præpositos, ac duces, iidem populis quibus præesse debent, subjicientur potiùs quàm ipsis populi ; judicio enim ac dissensu populorum emendari possent ac revocari dogmatica ipsa episcoporum decreta ; non à Christo immediatè, sed à fidelium societate derivaretur episcopalis potestas ; quin et summus ipse pontifex, quem vicarium esse Christi negare illi non audeant, quos hìc aggredimur, non foret nisi vicarius ministerque christianæ plebis ad quam detulisset Christus totius Ecclesiæ auctoritatis supremum veluti dominium. Si penès esset populum pastorum ea judicia reprobare, quæ vel intempestiva, vel revelationi contraria sibi viderentur, quanta dissidiorum seges ! Quàm lata schismati panderetur porta ! Seditionum æstu totus convelleretur christianæ status Ecclesiæ.

Objicies 1° : Ad totum Christi corpus morale, ad universam Ecclesiam pertinent promissa, per quæ deposito fidei consultum voluit Christus. *Unanimitati dixit,* ut frequenter observat S. Cyprianus, atque sicut Apostolus : *Multi unum corpus sumus in Christo,* ad Rom. cap. 12. Corpus autem cujus causâ factæ sunt divinitùs promissiones, ut ex pastoribus, ita etiam constat ex populis ; necesse est igitur, ut quæ ad fidem moresque spectant judicia, eadem si minùs judicante, assentiente saltem populo, ferantur et sanciantur ; quo quidem abstracto consensu, in Ecclesiæ universæ decretis numerari nequaquàm possent. Hinc à laudato jam S. Cypriano, dicitur Ecclesia, *sacerdoti suo plebs adunata, et pastori suo grex adhærens.* — Resp. : Propugnatum à Protestantibus simile ferè placitum retundit Nicolius, duplicemque adhibet solvendi modum. « Il est vrai, en un sens, ait eruditus ille « controversista, que le ministère a été donné « à l'Eglise, parce que les ministres même lui « ont été donnés, et ainsi tout ce qu'ils ont « est destiné à l'utilité de l'Eglise ; ils sont les « serviteurs de J.-C. et de son corps ; ils ne « sont point pour eux-mêmes, mais pour

« l'Eglise, et ils sont obligés de faire tout pour « elle, jusqu'à lui donner, non seulement leurs « travaux, mais leur vie même. » (*Unité de l'Eglise,* lib. 3, cap. 14). Solutionem aliam subministrat lib. cui titulus : *Les prétendus Réformés convaincus de schisme.* Abutebantur Protestantes verbis quibusdam S. Augustini, potestatem clavium tribuentis unitati, seu universæ Ecclesiæ; quòd toti Ecclesiæ donatæ sint claves, non sic intelligendum esse demonstrat ut societas tota fidelium prædita sit ecclesiastici potestate ministerii, sed quòd orando impetrare valeat auxilia, quibus pariantur ac promoveantur fructus ab eodem expectati : v. g., Sacramento pœnitentiæ alligavit quidem Christus vim peccatores reconciliandi; at potest societas fidelium Deum exorare ut peccatoribus pœnitentiæ ad reconciliationem hanc necessariæ donum largiatur; eâque ratione dicetur cum S. Augustino : *Columba dimittit; unitas dimittit.* Quemadmodùm reginæ Esther dictum est à Mardocheo : *Loquere regi pro nobis, et libera nos de morte*, Esth. 15, 3. Sub diverso enim respectu, pluribus causis idem potest effectus attribui.

Ad potestatem judicandi de rebus ad fidem moresque spectantibus, accommodari potest duplex ista responsio, nempe si dicatur, potestatem illam collatam fuisse universæ Ecclesiæ, quatenùs universæ causâ Ecclesiæ donata sit, tum quòd ad ejus incolumitatem, stabilitatem propagationemque referatur, tum etiam quia valeat fidelium cœtus à Domino impetrare, ut in asserendâ tuendâque veritate pastores Ecclesiæ continuò et efficaciter adjuvet; meritò enim existimatur Christus suis adimplendis promissionibus, ad sponsæ suæ orationes votaque plurimùm attendere.

Absit autem ut in causis fidei censeantur judicum defungi munere ipsimet populi, aut ab eorum suffragio accersenda sit vis necessaria decretis pastorum Ecclesiæ. *Unum* quidem est corpus universa Ecclesia; sed ut naturalis, ita et illius mystici corporis membra *non eumdem actum habent;* non eamdem obtinent vim ac dignitatem; arctissimis licet devincta sint nexibus, unde oritur unitas catholica, non ideò populi episcopis jure et potestate in interpretando verbo Dei anteponi debent aut adæquari; Ecclesia sapienter dicitur, *sacerdoti suo plebs adunata, et pastori suo grex adhærens.* Quid inde consequitur? Inhærendum esse pastorum communioni; ipsorum audiendam vocem, obtemperandum decretis, et fieri nunquàm posse ut à corpore pastorum divellatur societas fidelium; qui enim pastoribus adest Spiritus, ut rectè doceant, idem fidelium adest societati, ut eorum institutionibus docilem se præbeat.

Objicies 2° : Cogitetur diversas in partes distrahi episcopos, quorum aliquo de dogmate expetitur decretorium judicium; quænam tunc relinquetur excutiendæ dubitationis via, nisi populi christiani testimonium? Præterea impositum sibi judicum munus explere non possunt episcopi, nisi Ecclesiarum suarum consulant et sequantur fideliter traditionem. Ergo à populorum testimonio pendet edendum ab ipsis decretum dogmaticum. Quo insuper pacto stare possent episcoporum judicia, si dissentiret ab iisdem societas fidelium? Nonne tunc disturbaretur universa Christi Ecclesia? — Resp. : Ad populum christianum ne quidem tunc deferenda est judicandi potestas, nec ipsius necessariò expectandus consensus, cùm aliquo de dogmate ita dissentiunt episcopi, ut nondùm sufficienter propositum nec definitum censeatur. An eò usque progrediantur populi, ut in se recipiant officium et curam Scripturas traditionemque scrutandi? An deinde sensa sua pro totidem exproment oraculis? Non id sibi arrogabunt qui conditionis suæ meminerint; temperabunt ab assensu absoluto, donec fugatis nebulis definitio prodeat, quæ docentis Ecclesiæ decretum meritò habeatur. Prodesse quidem quandoque potest dirigendis episcoporum judiciis animata populorum traditio; at hæc certè regula non ad omnes pertinet componendas de religione controversias; quot sunt etiam catholicæ fidei dogmata quæ ignorantur à populis, nec nisi implicitâ fide ab illis creduntur? Vivâ illâ deficiente traditione, alia suppetunt certa adjumenta, in auctoribus scilicet sacris, in SS. Patrum testimoniis, in conciliorum definitionibus, quorum ope perduci queant optatum ad exitum quæstiones de quibus laboratur; deinde cùm receptam apud populos traditionem consulunt et sequuntur episcopi, non illos habent pro magistris ac ducibus, sed expendunt ac pro suâ auctoritate approbant doctrinam quam agnoscunt antecessorum suorum documentis et auctoritate traditam.

Referre piget quod ineptè objicitur ex eo Scripturæ testimonio : *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*, Matth. 24, v. 18, quasi consequens inde foret, mutuari vim suam à judicio populorum, eorumve consensu, aut

saltem ab eorumdem suffragio, tanquàm à conditione pendere dogmatica etiam episcoporum decreta. Aut enim cum P. Calmet dicendum est, ibi significari invadendam ab hostibus judaicam gentem, quo fermè sensu dictum est: *Volabunt* (Chaldæi) quasi *aquila festinans ad comedendum,* Habacuc cap. 1; vel ex interpretatione communiter ab antiquis adhibitâ, intelligendum est memoratum testimonium, de justorum cœtu, qui advolantis instar aquilæ, ad Christum universalis tempore judicii properabunt. Hæc et altera expositio, disceptatæ quæstioni quàm aliena sit, quis non videat?

Objicies 3°: Populum Mediolanensem sic alloquebatur S. Ambrosius, sermone quem habuit contra Auxentium arianum : « Causam « fidei in Ecclesiâ expendere quis abnuat? Si « quis confidit, hùc veniat. Sed Auxentius « certus non ignaros vos esse fidei, vestrum « refugit examen.... » Et paulò post : « Iste « populus judicat cujus in corde lex divina, « non humana, lex non atramento scripta, sed « Spiritu Dei vivi. » — Resp. : Abnuerat S. doctor propositam sibi à Valentiniano Juniore disputationem de fide ineundam in consistorio, præside et arbitro adhuc catechumeno imperatore. At veritus ne certamen quodcumque cum Arianis si recusaret, inde procaces illi hæretici ansam arriperent, ad nefarii sui dogmatis commendationem, paratum se declaravit ad disputàndum coram populo, non quasi ipsum haberi pro judice voluerit, id quod à mente ejus abhorrebat, sed quem edocendum curaverat, et Nicænæ fidei maximè addictum noverat, eumdem populum destinavit, paratæ disputationis conscium ac testem, tum ne pro hæreticorum perfidiâ et more, victoriæ laudem sibi adjudicarent Ariani, tum ut coram fidelium multitudine superati, majore et fortè saluberrimo pudore suffunderentur. « Veniant, « inquit catholicæ doctrinæ invictus ille de- « fensor, si qui sunt ad Ecclesiam, audiant « cum populo, non ut quisquam resideat, sed « unusquisque de pio affectu habeat examen; « eligat quod sequatur : agitur de Ecclesiæ « illius sacerdote; si audierit illum populus, « et putaverit meliùs disputare, sequatur fidem « ejus. » Epist. 2. Securus loquebatur, ac persuasum habebat, nec adimplendam esse prædictam conditionem, nec à fide divellendum esse populum quem opportunis assiduisque documentis ipse imbuerat.

CAPUT II.

Utrùm seculares ad principes deferri oporteat jus ac potestas judicandi exorientes de Religione controversias.

In offensionem catholicæ mentis statim incurrit proposita quæstio. Vesanâ obcæcatus libidine Henricus VIII, rex Majoris Britanniæ, Romanam et in Ecclesiam quæ illum à communione fidelium depulerat, incredibili percitus odio, supremam sibi in causis omnibus religionis potestatem arrogavit, quasi necessariò conjunctam cum summo in temporalibus principatu, sive ille ab homine, sive à feminâ gerendus sit; Anglicanâ in gente apud Calvinistas invaluit inauditum istud dogma, cui tamen, ut observat Stapletonus, contradixit ipsâ in Angliâ, denegato quod exigebatur ad hanc confirmandam novitatem sacramento, Puritanorum secta.

A suscipiendâ tam abnormi in spiritualibus potestate, aliquatenùs præ pudore Elizabeth refugiebat. Itaque declaratum est non attribui regiæ dignitati prædicationem verbi divini, neque sacramentorum administrationem; inanis prorsùs et ad illudendum comparata explicatio! Namque, ut subjicit illustriss. Bossuetius : « Il ne s'agissait pas de savoir si les « Anglais attribuaient à la royauté l'adminis- « tration de la parole et des sacrements. Qui « les a jamais accusés de vouloir que leurs rois « montassent en chaire, ou administrassent « la communion et le baptême? Et qu'y a-t-il « de si rare dans cette déclaration, où la reine « Elizabeth reconnaît que ce ministère ne lui « appartient pas? La question était de savoir « si dans ces matières, la majesté royale a une « simple direction et exécution extérieure, ou « si elle influe au fond dans la validité des « actes ecclésiastiques. Mais encore qu'en appa- « rence on la réduise, dans cet article, à la « simple exécution, le contraire paraît trop « dans la pratique. La permission de prêcher « s'accordait par lettres-patentes et sous le « grand sceau. La reine faisait les évêques avec « la même autorité que le roi son père et le « roi son frère, et pour un temps limité, si elle « voulait. La commission pour les censures « émanait de la puissance royale; les excom- « munications étaient décernées par la même « autorité. La reine réglait par ses édits, non « seulement le culte extérieur, mais encore la « foi et le dogme, ou le faisait régler par son « parlement, dont les actes recevaient d'elle

« leur validité, et il n'y a rien de plus inouï « dans l'Eglise chrétienne que ce que l'on fit « alors. » Variat. tom. 2, lib. 18, cap. 14.

Anglicanum dogma fovendum suscepit Petrus Franciscus le Courayer, proposit. 30 et 31 inter condemnatas ab episcopis Lutetiæ anno 1727 extraordinariè congregatis.

Pro judice controversiarum haberi non potest in causis Religionis princeps secularis.

Argumentum primum. — Distinctæ sunt ac diversæ temporalis ac spiritualis potestas; hæc ad æternam ordinatur salutem, ut ostendit illud Pauli ad Hebr. cap. 13 : *Obedite præpositis vestris; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Temporalis autem potestas destinatur ad servandam reipublicæ pacem, moralemque honestatem, ut docet idem Apost. 1 ad Timoth. cap. 2 : *Ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Ecclesiasticam ergo potestatem adjunctam naturâ suâ non habet temporalis principatus. Jure naturali nemini datum est ut inter Ecclesiæ membra cooptetur : Dei quippe donum est, et ad gratiæ dispensationem ista cooptatio referenda est. Quo igitur pacto fieri dicatur ut quis naturaliter constituatur caput in Ecclesiâ, supremusque judex? Neque id minùs à Christi institutis alienum est; quod ut perspiciatur, recordandum est quos auctor et consummator fidei, conditor et sponsus Ecclesiæ tum alloqueretur, cùm hæc verba protulerit : *Euntes docete omnes gentes*, etc., Apostolos, eorumque futuros in ministerio ecclesiastico hæredes compellabat, eosdem videlicet quibus dixerat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.... Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Hæc certè seculares ad principes non pertinent, quibus prædicationem Evangelii, sacramentorumque administrationem profitetur ipsa Anglicana ecclesia non competere. Non ad principes seculares spectabant hæc verba Christi : *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* aut ista Pauli : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Neque ab iis qui pastorum ministerio in rebus religionis regendi sunt, excipiuntur ipsi seculares principes.

Defensoris, non actoris personam cùm sustineamus, deberent adversarii ex verbo Dei argumenta depromere quibus assertionem suam tuerentur, et quidem ex ipsâ Scripturâ, cùm hanc unam regulam agnoscant instruendæ fidei : Epistolâ quidem ad Romanos cap. 12, tum ad Ephes. cap. 4, recenset Apostolus ministrorum diversa genera qui divinitùs positi sint *in ædificationem corporis Christi*, quod est Ecclesia; at neque in illis, neque in aliis Scripturæ testimoniis mentio ulla injicitur, attributæ principibus secularibus potestatis obeundi partes judicum in causis fidei. Quo ergo jure hanc sibi vindicarent? an merè humano? sed neque divino derogare potest, neque abdicare se possunt episcopi auctoritate quâ donavit eos Christus ad spiritualium administrationem.

Argumentum II. — Consistere nunquàm potest Ecclesia Christi absque auctoritate docendis fidelibus, servandoque fidei deposito necessariâ, cùm ad essentialem ejus constitutionem, præstitutumque ipsi finem, auctoritas illa pertineat; primis autem seculis, cùm principum infidelium dominatu teneretur orbis terrarum, ubinam insidebat requisita componendis de fide controversiis, atque instituendis, ut par est, fidelibus potestas? Hæc fortè vigebat in Neronibus, Domitianis, Diocletianis, aliisque atrocissimis christianæ gentis oppugnatoribus; numquid ab illis repetere oportebat vim et facultatem exercendi cœlestis quod Christus instituerat ministerii?

Ad hoc elevandum argumentum, si reponatur haud infidelibus, sed christianis principibus adscribendam esse supremam in spiritualibus auctoritatem, hanc igitur potestati temporali, quæ per se eadem est, tum in principe infideli, tum in fideli, alligatam non esse confitendum est; ut ea non minuitur, ita non augetur baptismi sacramento, quamvis inde contrahatur novum atque urgentissimum ad Ecclesiam tuendam et adjuvandam incitamentum. Aperiendo principibus infidelibus sinu suo Ecclesia, iisdemque regenerandis, filios ac patronos nactam sese gloriata est, et gratulata sibi Ecclesia, non in causis fidei arbitros et judices.

Argumentum III. — Ex constanti ac perpetuâ Ecclesiæ praxi illud desumptum est : « In « omnibus seculis, ut observat Bellarminus, in « Ecclesiâ exorta sunt nova dubia, et semper « eodem modo terminata sunt, nimirùm judicio « pontificis Romani, et episcoporum qui tunc « erant; non rectè autem fieri quod universa « Ecclesia semper fecit et facit, dicere aut « scribere insolentissimæ insaniæ est, ut Au« gustinus ait in Epist. 118. »

Singula quantùm volueris, legendo percurre concilia quæ vim ac venerationem in Ecclesiâ obtinuerint, ab episcopis celebrata videbis omnia : episcoporum auctoritate, non principum secularium editas videbis, sancitasque illarum omnium synodorum definitiones; si quando in conciliis adfuerint imperatores aut reges, spiritualibus de causis judicium nullum interposuêre : v. g., in synodo Nicænâ generali aderat Constantinus imperator, sed judicum munus solis obeuntibus episcopis, præsidentibusque Silvestri, romani pontificis, nomine, Osio Cordubensi episcopo et Vito ac Vincentio presbyteris; ita Euseb. lib. 3, cap. 6; Socrates lib. 1, cap. 5. Concilio nedùm præesse ambiret Constantinus, non priùs assedit, teste Eusebio, lib. 3 de illius Vitâ, quàm ut sederet, annuissent episcopi.

Octavo concilio generali, seu Constantinopolitano IV, anno 869, interfuit Basilius imperator; at quantùm abesset ab usurpandâ judicandi potestate, perspectum facit oratio quam habuit ad eamdem illam synodum. « Hæc in- « vestigare, inquit, et quærere (quæ ad spiri- « tuales causas attinent), patriarcharum, pon- « tificum et sacerdotum est, qui regiminis « officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui « ligandi et solvendi potestatem habent, qui « ecclesiasticas et cœlestes adepti sunt claves; « non nostrûm qui pasci debemus, qui ligari, « vel à ligamento solvi egemus. » Concil. tom. 5, apud Harduinum, pag. 920 et 921.

Argumentum IV. — In causis fidei judices sese non constitutos, ultrò professi sunt religiosi imperatores ac principes : tum qui jus illud invadere attentaverunt, vehementer improbati sunt; reclamavit Ecclesia; scriptis fortissimè conquesti sunt doctissimi et sanctissimi præsules.

1° Collatam sibi non esse de causis fidei judicandi potestatem, spontè confessi sunt religiosi imperatores ac principes; illorum quædam duntaxat hìc attingemus testimonia, plura ex quibus idem colligi pronum sit relaturi, ubi de potestate regiminis Ecclesiæ. Damnati anno 314 in primâ synodo Arelatensi Donatistæ, provocaverunt ad imperatoris Constantini judicium, quos sic increpat maximus ille princeps : « Mecum judicium postulant, qui ipse « judicium Christi expecto; dico enim ut se « veritas habet, sacerdotum judicium ita debet « haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. » Quam aversatus fuerat Donatistarum appellationem, eam postea idem suscepit imperator, cùm eâ indulgentiâ comprimendam speraret illorum pertinaciam; verùm, ut ex S. Augustino refert Tillemontius, tom. 6 Hist. Eccles. pag. 55, talis eum indulgentiæ pœnituit, veniamque à sanctis episcopis postulavit; quantùm autem alienus esset ab occupandis episcoporum juribus, manifestè indicat illa quam post Nicænam synodum, omnibus Ecclesiis scripsit Epistola, cujus in fine hæc leguntur : « Libentibus animis hoc decretum concilii, « tanquàm donum Dei, et mandatum reverà « cœlitùs demissum amplectamini; nam quid- « quid in sanctis episcoporum conciliis decer- « nitur, id universum divinæ voluntati debet « attribui. »

Valentinianus Senior, rogatus ut permitteret congregari synodum ad quædam fidei dogmata explicanda, sic respondit : « Mihi qui sum lai- « corum ordine constitutus, fas non est talia « curiosiùs perscrutari; sacerdotes quibus ista « curæ sunt, quocumque loco voluerint, con- « veniant. » Sozomenus, Hist. lib. 6, cap. 7.

Theodosius Junior et Valentinianus III, in Epist. ad synodum Ephesinam, declarant deputatum esse ad hanc sacram synodum comitem Candidianum, « sed eâ lege, inquiunt, ut « cum quæstionibus et controversiis quæ circa « fidei dogmata incidunt, nihil quidquam com- « mune habeat : nefas est enim, qui sanctissi- « morum episcoporum catalogo adscriptus non « est, illum ecclesiasticis negotiis et consulta- « tionibus immiscere. »

Haud minùs religiosè colenda servandaque duxerunt amantissimæ matris Ecclesiæ jura principes nostri, quorum hæc duo tantùm eò loci referemus. In edicto Ludovici XIV, anno 1695, circa jurisdictionem ecclesiasticam, art. 34, hæc legere est : « La connaissance des « causes concernant les sacrements, les vœux « de religion, l'office divin, la discipline ecclé- « siastique, et autres purement spirituelles, « appartiendra aux juges d'Église. » Antecessorum suorum insistendo vestigiis Ludovicus XV, obsequiosum pariter in Ecclesiam testatur affectum. Datâ declarat. 1717, octob. 17 : « Plus soumis aux décisions de l'Église que le « moindre de nos sujets, nous sommes per « suadés que c'est par Elle que les rois et les « peuples doivent apprendre également les « vérités nécessaires au salut, et nous n'avons « garde de vouloir étendre notre pouvoir sur « ce qui concerne la doctrine, dont le dépôt « sacré a été confié à une autre puissance. »

2° De causis ad doctrinam spectantibus, si

quando principes nonnulli decernere aggressi fuerint, vehementer in Ecclesiâ et generosè reclamatum est. Episcoporum judicia cùm famulari sibi vellet Constantius imperator, debitam utrique potestati reverentiam graviter his verbis exponebat Osius Cordubensis episcopus: « Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit; ac quemadmodùm qui « tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne si ad ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. » Apud S. Athanas. Epist. ad solitariam vitam agentes. Eumdem hunc in imperatorem expressas quoque zelo fidei fundebat querelas S. Athanasius eâdem in Epist.: « Si judicium est episcoporum, quid commune cum eo habeat imperator? Sin contra, ista minis Cæsaris conflantur, quid opus est hominibus titulo episcopis? Quando à condito ævo auditum est, judicium Ecclesiæ ab imperatore auctoritatem suam accepisse, aut quando unquàm pro judicio agnitum est? » Parem animi fortitudinem exprompsit S. Ambrosius epist. ad Valentinianum Juniorem qui judicium in causâ fidei ad tribunal seculare deferri voluerat. « Quando inquit, audîsti, clementissime imperator, in causâ fidei laicos de episcopis judicâsse? Ita ergo quâdam adulatione curvamur, « ut sacerdotalis juris simus immemores, et « quod Deus donavit mihi, aliis putem esse « credendum? Si docendus est episcopus à « laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, « et episcopus audiat; episcopus discat à laico; « at certè si vel Scripturarum divinarum seriem, vel vetera tempora retractemus, quis « est qui abnuat in causâ fidei, in causâ, « inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus christianis, non imperatores de episcopis judicare? » Ne plura sigillatim recenseamus, neminem parumper in ecclesiasticâ historiâ versatum latet quantùm sub Valente, imperatore Ariano, quantùm sub Leone Iconomacho, Ecclesiæ auctoritati, in ipsis doctrinæ causis vim afferentibus, restitum fuerit ab episcopis catholicis.

Prætereunda nobis non videtur doctissimi Stapletonis hæc annotatio tom. 1 Controv. p. 190: « Observa autem, inquit, quòd omnes hi « Patres, non ideò imperatores arguebant, « quòd, vel seclusis episcopis, soli de his « rebus judicare vellent; nam et episcoporum « operâ usi sunt; vel quòd minis et vi agerent; « vel denique quòd hæretici cùm essent, aut « hæreticis faventes, tale de rebus fidei judicium sibi sumerent, sed simpliciter hoc in eis « damnant, quòd seculares principes cùm essent, « ad reipublicæ curam vocati;... de fide tamen « et Ecclesiæ negotiis ad quæ tractanda vocati « non essent, judicium sibi et potestatem arro« garent. » Exponetur, ubi de facto Honorii, quid statutum in Ecclesiâ fuerit de *typo* Constantini (Pogonati) et *ecthesi* Heraclii.

Argumentum V. — Plura illud complectitur theologica principia. 1° Una est Ecclesia; discindatur autem oportet, atque dissipetur hæc unitas necesse est, si principibus secularibus attribuatur in ipsis causis fidei suprema auctoritas. Tot erunt Ecclesiæ quot societates civiles gubernatæ à summis principibus qui nemini se in temporalibus subditos esse profiteantur; nec magis unum in corpus Ecclesiæ illæ coalescent, quàm regna diversis addicta principibus. 2° Immutabilis debet esse fides, cùm innitatur immotâ Dei veracitate; jam verò fac de rebus fidei judicare summâ quâ pollerent auctoritate, principes, pro diversâ regnantium sententiâ, diversam populi sortirentur fidem, fideique professionem, cujus rei miserabile ac multiplex suppeditavit exemplum Anglia, fidei olim tam insignis columna, quæ tandem sub Henrico VIII, facta schismatica, mox, sub Eduardo, ad Calvinismum è Lutheranismo transiit, deinde sub Mariâ catholicâ, ad Ecclesiæ gremium reversa, mox sub Elizabethâ, hæresi rursùm sese mancipavit. 3° Ubi non obstant fundamentales imperii aut regni leges, imperium tenere potest, regnare potest femina; ad ipsam ergo devolvetur suprema in rebus fidei auctoritas, quantùmvis prohibuerit Apostolus, 1 Cor. 14, ne loquatur in Ecclesiâ mulier; ab eâ ut auctoritatem, ita et normam prædicandi Evangelii accipient episcopi; vacare ipsam huic muneri, quantùmlibet dedeceat, eo tamen defungendi cur potestate careat non videtur, supremam si obtineat in spiritualibus auctoritatem.

Objicies 1°: Summæ temporalium administrationi annexam esse Deo volente, summam in spiritualibus potestatem, ostenditur pluribus exemplis ex veteri Testamento depromptis: Moyses non sacerdos, sed princeps populi, aut certe non summus sacerdos, omnem quæ tenenda esset doctrinam Israelitis tradidit; imò et ipsum Aaronem, cæterosque leviticæ tribûs ministros ad omne officii munus instruxit. Josue dux Israeliticæ gentis præscribit sacerdotibus quâ ratione et quomodò transferenda esset arca fœderis; exponit mysterium et si-

gnificationem lapidum 12 quos in transitu Jordanis erexit; circumcidendos curavit filios Israel; ædificavit altare Domino; sermonem habuit ad populum, ut admoneret ne commercium inirent cum gentibus; hæc omnia providit Josue, non Eleazarus summus tunc sacerdos. David rex arcam reduxit; benedixit populo in templo; constituit ministros altaris; Salomon ejecit Abiathar ut non esset sacerdos, cæteraque præstitit ut David. Josaphat constituit quoque Levitas et sacerdotes; prædicavit jejunium universo Juda, et cohortatus est populum ad retinendam integritatem fidei. Ezechias instaurat templum Domino; tollit æneum serpentem; concionatur apud sacerdotes et Levitas; jubet celebrari phase extra tempus in lege assignatum; idem etiam narratur de Josiâ; quare igitur in novâ lege decernere non valeant seculares summi principes, quid ad legitimam sacramentorum administrationem, quid ad servandam fidei incolumitatem præstandum sibi esse videatur?

Resp. 1° : In his quæ pendeant à liberâ Dei voluntate, institui non potest accurata comparatio : non *à pari,* ut aiunt, concludendum est, nisi ex ipsâ eorum naturâ et conditione, aut aliunde probetur, uno posito, consequi necessariò alterum. Potuit autem pro sapientissimo suo arbitrio, aliam constituere Deus regiminis ecclesiastici rationem et formam in veteri lege, cujus sacerdotium, natalium jure transmittendum, imperfectum et in melius commutandum fuit, aliam verò et longè diversam in lege novâ, cujus institutis tam evidenter repugnat, ut principibus secularibus pastores Ecclesiæ in spiritualibus subjaceant. 2° Ut singula breviter diluantur objecta, sacerdos fuit Moyses : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus,* psalm. 98. Jure quidem ordinario summus erat sacerdos Aaron, cujus pontificatus ad filium Eleazarum ac nepotes, paternâ hæreditate deveniret : at vocatione extraordinariâ, et excellentiâ ministerii, eximiâque Dei familiaritate cohonestatus Moyses, primas gerebat partes tum in civili, tum in ecclesiastico Israeliticæ gentis regimine, quod meritò vocaretur *theocratia.* In hoc itaque gubernandi utroque genere, Aaroni quem inaugurandum, sacrisque induendum vestibus curavit, auctoritate antecellebat Moyses; id inter multa significat Dei ipsius declaratio : *Aaron loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent,* Exod. 4. Moysi successit Josue, at in potestatis non eodem omni genere : dux fuit populi Israelitici, non sacerdos : hinc ista Dei præceptio : *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum : ad verbum ejus ingredietur et egredietur ipse, et omnes filii Israel cum eo.* Num. 27, 21. Vides, ut rectè adnotat Stapletonus loc. cit. p. 195 : « Jam non Josue ducem esse Eleazaro in his « quæ ad Deum pertinent, sicut Moyses erat « Aaroni, sed contra Eleazarum sacerdotem ipsi « præpositum Josue. » Cæterùm spiritualem potestatem non designant quæ Josue attribuuntur in objectione; denuntiavit quæ revelaverat Deus de arcæ fœderis translatione, præstarique præcepit legis quâ jubebatur circumcisio, executionem; ædificavit altare Deo; populum ut creatori et omnium Domino constanter adhæreret, hortatus est, incitavitque pro viribus; hæc sunt religiosi principis, sacerdotii quamvis potestate careat.

Quæ referuntur de Davide, hæc omnia non ipse fecit, sed fieri curavit, nec suo ex arbitrio fecit, sed, ut dicitur in 1 Paralip. 16, 40, *juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini.* Cujus etiam legis, ne in eâ accipiendâ vel exponendâ, rex auctoritatem suam exerere videretur, jubetur in Deuteronomio accipere *exemplar à sacerdotibus leviticæ tribûs,* Deut. 17, 18; assignatæ sunt per Davidem sacerdotum et Levitarum vices secundùm ministeria sua, *ut ingrediantur domum Domini, et juxta ritum suum,* non eum quidem à rege præscriptum, sed sicut immediatè subjungitur, *sub manu Aaron patris eorum, sicut præceperat Dominus Deus Israel,* 1 Paral. 24, 19, hoc est, sub regimine Aaronico, non regio, nisi quatenùs ad observationes rituum, executioni mandandas attinet.

Propter læsam regiam majestatem, factamque conspirationem contra Salomonem, Adoniâ ad regnum aspirante, Salomon, *abjecit Abiathar, ne esset sacerdos Domini,* nec tamen eum sacerdotali gradu et ordine spoliavit, sed exulare jussit à templo, quâ solùm in æde, sacerdotii munere defungi liceret; neque ullum in causâ fidei judicium protulit, sicut nec principes christiani, dùm aliquos episcopos, privatas propter offensas egerunt in exilium.

Josaphat haud propriè constituit templi ministros, sed de jam constitutorum officiis admonet : quòd autem nullum de ipsâ fidei doctrinâ judicium sibi arrogaverit, testatur distinctè his verbis, 2 Paral 19, 11 : *Ubicumque quæstio de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite fratribus vestris, ut non peccent in Domino : Amarias autem sacerdos et pontifex*

vester in his quæ ad Deum pertinent præsidebit : porrò Zabadias qui est dux in domo Juda, super opera erit quæ ad regis officium pertinent. His apertè distinguuntur quæ spirituali, ab his quæ temporali potestati adscribuntur.

Dicitur pariter Levitas constituisse rex Ezechias, ibid. c. 29, v. 25; *at secundùm dispositionem David regis, et Gad videntis, et Nathan prophetæ; si quidem Domini præceptum fuit, per manum prophetarum ejus.* Ut videlicet, quemadmodùm David, sic et ille executioni consuleret eorum quæ per ministerium prophetarum, id est, sacerdotum, quorum officium olim prophetæ interdùm (licet extra ordinem) adimplebant, gerenda essent. Quòd autem jusserit Ezechias ut Levitæ adjuvarent sacerdotes in detrahendis pellibus holocaustorum (quod sacerdotum erat), id præstandum fuit propter urgentem tunc necessitatem, quia *sacerdotes pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent, unde et Levitæ, fratres eorum, adjuverunt eos, donec impleretur opus, et sanctificarentur antistites,* ibid. v. 34. Quòd pascha tempore non suo celebrari voluerit, inito concilio regis et principum, et universi cœtûs Jerusalem (quo in concilio, quos inter principes, quo in cœtu, aderant profectò religionis præcipui saltem ministri), *decreverunt ut facerent phase mense secundo; non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, et populus nondùm congregatus fuerat in Jerusalem,* ibid. c. 2, v. 2. Nec diutiùs protrahendum erat pascha, quod propter impios Ezechiæ antecessores jamdiù fuerat intermissum; ipsâ lege cautum fuerat, ut qui propter immunditiam, solito tempore pascha facere non potuisset, secundo faceret mense, Num. 9, 10, 11. Quòd verò serpentem æneum quem fecerat Moyses, confregerit Ezechias, tollendum confringendumque putavit, quia, ut legitur lib. 4 Regum cap. 18, *usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum,* hoc est, illud cujusdam instar numinis colebant. Numquid autem spirituali pollere debuit potestate, ut ab idololatriæ cultu subditum sibi populum absterreret?

Ad ea quæ objiciuntur de Josiâ, eadem accommodari potest solutio quam mox attulimus : idola everti, templum instaurari, celebrari pascha, percuti cum Deo fœdus, constitui sacerdotes et Levitas præcepit atque curavit, ut legi satisfaceret quam *per manus Helciæ sacerdotis acceperat,* non ut de interpretatione legis, de probando aut improbando aliquo dogmate, de ritu sacrificiorum, aliisve spiritualibus institutis, tanquàm judex quidquam decerneret. Aliud est, ad insigne Religionis præsidium, ad procurandam efficaciùs divinarum institutionum observantiam, adhiberi auctoritatem principis, quem Apostolus vocat ministrum Dei; aliud regiminis spiritualis jura et potestatem divinitùs ad illum deferri. Id procul dubio potestatis genus assumendum sibi non existimârunt neque Constantinus imperator, neque Theodosius, neque tot reges nostri, dùm et studium suum et potestatem contulerunt ad religionis patrocinium, ad Ecclesiæ defensionem ac decus, damnatorumque ab episcopis errorum excidium.

Objicies 2°, ex quibusdam locis operum S. Augustini (1) : Catholicos Petiliano Donatistæ sic arguenti : « Quid vobis cum regibus seculi, « quos nunquàm christianitas, nisi invidos sen« sit? » respondebat S. Augustinus reges, eo « ipso quo reges sunt, habere unde Domino « serviant quomodò non possunt qui reges non « sunt. » Illud autem quale sit, alibi explicans, ait : « Postquàm impleri cœptum est : *Et ado« rabunt eum omnes reges terræ,* quis mente so« brius regibus dicat : Nolite curare in regno « vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ec« clesia Domini vestri; non ad vos pertineat in « regno vestro, quis velit esse religiosus, sive « sacrilegus?» Sic adhuc etiam apertiùs, idem S. doctor : « An fortè de religione fas non « est, ut dicat *imperator,* vel *quos miserit impe« rator?* » Ex his conficitur reprehensos fuisse à S. Augustino Donatistas, quòd negarent posse de causis fidei dicere seu judicare seculares principes.—Resp. : Textibus objectis nihil aliud principibus secularibus tribuit S. Augustinus quàm potestatem plectendi catholicæ inimicos fidei, decreta Ecclesiæ nobiliori modo quàm cæteri valeant fideles, defendendi, hoc est, legibus suis curandi, ut ad publicam ea illabantur efficaciùs notitiam, ac debitæ veneration habeantur; non conquerebantur Donatistæ, de ullo quod esset ab imperatore prolatum judicio in causâ fidei, sed de imperatoriis legibus eorum audaciam et protervitatem cohibentibus. Donatistarum querelas sic retundit S. Augustinus : « Aliter servit rex quia « homo est, aliter quia rex est; quia homo est, « servit Deo fideliter vivendo; quia verò etiam « rex est, servit ei, leges justa præcipientes, et

(1) Lib. 2 contra litteras Petiliani, cap. 92 epistolâ quinquagesimâ; lib. 1 contra Parmenianum, cap. 7.

« contraria prohibentes, convenienti vigore « sanciendo. » Docet « jussiones regum per- « tinere ad prædicandam religionem, leges « pro veritate ferendo, sicut fecit Nabuchodo- « nozor, » cujus certè animus non fuit de doctrinâ judicandi, quam potestatem nemo ei tribuendam censuit. Hanc secularibus principibus asserendam non voluisse S. Augustinum, inter alia perspicuum facit id quod perhibet Constantino imperatori testimonium : « Neque « ausus est christianus imperator de judicio « episcoporum qui Romæ sederant, ipse judi- « care, sed alios, ut dixi, episcopos dedit (qui « judicarent) à quibus tamen illi (Donatistæ) « ad ipsum rursùm imperatorem provocave- « runt ; quâ in re imperator eis cessit, ut de « illâ causâ post episcopos judicaret, à sanctis « antistitibus pro eâ veniam petiturus. »

Cæterùm, illud quod post episcopos tulit judicium Constantinus, et cujus eum pœnituit, non pertinebat ad doctrinam, sed ad quæstionem facti personalis ; agebatur de traditione divinorum codicum tempore persecutionis, quod crimen Cæciliano Carthaginensi episcopo impingebant Donatistæ, prolatis contra ipsos judiciis pertinaciter obluctantes.

Objicies 3° : Gratia naturam non destruit, sed perficit; novâ lege confirmatum est, non labefactatum jus naturale ; hoc autem jure fuisse ante tempora et novæ et veteris legis, conjunctam cum temporali potestate, auctoritatem sacerdotalem, probatur exemplis Melchisedech, Abraham, etc., tum etiam ex eo quòd in primogenitis, utraque hæc diversas apud gentes potestas occurreret. — Resp. : Haud jure naturali, sed moribus hominum, et jure quodam gentium factum est, ut sacerdotii præcipua dignitas cum regali conflueret ; quamvis enim ad jus naturale aliquo modo pertineat sacrificium, et consequenter sacerdotium, quòd tamen hoc vel illo modo sit institutum, et tali vel tali hominum generi attributum, id jure naturali non determinatur. Ad ea quæ tunc offerebantur sacrificia, aliasque illis consentaneas functiones, per se non requirebatur ulla supernaturalis potestas, neque ulla specialis à Deo prodierat de naturâ et ratione muneris illius institutio ; haud igitur ex illâ, quæ prioribus illis temporibus vigebat multas apud gentes, conjunctione sacerdotii cum potestate temporali, consequitur eamdem necessitudinem in lege Moysis obtinuisse, aut in novâ lege obtinere, quantùmcumque aliter determinaverit et ordinaverit Deus, supernaturalemque potestatem, Ecclesiæ præpositis, tanquàm necessariam destinaverit, quod jam satis demonstratum est.

Consectarium *maximi momenti ad notitiam veræ Ecclesiæ, ex præcedenti quæstione deductum.*

Ibi est vera Christi Ecclesia, ubi viget in rebus divinis major auctoritas : ubi autem ea vigeat facilè potest innotescere.

Dictu et cogitatu absonum est, veræ Christi Ecclesiæ aut ignotam esse, aut non subministrari viam quâ possit ad agnitionem veritatis salutemque perveniri, cùm sanâ erudiendis doctrinâ, sanctificandisque hominibus, Ecclesia sit divinitùs constituta ; falsæ igitur et adulterinæ crimen Ecclesiæ incurrat necesse est, quæcumque societas viam hanc alumnis suis, quasi jure possessionis nobilitata, monstrare non valeat. Hinc plures inter societates quæ Ecclesiæ Christi nomen ac titulum sibi adscripserint, ea procul dubio anteponenda est, eique adhærendum, quæ majorem auctoritatem certò præ se ferat ; si enim, ut probatum est, in controversiis de fide ac moribus, auctoritati necessariò parendum sit, postulat evidenter ratio et æquitas, ut eam auctoritatem pluris faciamus et sequamur, quæ cæteris omnibus antecellat.

Ulteriùs etiam provehi potest deprompta consecutio : nec operosè ex adductis principiis colligitur, Ecclesiam Romanam eam esse et quidem solam quæ appellari et haberi debeat vera Christi Ecclesia : dignitatem hanc et prærogativam adjudicare sibi nequeunt Sociniani, Enthusiastæ, neque Protestantes, aut alia ulla ex societatibus christianis, quæ negant Ecclesiæ judicio dirimendas esse contestatas de religione lites : auctoritate quidem illas esse componendas profitentur Græci schismatici : at vel primo ferè aspectu potest agnosci quantùm ipsos auctoritate antecedat Romana Ecclesia, adeò sunt schismate abjecti, atque Turcarum dominatu depressi, ut nunc de catholicitate sileamus quâ palàm est Romanam illis præstare societatem ; potueruntne oblivisci quo ardore animorum et consensu generalibus olim in conciliis apud Orientem habitis, exclamaverint : *Petrus per Leonem locutus est?* Concilii Chalced. actione secundâ. Tùm quo studio de Agathonis ad imperatorem litteris gratularentur, eumdem ad pontificem ita scribentes : « Quas ut à summo Apostolorum « vertice, divinè perscriptas agnoscimus, per

« quas exortam nuper multiplicis erroris sectam « depulimus. » Concilii sexti actione decimâ octavâ, tom. 6 concil., pag. 1073. Alia multa opportunè deinceps afferenda, nunc omittenda duximus : meminerint etiam Græci, cujus Ecclesiæ communione essent devincti, ante Photii et Cærularii infausta tempora : expendant ergo quâ ratione possent à sede Romanâ disjuncti, ætati apostolicæ continuâ pastorum suorum serie sese interserere.

Verùm proponendis atque evolvendis quæ Nicæno et Constantinopolitano symbolo continentur, Ecclesiæ notis, magis ac magis patebit, quantùm lucis affulgeat, quantùm accrescat momenti, ex fundamentali quæstione de supremo controversiarum judice.

Sectio secunda.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

Eo nomine appellantur quædam proprietates divinitùs constitutæ, quibus certò discerni possit et agnosci verè Christiana Ecclesia. Quatuor inprimis exhibentur, Nicænâ in synodo propositæ : ostendere animus est, 1° unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiæ Christi divinitùs competere, et quâ ratione, seu quo sensu; 2° eas omnes proprietates Romanam in Ecclesiam convenire; 3° characteribus illis, saltem si conjunctè sumantur, quamlibet aliam carere christianam societatem; 4° ex abundantiâ juris, ut aiunt, investigabimus, utrùm ex eisdem aliqua possit ad hæreticas, vel schismaticas sectas accommodari; 5° respondebitur quærentibus utrùm sint ad erudiendorum captum satis attemperatæ, aliisque requisitis ad notas dotibus instructæ. Haud separatim tractabimus Ecclesiæ visibilitatem : ipsam enim catholicitate contineri et efferri perspectum erit et obvium; ejusdem perpetuitatem revocabimus ad apostolicitatem quæ, ut intelligetur, continuam infert necessariò pastorum in Ecclesiâ successionem.

Sectionis secundae prima pars.

Utrùm et quâ ratione, seu quo sensu, Ecclesiæ Christi divinitùs competant unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNITATE ECCLESIÆ CHRISTI.

CAPUT PRIMUM.

Aperitur status quæstionis, exponunturque errantium systemata.

Ne vanis disceptationibus detineantur ac distrahantur animi, distinctè ea delineanda est unitas quam Christi Ecclesiæ attribuendam esse contendimus : id quidem unitatis genus, in ejusdem professione doctrinæ, eorumdem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum pastorum reponendum asseritur : sed notionem hanc evolvere et explanare operæ pretium est, ad occurrendum variis adversantium cavillationibus.

Attendatur maximè quid significent hæc verba : *In ejusdem professione doctrinæ.* Ad veram unitatem, quatenùs spectat ad hanc professionem fidei, non satis est ut eamdem profiteantur doctrinam diversa membra quæ unum in corpus, unam in societatem christianam dicuntur coalescere ; necesse est insuper ut fixum habeant principium, quo foveri ac retineri possit, ne unquàm effluat, necessaria illa unitas : eo quippe sublato, etiamsi fortassè aliquando in profitendâ doctrinâ versaretur quædam consensio, quæ congruenter nuncuparetur *unitas facti*, hæc utpote nullo innixa stabili fundamento, nulloque firmo constricta nexu, quasi fortuitò et accidentaliter compacta, recenseri non posset inter immotas et essentiales Ecclesiæ Christi proprietates.

At verò quodnam assignabitur principium quo pariatur et constringatur unitas, quam liceat vocari *unitatem juris?* Docent Catholici (et in eo maximè vertitur excutienda jam controversia), docent principium illud in eo esse collocatum ut Christianæ membra societatis, quæ vera Christi haberi velit Ecclesia, consentiant in tenendam doctrinam quam ad fidei depositum pertinere, hæc eadem societas auctoritate suâ confirmaverit.

Nec tamen in istâ quæ habetur quæstione

inquiritur utrùm ab errore sit immunis auctoritas ea in cujus dogmatibus et institutis consentiri necesse est : qualis enim cumque sit hujusce necessitatis cum dono inerrantiæ conjunctio, in presenti consideratur duntaxat unitas doctrinæ, principiumque unitatis, quo in ejusdem doctrinæ professionem adunentur et mutuò devincta sint Christianæ societatis membra, quæ Christi Ecclesia meritò credatur.

Cùm probandum sit exulare ab Ecclesiâ hæreticos et schismaticos, oportet ut horum et illorum ideam exhibeamus, latiùs deinceps datâ occasione expandendam.

Hæreticum dicimus, qui doctrinam aliquam contumaciter abjicit, quam ut divinitùs revelatam et fide tenendam Ecclesia proposuerit; *schismaticum* vocamus, qui catholicam etsi fortè retineat fidem, auctoritati Ecclesiæ subesse renuit, vel membris ei subjectis communione consociari : « Hæretici, inquit S. « Augustinus, de Fide et Symbolo, de Deo « falsa sentiendo ipsam fidem violant; schi« smatici autem dissensionibus iniquis, à fra« ternâ charitate dissiliunt, quamvis ea cre« dant quæ credimus. »

Cæterùm, ut observat S. Hieronymus, nullum schisma non sibi aliquam tandem confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesiâ recessisse videatur. Non diù, non vulgò, schisma disjungitur ab hæresi.

Neque silentio prætereundum est, occultos hæreticos vel schismaticos, illos videlicet qui ab Ecclesiæ aut fide aut communione animo alieni, utrique tamen adhærere se profiteantur exteriùs et palàm, habendos esse, ut ostendetur, à salutis viâ extorres quantùmlibet Ecclesiæ membris annumerentur.

Quod ut intelligatur pleniùs, cum animato corpore conferatur Ecclesia : similitudinem hanc adhibuit ipse Apostolus, cùm de Christo dixerit in epist. ad Colossenses, cap. 1 : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Porrò fide, spe et charitate, quasi constituitur anima Ecclesiæ : ejus verò corpus externâ fidei quam suscepit professione, et pastoribus quibus regitur subjectione, tùm sacramentorum quibus instruitur communione.

Non diffitemur, posse hæreticas inter schismaticasve societates, reperiri nonnullos qui doctrinam hæreticam vel schismatis partes animo non hæretico sequantur vel schismatico, erroneâ tunc invincibiliter conscientiâ putantes, sese divinæ revelationi ac veræ Ecclesiæ judiciis constanter inhærere. Sic igitur affectos, non quidem ad corpus, sed ad animam Ecclesiæ pertinere non vetat, neque à salute consequendâ illos prohibet externum hæreticæ alicujus aut schismaticæ sectæ consortium. Haud etiam dubitandum quin inter filios Ecclesiæ computandi sint infantes omnes rationis usum nondùm adepti, ab hæreticis, schismaticisve, debitâ materiâ, formâ et intentione baptizati. Illos genuit per ancillas suas, sibique jure divino adjudicat, unica Christi sponsa Ecclesia. Denique sedulò observandum est, apud Catholicos, licet habeantur dogmata quædam cognitu et creditu absolutè necessaria, constare nihilominùs, nullum sine salutis dispendio negari posse dogma, quod Ecclesiæ auctoritate definitum, sufficienterque propositum fuerit. His prælibatis, facilè intelligentur errantium systemata.

Systema Juriæi. — Projectæ vir audaciæ Juriæus, cùm pro suâ sagacitate perciperet Catholicorum argumentis obrui Protestantes, nec unquàm invenisse quid apposité responderent interroganti ubinam ante Lutherum aliosque *prætensæ reformationis* auctores consisteret vera Christi Ecclesia, portentosum commentus est systema, sequentibus comprehensum capitibus : ut quis meritò censeatur verum Ecclesiæ membrum, atque (nisi aliundè obices inferat) in viâ salutis habeatur constitutus, hæc tria sufficiunt, 1° ut adjungatur alicui ex societatibus Christianis, quæ omnia amplexa sint ac retineant *fundamentalia dogmata* : quænam autem et quot sint determinare, hoc opus et inextricabilis labor, ut postea evincetur. 2° Ut in aliquâ ex his societatibus percipiat Christi sacramenta, licet aliæ ab aliis, quoad sacramentorum et numerum et substantiam inter se dissideant. 3° Ut alicujus ex diversis illis sectis fundamentali doctrinæ inhærentibus, pastores agnoscat, licet in rebus etiam ad fidem spectantibus, non teneatur eorum concedere judicio et auctoritati parere : potest autem quisque, prout opportunum ipse judicaverit, ab illâ cui addictus est, societate discedere, neque salutis idcircò detrimentum patietur, dummodò ad societatem aliquam transfugiat quæ fundamentales, ut dictum est, articulos profiteatur. Qui autem sic appellantur articuli, illi omnes suâpte naturâ obtinent fundamenti locum, nec ab ullâ Ecclesiæ definitione mutuatur ullum dogma, ut sine salutis dispendio nequeat reprobari : imò definitionem

nullam proferre unquàm potest Ecclesia, cùm ipsa constet ex infensis ac perpetuò sibi obluctantibus sectis.

Hactenùs de expositione conficti à Juriæo systematis, quod quantùm ab institutione Christi abhorreat, evidenter patebit.

Systema Chillinworth, Hobii et Lokii. — Juriæo longiùs progressi sunt in effusi tolerantismi curriculo tres illi scriptores, qui licet aliunde ipsi inter se dissentiant, eosdem inter in sequentibus maximè convenit. 1° Ut quis reputetur ad Ecclesiæ corpus et animam pertinere, viamque salutis ingredi, hæc sunt creditu sola necessaria; nempe existere Deum, orbemque universum administrare et moderari; tùm adventâsse Christum Messiam, erudiendis emendandis salvandisque hominibus, æterno Dei consilio destinatum. 2° Solis in Scripturis posita est credendi regula, nec ullus dubitandi locus de librorum illorum canonicitate, qui apud Christianos constanter et universaliter habiti fuerint canonici; in his verò clarè continentur, quæcumque credere, quæcumque agere necessum sit ad comparandam salutem. 3° Operam quisque debet, quantùm conditionis suæ ratio patitur, Scripturarum studio impendere; fidem habere iis omnibus quæ revelata esse arbitretur; factis etiam exprimere, quæ ibi præcepta sedulo pariter examine sibi persuaserit; cæterùm quoscumque hâc adhibendâ discussione, errores susceperit ac publicè profiteatur, illis neque ab Ecclesiæ Christi communione, neque ab æternæ salutis consecutione dimovebitur, quidquid generalia concilia definierint, totusque reliquus orbis christianus teneat.

Hæc decerpta sunt ex opere Chillinworth, cui ex anglicâ linguâ in gallicam translato factus est iste titulus : *La Religion Protestante, une voie sûre au salut ;* ex Hobii tom. 2, de Civitate christianâ, cap. 39 et 42; et tractatu de Cive, tit. de Religione, cap. 18; ex Lokii opere, ex anglicâ linguâ in gallicam converso, et inscripto : *Le Christianisme raisonnable*, t. 1, cap. 4, 5, 6, etc., et tomo 2, passim.

Systema Baylii. — *Putativæ*, ut loquitur, veritati, seu errori quem quisque pro veritate habeat, eadem statuit adscribenda esse jura, quæ veritas ipsa meritò sibi vindicat : hinc pronum est nullam ut Christianorum societatem ab Ecclesiâ posse repudiari judicaverit. Hæresis labe nemo inquinatur; schismatis nemo implicatur crimine, nisi renitenti ac ungenti sciens ac volens resistat conscientiæ. *Œuvres de Bayle, tom.* 2, *Commentaire philosophique*, cap. 9, 10, etc.

De Socinianis, quorum nefandos errores, ubi de judice controversiarum, retulimus, adnotare sufficiat, illos cùm ad rationis indomitæ normam exigant omnia religionis dogmata, tolerantismi modum omnem excedere.

Caput II.

Conclusio. — Ecclesia Christi ita est una et individua societas, ut ab ejus communione excludatur quodcumque genus hæreticorum et schismaticorum.

Argumentum ex Scripturis. — 1° *Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit,* Matth. cap. 12, v. 25. Quid revera sentiendum de regno, de civitate, de domo, quæ variis necnon jugibus conflictarentur contentionum discordiarumque motibus? Nonne ipsis certum immineret luctuosumque excidium? Placitis Juriæi ejusque sectatorum si assentiendum sit, tali adumbratur imagine Ecclesia *quam acquisivit sanguine suo*, Act. Apost. cap. 20, princeps pacis Christus.

Ad hæc, quo pacto discordantium adulterarumque tot societatum multitudo haberi possit pro dilectissimâ illâ et unicâ de quâ dictum est in prophetiis : *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitiâ?* Osée cap. 2, v. 8. De quâ etiam apud Salomonem ita loquitur Dominus dominantium : *Una est columba mea, perfecta mea.* Proverb. cap. 6, v. 8.

2° Ad unitatem Ecclesiæ significandam maximè valet ducta humano à corpore in Scripturis comparatio : hæc disertè in epistolâ ad Ephesios de Ecclesiâ Christi leguntur : *Quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus.* Ad Ephes. cap. 1, v. 23. *Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus.* Ibid. cap. 5, v. 23. Comparationem illam sic explicat Apostolus : *Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Ad Corinth. cap. 12, v. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Ibid. v. 25. Eadem ferè habentur in Epist. ad Romanos, cap. 12, v. 4 et 5. Hinc tantoperè admonet *ne sit schisma in corpore.* 1 ad Corinth. cap. 12. Quàm necessaria, et qualis esse debeat membrorum Ecclesiæ compages mutuaque connexio, iterùm declarat his verbis.

Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma. Ex his omnibus invictè colligitur, non contortis ratiociniis, at simplici Scripturarum expositione, quàm sit ab instituto Christi alienum, ut Ecclesia fingatur conflata ex innumeris sectis, professione fidei discrepantibus, seque mutuo percellentibus anathemate. Quemadmodùm tetro esset spectaculo corpus ita constitutum, ut concitata in se invicem membra conspirarent in mutuum exitium ac interitum.

3° Hinc gravissima ista Pauli sententia : *Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Ad Titum, cap. 3. Sectas seu hæreses idem Apostolus numerat in peccatis, *quæ*, ait, *prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, ad Galat. cap. 5, v. 20 et 21. Scripturæ testimoniis quæ adduximus, cùm per se clara sint et plana, tùm certissima, undique consonant ecclesiastica monumenta.

Argumentum ex Symbolis fidei. — In Symbolo Nicæno et Constantinopolitano habetur Ecclesia tanquàm individua societas, quæ generatim hæreticos et schismaticos à communione suâ repellit ; notio ista fuit ab omnibus conciliis subsequentium temporum recepta et comprobata : ergo manavit à Christo et Apostolis ; ab eâ igitur resilire nefas. Singulas expedit evolvere hujus argumentationis partes.

Probatur prima pars : nempè in Symbolo Nicæno et Constantinopolitano haberi Ecclesiam tanquàm individuam societatem, quæ generatim hæreticos et schismaticos à communione suâ repellit ; nimirùm in Symbolo Nicæni concilii, profitemur *unam* esse Ecclesiam : quid autem hâc unitate significatum voluit? Ab Ecclesiâ exulare ipsos etiam hæreticos qui non errant in *fundamentalibus articulis*, judicavit eadem tam veneranda synodus : « De his « qui se Catharos quandoque nominant, inquit, « ad catholicam autem et apostolicam Eccle- « siam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum « est, ut impositis eis manibus sic in clero « maneant. »

Catharorum nomine designantur Novatiani : erroribus imbuebantur quos profectò in capitalibus non posuerunt Juriæus aut ejus consortes; eos tamen à communione catholicâ censuit alienos Nicænum concilium, cùm statuat quid de illis agendum sit, qui Catharorum à sectâ sese ad catholicam et apostolicam Ecclesiam contulerint; priùsquàm Fidelium adunentur societati, eadem synodus ante omnia exigit, ut adhærere se et obsequi profiteantur Ecclesiæ catholicæ decretis. Quod quidem ita pugnat cum systemate Juriæi, aliorumque tolerantismi patronorum, ut eo stante, ne ullum quidem proferat aut proferre possit decretum catholica Ecclesia : ea quippe constaret innumeris dissidentibus à se invicem sectis, communique nihil unquàm concilio decernentibus.

Accedit quòd, nec opus esset, nec rationi consentaneum ad retractionem ullam errorum, Novatianos adigere catholicam ut in Ecclesiam adsciscerentur, cùm nunquàm deseruissent eam fidem quæ constituendis Ecclesiæ membris necessaria duceretur : fundamentalibus enim inhæserunt dogmatibus, qualia describuntur à Juriæo, ejusdemque defensoribus.

Canone septimo concilii primi Constantinopolitani generalis secundi, pariter explicatur quo sensu in ejusdem synodi Symbolo una dicatur Ecclesia. « Eos qui rectæ fidei, inquit, « adjunguntur, et parti eorum qui ex hæreti- « cis salvantur (ab eis recedendo), secundùm « subjectam hìc consequentiam et consuetudi- « nem, Arianos quidem et Macedonianos, et « Sabbatianos, et Novatianos, qui dicunt se « Catharos... Tessaradecatitas, seu Tetraditas « et Apollinaristas recepimus, dantes quidem « libellos et omnem hæresim anathematizan- « tes, quæ non sentit ut sancta Dei et aposto- « lica Ecclesia. »

Idem statuit de Montanistis : eo in decreto sicut Ariani, ita et Novatiani, Tetraditæ, seu Quartodecimani, eorum in numero ponuntur, quos oporteat ad communionem Ecclesiæ catholicæ, salutemque obtinendam, ab hæreseos partibus discedere, omnemque doctrinam anathematizare, quam Ecclesia catholica reprobaverit : tale decretum, quis non videat non posse cum adversariorum placitis cohærere?

Probatur argumenti propositi secunda pars : nempè diuturnitate temporis, nedùm extabuerit unitatis Ecclesiæ notio, qualis tùm Nicæno, tùm Constantinopolitano Symbolo continetur, ab omnibus illa conciliis subsequentibus confirmata est. Synodus Ephesina, postulante Juvenali Hierosolymorum episcopo, cepit exordium, « ut, quemadmodùm adnotat, sententiis

« ad fidei doctrinam spectantibus cum eâ ex-
« positione collatis, consentientes quidem con-
« firmentur, dissentientes autem rejiciantur. »
In concilio Chalcedonensi, lecto Nicæni concilii primi Symbolo, « reverendissimi epi-
« scopi exclamaverunt : Hæc Catholicorum
« fides : huic omnes credimus : in hâc bapti-
« zati sumus. » In definitione fidei sic loquuntur ejusdem concilii præsules : « Communi
« judicio, dogmata expellentes erroris, et iner-
« rabilem Patrum renovavimus fidem, symbo-
« lum trecentorum decem et octo omnibus
« prædicantes ; et eos qui hanc veluti tesseram
« pietatis acceperunt, ut proprios patres etiam
« ascribimus, eos nimirùm qui postea in ma-
« gnâ Constantinopoli congregati sunt centum
« quinquaginta, et eamdem fidem ipsi quoque
« confirmaverunt. » In concilio quinto generali, ita pronuntiatur : « Repetitis omnibus
« quæ per nos acta sunt, concordibus animis
« episcopi iterùm confitemur sanctas quatuor
« synodos, id est, Nicænam, Constantinopoli-
« tanam, Ephesinam primam et Chalcedonen-
« sem, et quæ pro unâ eâdemque fide definie-
« runt, prædicavimus et prædicamus; eos
« autem qui hæc non suscipiunt, alienos ca-
« tholicæ Ecclesiæ judicamus ; condemnamus
« autem et anathematizamus unà cum omni-
« bus aliis hæreticis qui condemnati et ana-
« thematizati sunt à prædictis sanctis quatuor
« conciliis, et à sanctâ catholicâ et apostolicâ
« Ecclesiâ, et Theodorum qui Mopsuestiæ episco-
« pus fuit. » Quid plura prosequamur conciliorum testimonia, ut ostendatur quàm constanti et intemeratâ fide retenta sit in orbe catholico unitatis idea symbolo Nicæno et Constantinopolitano consignata? Nulla usquàm apparent vestigia quibus indicetur, hanc aliquando fuisse abdicatam ab Ecclesiâ, vel immutatam.

Probatur argumenti delineati tertia pars : unitatis scilicet ecclesiasticæ notionem qualem exhibuit in symbolo fidei Nicæna Constantinopolitanaque synodus, subsequentium omnium conciliorum suffragio consecratam, à Christo et Apostolis derivari.

Tertulliani ut firmissimis utamur ratiociniis, Catholicus nemo putaverit, aut non cognovisse Apostolos necessariam instituendis fidelibus, aptoque regimini, constitutionem formamque Ecclesiæ, aut hanc celatam voluisse pastoribus quos Ecclesiis præficiebant. « Quis integræ
« mentis, inquit, credere potest, aliquid eos
« ignorâsse, quos magistros Dominus dedit,
« individuos habens in comitatu, in discipu-
« latu, in convictu, quibus obscura quæque
« disserebat, illis dicens datum esse cognoscere
« arcana, quæ populo intelligere non liceret?
« Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ
« petram dictum, claves regni cœlorum con-
« secutum? Latuit et Joannem dilectissimum
« Domino? — Dixerat planè aliquando : *Multa*
« *habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modò*
« *ea sustinere ;* tamen adjiciens : *Cùm venerit ille*
« *Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem*
« *veritatem*, ostendit illos nihil ignorâsse. »
Præscript. cap. 22.

Neque suspicari licet noluisse Apostolos, pastoribus saltem quos regendis præposuerint Ecclesiis, tradere quæ à Christo acceperant, rectæ administrationi et gubernationi necessaria : ipse præceperat, ut quod in tenebris et in abscondito audissent, in luce et in tectis prædicarent. Quid eos ab exequendo Christi mandato deterruisset? « Neminem verebantur,
« non Judæorum vim, non ethnicorum : quo
« magis utique in Ecclesiâ liberè prædicabant,
« qui in synagogis et in locis publicis non
« tacebant! » Et cap. 28 ejusdem operis : « Vi-
« deamus ne fortè Apostoli quidem simpliciter
« et plenè, Ecclesiæ autem suo vitio aliter ac-
« ceperint quàm Apostoli præferebant. » An officium Spiritus sanctus, *ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis*, neglexerit, *sinens Ecclesias aliter interim intelligere, quod ipse per Apostolos prædicabat? Ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint* (Ecclesiæ)? « Nullus inter
« multos eventus unus est exitus : variâsse
« debuerat error doctrinæ Ecclesiarum : cæte-
« rùm quod apud multos unum invenitur, non
« est erratum, sed traditum. »

Generalia hæc Tertulliani principia, speciali quâdam ratione respectant et valent ad convincendam quam de unitate Ecclesiæ tradiderunt doctrinam concilia Nicænum et Constantinopolitanum, aliaque catholicam apud Ecclesiam commendata. Utrùm enim ab Ecclesiâ excludantur, atque de spe salutis dejiciantur, nisi resipiscant, hæreticorum et schismaticorum quælibet genera, hanc sanè quæstionem plurimi interesse nemo inficiatur ; tota revocatur ad usum quotidianum ac perpetuum ; de illâ quid credendum sit edocere, omnium est pastorum, addiscere pascendorum est omnium. Quid cognitu magis necessarium conditionibus ad efficienda et secernenda Ecclesiæ membra requisitis? Haud igitur ignorantiâ vel oblivione

deleri aut obscurari potuerunt : non ipsas generales synodos Nicænam et Constantinopolitanam, cæterasque omnes latere potuit doctrina de unitate Ecclesiæ : quæ proinde ad Apostolos, Christumque ipsum referenda est.

Quin et hoc doctrinæ caput asserebant singulæ hæreticorum sectæ, eâ quidem pro more suo abutentes : veram enim unaquæque jactabat sese habendam Ecclesiam, ejusdemque communionem aliis omnibus Christianorum cœtibus interclusam esse profitebatur. Hinc in oblatâ concilio Ephesino Nestorianâ fidei professione hæc de Quartodecimanis leguntur, qui certè in fundamentalibus non errabant : « Omnis qui sacrum paschatis diem non cele- « brat juxta ritum sanctæ Ecclesiæ catholicæ, « anathema sit. »

Argumentum ex Patrum unanimi testimonio.— SS. Patrum omnium de unitate Ecclesiæ pronuntiata hùc afferre necesse non est ; quædam exscribentur, indicatis nonnullis : adeò inter se consentiunt, ut provocatus instanter Juriæus, ad proferendum fidenter quidquid in traditione patrocinari sibi videretur, unum duntaxat potuerit excerpere S. Hieronymi textum, nonnullos S. Augustini, quem utrumque Juriæo penitùs adversari demonstrabitur.

S. Clemens Romanus Petri Apostoli successor, schismaticos ita perstringit in Epist. ad Corinthios : « Cur diducimus et distrahimus « membra Christi, et contra proprium corpus « seditionem facimus, eòque vesaniæ deveni- « mus, ut alios aliorum membra esse oblivi- « scamur? Recordemini verborum Domini : « dixit enim : *Væ homini illi,* etc. Schisma ve- « strum multos pervertit ; multos in animi de- « jectionem, multos in vacillationem, omnes « nos in tristitiam conjecit. » S. Ignatius, Antiochensis episcopus, Epist. ad Philadelph. : « Ne erretis, fratres mei : si quis schisma « facientem sectetur, regni Dei hæreditatem « non consequitur ; si quis in alienâ sententiâ « ambulat, iste passioni non consentit. » (Euseb. Hist. Eccles. lib. 3, cap. 3, cap. 36.)

Dixerat priùs : « Fugite divisiones et pravas « doctrinas : ubi autem pastores, eòdem ut « oves sequamini : multi enim lupi, etc., ve- « rùm in vestrâ concordiâ non habebunt « locum. »

S. Irenæus adversùs hæreses, docet sic in Ecclesiâ custodiri acceptam ab Apostolis, eorumque discipulis fidem, ut Ecclesia licet « universum in mundum disseminata sit, quasi « unam domum inhabitans, quasi unam ani- « mam habens et unum cor, quasi unum pos- « sidens os. » (Lib. 1, cap. 3.) « Cùm enim, « inquit eodem capite, una et eadem fides sit, « neque is qui multùm potest de eâ dicere, « ampliat, neque is qui minùs, deminorat. » Lib. 4, cap. 62, his pungit aculeis schismaticos : « Judicabit autem (Christus) et eos qui « schismata operantur : nulla enim ab eis tanta « fieri potest correptio, quanta est schismatis « pernicies. Judicabit autem et omnes eos qui « sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra « Ecclesiam. »

Tertullianus, lib. de Præscriptione, individuam Ecclesiæ communionem mirificè commendat : « Tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa « ab Apostolis prima ex quâ omnes : sic omnes « primâ et apostolicæ, dùm unâ omnes pro- « bant unitatem, dùm est illis communicatio « pacis et appellatio fraternitatis et contesse- « ratio hospitalitatis : quæ jura non alia ratio « regit, quàm ejusdem sacramenti una tradi- « tio. » Quot inde vibrantur tela quibus totum disturbetur Juriæi, etc., systema!

S. Hieronymus (quem suum esse confidit idem Juriæus), in dialogo adversùs Luciferianos, versùs finem : « Sicubi audieris eos qui « dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, « sed à quocumque alio nuncupari, ut puta « Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive « Campytas ; scito non Ecclesiam Christi, sed « Antichristi esse synagogam ; ex hoc enim « ipso, quòd postea instituti sunt, eos se esse « judicant quos futuros Apostolus prænuntia- « vit. »

Tales autem sunt omnes hæretici ; ab alio quàm à Christo nomen mutuantur : ipsos Montenses seu Donati sectatores, declarat S. Hieronymus, Ecclesiæ communione carere haud secùs ac Marcionitas, quos quidem in cœtu Fidelium reponere, nec ipse Juriæus audeat.

S. Augustinus enumeratis variis hæreticis quos inter appellat Quartodecimanos, Novatianos, Donatistas, quos à fidei fundamentis alienos non arbitrantur propugnatores tolerantismi, ita concludit : « Possunt et hæreses aliæ, « quæ in hoc opere nostro commemoratæ non « sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam « quisquis tenuerit, Christianus catholicus non « erit. (Lib. de Hæresibus.) » Lib. de verâ Religione, cap. 7 : « Velint nolint, inquit, ipsi « hæretici et schismatum alumni, quando non

« cum suis, sed cum extraneis loquuntur, ca-
« tholicam, nihil aliud quàm catholicam vo-
« cant. » Nullo igitur adhibito discrimine, hæreticos et schismaticos judicat S. Augustinus, à catholicâ eliminatos Ecclesiâ.

Argumentum ex derelicto ab adversariis veræ unitatis principio. — Ad Ecclesiæ naturam cùm pertineat vera unitas, hæc necesse est ut fixo immotoque innitatur principio : quale autem istud esse debeat? Oportet 1° ut sit obvium, nec vulgi captum superet, cùm imperitos quoque Deus velit ad salutem notitiamque Ecclesiæ Christi pervenire. 2° Ut sit rationabile neque temeritatis et arrogantiæ fœtus et incitamentum : non instituit Deus inquirendæ veritatis methodum quæ humilitati et modestiæ Christianæ repugnet. 3° Ut sit reipsà conciliandis atque intra unius fidei limites coercendis mentibus per se aptum et idoneum. Talibus autem prædito dotibus principio carere systema Juriæi aliorumque patronorum tolerantismi, manifestè colligitur ex variis quas adduximus probationibus tractandâ percelebri de judice controversiarum quæstione : omnem de doctrinâ fidei institutionem revocant tolerantes ad solam Scripturam privato examine perscrutandam : hanc verò methodum ostendimus tametsi non esse ad vulgi captum accommodatam, cùm de præcipuis ageretur fidei dogmatibus. Hoc nunc sufficiat argumenti genus summatim subjicere : si vel ipsis rudibus et illitteratis investiganda sit et certò comperienda authenticitas et inspiratio Scripturarum omnium quibus contineri possit fundamentale aliquod dogma ; si pervolvendæ omnes illæ Scripturæ, earumque omnium explorandus sit genuinus sensus, quâ fiduciâ, quo exitu tantum possint laborem experiri ac sustinere? Si autem satis habeant Scripturarum ea sola testimonia expendere et rimari, quæ sibi à ministris alicujus sectæ suppeditabuntur, ex iis solis excerpta libris, qui suis eisdem institutoribus canonici esse videantur, ergo in hocce tanti momenti negotio, solâ ducentur ministrorum auctoritate, dùm, ut tolerantibus placet; nullis debeant Ecclesiæ catholicæ definitionibus obsequi, nisi priùs, divinis eas Scripturis congruere, privato examine, indubitanter perspexerint.

Quo pacto vel solas valeant regulas dijudicare, quas ad fundamentalium artículorum distinctionem tradit Juriæus : adeò sunt, ut mox evincetur, refertæ ambagibus æquivocis ac periculis. Hinc cernere est quàm temeritatis et arrogantiæ plena sit ea quam abjiciendam contendimus, et latè à nobis confutata methodus : nedùmque hæc eadem habenda sit animorum conciliatrix, pacisque christianæ vera servatrix, subministrat potiùs infandum divisionum fomitem ac nutrimentum : hinc tot emerserunt hæreticorum et schismaticorum agmina, quæ mutuis licet collisa contentionibus, in eo conspirant, ut necessarium et inconcussum unitatis principium, constitutam videlicet à Christo Domino auctoritatem aversentur atque pro viribus impugnent.

Argumentum ex absurdis quæ ex adversariorum systemate consequuntur. — Argumenti id genus quod adhibuimus disserentes de judice controversiarum, haud minùs aptè expromi potest, ubi de exponendâ Ecclesiæ unitate.

1° Colligeretur ex præfato systemate, ad ultima usquè secula, perversè intellectam fuisse ab omnibus Christianis eam symboli Apostolorum partem, quâ sese in unam Ecclesiam credere profitentur. Versatum est assiduè symbolum illud in ore omnium Christianorum : initiatis baptismate, constanter propositum est tanquàm insignis præcipuorum Christianæ Religionis dogmatum authentica collectio : in illo explicando studiosam pastores omni ætate collocârunt operam : unitatis Ecclesiæ notionem quâ ipsi erant imbuti, ingerebant populis : at si invaleret systema quod refellimus, dicendum esset pastores ac populos, pronuntiando Apostolorum symbolo, Apostolis verbo quidem tenùs concinentes, ab iisdem sententiâ et affectu prorsùs abhorruisse.

2° Injustè ac tyrannicè se gessisset Ecclesia, cùm omnes sine exceptione hæreticos voluit, tùm à communione fidelium ablegari, tùm ab æternâ salute alienos haberi, quamdiù erroribus suis adhærerent. Non potuisset nisi per summum nefas, Christianos fundamentalia retinentes dogmata, fratrum defraudare consortio; diris eosdem anathematibus proscindere ; tanquàm adscitilia resecare membra, quæ tamen vera forent ac sæpè viva, spemque salutis illis adimere, nisi sincero obsequio reditum sibi munirent ad Ecclesiam, quam nunquàm deseruerint, cùm nunquàm ab eâ discedant, quamdiù servant Christianæ fundamenta doctrinæ.

3° Hallucinarentur ac ineptè loquerentur omnes qui auctoritatem Ecclesiæ, tribunal Ecclesiæ, judicia Ecclesiæ commemorarent : Nam, inquit Juriæus, Nicænum in primum concilium generale maximum, non convenêre

Novatiani, non Donatistæ, etc. Habeantur numerosæ quantùm licebit, synodi, non decernent communi cum Latinis suffragio dissociati jamdudùm ab illis Græci. Consona quidem suis principiis loquitur Juriæus, dùm Ecclesiam inducit, tot repugnantes sibi mutuò sectas complectentem : hæc ut audacter, ita et consequenter effata proseminat : « Catholica non « judicat Ecclesia ; neminem damnat ; neminem « ullis docet decretis. » Istud verò figmentum desperatæ perfugium causæ, nonne tot refellitur argumentis, quot memoriæ prodita sunt decreta seu documenta quæ catholicæ Ecclesiæ et illustrantur nomine, et muniuntur auctoritate?

4° Nedùm verè una foret Christi Ecclesia, totuplex evaderet, quot in terris versantur hæreticæ aut schismaticæ sectæ : quin etiam tot Ecclesiæ Christi possent induci, quot numerantur provinciæ, quot parochiæ, quot domus : quo enim jure (si jus nuncupari possit innovandi prurigo), recesserunt ab Ecclesiâ romanâ Lutherani et Calvinistæ, eodem dividi unamquamque illorum sectam in plures ac plures minutatim partes quid obstabit, depulso semel auctoritatis jugo? quis aliunde figet sectatorum numerum qui ad aliquam constituendam Ecclesiam requiratur? Extiterunt quidem omni ævo plures Ecclesiæ particulares : unde dictæ sunt, *ecclesia ephesina, ecclesia antiochena, ecclesia smyrnensis*, etc. At cùm eidem parerent ministerio pastorum, eâdem conjugarentur sacramentorum communione, eamdemque profiterentur fidem, facilè et rectè intelligitur potuisse illas omnes unam in Ecclesiam coalescere ; atque hùc recurrit allatum illud Tertulliani pronuntiatum : « Tot ac tantæ « Ecclesiæ, una est illa ab omnibus prima, ex « quâ omnes. » Fucum sibi fecit, aut aliis facere voluit Anglicanus quidam scriptor (Lesley), dùm ex diversis fide dissentientibus et disjunctis communione sectis, affirmavit eâ ratione universalem constare Ecclesiam, quâ variis ex gentibus quamtùmlibet sibi mutuò contrariis, secumque interdùm acerrimè bellantibus, constat ipse mundus universale Dei regnum. Omnes quidem gentes supremo subjacent Dei dominio ; generalibus quibusdam omnes tenentur naturæ vinculis : non unam idcircò propriè rempublicam, non unam propriè societatem constituunt. Ita omnes Christianorum cœtus Christum habent Dominum, moderatorem ac judicem ; eodem, cùm unum sit, donantur baptismate ; eadem saltem nonnulla profitentur dogmata ; nec tamen in aliquam coeunt societatem, quæ assertam Scripturis et unanimi traditione, ut ostendimus, unitatem adscribere sibi probabiliter valeat.

5° Non regnum Christi, sed Satanæ synagogam potiùs exhiberet conflata tot hæreticis et schismaticis sectis Ecclesia ; in eâ nullus vigeret ordo ; at sempiternus quidam, ut in inferis, inhabitaret horror, idque ex ipsâmet Ecclesiæ naturâ et constitutione. Nec est quòd obtendatur tam posse diversos hæreticos ad Ecclesiam pertinere, quàm multiplicis generis peccatores. Qui enim habentur Ecclesiæ membra licet mortua, peccatores, illi non abrumpunt ea quibus astringitur Ecclesiæ compages, vincula ; non detrectant unitatis principium, in Ecclesiæ auctoritate, ut probavimus, collocatum : non quibus laborant, iniquitates, divinæ institutioni aut ecclesiasticæ regulis consentire profitentur : neque sese jactant, ut avaros, ut ambitione captos, ut libidini servientes, etc., inter Ecclesiæ membra, et quidem viva cooptari ; at hæretici et schismatici, quos Ecclesiæ membris annumerant Juriæus et alii, errorum etiam nomine ac molitionum quibus sunt addicti, habendos sese contendunt tanquàm Ecclesiæ membra aut sola aut præcipua ; verumque unitatis principium, in auctoritate positum, vel refugiunt, vel repugnante æquitate sibimet arrogant.

Argumentum ex fundamentalium articulorum distinctione, qualis à Juriæo usurpata est. —Disjecto Juriæi systemate necesse est, ut concidant cæterorum placita quæ laxiores etiam habenas permiserunt tolerantismo. Illud autem cùm totum pendeat à discrimine fundamentalium dogmatum, excutienda jam ista distinctio qualem confinxit Juriæus.

Præmitti nonnulla contexendæ argumentationi ad perspicuitatem expedit. Habent quidem Catholici pro fundamentalibus, eoque nomine nuncupare non renuunt præcipua quædam dogmata, alii plura, alii pauciora, quorum semotâ fide, adultus nemo ad justitiam, nec proinde ad salutem perveniat ; hunc enim pro suâ sapientissimâ voluntate ordinem supernaturalem constituit Deus, ut gratiam sanctificantem seu justificantem, nemini unquàm largiatur, nisi prælucente in ipsis dogmatum illorum fide.

At omnes apud Catholicos in confesso est, nullum esse dogma, quod ab Ecclesiâ definitum, sufficienterque propositum, possit absque salutis dispendio negari, vel contemni : qui

verò definitionem prolatam ignorant, aut etiam cognoscere non valent, hanc nihilominùs *implicitè* credunt, modò ita sint animo comparati et affecti, ut quidquid revelaverit Deus, et Ecclesia credendum proposuerit, illud omne sincerâ mente profiteantur se suscipere ac religiosâ fide custodire.

Aliam procul dubio mentem induerat Juriæus, aliamque longè ideam obtrudit articulorum fundamentalium et non fundamentalium. Fundamentales quidem, ut vocat, decernit esse credendos explicitâ fide, et quidem necessariò ad salutem consequendam : sed alios quoscumque, et quibuslibet conciliorum decretis confirmatos, posse absque detrimento communionis Ecclesiæ repudiari et abnegari, imò et illæsâ salute ab iis impugnari, qui proprio examine sibi persuaserint articulos illos non esse divinitùs in Scripturis revelatos.

Memoratam fundamentalium dogmatum, qualem ostentat Juriæus, distinctionem explodendam esse ac projiciendam, pluribus demonstratur.

1° Cùm in dogmatum sic momentoso discrimine totam ponat Juriæus Ecclesiæ, extra quam nulla speranda salus, dignoscendæ rationem, oportet ut certis nec obscuris Scripturæ, quam solam ille agnoscit credendi normam, testimoniis, patefaciat quænam fundamenti loco habeantur dogmata, et quidem sola : nec aliter capitalis error declinari potest. Fatetur tamen ipse, illa omnia et singula in Scripturis non designari propriis characteribus, quibus à non fundamentalibus certò distinguantur. Superest ergo ut ex sacris codicibus, inconcussisque fidei principiis expressam aliquam exhibeat regulam, quâ dijudicari, aliaque ab aliis possint haud ambiguè secerni. At cùm ex Scripturis talem nullam potuerit depromere (quo vel solo causâ manifeste cadit), regulam ipse duplicem excogitavit, discernendis fundamentalibus articulis, ut putat, aptissimam.

Habeatur, inquit, *pro errore fundamentali doctrinæ quodlibet genus, quo destruatur vel gloria Dei, vel suprema hominis beatitudo. — Habeatur pro fundamentali veritate, dogma quocumque perpetuo et universali Christianorum assensu confirmatum.*

Regula prior multiplici laborat æquivocatione : si enim agatur de gloriâ Dei essentiali, quam ex æterno ac necessario suî ipsius intuitu et amore percipit, ea cùm sit ex suâpte naturâ immutabilis, nihilque ipsi ne divinitùs quidem accrescere possit aut detrahi, non est cur metuamus, ne ullis unquàm ipsa violetur hominum flagitiis ac erroribus; ergo absque fundamentali errore, negari possent Verbi divini incarnatio, ac proinde generis humani redemptio : intactâ enim essentiali Dei gloriâ, potuisset non assumi à Verbo divino natura humana, non redimi humanum genus, neque homines neque mundus creari : incarnationis tamen et redemptionis mysteria in fundamentalibus esse numeranda, sponte acclamat Juriæus. Ad accidentalem verò Dei gloriam si convertatur animus, hæresis nulla cogitationi occurret quæ gloriæ id genus non officiat, cùm nulla sit pars revelationis, quæ ad hanc gloriam promovendam augendamque non referatur. Quod supremam spectat hominis beatitudinem, vel sermo habetur de ipsâ naturâ seu objecto beatitudinis, vel de subsidiis ad eam accersendam destinatis : si quæstio moveatur de ipsâ expetendæ beatitudinis naturâ et objecto, nullus ingruet error fundamentalis, nisi qui *intuitivam* Dei visionem, et quo beati perfunduntur amorem, adversâ fronte et quasi de industriâ, pertinaciter adoriatur : at si loquamur de subsidiis ad parandam beatitudinem cœlitùs ordinatis, nulla existit hæresis, quæ non afferat acquirendæ impedimentum felicitati : si respondeat Juriæus, id solis illis attribuendum hæresibus quibus diruuntur fundamenta fidei, pro concesso id assumit, quo summa rei continetur, quod probatione maximè indigeat, quodque jam à nobis confutatum est.

Regulam alteram quâ statuit Juriæus, pro fundamentali habendum esse dogma quodcumque unanimi et perpetuo Christianorum assensu confirmatum, refellere, non erit operosius; hæc si obtineret regula, consequens foret, è fundamentalium dogmatum numero illa eximenda esse dogmata quibus maximè constare religionis fundamentum, profitetur ipse Juriæus; hæc enim multos experta sunt infensissimos hostes : pro genuinis ergo vivisque Ecclesiæ membris haberi potuissent ac debuissent Cerinthiani, Gnostici, Marcionitæ, Sabelliani, Ariani, Macedoniani, quos ab Ecclesiâ catholicâ et salute remotos non dubitaverit. Deinde, si fundamentale dixeris omne dogma quod paucos nactum fuerit impugnatores, pro fundamentali habendus erit omnis error qui paucos admodùm sortitus sit patronos; ergo fundamentales inter errores collocandus erit error Tatiani, qui pœnituisse salutemque consecutum esse Adamum negavit; ergo fundamentalis dicendus erit error ille Origenis, quo animarum

præexistentiam, earumque in informanda corpora propter anteactæ vitæ delicta, illapsum somniavit. Unum et quidem appositè hìc adjiciendum : nempe fundamentalibus erroribus accensendum fore Juriæi systema, cùm, ut probavimus, in ejusmodi assertionem reprobandam perpetuò et unanimiter Christiani consenserint.

Sistere liceret nobis gradum, nec ampliùs in eâ revincendâ, quam toties oggerit Juriæus, fundamentalium distinctione immorari : ulteriùs tamen progrediemur, eamdemque distinctionem impugnabimus nonnullis ex Scripturâ et traditione petitis argumentis.

1° Redarguit S. Paulus Galatas pravis deceptos à doctoribus, in eumque prolapsos errorem à concilio Hierosolymitano proscriptum, debere ipsos gentiles cum lege evangelicâ Mosaicæ legis observationes conjungere. De errore illo quem pro fundamentali Juriæus non habuit, hanc pronuntiavit Apostolus sententiam : *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit* (Ad Galat. c. 1, v. 9). Et adhuc : *Sic stulti estis ut cùm spiritu ceperitis,* nunc carne *consummemini* (Ibid. c. 3, v. 3). Denique : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (Ibid. c. 5, v. 2). Generatim docuerunt Apostoli, nullâ factâ distinctione fundamentalium et non fundamentalium dogmatum, subversum esse hæreticum hominem, proprioque judicio condemnatum (Ad Titum, cap. 3). Hæresim generatim inter peccata recensuerunt, quæ reos ab æternâ excludunt hæreditate (Ad Galat. c. 5, v. 20). In hæreticos universim convenit effatum istud S. Pauli : *Sermo eorum ut cancer serpit* (Ad Timotheum, cap. 2, v. 2). His etiam perstringuntur Apostoli verbis : *Mali autem homines et seductores, proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes* (Ibid. cap. 3). Imò in systemate Juriæi et aliorum qui privato examine volunt omnia definiri, nullus propriè haberetur hæreticus, cùm errantium quisque obtendere posset, secutum se propositam omnibus veritatis inquirendæ methodum, nec aliorum auctoritate obstrictum se teneri.

2° Præter argumenta quibus demonstratum est à temporibus Apostolorum, nullo interposito discrimine, prohibitos semper fuisse communione Ecclesiæ hæreticos et schismaticos, alia quædam eumdem in scopum collineantia attexemus obiter testimonia. Congregati Philippoli ex ipsismet Arianis episcopi, directâ ad omnes mundi episcopos epistolâ, testati sunt receptam esse in Oriente latam in Novatum condemnationis sententiam. In concilio Gangrensi, incutitur anathema contemnenti « eos qui agapas ex fide faciunt, et propter « Dei honorem fratres convocant ; » tùm et mulieri « quæ pro consueto muliebri indu- « mento, virile accipiat, » tum etiam « dissol- « ventibus tradita jejunia quæ communiter « servantur in Ecclesiâ. » In concilio Milevitano secundo, contra Pelagium et Cœlestium habito anno 416, omnibus episcopis « placuit, ut « quicumque verba ipsa dominicæ orationis, « ubi dicimus : *Dimitte nobis debita nostra,* ita « volunt à sanctis dici, ut humiliter, non vera- « citer hoc dicatur, anathema sit. » Hoc tamen errore, fundamentale nullum dogma convelli, Juriæus ipse assereret. In concilio Constantinopolitano secundo, isti inter alios damnantur Origenis errores, quibus nec illi tolerantes putaverint subrui fundamentum fidei : « Si quis dixerit rationalia refrigerata « à divinâ charitate, crassis corporibus, qualia « sunt nostra, illigata fuisse, et homines voca- « ta ; alia verò cùm ad summum malitiæ per- « tigissent, frigidis tenebrosisque illigata esse « corporibus ; atque tùm esse appellata dæmo- « nes, sive spiritualia nequitiæ, anathema sit. » « Si quis dixerit solem et lunam, et astra ipsa « quoque cùm ex eâdem rationalium unitate « essent, ex conversione in pejus facta esse id « quod sunt, anathema esto. »

Caput III.

Solvuntur objecta. — Explanantur quæ objiciuntur ex Scripturis.

Objic. 1° : Cum prophetiis quæ propagandum totum per orbem Ecclesiam prænuntiaverunt, cohærere non potest unitatis idea, quæ ipsam intra individualis alicujus societatis fines coerceat ; dictum est Abrahamo, Genes. cap. 22 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Psalm. 2, ita Deus Filium unigenitum alloquitur : *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Luc. cap. 24 : *Prædixit Christus prædicandam in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Prophetiæ illæ ad exitum perductæ sunt : orbem sufficienter occupat Ecclesia Christi, dummodò dicatur schismaticos omnes et hæreticos fundamentalibus inhærentes dogmatibus, sinu suo complecti : illos verò si statueris ab ejus communione divelli, falsitatis arguuntur prophetiæ, quæ ad propagationem illius referuntur.

Resp. : Objectio ista, quæ ubi agetur de catholicitate Ecclesiæ, iterùm incurret, prætermitti eò loci non debuit, cùm inde Juriæus

non leve systemati suo de unitate præsidium accersendum esse putaverit; quæ ut elucidetur, triplex animadvertendum quod ad Ecclesiam attineat, extensionis genus. 1° Nihil vetat quominùs de extensione quæ gentes omnes non simul, sed succedentibus pervadat temporibus, exponantur quædam prophetiarum tum veteris, tum novi Testamenti : mundum judicaturus universum, non priùs adventabit Christus, quàm omnes sub Evangelii jugum populos miserit Ecclesia.

2° Prænuntiatum est quoque à sacris vatibus, disseminandam esse totum per orbem Ecclesiam eâ extensione, quæ tota simul existat, ac tota cadat sub aspectum; idque comprobatum est eventu, quamvis adhuc multi supersint populi quos fides catholica nondùm adierit ac lumine suo non collustraverit; nec tamen fallunt ad stupendam Ecclesiæ progressionem spectantia vaticinia; neque enim strictiùs, omninòque prout sonant, intelligenda sunt; eorum quippe interpretatio receptâ tum apud sacros, tum apud profanos auctores consuetudine loquendi temperanda est. Nonne regi Nabuchodonosor dixit Daniel : *Tu rex regum es, et Deus cœli regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi, et omnia in quibus habitant filii hominum?* Daniel, cap. 2, v. 37 et 38. Nonne idem propheta de Alexandri imperio sic prænuntiavit : *Regnum tertium, aliud æreum quod imperabit universæ terræ?* Ibid. v. 39. Tùm de Romanâ potestate : *Devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam;* cap. 7, v. 23. Quàm multæ tamen priscis recensentur monumentis gentes nunquàm in Assyriorum, quàm multæ nunquàm in Alexandri, quàm multæ nunquàm in Romanorum ditionem redactæ! Colossenses hortatur Paulus ut immobiles permaneant *à spe Evangelii, quod audistis,* inquit, *quod prædicatum est in universâ creaturâ quæ sub cœlo est.* De mysterio incarnationis ita generatim pronuntiat : *Apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo,* 1 ad Timoth. cap. 3, v. 16. Quot tamen mundi plagas latebat magnum hoc pietatis sacramentum? Relatis SS. Patrum testimoniis, probavimus quàm longè abfuerint ab inducendis catholicam in Ecclesiam sectis hæresi vel schismati servientibus : eosdem tamen Ecclesiam, totum per orbem esse diffusam prædicâsse non inficiatur Juriæus : plurima in promptu esset eorum adducere testimonia, nisi mox adducenda forent, ubi de catholicitate Ecclesiæ.

3° Aliud in Ecclesiâ spectari potest extensionis genus in eo positum, ut præter Catholicos minimè latentes, illis degentes in regionibus quibus dominatur hæresis, omnes ibi infantes ritè baptizati, ad Ecclesiam Christi pertineant; quibus addi possunt quicumque adulti hæresim aut schisma *formaliter,* seu libero consensu non susceperint.

Triplex hoc extensionis genus si attentè consideretur, pronum erit confiteri in exponendis oraculis mirabilem Ecclesiæ propagationem enuntiantibus, non hanc effingendam esse imaginem quam sibi induxerunt in mentem Callixtus et Juriæus : non ita SS. Patres, non eâ ratione Apostoli prophetias, quas certè callebant, intellexerunt.

Objicies 2° ; Luctuoso decem tribuum schismati cujus auctor Jeroboam, adhæserunt prophetæ multi, septemque millia virorum quos laudavit ipse Dominus, et *quorum genua non sunt incurvata ante Baal,* lib. 3 Reg., cap. 19, v. 18. Non Jerosolymitanum ad templum sese conferebant, cujus extra limites mactandis victimis interdixerat populo suo Deus. Alienas quoque aras excitaverant, quibus eversis ingemuit Elias : *Altaria tua* (Domine) *destruxerunt,* lib. 3 Regum, cap. 19, v. 10. Ergo sincerâ cum pietate, salutisque studio consociari potest schisma; neque fuit impedimento, quominùs cum Roboamo rege Israel fœdus iniret Josaphat sanctissimus rex Juda.

Resp. Ex decem quidem tribubus, plerique pactum Domini dereliquerant : vitulos aureos colebant quos erexerat Jeroboam ; ex eorum schismate et agendi ratione, si concludere velit Juriæus, inter vera Ecclesiæ membra reponendos, nec à salutis viâ, schismaticos, quà tales, deflectere, fateatur oportet Ecclesiæ communione potiri notorios etiam idolorum cultores, tutâque salute posse pertinaciter infringi gravissimas Dei leges. Si verò agatur de iis duntaxat regni israelitici incolis qui cultum aversantes falsorum numinum, veroque Deo constanter servientes, à templo Jerusalem adeundo abstinerent, iis, quibus poterant, satisfacientes religionis officiis, immeritò illis inuretur schismatis nota. Adire quidem sacrificandi causâ Hierosolymitanum templum jubebantur Israelitæ : neque tamen ad jussa ejusmodi exequenda illi tenebantur quibus ea si facesserent, immineret periculum capitis : à prædictâ ergo lege servandâ haud *intrinsecè* necessariâ, immunes erant, regnum Israël incolentes viri religiosi, quos à sacris in templo

Jerusalem obeundis devocabant acerbissimæ principum minæ, extremaque forsan intentata supplicia; commorantibus in regno Judæ fratribus suis animo sociati, communionis externæ signa pro rerum adjunctis haud segniter edebant. Notum est quo divino incitatus impulsu, regem Israel Joram allocutus sit Eliseus propheta : *Quid mihi et tibi est? vade ad prophetas patris tui et matris tuæ... Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem,* lib. 4 Regum, cap. 3, v. 13 et 14. Tolerante aut annuente Deo, quædam ipsi potuerunt in regno Israel dicari altaria, quibus destructis conquerebatur Elias. Potuit enim Deus, urgente præsertim tam sævâ diuturnâque tempestate, eximere quos voluerit à lege quâ liberè prohibuerat, ne extra Jerosolymam ulla poneretur ara. Denique ex divinâ missione prophetarum Israelitico in regno commorantium, si consequens foret, tùm in Ecclesiâ, tùm in salutis viâ consistere schismaticos, idem pariter effutiendum esset de ethnicis gentibus, ad quas advolant catholicæ Ecclesiæ ministri, qui Evangelicæ doctrinæ illis præferant facem, depravatis medeantur moribus, et si quos invenerint titubantes fortè aut lapsos Christianos, confirment, reficiant, aut erigant.

Objicies 3° celeberrimum hunc locum Epist. 1 ad Corinth. cap. 3 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus; si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit : dies enim Domini declarabitur, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Eo maximè in testimonio, firmamentum causæ suæ collocavit Juriæus : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est.* Hinc fundamentales quosdam articulos credendi ac profitendi, ad salutem inconcussa necessitas. *Qui superædificant super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos,* illi sunt qui accepto verbi prædicandi munere, sanam puramque prorsùs doctrinam, ministerium suum fideliter implentes, tradiderint : probante licet et æstuante igne, illæsum, integrumque permanebit eorum opus, seu doctrina et docendi ratio : amplissima itaque ipsis à justo judice rependetur merces; qui autem *ligna, fœnum, stipulam,* prædictum super fundamentum astruunt, pseudomagistri illi habentur, qui fundamentalibus intactis articulis, hæreses tamen nonnullas adjiciunt; igne pertentatum ardescet illorum opus : admotâ probatione, documenta eorum, quàm inania, solidoque fuerint destituta præsidio, apparebit : plectetur pro meritis illorum quisque hæreticorum, nec eò usque ut propter id hæreseos genus, æternâ privandi sint beatitudine : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Potuitne significantiùs exhiberi adornatùm à Juriæo systema de unitate Ecclesiæ?

Resp. : Allati testimonii multiplex circumfertur expositio, nec ullam invexerunt SS. Patres quæ figmentis Juriæi vel tantisper indulgeat : id quod sanè admirationis plurimùm habeat, si apostolicâ ex illâ admonitione, evidens, ut ille sibi gratulatur, et efficacissimum jactati systematis eruatur argumentum. Extiterunt nobilissimi interpretes qui auro et argento significata voluerunt ab Apostolo bona opera, quibus instantes sive Ecclesiæ ministri, sive nullo donati ministerio Christiani, Christoque Domino, tanquàm firmissimo innitentes firmamento, generosâ fide ac ferventi charitate, inexhaustam sibi mercedem aggerunt : lignis autem, fœno et stipulâ designari putaverunt inordinatos quosdam affectus, vel à salute dimoventes in perpetuum, vel (quod verbis S. Pauli magis consonat) retardantes duntaxat ad tempus : hæc ut videre est, interpretatio, systema Juriæi minimè adjuvat. Verùm spontè ac ut probabiliùs fateamur, quos memorato loco vel approbat, vel redarguit superædificantes Apostolus, illos non esse nisi verbi divini ministros et prædicatores, dispari modo alios atque alios imposito sibi docendi et prædicandi defungentes munere. Interpretationem hanc suadent tùm scopus in quem intendit Apostolus, fideles deterrens ab inquieto et supra modum æmulo diversos erga verbi dispensatores studio, tùm prævia citatis Apostoli verbis hæc ejusdem effata : *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* 1 ad Corinth. c. 3, v. 7. *Dei sumus adjutores, Dei agricultura estis : Dei ædificatio estis; secundùm gratiam, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat : unusquisque videat quomodò superædificet; fundamentum enim aliud*

nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ibid. v. 9, 10, 11. Verùm ex istâ interpretatione nihil adjumenti potest Juriæus ad confirmandam sententiam suam percipere.

Namque 1° in hoc hæretici omnes consentiunt cum Catholicis, habendum esse Christum tanquàm fidei nostræ auctorem, consummatorem ac fundamentum : id palam prædicant ipsimet Sociniani, quos tamen inter vera Ecclesiæ membra cooptare Juriæus ipse noluerit; at verbis Apostoli mox allatis non declaratur, quid complecti debeat fides, ut credatur in Christum tanquàm in primarium immotumque spiritualis fundamentum ædificii; ergone impugnantibus divinitatem Spiritûs sancti Macedonianis, confundentibus in Christo naturas Eutychianis, dividentibus ejus personam Nestorianis, imò et consubstantialem Patri negantibus Arianis, etc., patebit Ecclesia, regnumque cœlorum! non eò usque temeritatis ac tolerantismi prorupit Juriæus.

2° Dùm asseritur non aliud posse præter Christum poni fundamentum, totus ibi designatur Christus, Deus et homo, mediator Dei et hominum, Patris Unigenitus, Patri consubstantialis, non divellendus ab Ecclesiâ ipsius corpore : *Ipsum,* inquit Apostolus, *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Epist. ad Ephes. cap. 1, v. 22 et 23. Si corpus et plenitudo Christi sit Ecclesia, si caput Ecclesiæ Christus, ergo et detrahit Christo, et abjicere censetur Christum, qui doctrinam, quæcumque ipsis videatur, teneant quam noverint Ecclesiæ judicio esse proscriptam. Nec reponatur cum Juriæo, nihil unquàm controversiæ dijudicare catholicam Ecclesiam : hoc enim commentum se ipso convictum, jam abundè confutatum est. Juriæi systemati nedùm patrocinetur, officit potiùs, rectè expositum Apostoli testimonium. « Expositio illius, « ait sapienter Estius in hunc locum, con- « trahenda est ad doctrinam quæ fundamento « rectæ ac sanæ fidei (quod Christus est), « superstruitur, ut videlicet per aurum, ar- « gentum et lapides pretiosos, intelligatur « doctrina pura, sincera et solida, conducens « ad pietatem et pertinens ad ornamentum « Ecclesiæ : per ligna verò et fœnum et sti- « pulam, doctrina non quidem hæretica aut « perniciosa (talis enim fundamentum de- « strueret), sed minùs sincera, minùsque solida : veluti si humanis ac philosophicis « aut etiam Judaicis opinionibus admixta. »

Objicies 4° : Negabant Sadducæi spiritualem ullam existere substantiam; negabant superstitem fore animam corpori, rependendasque ullas post mortem, aut virtuti mercedes aut sceleri pœnas; non obstiterunt errores illi quos expressè reprobavit Christus, quos et religioni et moribus detrimenti plurimùm afferre nemo non dixerit, quominùs unitate communionis adunarentur synagogæ, Sadducæi sederent in maximo Judæorum concilio, ecclesiasticis augerentur muniis, ad ipsumque pontificatûs apicem promoverentur. Veneratione quâdam colebantur Pharisæi, fato quamvis omnia regi asseverarent, animasque uno corpore in aliud traduci somniarent cum Pythagoricis : doctrinam hanc tribuit Pharisæis auctor libri cui titulus : *Dictionnaire philosophique.*

Resp. 1° : Hæc objicere non possunt Juriæus ipsiusque sectatores, quin regulas ab ipso positas tollant, quibus articuli fundamentales tutò secernantur. Constituit enim pro fundamentali habendum esse errore quidquid supremam evertit hominis beatitudinem (Système de l'Église, lib. 1, cap. 25). Quo pacto posset æternæ spes beatitudinis cum illâ Sadducæorum doctrinâ conciliari, quæ statuebat interire animam cum corpore, nihil proinde post mortem repositum esse mercedis aut supplicii.

2° Ut concessâ olim apud Judæos Sadducæis tolerantiâ muniatur systema Juriæi, ostendat necesse est, non solùm aggregatos fuisse synagogæ, ipsâ verè consentiente, Sadducæos, verùm etiam (id quod rem causamque maximè continet), viam salutis sibi suis non interclusisse erroribus : at quis verè Christianus persuadere sibi queat, à salutis tramite illos non aberrâsse, qui tam necessaria sustulissent ad eam promerendam incitamenta, eumdemque comminiscerentur animæ corporisque interitum?

3° Alia est, ut ita loquamur, tolerantia *personæ,* alia est toleratio doctrinæ : toleratur verè ac propriè doctrina, si concedatur licentia ipsius palam docendæ, tradendæ, ac pro nutu disseminandæ : sic intactâ dogmatum quorumdam fide, quæ difficiles explicatus habeant, circumferuntur expositiones nonnullæ, quæ apertè et publicè defendantur, neque reclamante neque suffragante Ecclesiâ; evinci nunquàm poterit hunc in modum toleratam fuisse in synagogâ doctrinam Sad-

ducæorum : populos illi quidem et magnates suas in partes clandestinis nitebantur colloquiis pellicere : quin etiam arreptâ occasione, cùm impunè facturos se putarent, placita sua audaciùs efferebant : at probari non potest, synagogæ persuasum fuisse, tutâ eos conscientiâ et illæsâ salute, exitiosa quibus inficiebantur dogmata, tenere ac tueri potuisse. Ab insanâ illâ doctrinâ cæteri abhorrebant Judæi.

4° Sadducæi ut tolerarentur tolerantiâ personæ, suadebat diversa quædam pro diversis temporibus necessitas : prodierunt auctore Sadoc trecentis circiter post captivitatem Babylonicam annis ; premente Syriorum, deinde Romanorum dominatu, penes Judæos sæpiùs non fuit potestas ad pontificalem dignitatem provehendi, quem defungendis idoneum muneribus judicarent : ipsi interdùm Sadducæi eâ potestate valebant et viribus, quæ publicis à muneribus non sinerent invitos illos repelli : illud etiam accedit, quòd à muniis et honoribus amovendi non viderentur Judæis propter errores quos expressè non reprobaret lex Mosaica; animas quidem esse immortales, pœnis aut præmiis, pro meritorum diversitate, post interitum corporis afficiendas, pro certo habebat synagoga ; indicabant Scripturæ, ut par est, intellectæ; suadebat multimodis ipsa lex Mosaica : at cùm expressis documentis dogma illud non proposuerit, hinc synagogæ non videbantur à conciliis publicis, neque à summo pontificatu removendi Sadducæi, cùm legem Mosaicam profiterentur, sacrificiis quæ jubebat interessent, festa instituta celebrarent, religiosos ritus omnes, perinde ac cæteri Judæi servandos curarent, explendaque agnoscerent omnia quæ Moyses officia imposuerit.

5° Neque tamen ita tolerabantur exteriùs, ut à communione ecclesiasticâ non aliquandò etiam per vim propulsarentur : ut contigit mortuo fratre Aristobuli Alexandro, cujus adjuvante uxore, oppressi à Pharisæis Sadducæi abdicare se muneribus coacti sunt, aut quos gererent magistratus ad Pharisæorum mentem attemperare.

Denique nihil vetat quominùs inter Ecclesiæ Christi membra requiratur strictioris unitas communionis, quàm olim in synagogâ ; qualis autem esse debeat volente Christo hæc unitas, satis jam à nobis explanatum est.

Solutu faciliora sunt quæ de Pharisæis objiciuntur ; inductæ fatalis necessitatis insimulati sunt per calumniam. Absoluto quidem et ineluctabili decreto determinari dixerunt eventa naturalia : sed humanæ libertati consulere divinam providentiam, nullamque inferri meritis aut demeritis repugnantem necessitatem confitebantur; hoc illis testimonium perhibuit Joseph, Pharisæus ipse ac eruditus. Falsò quoque postularentur de propugnatâ eâdem quam defendebant Pythagorei, et poetæ cecinerunt, metempsychosi : justorum animas existimabant in amœnam refertamque deliciis sedem transferri, undè possent labentibus ætatibus remeare gradum, et in alia quibus illigarentur, emigrare humana corpora; malos autem, tenebrosa in loca detrudi æternis cruciandos suppliciis. Doctrinam itaque tùm in hoc capite, tùm in quibusdam aliis, profitebantur variis admixtam erroribus, sed quos hæreticas inter doctrinas non recensuerat synagoga : eorum cæcitatem increpabat Christus, et qui ingeminata perspexerit quibus eos percellebat, anathemata, ille profectò non adducetur, ut eos à salutis semitâ existimet, eâ cæcitate mentis et duritie cordis non recessisse, quocumque honore afficerentur à populo.

Objicies 5° : Apostolorum temporibus coalescebat Ecclesia Christi ex duobus Christianorum generibus nullâ inter se communione devinctis ; qui enim ex Judæis religionem christianam amplexi fuerant, Mosaicæ nihilominùs legis œconomiæ et cæremoniis addictos sese profitebantur, ad easque observandas ipsos gentiles ad Christum conversos contendebant adigere : quod quidem jugum non esse gentilibus imponendum statuerant in concilio Jerosolymitano Apostoli ; unde ex paganis, qui militiæ Christianæ nomen dederant, illi immunes meritò sese credebant à legis Mosaicæ propriis institutionibus, Apostolico freti judicio, cui refragari nefas. Hoc postposito decreto, Christianos omnes legis Mosaicæ præceptionibus obligatos teneri jactabant facti ex Judæis Christiani ; hæresi simul et schismate laborabant : hæresi, quatenùs prolatæ ab Apostolis, solemniterque promulgatæ definitioni renitebantur, quâ, cæremoniis legalibus gentiles non obstringi declaratum est ; schismate, eò quod à convictu, omnique propemodùm ecclesiasticæ societatis ineundæ ratione excluderent, regnoque cœlorum judicarent extraneos illos omnes ex conversis ad religionem Christianam ethnicis, qui cum ipsâ conjungere Mosaicæ legis cæremonias renuerint; hinc non minùs à Christianis illis dissidebant, quàm dissentiunt à Græcis Latini, à Lutheranis Calvinistæ, à Protestantibus

Catholici Romani. In eâ versabantur hæresi, et illo detinebantur schismate, quæ attribuerunt Ebionitis, SS. Epiphanius, Hieronymus, etc. Attamen in Actibus Apostolorum videre est, quàm amicè, quantâque observantiâ, veluti cum genuinis Ecclesiæ membris congressi fuerint Apostoli cum omnibus Judæis qui dicebantur æmulatores legis. Ex his omnibus quæ adducta sunt, conficitur non exulare ab Ecclesiâ catholicâ hæreticos, neque schismaticos, tamdiù dùm fundamentalibus adhærent religionis Christianæ articulis, à quibus non defecerant memorati mox Judæi, tùm etiam posse illæsâ salute repudiari sancita Ecclesiæ judicio dogmata.

Resp. 1° : Quæ tela contorquet in Catholicos Juriæus, iisdem sæpè confoditur. Probandum suscepit, non tantummodò Ecclesiæ catholicæ membris annumerari posse hæreticos et schismaticos, sed etiam (id quod caput est controversiæ) neque hæreseos professione, neque contentione schismatis ab æternâ salute dimoveri, modò fundamentalem doctrinam retineant. In suæ præsidium causæ advocat rationem tùm sentiendi tùm agendi Apostolorum erga Judæos religionem Christianam amplexos: vix tamen aptius et efficacius exemplum depromere potuisset Juriæus ad explodenda quæ invexit commenta.

Enimverò gentilibus id oneris esse imponendum, ut secundùm morem à Moyse præscriptum circumciderentur, assertionem hanc erroneam Juriæus eximit à fundamentalibus erroribus, sive referatur ad tempus concilio Jerosolymitano prævium, sive ad subsequentia tempora; unde concludit, qui ex suâpte naturâ fundamentum fidei non disturbant, errores eos, accedente quâlibet Ecclesiæ definitione, posse nihilominùs æternâ cum salute cohærere : at nihil magis à doctrinâ Apostoli alienum. *Ecce ego Paulus dico vobis,* inquit, Epist. ad Galatas, cap. 5, *quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Dixerat antea : *Miror quòd sic citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium.* Numquid absque meritis Christi, novumque per Evangelium, comparari tùm potuit salus? Præterea Ecclesiæ quamvis infallibilitatem abjudicet cum cæteris Protestantibus Juriæus, prærogativam hanc in Apostolos collatam, ultrò confitetur, nec inficiari potest eorum parendum fuisse dictis, quos alloquens Christus dixerat: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, Luc. c. 10, v. 16, et qui proferendâ sententiâ dicere meritò potuerunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Act. Apost. c. 15. Quo igitur pacto potuissent pro veris ac vivis Ecclesiæ membris haberi (ut placet Juriæo), qui apostolico decreto de non adigendis ad circumcisionem gentilibus pertinaciter obsisterent ?

2° Non errore illo afficiebantur, non apostolicæ auctoritati obluctabantur æmulatores legis illi, quos ut fratres et communione sibi conjunctos habuerunt Apostoli : quam illi mentem induerint, quâ imbuerentur præjudicatâ opinione, perspici clariùs non potest, quàm ex consilio quod Paulo dederunt Jacobus Apostolus, collectique Jerosolymis seniores. *Hoc ergo fac quod tibi dicimus; sunt nobis viri quatuor votum* (Nazaræorum) *habentes super se; his assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita; et scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem.* Act. Apost. c. 21, v. 22 et 24. Quam sibi in animum de Paulo suspicionem induxerant æmulatores legis, de quibus agitur, ea talis erat ut depelli ac deleri posset, si voto Nazaræorum obligaret se Paulus, aut necessarias illi exolvendo subministraret impensas : tùm pateret falsa esse quæ de Apostolo gentium audierant ; non igitur ipsum eò redarguebant quòd à legalibus cæremoniis exemptos esse vellet gentiles, sed quòd falsis inducti rumoribus putarent illum velle Judæos ab observandâ lege Mosaicâ deterrere : nec falsa credidissent, sed id quod reipsà constaret, si tantummodò existimâssent nolle Paulum gentiles ad legalium cæremoniarum observationem : retulimus quo flagrante studio Galatas ne illis adstrictos se vellent, admonuerit. Narratur etiam Actibus Apostolorum quomodò missus sit in Syriam et Ciliciam, ut *fratribus ex gentibus* notum faceret decretum Jerosolymitanæ synodi, Act. Apostolorum, cap. 15. v. 22 et 23.

Nihil de Judæis in eo consilio fuit constitutum : tutò potuerunt, christianæ quamvis addicti legi, Mosaica tunc observare instituta, dummodò in his suæ spem salutis non collocarent, quasi lex evangelica his ablatis manca foret et infirma ; at expugnatâ et æquatâ solo urbe Jerusalem, dissectâque penitùs à Romanis Judæorum republicâ, jam nihil superfuit causæ cur adhuc ad Christianam religionem, Judæi legalium observantiam adjungerent; itaque illis ferè temporibus evasit, ut loquuntur theologi, *mortifera*, legalium observantia, id est, tunc prohibita fuit, et saluti exitiosa facta est. Nolebant qui æmulatores legis dicebantur,

ante hæc tempora, Judæi, et qui ut fratres, veraque Ecclesiæ membra habebantur ab Apostolis, carere concessâ sibi tunc libertate cæremonialibus obsequendi legis Mosaicæ institutis : verùm ad illa servanda non credebant adigendos esse gentiles, neque Apostolum immunitatem hanc gentibus vindicantem, ullam in suspicionem eo nomine vocaverunt. Existebant quidem, quorum ab Ebionitis error susceptus est, Judæi, qui observationem legalium ipsis gentilibus assequendæ saluti necessariam, ad eamque illos esse compellendos jactitarent; at Judæorum illud genus nequaquàm veris Ecclesiæ membris accensebant Apostoli, neque illos putaverunt à salutis viâ non aberrare. Imò à Christo disjunctos, desertores Evangelii, apostolicisque repugnantes decretis illos habuerunt Apostoli : undè Apostolus doctrinæ quam profitebantur suasores indignatus, sic exclamat Epist. ad Galatas : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit*, cap. 1, v. 9. Et iterùm : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant!* (cap. 5, v. 12.)

Objicies 6° : Multa congerunt ex Scripturis testimonia Chillinworth, Hobbius, Lokius, ut persuasum faciant in genuinis Ecclesiæ membris numerandos esse, quicumque fundamentalem hunc profiteantur articulum : *Jesus est Christus, à Deo uno missus, Dominus et Rex, cui in Scripturis docenti credendum sit et obsequendum.* Tum etiam volunt, retento insigni illo dogmate, non officere quantoscumque scrutandis privato examine Scripturis susceptos, totâque vitâ defensos errores.

His præcipuè abutuntur divinis sententiis tolerantismi laxioris patroni. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, Joan. c. 3, v. 36. *In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse ex Deo est*, Joan. c. 4, v. 2. Quisquis confessus fuerit quoniam *Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo* (Ibid. v. 15). Ad conciliandam dogmati illi fidem totum refertur Evangelium : *Hæc autem scripta sunt*, inquit Joannes, *ut credatis quia Jesus est Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*, Joan. c. 20, v. 31. Eumdem ad scopum collineat Apostolorum prædicatio. Sic dicitur *adaperiens* (Paulus) *et insinuans, quia Christum oportuit resurgere à mortuis, et quia hic est Jesus Christus*, Act. Ap. c. 17. His et aliis id genus testimoniis quæ et in Evangeliis et Epistolis Apostolorum passim occurrunt, manifestè declaratur, ad accersendam justitiam, divinam adoptionem, æternamque vitam aliud nihil esse creditu necessarium, nisi *Jesum Deo mittente venisse in mundum ad generis humani salutem ;* quare igitur ad constituenda vera Ecclesiæ membra non sufficiat tanti dogmatis fides, hujusque fidei professio? Nec aliam reipsà exigebat Christus variis ab ægrotis opem ipsius et miracula suppliciter poscentibus; non aliam exegit à latrone ipsum propè crucifixo, conversoque repentè in pœnitentiam; non aliam Apostolorum princeps die Pentecostes, à tribus Judæorum millibus, quos baptizandos priùs curavit quàm fidei doctrinâ et vitæ christianæ institutis erudirentur.

Resp. 1° : Quibus debellatus est argumentis Jurieus, iisdem potiori etiam jure superati jaceant necesse est Hobbius, Chillinworth, Lokius. Si enim à verbo Dei et scripto et tradito, necnon ab ipsâ Christianæ religionis substantiâ alienum sit, ut ex omnibus sectis præcipua fidei dogmata profitentibus, cætera verò aliis plura, aliis pauciora abjicientibus, Ecclesia Christi coaluerit (id quod asseverat Jurieus), quantò magis à Scripturis, et traditione, inditisque Ecclesiæ à Christo dotibus abhorreat inaudita seculum ante decimum sextum doctrina, quæ ad ineundam cum fidelibus communionem, salutemque assequendam, nullius præter unum aut alterum dogmatis fidem postulat, cæteris licet abnegatis palam, aut ne quidem salvâ substantiâ depravatis? Premuntur Hobbii et Lokii placitis Protestantes, neque suis nisi velint repugnare principiis, abstinere possunt à comprobando illo quem audenter Hobbius et alii extulerunt, immani tolerantismo : id enim palmare est, atque axiomatis instar, continuò receptum apud Protestantes, ut non auctoritate, ne universalis quidem Ecclesiæ judicio dirimi oporteat fidei controversias. Sicut doctis et peritis, ita rudibus ipsis et illitteratis potestatem faciunt, jusque universim arrogant, propositam sibi doctrinam discutiendi atque dijudicandi confidenter, deinde quas ipsius partes revelationi consonas putaverint, eligendi, quas verò dissentaneas, respuendi, reclamantibus licet unanimi consortio SS. Patribus generalibusque conciliis ; quâ ergo vel auctoritate vel ratione, judicabitur descivisse illos ab Ecclesiâ et salute, qui hoc vel illud dogma quod Protestantibus severioribus fundamentale videatur, putaverint post privatam discussionem, sibi esse negandum ac rescindendum? Premuntur vicissim à plurimis saltem Protestantibus, Hobbius, Lokius et alii, graviter et acerbè exprobrantibus

deformari totam Ecclesiæ faciem, atque haberi ludibrio, dùm scriptis in publicum manantibus, traducitur tanquàm turpissimis referta sectis, atque omnigenis contaminata et infamata hæresibus. Premuntur à Catholicis, et laxioris et laxi minùs tolerantismi sectatores ac patroni : in his adimpletur et illis, quod olim à S. Hilario fuit observatum, lib. 7 de Trinitate, num. 5: « Dùm hæretici omnes se invicem vincunt, ni« hil tamen sibi vincunt : victoria enim eorum « Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dùm eo « hæresis contra aliam pugnat, quod in hæ« resi alterâ fides Ecclesiæ damnat. » Fluctuantibus perpetuò nativâque levitate abreptis modò hùc, modò illùc hæreticis, sola sibi constat divinis suffulta promissis Ecclesia; nec ulla unquàm servandæ unitatis suppeditabitur via, nisi auctoritati ipsius ac institutionibus firmum et integrum impendatur obsequium.

2° Animo concipi vix potest quantùm à semetipsis discrepare soleant, quàm inconstanter loquantur oriundi Protestantium è scholis *tolerantes;* intellectu faciles et apertas, in iis saltem quæ gravioris sunt momenti, Scripturas divinas, importunè clamitant. Frequentiùs nihil apud illos personat : unius tamen aut alterius dogmatis professione, sic omnibus reseratam dictitant Ecclesiam Christi, ut ipsius aditu arceri nemo debeat aut possit, qui doctrinæ illud caput retineat (divinam esse Christi missionem), præjudicatis distracti opinionibus, consequens inde futurum non attendunt, tam densis opertam esse obsitamque tenebris omnem ferè Scripturam, ut uno vel altero excepto dogmate, cætera omnia publicè abnegari possint vel adulterari, quin idcircò eorum impugnatores haberi oporteat aut liceat ab Ecclesiæ communione et à salute alienos, tametsi meliorem ad mentem sese non recipiant.

3° Christianorum nemo, nisi christianam priùs deserat religionem, *Jesum esse Messiam, Dominum et Regem,* inficiabitur. Ergo Ecclesiæ catholicæ communioni obtinendæ, et saluti assequendæ si nihil aliud credi, et fidei professione contineri oporteat, hæreseos crimen incurrunt soli apostatæ ; soli erunt ab Ecclesiæ sinu, quam ipsi jam ultrò dereliquerint, ablegandi : attamen et Scripturis passim, et historiæ Ecclesiæ indubitatis monumentis constat Christianos inter extitisse qui tum ab Apostolis, tum à conciliis et SS. Patribus, lethiferæ hæreseos crimine accusati fuerint, atque spurios inter fœtus, interposito anathemate aman dati. Certè Christo tanquàm duci et domino subditos sese gloriabantur illi de quibus Paulus id testatur : *Circa fidem naufragaverunt : ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare,* 1 ad Timoth. cap. 1, v. 19 et 20. Idem statuendum de novatoribus qui, eodem referente Apostolo, *à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem* Idem asseverandum de aliis tot hæreticis, quorum meminerunt SS. Irenæus, Epiphanius, Augustinus, etc., annaliumque Ecclesiæ scriptores, tum antiqui, tum recentiores. Tota denique evanescit Christiana religio, et continuo catholica fides objicitur contemptui, *si dummodò credatur Jesum esse Messiam et Regem,* cætera permittantur proprio singulorum examini, nec possint ab Ecclesiæ communione repelli, quamcumque de fide ac moribus doctrinam obstinatè palamque profiteantur.

4° In eo maximè deluduntur Hobbius, Chillinworth, Lokius, etc., quòd intelligere noluerint, vel attendere, ad veram Scripturarum expositionem sæpè alia cum aliis conferenda esse testimonia, et quod in uno desiderari, aut etiam, solius verborum corticis habitâ ratione, excludi videatur, aliis suppleri atque significanter explicari. Sic quando dixit Christus Pharisæos alloquens : *Verùmtamen, quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis,* Luc. c. 11, v. 41, numquid indicatum voluit, sceleris omnem eluendam esse labem erogandâ eleemosynâ, tametsi quod *intùs est, plenum rapinâ et iniquitate* permaneat? Dixit Christus : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra,* Matth. cap. 6, v. 14. Nec tamen peccata proximo dimittentibus condonabit, nec placabitur, si avaritiæ serviant, si torqueantur invidiâ, si otio marcescant, etc. Dixit Christus : *Nolite judicare, et non judicabimini,* Luc. cap. 6, v. 37. Non idcircò supremum effugiet judicium, qui licet à temerariis se continuerit judiciis, indulgeat libidini, intumescat superbiâ, inimicos acerbo insectetur odio, nec delictorum maculam pœnitentiâ deterserit. Non à præstandis quæ Christianam constituant vitam, operibus eximit ipsa charitas, quæ hominem ipsa justificare valeat. Unde id pronuntiatum à Christo : *Si diligitis me, mandata mea servate,* Joan. cap. 14, v. 15. Testimoniis itaque Scripturæ, quibus sola commemoratur fides in Christum, *Messiam,*

Dominum et Regem, et quasi per se solum sufficeret, commendari videatur, non tollitur, non labefactatur necessitas fidei, quâ credantur aliis revelata in locis et Ecclesiæ judicio sancita dogmata. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ait Christus, mittendis in mundum universum Apostolis : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marc. cap. 16, v. 15 et 16. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, Matth. cap. 28, v. 19 et 20. Fingere quis audeat hoc unum Evangelio ab Apostolis prædicato comprehendi : *Jesus est Messias et Rex ;* hoc unum tradidisse populis credendum Apostolos apostolicosque viros ? Numquid hujusce unius dogmatis professione, totum disertè continetur, quod gerendo salutis negotio servandum sit ? Professionem illam semper et omnibus sufficere, nec ipsi contendunt tolerantismi laxioris patroni. Eam quidem satis valere docent ad muniendum patefaciendumque Ecclesiæ aditum : at nihilominùs præcipiunt, ut unusquisque pro suis viribus et conditione, incumbat legendis vel audiendis quæ Scripturâ revelaverit Deus, atque ad ea quæ divinitùs enuntiata putaverit, fidem agendique suam rationem componat.

5° Dùm Scripturis divinis asseritur credendum esse in *Jesum ab uno Deo missum, eumdemque Dominum et Regem*, credere jubemur in Jesum, qualis fuerit à Prophetis annuntiatus, prædicatus ab Apostolis, à se ipso declaratus, ac proindè in Filium Dei unigenitum, Deum hominem factum, mundi Salvatorem, supremumque Judicem qui sit via, veritas et vita, cujus et verbis omnibus adhibenda sit fides, insistendum exemplis, mandatis obtemperandum, et speciatim Ecclesiæ auctoritati adhærendum. Quapropter nihil est quod miremur dogmatis jam pluries memorati (Christum esse Messiam ac Dominum), fidem ac professionem tantoperè extolli, cùm ex eâ necessariò deriventur tot officia, quibus non nisi verè Christianus et Catholicus defungitur.

Restat ut paucis solvatur objectio desumpta ex illorum conversione quos ad baptismatis gratiam, nullâ penè interjectâ morâ provectos, non licuit per tempus distinctis imbui doctrinæ christianæ documentis. judæorum tria millia, post habitam coràm numerosissimo cœtu, die Pentecostes orationem, curavit illicò S. Petrus initianda baptismo : verùm hâc eâdem oratione Apostolorum princeps zelo fidei accensus, illos edocuerat mortem Jesûs virtutibus, prodigiis, signisque à Deo approbati, definito consilio, divinâque traditi præscientiâ, ab iniquis interempti, ejusdem à Prophetis prænuntiatam resurrectionem, et in cœlos ascensionem, ipsum totius sanctissimæ Trinitatis mysterium his declaratum verbis : *Dexterâ igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritûs sancti à Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis ;* vim baptismatis, eique adnexam peccatorum remissionem, exposuit Judæis S. Petrus : *Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos. Salvamini à generatione istâ pravâ; qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt.* Beatissimis illis temporibus quibus affluebant dona Spiritûs sancti qui *doceret omnem veritatem*, tali duce ac magistro, nonne potuit citiùs maturari ac promoveri supra modum apostolicæ successus intitutionis ? At etiamsi capita quædam duntaxat doctrinæ Christianæ ante susceptum baptisma didicissent priores illi Apostolorum alumni, tam benè affecti, nonne pleniùs eos deinceps fuisse eruditos apertè significat id quod subjungitur : *Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus ?* Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum baptizatus priùs non fuit quàm edoceretur à Philippo diacono, quem de explanando quodam Isaiæ Prophetæ testimonio interrogaverat : *Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scripturâ istâ, evangelizavit illi Jesum.* An verisimile est, homini religioso tam studiosè percontanti tamque aptè disposito, non edisseruisse Philippum, quæ credenda essent, quæ facienda, dignam ut christiano nomine vitam degeret ferventissimus ille neophytus ? Numquid igitur, quando sciscitanti Philippo utrùm ex toto corde crederet, respondit : *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*, id unum dogma compertum habuit ? Dicatur ergo (id quod absonum) de suâ religione interrogatos olim, intonante persecutionum procellâ, doctissimos etiam Christianorum, cùm responderent se in Christum Dei Filium credere, dogma nullum aliud explicitâ fide credidisse, aliudque nullum symbolo fidei quod profitebantur contineri.

Objicies 7° : Utrùm vîâ auctoritatis dirimendæ sint exorientes de fide et moribus controversiæ, ambigitur inter Christianos : viam illam necessariò tenendam, etiamsi apud omnes constaret, auctoritatem cui ab omnibus

obtemperandum sit, societas nulla Christiana vindicare sibi potest, nisi veram se priùs Ecclesiam probaverit : at quænam præ cæteris hoc nomine adeunda sit, non assumi potest tanquàm probatum, quamdiù investigantur atque perpenduntur Ecclesiæ notæ : semotâ autem sequendæ auctoritatis necessitate, cohærent sibi, atque servandæ unitati aptissima sunt tolerantium principia, quæ summatim in his posita sunt. Canonici habendi sunt Scripturarum libri, quos afflante Spiritu sancto scriptos esse, constanti et unanimi Christianarum societatum consensu perspectum est. Illis in libris, apertè versantur fundamentalia dogmata ; eadem quoque non obscurè, non æquivocè, Apostolorum symbolo continentur, quod ad erudiendam ipsam plebem conditum est, unde, ut docti, ita et illitterati haurire possunt quæ ad comparandam Ecclesiæ communionem credenda sint.

Resp. : Componendas esse viâ auctoritatis, quæ ad religionem pertineant, controversias, jam pluribus demonstratum est ; nec certum ullum ac stabile unitatis principium submi-nistrari, si privato examine discutiendæ ac judicandæ sint ; hinc tolerantium systemata omnia diruuntur, etiam antequàm ostensum fuerit, quænam Christianas inter societates, eâ auctoritate polleat, cui omnes parere debeant, et quæ soli possit Ecclesiæ Christi competere : cæterùm hanc soli Romanæ Ecclesiæ adscribi posse, progrediente quæstionum ordine convincetur, ac vel uno probatum est consectario, quod dissertationi de judice controversiarum subjunximus.

Futurum demonstravimus ut rejectâ Ecclesiæ auctoritate, nulla suppeteret via Scripturarum canonicitatem et sensum certò dignoscendi, ad hominum præsertim vulgus accommodata ; tuta nulla regula secernendi fundamentales à non fundamentalibus articulis. Non hìc opus est iterare quæ deprompsimus argumenta ; aliquâ fortè expositione indiget id quod obtenditur de Apostolorum symbolo præcipua complectente fidei capita, et ad imperitorum præcipuè institutionem, inquiunt, attemperato. At ubi despiciuntur ac deseruntur institutiones et auctoritas Ecclesiæ, quàm alienos depravatosque in sensus detorquentur plerique symboli illius articuli ! Sic Ariani profitentur quidem Jesum Christum esse Filium Dei, sed adoptivum, justis omnibus aliis, gratiæ plenitudine antecellentem, non unum cum Patre naturâ substantiâque Deum : sic Nestoriani Verbum divinum distinotam esse à Christo personam, atque in eo inhabitare tanquàm in templo confinxerunt : sic Macedoniani Spiritum sanctum pro virtute quâdam à Patre derivatâ, non pro vero Deo habuêre. Mirum ac stupendum, quantùm Sociniani adulterandæ christianæ fidei, corrumpendæ mysteriorum notioni, deflectendisque à proprio sensu sacris monumentis allaboraverint.

Omnibus illis novatoribus objiciantur decerpta ex libris canonicis symbolisque fidei diserta testimonia, eâ statim utentur indomitâ licentiâ quam sibi arrogant auctoritatis osores, in exponendis suo arbitratu, quæ tum ex divinis codicibus, tum ex traditione, depellendis ipsorum erroribus colliguntur. Sublatâ definientis Ecclesiæ auctoritate, nullus erit disserendi et altercandi finis ; suo in sensu unusquisque abundabit : alter in alterum, pro suo affectu conferet, seu retorquebit hæreseos crimen ; nemo coram societate haberi hæreticus poterit et ab Ecclesiæ sinu avulsus, nisi qui pervicaciter ea negaverit, quæ Christianus nemo, negato nisi ipsomet Christo, abjecerit.

Denique (et id sedulò ponderandum est) falluntur, aut fallere student Tolerantes, dùm ab implicitâ fide, imperitis præsertim nituntur opportunum accersere præsidium ; hæc paululùm evolvenda est adnotatio.

Apud Catholicos occurrunt quidem multi qui vel dogmatica omnia Ecclesiæ decreta, comperta non habeant, vel eorum fortè non pauca, præ ingenii tarditate, pravè intelligant : at implicitam illorum omnium fidem rectè habere possunt, quia generatim sinceroque animi obsequio credunt quidquid Ecclesia credendum proposuerit ; tùm si quid erroris, propriâ mentis infirmitate aut præjudicatâ opinione susceperit, id omne parati sunt respuere, statim atque cognoverint, quid credendum, quid agendum sit, eadem Ecclesia declaraverit. Hinc perspicere est quemadmodùm in Ecclesiæ auctoritate conquiescant, ejusque sinu arctissimè foveantur, intactam continuò unitatem fidei retinentes.

Non eo loco reposita est Tolerantium causa : dictitant in Scripturis apertè revelari quæ creditu ad salutem necessaria sunt (quâ in assertione quo pacto laborent et hæreant, jam à nobis expositum est), tùm addunt, si quid in cæteris scrutando Scripturas erratum sit, implicitâ nihilominùs fide sufficienter totum illud credi, dùm Christum divinitùs esse missum creditur, ut testimonium perhi-

beret veritati, nec ab eâ unquàm posse illum aberrare. Frustra id obloquuntur; haud enim iterùm, ut scitè adnotat Bossuetius, venturus est Christus, ut quæ in Scripturis obscura sunt explanet; aptâque expositione patefaciat et vindicet, quæ suam ipsorum in perniciem vertunt novatores aut infirmi : auctoritatem aspernantur ac derelinquunt Tolerantes, eorumque discipuli, quâ Deus ipsos ut cæteros regi et ab errore dimoveri constituit : oculos reflectunt à saluberrimâ face, quam ipsis offerente et prætendente Ecclesiâ, illuminandis destinavit. Suo solo innitentes judicio, sese fidei suæ moderatores ac velut arbitros constituunt : quâ igitur ratione obtendere queant, implicitâ et verâ divinâ fide se credere ea ipsa dogmata quæ perlegendis excutiendisque Scripturis, verâ notitiâ attingere et assequi non valuerint? Nonne quidquid erraverint, imputare sibi meritò debeant, eam obfirmato animo viam dimittentibus quam investigandæ veritati Deus, ubi de revelationis intelligentiâ, salutisque negotio agitur, præstitutam voluerit?

Si qualiter à Protestantibus obtruditur, ita urgeretur implicitæ fidei efficacia, haud incongruenter inde concludi posset, ab ipsis reprobantibus Christum Judæis, credi omnia religionis Christianæ dogmata, cùm et palam prædicent sese credere quidquid à Deo revelatum sit.

Objicies 8° : Dùm ad veram unitatem requiritur ejusdem doctrinæ professio, non postulatur communio in doctrinæ capitibus quæ liberis theologorum traduntur concertationibus, sed in fidei dogmatibus quæ profitetur Ecclesia, et quidem vera Christi Ecclesia : quid enim prodesset alienum à Christo consortium? non inde magis posset legitima unitas efflorescere, quàm ex pactione scelerum, legitima iniri societas; at de Christi verâ Ecclesiâ tanquàm jam repertâ non instituitur sermo, dùm proponitur assignatis indaganda notis.

Etverò, nedùm ad asserendam fidei unitatem oporteat haberi priùs pro repertâ et agnitâ veram Christi Ecclesiam, necesse est potiùs, ad inquirendam efficaciter veram Ecclesiam, indagari priùs et explorari doctrinam quæ ad fidei christianæ depositum pertineat. Id potest idoneo illustrari exemplo. Expendere et dignoscere si volueris, utrùm ex Peripatheticis vel ex Platonicis conflatus sit aliquis individualis cœtus, nonne priùs innotescere debeat, qualem Peripathetici, qualemve Platonici doctrinam teneant? Eâdem prorsùs ratione, ut secernatur et agnoscatur vera quæ genuinos complectitur Christianos Ecclesia, necesse est investigari priùs et agnosci quam Christus discipulos suos edocuerit, quamque diffundendam doctrinam eisdem tradiderit.

Resp. : In exponendâ Ecclesiæ unitate, refellendoque tolerantismo nondùm, ut diximus (et altiùs inculcandum est) ad ipsam doctrinæ veritatem attenditur; in solam profitendæ fidei unitatem intenditur animus ; probandum suscipitur individuam esse à Christo constitutam societatem, cui ad salutem adipiscendam necessariò adhærendum sit; ad eam dignoscendam admoventur insignes et indubitatæ quædam notæ : tùm demùm qui eam agnoverint, in promptu est ut ab eâdem hauriant et suscipiant veram quam illi concredidit Christus ipsa veritas, doctrinam. Hâc in disserendi methodo nihil occurrit vitii, nihil quod à sanioribus ratiocinii regulis abludat.

Evanida, nec ad rem pertinet, quæ in objectione, ex operibus Chillinworth adducta est comparatio : non lineamentis oris, non corporis præstantiâ, non animi aut ingenii dotibus, aliisve exterioribus prælucentibusque notis dignoscere possumus ac distinguere ab aliarum sectarum philosophis, Peripatheticos, vel Platonicos. Totum hoc discrimen deducendum est à præcipuis aliquot et prominentibus doctrinæ capitibus, quorum alia Peripatheticis, alia Platonicis ita passim adscribuntur, ut iis tanquàm propriis à quâlibet diversâ sectâ facilè illos internoscere possimus ; at Ecclesiæ suppetunt exteriores quædam et aptissimæ notæ quibus ab omni alienâ et adulterinâ societate distinguitur et sejungitur, verâque, ut adnotavimus, cognitâ Ecclesiâ, facilis et expedita patet via, tum ad cognoscendam et suscipiendam quam Christus revelaverit doctrinam, tùm ad præcavendos errores, qui temerariis privatoque inhærentibus examini, magis magisque immineant et augescant.

Objicies 9° : *Veritatis putativæ* nomine, ut præfati sumus, donatur ille omnis error qui veritatis speciem cùm induerit, pro ipsâ veritate habeatur; ut animos commovet et allectat sincera veritas, ita pellicit et afficit etiam error, ementitis quando exornatur coloribus; in illum qui dicuntur hæretici non abducuntur, nisi quia mendaci decipiuntur larvâ, dùm inquirendæ acriter incumbunt veritati, eumdem parati rejicere, si lux ipsis affulgeret quâ defraudantur non volentes; æquitati porrò non congruit, ut insimulentur et plectantur propter susceptos errores, quibus consectandis et pro-

pugnandis, partes veritatis adjuvari ac tueri maximè sibi videantur; nulla patitur ratio, ut eò vituperentur subjaceantque excommunicationi, quòd in pervestigando Scripturarum sensu, sagacitas mentis eos deficiat; tumquem sacris cognicibus tribuendum esse sensum putaverint, iniquè ageretur cum eis, si cogerentur illum, repugnante conscientiâ cui obluctari nefas, tanquàm spurium erroneumque condemnare.

Hæreticorum pars maxima ab ipsis verè incunabulis falsam hauserunt doctrinam, cui assiduâ quâdam æmulatione adhærescunt; in eâ obfirmati tùm publicâ institutione, tùm conspirantibus exemplis, omnigenisque ad errandum incitamentis: ergone illi omnes jacebunt miseri, velut ab arbore præcisi et arescentes rami, æternis tandem deputandi suppliciis?

Resp.: Non hic redarguendis immoramur illis qui renitente conscientiâ hæreticam aliquam doctrinam defendere ac propinare audeant; horum ipsi Tolerantes patrocinium abjiciunt. Quod verò ad cæteros attinet, fatemur nec approbari ab hæreticis, imò nec posse interiùs et animo approbari errorem cognitum ut errorem: id ipsa vetat natura humanæ mentis ad veritatem prosequendam conditæ et ordinatæ: at non inde consequitur excusandos esse à peccato, immunesque ab hæreseos nefariâ labe præstari, qui posthabitâ Ecclesiæ auctoritate, suoque præfidentes judicio, dediti sunt ac patrocinantur proscriptis ab ipsâ erroribus, quos fallente specie, pro veris dogmatibus habeant.

Eo si nomine excusarentur, quòd à veritate deviare se non arbitrentur, vacarent etiam culpâ infensissimi christianæ religionis hostes, non Judæi solùm qui dùm Ecclesiam Christi à fundamentis excindere peroptant, sanctissimo se studio accensos putant, verùm etiam Mahumetani, dùm nefaria pseudoprophetæ sui instituta impensissimè colunt: illum enim credunt fugandis errorum tenebris, et revocandæ postliminio veritati divinitùs esse excitatum, ac tanquàm è cœlo delapsum, numerisque velut omnibus absolutum opus venerantur Alcoranum. Ergo Christus voluisset inanes errores generi humano tùm injicere, cùm Apostolis præcipiendo ut gentes quæcumque ipsis mandaverat edocerent, hanc edidit sententiam: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. cap. 16, v. 16. Ergo de Epistolis S. Pauli loquens S. Petrus falsò dixisset: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem,* 2 Epist. Petri, c. 3, v. 11. Ex eâ depravatione nihil caperent detrimenti, cùm suæ ipsius conscientiæ testimonio excusarentur. Perperàm discipulum suum gentium Apostolus istis admonuisset verbis: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus,* ad. Tit. cap. 3, v. 10 et 11. Proprio nedùm judicio condemnarentur hæretici, per illud potiùs coram Deo et hominibus forent absolvendi, cùm errorem pronis sectantes animis, dimicare pro veritate sibi videantur.

Ab Evangelii normâ omninò recessissent concilia omnia tùm particularia, tùm generalia; charitatis et æquitatis legibus obstinatè detraxissent orientales omnes et occidentales episcopi; à temporibus Apostolorum ad nostram usque ætatem invaluissent vis et calumnia in regimine Ecclesiæ: immunes enim fuissent à culpâ quos propter diversitatem dogmatum episcopi percellebant anathemate, extrudebantque à fidelium societate, tanquàm hæreticos et perduelles, à regno Dei longiùs ablegandos. Ad omnem propulsandam accusationem, hoc unum, qui habebantur hæretici, reponere satis habuissent, nullam se doctrinam tueri, quam divinæ susciparentur revelationi repugnare: nativoque jure quo exui nemo possit, omnibus esse licitum, quæ vera, quæ recta judicaverit, ea suscipere, palamque profiteri, hanc esse prærogativam *veritatis putativæ*, vicesque gerentis, ipsius quæ desit, veritatis.

Inst.: At, inquiunt Tolerantes, condemnari Deo judice nemo potest eo nomine quòd veritatem mente non perspexerit: perinde id foret ac si eò quis damnaretur, quòd vel captus oculis, vel hebescente saltem oculorum acie, obversantia quæque cernere non potuisset.

Resp.: Plura possunt contingere, sæpiùsque contingunt cæcitatis genera, quæ justam inducere excusationem nequeunt, divinamque potiùs iracundiam concitent. Procul dubio Christus excusatos non habebat illos, quos ita compellabat: *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi debet;* Matth. cap. 23, v. 16 et 17. *Stulti et cæci: quid enim majus est, aurum an templum quod sanctificat aurum?* Quando Christus sic alloquebatur Apostolos: *Absque synagogis facient vos; sed venit hora, ut*

omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, Joann. cap. 14, v. 2, numquid significatum voluit crimine nullo contaminandos esse Judæos, mactandis Apostolis, utpotè qui obcæcati, gratum se tunc sacrificium Deo persolvere putarent? Ignorabant Judæi *sapientiam in mysterio, quæ abscondita est : si enim cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent*, 1 ad Corinth. cap. 2, v. 7 et 8. Haud tamen injuriosè Judæis exprobrat Christus nefandum quo ipsum crucifigi postularent, scelus, neque injustè tot à seculis varias per gentes miserè dissipatos illos urget vindice pœnâ supremus judex. Advertere nolunt Tolerantes, culpandam esse per semetipsam cæcitatem animi, vel in se, vel in causâ liberè susceptam, eâque proinde non amoveri, sed incurri offensam Dei; neque verò ut liberè contracta censeatur, et meritò redarguatur, plectaturque cæcitas, necesse est, ut ex animi proposito veritas refugiatur, ac velut ex industriâ accersantur captenturque errorum tenebræ; hunc in modum afficiebantur illi qui, sicut legitur in libro Job, Deum sic videbantur impudenter alloqui : *Recede à nobis : scientiam viarum tuarum nolumus*. Præ cæteris quidem notandum et mulctandum id cæcitatis genus, illiusque patrocinium in se recipere quis nisi peccato venumdatus audeat? Ut jure et meritò culpæ vertatur cæcitas, satis est ut caveri potuerit : justissimè imputantur mala quæ inde consecutura aut prævideantur, aut *moraliter* potuerint prævideri. Ideò enim propter fidei privationem non plectentur qui *negativi* appellantur infideles, quia cùm ipsis nunquàm sit annuntiatum Evangelium, neque vident, neque prænôsse potuerunt, sese lege naturali violandâ comparandæ obices fidei apponere.

Cæterùm quæ impellere in hæresim, aut in eâ detinere soleant, non est arduum intellectu : lethifero alii torpent veterno, quo retrahuntur ab investigandâ veritate, quam si, ut ait Salomon, *quasi pecuniam* quærerent, Proverb. cap. 2, illam profectò quantùm ad salutem necesse est, assequerentur. Temerariâ et inquietâ pruriunt alii curiositate, Apostolo teste, semper discentes, *et nunquàm ad scientiam veritatis pervenientes*, 2 ad Timoth. cap. 3. Quot et quales inordinatis ex affectibus scaturiunt errores! *Radix omnium malorum*, inquit Apostolus, *est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis*, 1 ad Timoth. cap. 6. Dinumerari nequeunt qui voluptatis lenociniis irretiti et abstracti, atque, *bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. Hinc tanto æstu in cœlibatum et virginitatem plerique invehuntur hæretici. (Qui dicuntur *bonam conscientiam* repellere, non idcircò errorem apprehensum ut errorem amplectuntur, sed bonos mores approbanti reluctantur conscientiæ.) Varias inter hæreseon causas videtur eminere nativo veluti jure superbia, et effrenæ libertatis amor; hinc ab Apostolis hæretici vocantur *homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi*, 2 ad Timoth. cap. 3; *qui dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant*, Epist. Jud. cap. unico, v. 8, *segregant semetipsos*, ibid. v. 19.

Instant iterùm, sciscitanturque Tolerantes, num igitur hæretici debeant conscientiæ suæ testimonio resistere, atque à doctrinâ discscere, cui serviendum esse persuasum habeant.

Resp. Confitetur ipse Baylius peccari sæpiùs, divinamque tùm offendi majestatem, cùm suadenti paretur conscientiæ : itaque nec unquàm licet repugnante agere conscientiâ, nec tamen semper expedit, aut fas est dictatis conscientiæ morem gerere, sed erroneam oportet quantùm fieri possit, deponi atque emendari : non abs re videtur scriptoris mox appellati testimonium exscribere : « Encore « que les erreurs deguisées en vérités ac- « quièrent tous les droits de la vérité, il ne « s'ensuit pas que l'exercice de ces droits soit « toujours une chose innocente; on rendra « compte un jour à Dieu de tout ce que l'on « aura fait en conséquence des erreurs que « l'on aura prises pour dogmes véritables; et « malheur, dans cette terrible journée, à ceux « qui se seront aveuglés volontairement, à « ceux qui, plongés dans une lâche oisiveté, « n'auront pas voulu prendre la peine d'exa- « miner leur créance; à ceux enfin qui auront « favorisé l'introduction des erreurs dans leur « esprit, parce qu'elles s'accordent avec leurs « passions déréglées! ils auront un droit, je « l'avoue, d'agir conformément à leurs er- « reurs, mais comme c'est un droit mal acquis, « et qui tire sa source ou de la malice du cœur, « ou d'une indifférence prodigieuse, ou d'une « paresse inexcusable, il ne peut qu'empoison- « ner tous les fruits qu'il aura fait naître. » OEuvres de Bayle, tome 2. Jus profectò egregium! malè acquisitum, à pessimis derivatum fontibus, ac venenatis feracissimum fructibus!

Haud inficiamur hæreticas inter societates

posse homines versari, qui veram ignorantes Ecclesiam, ita nihilominùs verè sunt animo affecti, ut generatim divinâ fide credant quidquid Ecclesiæ Christi revelatum fuerit : hinc sectarum in quibus vitam degunt, neque schismati, neque erroribus, propriè ac *formaliter* addicuntur ; ad Ecclesiæ corpus affectu duntaxat pertinent, ad animam verò reipsà et perfectè pertinere possunt, quia possunt cùm divinâ fide quâ præditi sunt, spem et charitatem conjungere ; sed cùm eos dignoscere nequeat Ecclesia, discernendos illos summo relinquit judici, qui corda scrutatur, spiritusque ponderat ; tùm si qui ex ipsis exteriorem ejus communionem postulaverint, eodem ferè modo, antequàm ad fidelium admittantur consortium, erga illos se gerit, ac si *formali*, ut aiunt, schismate et hæresi fuerint contaminati. Denique ex hæreticis vel schismaticis societatibus, non tot invincibili laborare ignorantiâ, quot vulgò putantur, colligi potest ex ingenuâ celeberrimi viri confessione; hanc juvat hic subjungere: « Vous voulez entrer « en compte avec lui (avec Dieu) comme Job : « il vous confondra, et de mille articles de « votre compte bien débattus, vous n'en ga- « gnerez pas un seul ; vous avez fait ce que « vous pouviez, direz-vous ; il vous montrera « que vous n'en avez pas fait la centième « partie. N'avez-vous rien préféré au désir de « lui plaire ? N'avez-vous point eu plus d'ar- « deur pour quelqu'autre chose que pour lui, « et quelqu'autre affaire plus importante que « celle de connaître sa vérité? l'impénitence, « la vanité, la dureté de votre cœur n'ont-elles « mis aucun obstacle aux lumières qu'il vou- « lait répandre dans votre esprit ? Vous en di- « rez ce qu'il vous plaira ; pour moi, à qui il « a fait cette miséricorde de me ramener à son « Eglise, je sais que je n'ai pas fait la millième « partie de ce que je pouvais, pour obtenir « cette grande et infinie miséricorde. » Pélisson.

Objicies 1° : Ab Ecclesiæ communione excludi tot sectas quæ hæreticæ dicuntur, vel schismaticæ, verisimile non est ; inprimis ab Ecclesiæ indole id abhorret, quæ Dominum magistrumque colit, qui mites et humiles corde omnes ad se benignè vocat, ut sit unum ovile et unus pastor. Nonne institutis evangelicis quibus fovetur et constringitur tam necessaria societati tum ecclesiasticæ, tum civili concordia, jubemur ut sicut vitia, ita singulorum tolerentur errores?

Dogmate horrendo, ut adnotat J. Jacobus Rousseau, advecta est intolerantia ; homines ipsa in homines incitat, mutuumque exacuit odium ; frustra autem ostentaretur excogitatum politicam inter et ecclesiasticam tolerantiam discrimen : hæc utraque indivulso cohæret sibi nexu : una sine alterâ constare nunquàm potest, nec pacem ipsi componerent angeli cum hominibus, quos Deo haberent infensos : hinc juvenem qui ex Protestantium societate catholicam ad Ecclesiam confugerat, hortatus J. J. Rousseau, ut revertatur in patriam, religioni semetipsum restituat, quam accepit à parentibus, nec eam ampliùs deserat (de la Tolérance des Religions. Lettres de M. Leibnitz, et Réponses de L. Pélisson).

Hinc toties *infremebat* Juriæus, quoties mente sibi exhiberet Ecclesiam, quæ societatem omnem hæreticam vel schismaticam judicaret à cœlesti projectam hæreditate. Totidem hæc sunt, inquit, credulitatis portenta quæ sanæ mentis nemo approbare aut ferre queat, Emile, t. 3. Congerere supervacaneum foret tum Baylii, tum aliorum errantium effata, quæ impotentem et atrâ bile tumentem animum tota referunt.

Resp. : Convicia regerere conviciis, indignosque sales rependere, animus non est : argumenta Catholicis suppetunt, quæ et causæ quam defendimus dignitati, et sanctissimis Ecclesiæ institutionibus longè magis congruant.

1° Ut homines æternam ad salutem adducat, divinitùs constituta est Ecclesia, quemadmodùm sapienter admonet vir eruditus jam nominatus (Pélisson), cujus verba è Gallico sermone in Latinum convertenda et subjicienda duximus (le vrai Système de l'Eglise) : « Pronum « est igitur et consentaneum, ut à salute excidant, qui ab ipsius (Ecclesiæ) communione « recedere voluerint ; res ita nisi se haberet, « quem ad finem evaderet Ecclesiæ constitutio? « non irrita solùm foret, verùm et sibimet « contraria : sic Deus homines, Judæos saltem « et Christianos fingeretur allocutus: Vobiscum « ineo fœdus : in populum mihi speciatim « consecratum vos eligo ; vobis edico leges ; « sacramenta instituo ; ordine cuncta dispono ; ministerium constituo publicum ; alii « pastores erunt, oves alii ; aliis vigilantiam « impero, animi fortitudinem, æquitatem, intentam ovili charitatem : aliis animum docilem, mansuetum, ducibus et magistris obsequentem ; conspirantibus hujusmodi officiis,

« via sternitur ad salutem. His tamen omissis, « salutem unusquisque seciùs continget. » Pélisson, de la tolérance des Religions.

2° Venit Christus in mundum ut testimonium perhiberet veritati : ascensurus ad Patrem post tot exantlatos labores, totque exhaustis doloribus, servandæ sanæ doctrinæ consultum voluit : sacrum idcircò istud depositum commisit Ecclesiæ; hanc ut illud ab errorum dolis, assultibusque illæsum ac intemeratum præstaret, arctissimâ constrinxit lege : auctoritatem, novis exscindendis doctrinis, et comprimendæ novatorum audaciæ necessariam, ipsi contulit; denique imminentibus fraudis aut violentiæ periculis ne occumberet, sese omnibus diebus eidem affuturum promisit. Quid igitur de agendi ratione Ecclesiæ conquerendum, quid acerbius, quid à christianâ charitate disjunctum esse videatur, si concessâ sibi potestate ùtatur ad repellendos à suâ communione rebellantes subditos, resistentes veritati, corruptos mente, reprobos circa fidem, seductores, proficientes in pejus, quorum *sermo ut cancer serpit*, 2 ad Timoth. cap. 2, luemque multis intentat vix sanabilem.

Id certè illæso humanitatis et charitatis jure factitant quælibet societates etiam politicæ, ut dissidentia tabidaque membra quæ sanari nequeant, resecanda curent, totiusque incolumitas corporis corruptæ, et lethiferæ alicui parti anteponatur; quâ ergo ratione illud ipsum videretur in Ecclesiâ redarguendum, quæ in hæreticos et schismaticos non adhibet anathema, nisi saluberrimis obstiterint pervicaciter remediis : nec illo utitur nisi meliorem ut sese recipiant ad frugem, rescindere illud parata, statim atque contumaciam abjicere, et recta sapere voluerint? Jubet Christus ut habeatur tanquàm *ethnicus et publicanus, qui Ecclesiam non audierit;* quo igitur pacto quasi tyrannidis crimen inferatur Ecclesiæ, eò quod à suâ communione submoveat homines documenta ipsius et auctoritatem contumeliosè detrectantes, alumnorum ejus subvertentes fidem, et sacræ depositum doctrinæ, quod inviolatè custodire debeat, disperdere molientes? Violatæ charitatis reum agere S. Paulum quis eò præsumat, quòd hæreticum hominem Apostolus ille gentium jubeat post unam et secundam correptionem devitari, ad Tit. cap. 3, *dissensionesque et sectas* inter illa recensuerit de quibus dixerat : *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur?* Alienos haberi ab Ecclesiæ communione et à regno cœlorum, hæreticos et schismaticos nemo mirabitur, qui adnotata quædam à Nicolio perspexerit : hæc Latinum in sermonem transferemus : « In hæresi et schismate non crimen unum invenitur, sed fœda criminum colluvies. Schismate « rebellatur nefariè tùm adversùs Ecclesiam, « tum adversùs ipsummet Christum dicentem: « *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me « spernit.* At Spiritu sancto affirmante, *quasi « peccatum ariolandi est repugnare, et quasi sce« lus idololatriæ, nolle acquiescere*, 1 Regum c. « 15, v. 23. »

Eodem crimine plura infringuntur Decalogi præcepta, v. g., præceptum de honorandis patre et matre. « Christianorum enim mater « Ecclesia, illis quæ secundùm carnem sunt, « matribus longè præstantior... *Maledici regnum Dei non possidebunt*, 1 ad Corinth. cap. « 6, v. 10. Quomodò ab iis illud possideatur « qui calumniis impetunt sponsam Christi « Ecclesiam? Falsis autem criminationibus « Ecclesiam lacessunt omnes hæretici et schis« matici : ipsam quippe tradunt quasi corru« ptam, spuriam, turpe prostibulum, proscin« dunt conviciis, in eamque conferunt crimina « omnia, quæ suæ rebellioni ac desertioni « excusandæ prætenderunt. Si dignus sit qui « medium in mare projiciatur, quicumque mi« nimum ex fidelibus scandalizaverit, quodnam « pœnarum genus non illi mereantur, qui tùm « exemplis et adulterinâ doctrinâ, tùm audaci « ab Ecclesiâ discessione, totidem veluti la« queis irretire et abstrahere cunctos fideles « aggrediuntur? » Crimine implicatur qui proximo terrena bona subripit : « Quale igitur in « se traxerint crimen, quicumque Ecclesiæ et « sacrum ministerium, et concreditum illi « verbum subducere attentaverint? Hoc in « scelus impingunt omnes hæretici et schis« matici; nituntur enim iniquâ usurpatione « contrectare, quæ soli debeant Ecclesiæ ad« judicari. » Inde sic opportunè concludit Nicolius : « Tot igitur flagitia, cùm in hæresim « et schisma certatim confluant; cùm illis non « unum, sed pleraque præcepta violentur, non « humanitatis, non charitatis leges obliviscitur « Ecclesia, sed veritati aures, mentemque ac« commodat, dùm à salutis viâ resilire omnes « hæreticos et schismaticos judicat et pronun« tiat; judicium Dei tum sequitur et expro« mit, cùm ipsorum pervicaciam et rebellio« nem ipso perstringit anathemate. » Nicole, de l'unité de l'Eglise, lib. 2, cap. 11.

Vano ludit aut luditur terriculo J. J. Rousseau, dùm persuadere cupit, odia concitari, atque inter cives disturbari pacem, si credatur infensos esse Deo et à communione fidelium dissociatos hæreticos. Ipsum procul dubio latebat veræ charitatis indoles. Eâ certè conflagrabat Christus : noverat reprobandos esse Judæos, ingrati utpote animi et perfidiæ tenaces omnem ultra modum : attamen impendentia civitati Jerosolymæ mala cùm prospiceret, *flevit super illam.* Tales numquid odium eliciebat lacrymas?

Reprobationem illam gentis suæ perspectam habebat Apostolus : nec tamen deferbuisse tum in illo charitatem, nonne istis evincitur verbis : *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu sancto : quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo : optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ad Romanos, cap. 9.

Quod spectat ad hæreticos et schismaticos, aliter erga homines, aliter erga errores et rebellionem afficitur Ecclesia : hæreseon et schismatum ipsa vestigia delere exoptat : homines verò hæresi vel schismate impeditos, ad veritatem et salutem adducere ardenter expetit, et pro viribus adnititur, maternâ sævit charitate, ipsos ut iterùm parturiat, donec formetur in ipsis Christus, et ad unitatem, quam discindere voluerunt, feliciter revocentur.

ARTICULUS II.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ CHRISTI.

Sanctam esse Christi Ecclesiam, nemo nisi christianæ infensus religioni negaverit : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret,* ad Eph. cap. 5. Suum profudit sanguinem ut sit *sancta et immaculata* (ibid.); verùm eò loci instituendus est sermo de sanctitate ut notâ Ecclesiæ : seu investigandum quænam conditiones requirantur, et quo probationum genere asserenda sit hæc sanctitas, ut ad notitiam veræ Ecclesiæ ducere nos valeat. Oportet ut inter alumnos Ecclesiæ reperiantur qui justitiam et pietatem sincerè colant, necnon qui virtutum splendore venerationem sibi conciliaverint; ac proinde necesse est, ut doctrinam Ecclesia profiteatur labis expertem, convertendis, sanandisque animabus idoneam, evangelicis institutis verè consonam : hìc hærere aliquantùm animus videtur : nam pietatis ac justitiæ larvam induunt mali, virtutumque specie, haud infrequenter vitia celantur. Quibus igitur certis signis, à peccatoribus justos, à sinceris Dei cultoribus simulatores et illusores secernere queas? Quâ ratione dijudicari possit utrùm reipsà veros Dei cultores, numerisque omnibus absolutam, ideòque evangelicam doctrinam sibi jure ac meritò tribuat, hæc vel illa societas quæ Christi Ecclesiam haberi se voluerit? Virorum gesta in medium proferet, qui eximiæ virtutis famam sibi pepererint : at sordescunt aliquando intùs quæ foris splendescunt, *quodque altum est hominibus,* qui vident *in facie,* sæpè *abominatio est apud Deum, qui intuetur cor, et illuminabit abscondita tenebrarum.*

Præterea, ad discernendam Ecclesiam si opus sit omnia et singula priùs expendere doctrinæ capita, quam præ se ferat aliqua societas, quæ titulo Ecclesiæ Christi, decoranda videatur, atque singulis ad trutinam vocatis, perspectum habere, utrùm nihil doceat, nihil approbet quod evangelicæ doctrinæ non congruat : quàm arduus, et hominum vulgo impervius, exhauriendus erit labor! tùmque incidendum erit in assignatas à Protestantibus notas, quæ postea refellentur.

Propositis ut illis occurratur incommodis, in exponendâ et defendendâ Ecclesiæ sanctitate, quatenùs ipsius nota est, hanc teneamus expeditam disserendi viam : ostendatur primùm, vel potiùs attendatur id quod luce clarius est, falsò sibi nomen Ecclesiæ Christi arrogare omnem societatem, quam demonstraveris doctrinæ aliquod caput evangelicæ morum disciplinæ contrarium profiteri : *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2 ad Corinthios, cap. 6. Quam autem veram esse contenderis Ecclesiam, ostendatur nihil obtendi posse, quod illius integritatem doctrinæ efficaciter oppugnet; tum etiam quæ proferuntur ad ejusdem commendationem, exempla virtutum, eadem talia esse quæ obtrectationibus non pateant : at quòd indubitanter ejus doctrina sit numeris omnibus absoluta, et Evangelio Christi planè consentanea : tùm quòd ut exteriori et coram hominibus, sic internâ et coram Deo sanctitate præstiterint viri quos annalibus suis celebravit, ad hæc probanda, argumentorum genus advocare possumus, quo quidem, simul, et doctrina, et hominum qui laude pietatis floruerint, perfecta cumulataque sanctitas certissimè declaretur. Loqui

mur de miraculorum auctoritate, quæ tanquàm divinitatis sigillum apud omnes habentur populos.

Moralem Ecclesiæ Christi doctrinam, nullâ posse demonstratione oppugnari, nemo diffitebitur Christianus : concedet pariter quisque ac prædicabit, in Ecclesiâ viros extitisse pietate præcellentes, qui *in medio nationis pravæ et perversæ* effulserint *sicut luminaria in mundo.* Ad Phil. c. 2. Hoc unum in præsenti monstrandum suscipimus, nimirùm et doctrinæ, et hominum qui cœlitum numero, jurè inserantur, posse miraculis, tanquàm divino testimonio sanctitatem confirmari. Sic via parabitur ad asserendam suo loco sanctitatem Romanæ Ecclesiæ : sit igitur

Conclusio. — *Ducto ex miraculis argumento, invictè probari potest sanctitas Ecclesiæ.*

Quanta sit miraculorum vis ad suffragandum veritati, dictis et ipse declaravit Christus summa veritas : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Joann. cap. 10, v. 25. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Ibid. v. 25. Cùm duodecim Apostolos misit, qui Judæis Evangelium prædicarent, eos sic allocutus est, ut eorum verbis auctoritatem adjungerèt : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Deinde à Domino jam in cœlum assumendo, docere jussi sunt omnes gentes, ac postea Spiritu sancto repleti, *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Marc. cap. 16, v. 20. Alia Scripturæ loca prætereunda nunc putamus, quia res nobis cum Christianis agitur, qui miraculorum auctoritate communitam esse fidem, neque ignorant neque inficiantur. Nihilque causæ est cur ad astruendam fidem, ad confirmandam Apostolorum doctrinam, cùm tanti momenti fuerint miracula, id argumenti genus non valeret ad comprobandam sanctitatem Ecclesiæ, quæ servandæ illius fidei ac doctrinæ, ejusdemque disseminandæ causâ, divinitùs condita est.

Hinc cæteros inter SS. Patres testatur gratulanter S. Augustinus, firmissima inter vincula quibus catholicæ devinctus Ecclesiæ, haberi miracula : « Tenet me, inquit (in Ecclesiæ gremio), consensio populorum atque « gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, « spe nutrita. » Contra Epistolam fundamenti, cap. 4. Idem S. doctor de Utilitate credendi cap. 17, prædicat non esse dubitandum in ejus nos sinu Ecclesiæ condere quæ « frustra « hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis « ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, « partim etiam miraculorum majestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit. »

Summatim hìc attingemus principia ex quibus manat illa vis et efficacitas quæ inest miraculis ad asserendam doctrinæ morumque sanctitatem : ea autem principia sunt, *auctoritas ipsa Dei,* cui plurimùm detraheretur, si miraculis non posset idoneum et efficax testimonium perhibere sanctitati Ecclesiæ quam constituerit, cùm vix ullum ad faciendam fidem aptius accommodatiusque ad hominum indolem excogitari queat; *inexhausta Dei bonitas,* cui derogaretur, si investigandâ Ecclesiâ, quam tanti refert ab adulterinis sectis discernere, ingereretur et invalesceret error, eodem probationis genere, quod ad persuadendam christianæ religionis veritatem adhibendum curaverunt Christus et Apostoli; *inviolata Dei sanctitas,* quæ ferre nequeat, ut veræ Christi Ecclesiæ, ita et reprobis alienisque à Christo, christianamque pietatem abnegantibus, obsecundare miracula, hominesque æternæ saluti intentos invincibiliter ad se rapere : *inaccessa improvidis consiliis sapientia Dei,* quæ læderetur permittendâ dæmonum vel impiorum hominum nequitiæ et arbitrio, potestate miraculorum, quibus dissentire, ubi nihil est quod ab assensu prudenter deterreat, religioni habent, qui ordinem tum physicum, tum inprimis moralem, moderanti providentiæ, crediderint; *inviolata denique veracitas Dei,* quæ seipsam negaret, ubi, suppetente nullâ, ut mox latiùs exponetur, cavendi erroris ratione, illuderetur hominibus gravissimo in negotio per miracula, quæ ab omni ævo, apud omnes gentes, vim persuadendi tantam hauriunt ab insitâ omnibus propensione, quæ naturæ vox appellari possit : naturæ autem judicia confirmat dies, dùm diuturnitate temporis præjudicatæ opiniones extabescunt.

Solvuntur objecta. — Objicies 1° : Plenam quidem fidem merentur miracula Christi et Apostolorum; sed quæ sequentes referuntur ad ætates, meritò exsufflari possunt, aut saltem in suspicionem aut dubium vocari : adeò sunt multa, quæ fatentibus omnibus criticis, fallaciter invecta sunt, ac leviùs credita, ut prudentiæ sit diffidere cæteris omnibus, et temperare ab assensu, ne falsâ lenocinante pietate, Deo attribuamus fraudulentas homi-

num molitiones. Deinde tametsi suppositionis argui non possent, tot quæ dicuntur post ævum apostolicum contigisse prodigia, non latèt insidiari jugiter humano generi fallendi mirum in modum artifices dæmones; quid autem possint ad illudendum, declarat ipse Christus de futuris ipsorum assectatoribus, sic admonens : *Surgent enim pseudo Christi et pseudo prophetæ; et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi,* Matth. cap. 24, v. 24. De Antichristo non minora prædixit Apostolus his verbis : *Tùm revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui; et destruet illustratione adventûs sui eum, cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt*, ad Thessal. 2, cap. 2, v. 8 et 9. Enarrat etiam in Apocalypsi S. Joannes, quæ ope Satanæ patranda sint adventante extremo judicio miracula; sic enim de fallaci illo artifice prænuntiat : *Fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum; et seduxit habitantes in terrâ, propter signa quæ data sunt illi facere, in conspectu bestiæ*, etc. Apocalyp. cap. 13, v. 13 et 14.

Resp. Objectionis prima pars in eo posita est ut fidem abroget omnibus miraculis quæ apostolicam ætatem subsecuta sint. Quâ de causâ fingeretur, coarctatum fuisse apostolicis temporibus, miraculorum donum? Numquid igîtur penitùs fuit tunc exhaustum? At Marci cap. ultimo, dixit Christus : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et benè habebunt.*

Hæc promissa nullis definiuntur temporibus : ætate Apostolorum completa non fuit legis evangelicæ propagatio : quot mundi regiones tunc erant incognitæ! Tales sunt quæ à Sinensibus, à Moschis, à Tartaris, quæ tam latè patent, incoluntur : nondùm erat detectus novus orbis, qui nomen Americæ sortitus est; nec strictè loquendo, cognitas omnes mundi plagas pervaserat lumen Evangelii : porrò ad persuadendam infidelibus doctrinam christianam, tot oppugnatam præjudiciis, indomitis adversantem tantoperè cupiditatibus, complectentem impervia humanæ rationi mysteria, plurimùm sanè valent conferre miracula : imò quandoque prorsùs eorum videtur opus esse subsidio, ad perrumpendos obnitentes undique divinis institutionibus obices.

Non eadem fuit omni ævo miraculorum necessitas et copia : frequentiora fuisse tempore quo tyranni Ecclesiam persequebantur, adnotat S. Gregorius Magnus, in cap. 37 Job : « Tunc quippe sancta Ecclesia miraculorum « adjutoriis indiguit, cùm ea tribulatio persecutionis pressit : nam postquàm superbiam « infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, « sed solùm merita operum requirit : quamvis « et illa per multos, cùm opportunitas exigit, « ostendat. » Dixerat S. Augustinus, lib. de verâ Religione, cap. 25 : « Nec miracula illa « in nostra tempora durare permissa sunt, ne « anima semper visibilia quæreret, et eorum « consuetudine frigesceret genus humanum, « quorum novitate flagravit. » Id verò ita explanavit, lib. 1 Retractationum, cap. 13 : « Non sic accipiendum quod dixi, ut nunc in « Christi nomine fieri miracula nulla credantur : nam ego ipse, quando istum ipsum « librum scripsi, ad Mediolanensium corpora « martyrum, in eâdem civitate cæcum illumi« natum fuisse jam noveram, et alia nonnulla, « qualia tam multa etiam istis temporibus « fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quæ « cognoscimus, enarrare possimus. »

Solis quæ auctores sacri narraverunt miraculis, adhibendam esse fidem non ex eo sequitur, quòd interdùm à variis scriptoribus commentitia quædam, vel etiam absurda tradita sint : separetur pretiosum à vili, admotis quæ omni tempore vigent sapientis ac temperatæ critices regulis : at cum paleis non respuatur aurum, neque mendacii pœnam subeat illibata veritas; ergone omnibus historiis abroganda erit fides, quia multæ fabulis ineptiisve scateant? Quis referentibus miracula, Irenæis Ambrosiis, Augustinis, etc., oculatis testibus credere prudenter extimescat? Certè, ut respondit idem S. Augustinus paganis historiam miraculorum nostrorum negantibus, si liceat absque ratione negare facta hæc miracula, peribit librorum omnium fides, lib. 10 de Civit. Dei, cap. 10; neque, ut indicavimus Christianorum est, eorum fidem miraculorum lacessere, quæ idoneis et ad historiæ probatas leges exactis nituntur testimoniis.

Jam partem alteram objectionis aggrediamur, quæ ad potestatem dæmonum attinet; ut distinctè solvatur, attexere juvat principiorum seriem quæ ad vim naturamque miraculorum explicandam valeant.

1° Rerum naturalium ordinem et connexionem ita instituit ac moderatur Deus, ut *proximè* vel *mediatè*, cognatione quâdam una referatur ad alteram, et quæ vel maximè disparia, aut etiam contraria esse videantur, concordi velut discordiâ conspirent ad propositos divinæ providentiæ fines, ad pulchritudinem stabilitatemque universi : hæc omnia libero Deus instituit, ordinavitque decreto : quidquid naturalibus utendo causis præstare solet, id omne eisdem torpentibus aut sublatis, æquè posset efficere et affluenter largiri : sic absque solis influxu, et imbrium adminiculo, atque agricolarum laboribus, triticeas posset fruges, ut olim manna in deserto, pro nutu effundere, imò et sustentandæ hominum vitæ absque cibo potest consulere.

2° Hinc non solâ ratione, quæ libera Dei decreta neque scrutari, neque per se et in ipsis cognoscere valet, innotescit nobis ordo naturæ ; frustra etiam tentaremus intima vestigare et rimari naturalium rerum principia omnia : hæc ut plurimùm nobis sunt abscondita ; neque illum quem videmus ordinem, ex se, necessariò et essentialiter postulant : ordo ille veteribus ac novis exploratur et perspicitur experimentis, aliis vulgaribus, aliis ad hominum quædam genera spectantibus, dùm ad variorum attenditur effectorum similitudinem, connexionem, analogiam, ductaque inde consectaria. Peritissimos ac physicis rebus evolvendis impensè deditos, de se ipsis dictum fateri necesse est : *Mundum tradidit* (Deus) *disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Ecclesiast. cap. 3, v. 11. At plebeiis, illitteratisque hominibus, infantibus ipsis multa comperta sunt constanti et inconcusso sensuum testimonio. Sic omnibus constat non posse solo verbo homines, ventos depræliantes sternere, solis retardare cursum, vel umbram retrò agere, suscitare jam fœtentes mortuos, aut morbis quibuscumque laborantes sanare, pristinasque vires sanandis, statim restituere : quæ unito sibi corpori efficaciter in multis imperat, anima, nequidquàm vellet adjacentibus imperare corporibus : nota est etiam generalis hæc fundamentalisque regula : « Eodem in statu, iisdemque positis rerum adjunctis, idem pariunt, seu efficiunt eædem causæ. » Hâc deficiente vel nutante regulâ, dilaberentur maximâ ex parte humanæ cognitiones, humanæque societatis commercia.

3° Licet ab admirando nuncupentur miracula, haud tamen in miraculis numerari potest quidquid admirationem moveat, quodque reipsà admirabile est ; mirabilibus abundat universus orbis, quæ apud hominum vulgus, consuetudine videndi, quasi obsoleverint ; quàm stuperet mirabundus homo, qui subterraneâ nutritus in domo, inde subitò educeretur in apertum cœli, micantibus undique sideribus, prospectum ! Non igitur à solâ admiratione ducenda est miraculi notitia, cùm admiratio sit pro diverso hominum affectu et statu varia et commutabilis, atque in iis sæpè versetur, quæ falsis mentes simulacris sæpiùs obstupefaciant. Non ab effectuum raritate desumenda est natura miraculi. Quadraginta per annos, Israelitis *nunquàm defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo,* Exod. cap. 13, v. 22, nec minùs idcircò veris illa miraculis accensetur columna. Pertransibat Christus benefaciendo : *Virtus exibat de illo, et sanabat omnes,* quocumque tempore occurrerent, aut ad pedes ejus, claudi, paralytici, leprosi, etc., ut curaret eos, projicerentur, perfectæ illos compotes valetudinis dimittebat. Eâ benefactorum frequentiâ, nihil detrahitur miraculorum dignitati. Sunt è contrario effecta, quæ rarò licet contingant, minimè recensentur inter miracula, quales sunt cometæ, nec inter illa forent numerandæ, tametsi rariùs apparerent. Non ab ignorantiâ reconditarum quarumdam legum naturalium derivanda est idea miraculi, seu mirabile aliquod factum non ideò habendum est in miraculis, quia judicetur illud ex naturæ legibus, humanæ cognitioni naturaliter imperviis, prosilire, sed potiùs quia illud quoad substantiam, aut saltem quoad modum et adjuncta, judicatur esse præter, vel supra, vel contra ordinem naturæ.

In eo si reponeretur vis atque conditio miraculi propria et specifica, ut ex incognitis manaret naturæ legibus, id inde concluderetur, quod christianæ perhorrescunt aures (cum Christianis autem movetur hìc controversia), concluderetur, fallacem fuisse Christum ac veluti præstigiatorem, tùm etiam cùm maxima ederet bonitatis suæ et divinitatis argumenta ; prævidisset quidem, quo tempore, quibus rerum in adjunctis esset futurum, ut ex ignotâ cæteris hominibus legum attemperatione, conflictu vel consortio, proficiscerentur facta quæ pro miraculis haberentur, sed ea, neque ut physica, neque ut moralis causa edidisset : sicut nec astronomus efficit varia

quæ prænuntiat cœlestia phænomena : attamen insignia sibi proprio tanquàm auctori Christus attribuit miracula ; hæc suis numerat in operibus quæ testatam faciant divinam suam missionem. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, Joann. cap. 10, v. 38. *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ibidem, cap. 5, v. 36. Numquid idem est stupendos aliquot eventus prænuntiare, eosdemque operari? Cùm suis diceret Apostolis : *Infirmos curate, mortuos suscitate*, etc., nullam reipsà illis contulisset potestatem infirmos curandi, mortuos suscitandi; at mirabilem et subitaneam abstrusarum naturæ legum cognitionem, supernaturale quidem donum, sed ab operibus planè diversum. Quis sibi aliunde in mentem prudenter induxerit, generalibus naturæ legibus factum esse, ut ægrotantium tot genera, ætate, statu, temperatione corporis, tam discrepantia, repentinam simul et integram cuncta reciperent, quocumque tempore, sive domum, sive ad maris littora, vel desertum in locum, ad Christum Dominum afferri illa contingeret? Quâ ratione putandum est hunc fuisse olim naturalem rerum ordinem, ut tot annis, diebus omnibus præter Sabbatum manna delaberetur in solitudinem extra Israelitarum castra ; ut pridiè Sabbati duplo major ipsius copia colligenda esset ; denique ut cibus ille uniuscujusque voluntati deserviret, et ad *quod quisque volebat converteretur?* Sapient. cap. 16, v. 21.

Quantò meliùs ac veriùs in eo constituitur natura miraculi, ut sit eventum seu factum quod ab æterno decreverit Deus naturali rerum ordini subtrahere! Miraculum ergo exceptio quædam est quâ naturæ legibus speciali derogatur providentiâ.

Quid verò in assignandis miraculorum causis statuendum sit de potestate angelorum sive bonorum, sive malorum, id quoque gradatim et accuratè investigandum est. Ad quæstionem hanc enucleandam, quæ nonnullis videtur obstructa difficultatibus, sedulò quædam hìc observanda.

Primùm, potuisse Deum aliquam movendi et immutandi corpora potestatem angelis conferre indubitatum est. Ut animæ in corpus cui copulata est, sic etiam sejunctis à corpore spiritualibus aliis substantiis, quid vetat quominùs talem aut majorem facultatem indiderit, novas quasdam formas, novos situs, insolitos motus corporibus impertiendi ; verùm quibusnam limitibus determinata sit naturalis ea potestas, cui nec repugnat angelorum natura, nec ordo divinæ providentiæ, dijudicari vix potest, neque, ut ex mox dicendis intelligetur, necessum est. De ipsâ dæmonum potestate hæc tradit S. Augustinus, lib. 3 de Trinitate, cap. 9, num. 18 : « Quid autem possint per naturam, « nec possint per prohibitionem, et quid per « ipsius naturæ suæ conditionem facere non « sinantur, homini explorare difficile est, imò « verò impossibile, nisi per illud donum quod « Apostolus commemorat dicens : *Alii discretio « spirituum.* » Attamen angelorum in corpora potestatem sive naturalem, sive adscititiam, circumscribi terminis, indubitatum est. Non eos Deus constituit mundi totius dominos supremosque moderatores ; non valent pro nutu naturæ leges omnes invertere, positumque à creatore ordinem, quocumque modo voluerint, perturbare. Angelorum in corpora potestas, certos si non valeat limites excurrere, quantò minùs ubi ageretur de immutando animarum statu, eodemque deterendo, vel instaurando, augendisque vel extenuandis illarum dotibus!

Secundùm, quantacumque angelis adscribatur naturalis etiam potestas, ea divinæ subjacet necessariò providentiæ, ipsam cohibentis prout sapientiæ suæ legibus expedire judicaverit. De bonis angelis nihil est quod metuamus, ne suâ ipsi abutantur potestate : nihil moliuntur, nihil aggrediuntur, nihil aggredi, nihil moliri possunt quod inordinatum sit ac Deo contrarium, cùm immutabili charitate ipsi adhæreant ; quod autem ad malos angelos attinet, seu dæmones (quos fatemur naturalem potestatem non amisisse peccando, sicut nec naturalem sagacitatem, utpote cum reprobatione non pugnantem), tum experimento, tum ratione constat, potestatis illius usum, vel potiùs abusum Deo providente et obstante coerceri, nec illorum quantùm voluerint, permitti arbitrio : hinc rarò sensibilibus erumpit effectis ; ea nisi comprimeretur, actum esset de humanâ societate, de incolumitate religionis, de hominum illorum conservatione qui probitate et pietate antecellerent ; susdeque verterentur omnia, machinantibus ad libitum malignis solertissimisque spiritibus. Vilium sese habent iidem instar mancipiorum, quos ineluctabile premit jugum : hinc sanctissimi Job neque bonis detrimentum, neque plagam corpori inferre potuit Satan, nisi expresso Dei permissu ; hinc Gerasenorum in regione non potuerunt nisi concedente Christo, porcorum in corpora dæmones ingredi ; hinc etiam tantâ fiduciâ tamque effi-

cæci imperaverunt palàm dæmonibus tanquàm servis Christiani, ut videre est apud Tertullianum, in Apologetico, apud S. Cyprianum, in epist. ad Demetrianum, apud Lactantium, lib. 4 Institutionum, Athanasium de Incarnatione Verbi Dei, etc.

Tertiùm, si quandò permittat Deus naturali suâ potestate dæmones abuti ad homines à verâ religione, verâque Ecclesiâ dimovendos, non patitur sic tentatos, nisi suæ obluctentur saluti, necessariis carere subsidiis, quibus possint contextam præstigiis fraudem effugere: eò advocari possunt quæcumque auctoritatis, rationumque momenta prompsimus, ad miraculorum vim asserendam ac tuendam: nonne ipsa concideret, ac in perniciem hominum vergeret, si nequeant à divinis miraculis mendacia secerni hostis protervi et infensissimi prodigia, nec sincero quantùmlibet studio veritatis, non possit intentata deceptio declinari?

At neque contigit, neque continget unquàm, ut hæc divinæ providentiæ inuratur labes; non ita deseret humanum genus, patrociniumque veritatis: etiamsi ageretur de illis prodigiis quæ licet humanas superent vires, naturalem tamen dæmonum potestatem non excedunt, et ideò cùm propriis non careant naturalibus causis, vocantur à S. Thomâ *miracula quoad nos;* isto miraculorum genere, cùm soleat eo ferè modo commoveri hominum saltem vulgus, quo afficiuntur miraculis propriè dictis, seu factis mirabilibus absque merè naturali causâ contingentibus; idcircò, si quando ad avertendos à vero Dei cultu homines, ederentur quædam ex illis quæ dicuntur *miracula quoad nos,* suppeditaret, vel offerenda curaret Deus apta præcavendo errori subsidia. Ediderunt quædam sive simulata, sive hominum vires superantia prodigia Pharaonis magi, at miraculis Moysis et manifestè superati sunt, et victos se confiteri, digitumque Dei agnoscere coacti sunt, cùm educere incantationibus suis sciniphes non potuissent. Priores duas plagas visi aliquâ ex parte imitari, tertiam non potuerunt, nec cæteras sunt aggressi; præterea nullam ex inflictis à Moyse plagis depellere, irrogatumque detrimentum resarcire valuerunt.

Quænam prodierunt unquàm prodigia, quæ miraculorum Christi vel Apostolorum splendorem, verisimili quâdam specie obnubilare, aut vim infringere, meritò viderentur? Jactata sunt à paganis Apollonii præsertim Tyanensis quædam portenta, sed quàm putidis refertum sit fabulis opus ea referentis Philostrati, ducentis circiter post Apollonii mortem annis, elaboratum! pigeat in figmentis illis, quæ toties confutata sunt, explodendis, tempus operamque conterere.

Instante quidem die Domini, et revelato homine peccati, filio perditionis, cernentur prodigia quibus *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi;* sed qui seducentur, peribunt *eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*, inquit Apostolus, ad Thessal. cap. 2, v. 10. Potuissent pravum exuentes affectum, ab errore combibendo deterreri, tum præstantioribus defensorum fidei miraculis, tum oraculis et admonitionibus Christi, qui impias capitalis hostis, stupendasque molitiones denuntiavit, tùm etiam eminenti auctoritate Ecclesiæ, cujus doctrinæ et communioni constanter esse inhærendum demonstrant, ac perpetuò demonstrabunt ipsà Christi et Apostolorum innumera, divinaque certo certiùs miracula: ea quippe oblivioni nunquàm tradentur, nec possunt ullo alio prodigio deleri vel obscurari.

Inst.: Dictum est ubi de judice controversiarum, existere apud hæreticas schismaticasve societates, nonnullos qui falsis argumentis irretiti, et in traversum acti, sectam in quâ sunt instituti, habeant pro verâ Ecclesiâ, atque bonâ fide errorem illum sequantur: fieri potest pariter ut à divinis miraculis secerni nequeant dæmonum prodigia, nec proinde miraculis certò probari possit sanctitas ac veritas Ecclesiæ.

Resp.: Diximus, iterùmque fatemur, posse in societatibus hæreticis aut schismaticis versari nonnullos qui fallacibus ratiociniis in errorem impulsi, veram se profiteri Ecclesiam, persuasum sincerè habeant. Ita et fieri potest, ut dæmonum quibusdam prodigiis, imò et hominum quorumdam præstigiis, decipiantur nonnulli, neque tunc valeant contextam fraudem detegere: at quemadmodùm proprios distinctosque characteres sibi vindicat Ecclesia Christi, quibus à spuriis secerni potest Ecclesiis, quamvis eorum propositis subdolè simulacris illudantur nonnulli, ita et divina miracula propriis instruuntur providente Deo notis ex ipsorum substantiâ, vel operandi modo, adjunctorumque ratione desumptis, quibus possint à fraudulentis prodigiis dignosci, quamvis nonnulli propositâ miraculi ementitâ specie illudantur, paratosque incidant in laqueos. Cæterùm nisi sibi ipsis defuerint salutis obliti, non eò usque ingravescet error, ut eos abstrahat à credendis dogmatibus illis quorum fide destitutus nemo adultus, in justorum cœtum cooptandus sit.

Objicies 2°: Majori laude et ingenii acumine quàm S. Augustinus, nemo defendit auctoritatem Ecclesiæ : callebat procul dubio quibus ipsa notis secernatur à quâcumque hæreticorum sectâ : idem tamen epist. contra Donatistas, vulgò inscriptâ, de Unitate Ecclesiæ, cap. 19, declarat sese celeberrimam de veritate Ecclesiæ controversiam, non ex eo adjudicatam velle, quòd « per totum orbem in locis sanctis quæ frequentat nostra communio, tanta « mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum « fiant, ita ut latentia per tot annos corpora « martyrum..... Ambrosio fuerint revelata, et « ad ipsa corpora cæcus multorum annorum, « civitati Mediolanensi notissimus, oculos lu« menque receperit, » etc. Deinde subjungit : « Quæcumque talia in catholicâ fiunt, ideò « approbanda, quia in catholicâ fiunt; non « ideò manifestatur Ecclesia, quia hæc in eâ « fiunt. » Ergo ad manifestandam Ecclesiam nullius ferè sunt momenti, quæ afferuntur, miracula. Hinc est quòd nec audire velit S. Augustinus sua ipsorum ostentantes prodigia Donatistas.

Resp. : Occultas quasdam jactabant Donatistæ visiones seu revelationes, certo nullo teste, momentosâ nullâ innixas probatione. In illis excutiendis tempus et operam consumere dedignatur S. Augustinus : « Nemo ergo, in« quit, vobis fabulas vendat : et Pontius fecit « miraculum, et Donatus oravit, et respondit « ei Deus è cœlo, aut falluntur aut fallunt. » Quæ Catholicis patrocinantur miracula, respuebant Donatistæ : molesta fuisset refellendis eorum cavillationibus obeunda disceptatio : viam aggreditur multò magis expeditam S. Augustinus. Veteris ac novi Testamenti Scripturas confitebantur Donatistæ : sacris eos testimoniis quæ nullius interpretationis indigeant, debellandos suscipit : « Aperta, inquit, veritas « clamet, luceat, in obturatas aures irrumpat, « dissimulantium oculos feriat, » de Unitate Ecclesiæ, cap. 5.

Testimoniorum id genus S. Augustino abundè ex Scripturis suppetebant, ad confirmandum decretorium illud argumentum quo uno urgere tunc ac revincere Donatistas constituerat. Palam erat scilicet, nec ipsi diffitebantur sectam eorum, angustos inter aliquos Africæ cancellos cohiberi; multis porrò et clarissimis Scripturæ locis prædictum fuerat diffundendam esse totum per orbem Ecclesiam : hinc pronum erat vel primo intuitu agnoscere, non apud Donatistas inveniri posse veram Ecclesiam. Nonnisi post allata sanctis ex codicibus utriusque Testamenti testimonia quibus perspicuè prænuntiata fuerat Ecclesiæ per omnes gentes propagatio, nec proinde nisi post demonstratam contra Donatistas ejusdem Ecclesiæ veritatem, S. Augustinus protulit effatum illud de miraculis, quod nobis objicitur. Nimirùm, « quæcumque talia in Catholicâ « fiunt, ideò sunt approbanda quia in Catholicâ « fiunt; non ideò manifestatur Ecclesia, quia « hæc in eâ fiunt. » Cùm igitur constaret, nec prudenter de verâ Ecclesiâ ambigere possent Donatistæ, meritò respondet falsa et commentitia quædam opponentibus illis miracula, judicandum esse potiùs de miraculis ex approbatione, vel improbatione Ecclesiæ, quàm de Ecclesiâ ex illis quæ ipsi objicerentur miraculis ; neque novis eam opus habere prodigiis, quibus manifestetur, cùm evidentibus quæ Catholici congesserant Scripturæ testimoniis, omnibus præsertim locis ad ejus catholicitatem spectantibus, invictè demonstrata esset. Nedùm verò miraculis abrogare voluerit vim probandi S. Augustinus, disertè testatur, ut ostendimus, sibi inter cætera, firmissimo esse argumento miracula, quò Ecclesiæ Christi adstrictus perpetuò teneatur.

Objicies 3° : Ludere videntur theologi Romani, cùm disserunt de miraculis : apud eos enim usu receptum est, modò ut Ecclesiæ auctoritatem adstruere conentur ex miraculis, modò ut miraculorum veritatem et efficaciam testimonio Ecclesiæ probatam velint. Sic vitioso imprudentes involvuntur circulo.

Resp. : Tria quidem profitemur : primum, nulla prodire posse divina miracula quæ doctrinam et auctoritatem impugnent constitutæ à Christo Ecclesiæ; neque enim potest adversari sibi Deus, et quæ condidit ac ordinavit, ea ludibrio ipse objicere. Secundum, quod est cum priore connexum, statim atque innotescit, aut innotescere potest vera Ecclesia, rejicienda esse quæcumque specie fulgeant, quæ reprobaverit, miracula : hoc ipso quòd secedendi ab eâ propositum foveant, aut jam factam secessionem, refelluntur omnibus quibus auctoritas Ecclesiæ munita est, miraculis Christi et Apostolorum. Tertium, quod ex duobus annotatis consequitur, ponderis ac momenti quamplurimùm ab Ecclesiæ testimonio conciliari omnibus quibus suffragatur miraculis : ejus approbatione nihil expectari potest in terris tutius ac firmius ad manifestandam singulorum et veritatem et originem, idque

propter singularem quâ pollet sapientiam, et continuum Spiritûs sancti præsidium.

Constat nihilominùs inesse miraculis vim probandi intrinsecam et propriam quæ prodesse multùm possit ad secernendam exhibendamque veram Ecclesiam. Cùm evangelicam doctrinam gentibus quæ de Christo nihil audierant, annuntiaverunt Apostoli, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis,* vim asserendæ prædicationis apostolicæ, miracula eorum non mutuabantur ab Ecclesiæ auctoritate, quæ nondùm tunc illis erat comperta gentibus, et miraculorum astruebatur testimonio; quæ apud omnes populos animis insedit propensio ad habenda pro supremi testatione numinis miracula, hæc eadem declarat, miraculis insitam esse vim non modicam ex se ipsis mentes commovendi, et ad ea dogmata credenda inclinandi, quibus confirmandis adhibeantur.

Hinc licet de naturali dæmonum potestate non idem sentiant omnes qui de causâ effectrice miraculorum disceptaverunt, qui tamen arbitrati sunt naturalem ipsos dæmones habere facultatem quædam efficiendi miracula, illi omnes futurum concesserunt, ut si reipsà laxante habenas dæmonibus Deo, illâ potestate protervi illi spiritus abuterentur, idonea tunc suppeditarentur hominibus declinando errori subsidia, ne ipsis nimiùm ingrueret exitiosæ deceptionis periculum. Hinc etiam nedùm prænuntiatis Antichristi prodigiis invectum fuerit contra vim persuasoriam inditam miraculis, ullum præjudicium, vix posset proferri efficacius ad eam demonstrandam argumentum; consideretur enim quanto studio præmonendum judicaverit, et præmonuerit Christus, ut ab Antichristi caveatur prodigiis; *surgent,* inquit, *Pseudo-Christi et Pseudo-Prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi; ecce prædixi vobis.*

Itaque vitiosum in circulum non incidit nostra disserendi ratio. Dùm enim assignantur notæ quibus vera dignoscatur Ecclesia, non ex auctoritate ipsius, quasi jam foret planè demonstrata, judicatur de miraculis, sed aliunde inquiritur in eorum authenticitatem, originem, arctamque cum doctrinâ quæ suscipitur probanda, necessitudinem. Conferuntur cum sanæ regulis critices, et certis quæ rationis lumine innotescunt, principiis: at cùm inconcussis jam probata est argumentis auctoritas Ecclesiæ, aut cùm agitur cum hominibus ipsam confitentibus, rectè ad ejus testimonium tanquàm accuratissimam ad normam expenduntur nova miracula, et incunctanter repudiatur quidquid eorum improbaverit.

ARTICULUS III.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ CHRISTI.

Catholicum, quæ vox à Græcis derivatur, idem Latinè sonat, quòd, *generale* et *universale. Catholicæ* nomen accersit sibi Ecclesia, ab universitate loci, ab universitate doctrinæ, ab universitate temporis; verùm ad unitatem et infallibilitatem revocatur universalitas doctrinæ: ad apostolicitatem pertinet universalitas temporis: itaque hìc agitur duntaxat de universitate loci, et probare constitutum est, Ecclesiam Christi, moraliter loquendo, per omnem orbem esse diffusam, idque tum in veteri, tum in novo Testamento fuisse prænuntiatum: sic intellectâ catholicitate, sit

Conclusio.—*Ecclesia Christi est verè Catholica.*

Probatur 1° ex Scripturis. Genesis cap. 22, v. 18, dictum est Abrahæ: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedîsti voci meæ.* Quo prolato testimonio, Donatistas sic alloquitur S. Augustinus, lib. 1 de Unitate Ecclesiæ, c. 4: *Quid ad hæc dicitis? an Judæorum nobiscum perversitate contenditis, ut dicatis in solo populo ex carne Abrahæ, semen Abrahæ?* Tunc refert S. doctor interpretationem Apostoli ad Galatas, c. 3: *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus; non dicit, in seminibus, tanquàm in multis, sed tanquàm in uno, et semini tuo, quod est Christus.* Genesi cap. 26, v. 4, eadem facta est Isaac promissio: ea quoque renovata est et confirmata Jacob, his verbis: *Erit semen tuum quasi pulvis terræ; dilataberis ad occidentem, et orientem, et septentrionem, et meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Quem in locum sic compellat Donatistas S. Augustinus: « Date mihi hanc Ecclesiam, si apud « vos est; ostendite vos communicare omnibus « gentibus, quas jam videmus in hoc semine be« nedici. » (De Unitate Ecclesiæ, cap. 4, n. 14.) Psalm. 2, v. 8: *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* De quo S. Augustinus: « Quis « Christianus unquàm dubitavit hoc de Christo « esse prædictum, aut hanc hæreditatem aliud « quàm Ecclesiam esse intellexit, » (opere laudato cap. 8.)

Isaiæ cap. 11, v. 9 et 10: *Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In*

die illâ radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum; et cap. 49, v. 16 : *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Act. Apost. cap. 1, v. 8 : *Accipietis virtutem Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Et ibid. cap. 13 : *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem, usque in ultimum terræ.*

« Quomodò, inquit S. Augustinus, cœptum « sit ab Jerusalem, et deinde processum in « Judæam et Samariam, et inde in totam ter- « ram ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque « in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc « non est, obtineat, Scripturis sanctis testibus « consequenter ostenditur. Quisquis aliud « evangelizaverit, anathema sit. »

Probatur 2° ex constanti traditione ; in re tam apertâ, pauca recensebimus. « Ecclesia « luce Domini perfusa, inquit S. Cyprianus, « per orbem totum radios suos porrigit : unum « tamen lumen est quod ubique diffunditur, « nec unitas corporis separatur; ramos suos « in universam terram copiâ ubertatis exten- « dit ; profluentes largiter rivos latiùs expan- « dit, unum tamen caput est, et origo una, » (de Unitate Ecclesiæ catholicæ, versùs initium.) S. Cyrillus Hierosol. catechesi 18, n. 12 : « Regum quidem potestas certis locis et gen- « tibus terminos habet : Ecclesiæ autem ca- « tholicæ per universum orbem indefinita est « potentia. » S. Augustinus : « Quid ad hæc « dicturi sunt quæ commemoravi ex lege, et « Prophetis, et Psalmis, de Christi Ecclesiâ, « quæ toto orbe diffunditur, cui malunt re- « pugnare perversi, quàm communicare cor- « recti? »

Solvuntur objecta. — Objicies 1° : Ita exponi debet Ecclesiæ diffusio in veteri ac novo Testamento prænuntiata, ut modò in aliquâ mundi parte, modò in aliâ sedem obtineat Ecclesia Christi, nunquàm verò omnem eodem tempore orbem terrarum sit occupatura : sic gentes cunctas pervadet non simultaneâ, sed successivâ quæ ad finem seculorum progrediatur, possessione ; divinis oraculis hæc sanè interpretatio non repugnat, quâ stante frustra variæ hæreticorum societates eo nomine impugnantur, quòd nunc catholicitate careant, cùm illam successivè atque per partes consequi tandem fortassè valeant.

Resp. Hæc si adhiberi posset de propagandâ Ecclesiâ prophetiarum expositio, causæ suæ firmamentum in futili atque elumbi disputatione collocâssent sanctus ipse Augustinus, ejusque in Carthaginensi collatione consortes episcopi, qui tantâ curâ et laude catholicitatem Ecclesiæ revincendis Donatistis opposuerunt ; totum enim quod tam strenuè versabant argumentum de catholicitate Ecclesiæ, potuissent Donatistæ levissimâ quasi declinatione effugere, reponendo successivam haberi catholicitatem Ecclesiæ, labentibusque seculis suam ipsorum societatem posse, si oporteat, varias in mundi plagas per vices commeare. Distorta prorsùs ejusmodi interpretatio ; simul profectò *implevit universam terram* mons quo in prophetiâ Danielis designata fuit Ecclesia (c. 2, v. 35) ; ejusdem pariter simultaneam amplitudinem significavit his verbis : *Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient* (cap. 7, v. 22). Cùm imperium Alexandri Magni celebrant auctores sacri aut profani, non intelligi volunt, ita sub jugum missas esse ab eo omnes gentes, ut unâ edomitâ, ipsius potestati subduceretur alia, sed simul toti eum imperâsse mundo : cur ergo dùm agitur de Ecclesiâ, quam omnibus regnis validiorem et illustriorem fore prænuntiatum est, simultanea excluderetur per orbem totum magnitudo? Haud melior quàm ipse rerum eventus, proferri potest prophetiarum interpres ; Ecclesiam autem insedisse totum per orbem, propagatam Apostolorum et apostolicorum virorum laboribus, eamdemque jugiter prædictâ catholicitate potiri, testantur singulis ætatibus religionis defensores, atque Ecclesiam idcircò cùm aliis dotibus, tùm etiam splendidâ diffusione cæteris omnibus antecellere societatibus.

Objicies 2° : Esto, totum aliquando terrarum orbem occupaverit Ecclesia, at eam potuit, ut celeberrimis et amplissimis contigit imperiis, magnitudinem principatûs amittere, atque arctiores intra terminos contrahi, eaque coarctatio cum ipsâ catholicitate, qualis prænuntiata fuit, cohærere : ita profitentur catholicos inter theologos, insigniores nonnulli, ex quibus Melchior Canus, cujus hæc est sententia : « Satis est Ecclesiam semel in totum mundum « esse fusam, ut etiamnùm verè catholica di-

« catur ; nempe eadem Ecclesia est, eamdem- « que fidem tenet quam Apostoli in universâ « terrâ divulgârunt : sanè verò fidei præ- « sentis universitas ad eam universitatem re- « ferenda est, quæ tempore anteacto in Eccle- « siâ fuit, et hæc ad illam tandem quam Apo- « stoli in totum orbem ediderunt ; ex quo effi- « citur ut quamvis christiana fides in unius « fortè provinciæ angustias redigeretur, nihilo- « minùs catholica esset : et provincia item « quæ eam fidem haberet, Ecclesia etiam esset « catholica : nam et Ecclesiæ singulæ sub uni- « versali comprehensæ, catholicæ vocitantur, « quoniam eam fidem habent quam universalis « tenet, semperque tenuit Ecclesia. » (Locorum Theologic. lib. 4, de auctoritate Ecclesiæ, in solutione argumenti 13.) Idem docet post Driedonem Bellarminus, tom. 2 de Controversiis, lib. 4, cap. 7. Hâc autem positâ catholicitatis notitiâ, nihil proficitur deprompto ex catholicitate argumento.

Resp. Occupato terrarum orbe, si postea in angustum ita fuisset adducta Ecclesia ut provinciæ unius, vel etiam alicujus regni contineretur finibus, tùm assimilaretur torrenti qui pluvialibus tumefactus aquis, cùm agros omnes semel invaserit, undas revocat, et arcto jam conditur alveo ; hæc sanè non referunt catholicæ imaginem Ecclesiæ : quapropter, cùm talem ferè sortem eidem affingerent Donatistæ, atque contenderent, illam post stupendam diffusionem, fuisse quædam in Africæ spatia redactam, illos ita urgebat et comprimebat S. Augustinus : « Tale aliquid proferte vel unum, « (Scripturæ testimonium,) quo apertissimè « Africa declaretur, vel in reliquis sola relicta, « vel ad principium renovandi vel implendi « orbis sola servata ; neque tot testimoniis « commendaretur quod erat citò periturum, « et sic taceretur aut quod solum esset relin- « quendum, aut ex quo solo totum esset repa- « randum et implendum. » (De Unitate Ecclesiæ, cap. 19.) Ita semper in Ecclesiâ fuit persuasum suâ ipsam catholicitate nunquàm esse destituendam, ut illius perpetuam visibilitatem, quæ quidem à professione veræ fidei disjungi nequit, ab ejusdem catholicitate oriri docuerit mox appellatus S. doctor : « Non potest, inquit, « civitas abscondi super montem constituta, « sed Donatistis velut operta est, qui audiunt « tam lucida et aperta testimonia, quæ illam « toto orbe demonstrant, et malunt clausis « oculis offendere in montem, quàm in eum « ascendere, qui cùm esset lapis præcisus de « monte sine manibus, crevit, et factus est « mons ingens, et implevit universam terram. » (Ibid. cap. 16.)

Quòd verò futurum asseruerint Melchior Canus et Bellarminus, ut si unam in provinciam colligeretur Ecclesia, ipsa nihilominùs foret catholica, propter apostolicæ doctrinæ continuam communionem, id intellexerunt de universitate temporis, quæ sub nomine catholicitatis, ut adnotavimus, comprehenditur, non de universitate loci, quam nedùm inficiarentur, diserte probant ipsis in locis undè eruitur objectio.

Objicies 3° : Primo et egregio quod Vincentius Lirinensis adornavit commonitorio, diversas commonstrat vias indagandæ ac reperiendæ variis in rerum adjunctis, catholicæ veritatis : capite illius quarto hanc instituit quæstionem : « Quid igitur faciet Christianus, si se aliqua « Ecclesiæ particula ab universalis fidei com- « munione præciderit ? Quid utique nisi ut « pestifero corruptoque membro, sanitatem « universi corporis anteponat ? Quid si novel- « lam aliqua contagio non jam portiunculam « tantùm, sed totam pariter Ecclesiam com- « maculare conetur ? Tunc item providebit, ut « antiquitati inhæreat, quæ prorsùs jam non « potest ullâ novitatis fraude seduci. » Tum ad secundam responsionis partem illustrandam, repetit luctuosi illius temporis memoriam, quo ruptis omnibus repagulis, grassabatur Ariana hæresis : « Quando, inquit, Arianorum vene- « num non jam portiunculam quamdam, sed « penè orbem totum contaminaverat. » (Commonit. 1, cap. 6.)

Resp. 1° : Ad litteram si urgeretur propositum argumentum, inde concluderetur, non ordinem tantùm episcopalem ferè universum, sed totam penè societatem fidelium, grassante supra modum arianismo fuisse contaminatam, ut colligeretur ex his verbis : « Penè orbem « totum contaminaverat. » Quod si contigisset, ablata tunc fuisset Ecclesiæ catholicitas, quam maximè vindicat pluribus in locis indicati Commonitorii Vincentius Lirinensis, et quam distinctè recenset proprios inter characteres dogmatis indubitatâ fide credendi : « In ipsâ, inquit, ca- « tholicâ Ecclesiâ magnoperè curandum est ut « id teneamus quod ubique, quo semper, quod « ab omnibus creditum est : hoc est etenim « verè proprièque catholicum, quo ipsa vis « nominis ratioque declarat, quæ omnia verè « universaliter comprehendit ; sed hoc ita de- « mùm fit, si sequamur universitatem, antiqui- « tatem, consensionem. »

2° Hinc futurum liquet ut ad verbum, non ad mentem dicentis, si acciperentur quæ objecta sunt ex Vincentio Lirinensi, induceretur sibimet apertè repugnans : quas enim opere toto exponendas confirmandasque curavit notas dignoscendæ apostolicæ fidei, vel existimavit illas esse perpetuas, vel easdem putavit posse intermitti, atque interdùm evanescere : illarum si perpetuitatem defendat, ergo nec judicavit, debacchante arianismo excidisse universitatem Nicænæ fidei; sequemur autem, inquit generatim de credendis dogmatibus, « universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram « esse fateamur, quam tota per orbem terrarum « confitetur Ecclesia. » (Commonit. c. 3.) Si autem assignatas veræ fidei notas censuerit perpetuitate carere, quis non videat quàm levia et fluxa forent, quæ posuit Vincentius et ab omnibus collaudantur principia : sic desumpto à catholicitate Ecclesiæ argumento, cùm premerentur Donatistæ, respondere potuissent : Incidimus in tempora, quibus venditatæ catholicitati locus non est ; perpetuò illa non viget : abrumpi potuit, quod eventu jam comprobatum est.

3° Quid propositum habuerit Vincentius, respiciendum est. Quæsiverat quid hominem christianum oporteat facere, « si novella aliqua « contagio, non jam portiunculam tantùm, sed « etiam pariter Ecclesiam commaculare cone- « tur. » Hic agitur de errore totam Ecclesiam, non reipsà contaminante, sed commaculare ac depopulari conante, quæ duo valdè discrepant : aliud est, universale in exitium intendere, aliud est optatum exitu consequi; eumdem sensum præ se ferunt hæc alia Vincentii verba : « Arianum venenum non jam portiun- « culam quamdam, sed penè orbem totum « contaminaverat; » indicatum voluit, per omnem ferè terrarum orbem grassatam fuisse Arianam hæresim : in eum totum si potuisset, depravandum, acerrimè incubuisse, nullamque penè tum fuisse addictam nomini Christiano regionem, in quam conceptum virus non profuderit, ingentemque stragem non intulerit, quamvis tamen pastorum ac fidelium pars longè numerosior avitam inconcusso studio fidem illibatam manifestè retinuerit.

Usitatæ loquendi rationi congruit ista expositio, quâ conciliatur Vincentius cum Vincentio, ejusque principiorum vis ac proprietas servatur intacta : totum ferè aliquod in regnum si fœda lues irrumperet, nonne tunc vulgò diceretur : Totum penè regnum contaminavit pestis, etiamsi nec tertia, neque sexta pars illius incolarum lethiferâ contagione interficeretur ?

Instabis 1° : Non oratoris personam appellato in Commonitorio sustinet Vincentius Lirinensis : partes agit accurati defensoris fidei ; versatur in tradendis dijudicandæ veritatis dogmatum regulis, quæ ut doctrinæ perspicuitatem, ita et verborum distinctam proprietatem requirunt : ergo ut sonant, sic accipiendæ sunt voces quibus disertè asserit Ariano veneno orbem ferè totum contaminatum fuisse ; præterea si crediderit, nebulosis illis etiam temporibus locum obtinuisse universitatem eam quam veri dogmatis certissimum indicem constituisse videatur, eamdem ipsum docuisset, Ariano quoque revincendo errori potuisse opportunè adhiberi : indicat tamen, non ad hanc notam, sed ad antiquitatem tunc fuisse confugiendum : « Quidnam « potissimùm, inquit, in tantâ rerum confu- « sione sequendum foret? Tunc quisquis verus « Christi amator et cultor extitit, antiquam « fidem novellæ perfidiæ præferendo, nullâ « contagii ipsius peste maculatus est. » (Commonit. c. 6.)

Catholicitatem tamen facilius animadvertere est, quàm doctrinæ antiquitatem, cùm traditionis evolvere ac ponderare monumenta, ad fidelium vulgus non pertineat.

Resp. : Accurati theologi munere defunctum esse Vincentium non diffitemur : idoneas detegendis refellendisque erroribus regulas exhibuit : nec à proposito detorquetur per illam quam attulimus interpretationem : id potest aptissimè confirmari exemplo, quod ipse laudato in opere subministrat cap. 5. Ostendit enim, declinandi ab hæresi Donatistarum hanc maximè tenendam fuisse viam, confugiendum scilicet ad universitatem : « Tunc quicumque, « ait, per Africam constituti, profano schismate « detestato, universis mundi Ecclesiis adsociati « sunt, soli ex illis omnibus intra sacraria « catholicæ fidei salvi esse potuerunt. »

Hanc rationem dùm præstituit propulsandi erroris Donatistarum, eorumque cavendi schismatis, accurati pariter theologi munus exequitur : an idcircò ille cùm ad universitatem provocat, tùm induxit sibi in mentem, hæreticorum et schismaticorum illorum partibus, antiquitatem patrocinari ? Totus est in proscribendâ novitate tanquàm catholicæ infensissimâ fidei. Hæc idem inter cætera : « Ad- « nuntiare ergo aliquid Christianis catholicis,

« præter id quod acceperunt, nunquàm licuit, « nusquàm licet, nunquàm licebit. Et anathe- « matizare eos qui adnuntient aliquid præter « quod semel acceptum est, nunquàm non « oportuit, nusquàm non oportet, nunquàm « non oportebit. »

Ita commemoratioperis capite 14; ejusdem, nec te pœnitebit, legantur cap. 26 et 27. Quemadmodùm non putavit opponendâ Donatistis universitate, derogatum esse antiquitati, ita non existimavit objiciendâ Arianis antiquitate, haud valuisse tunc universitatem.

Eo maximè confirmatur ista responsio, quòd in antiquitate consectandâ inhærendum esse universitati, Vincentius apertissimè declaret. Extollendo videlicet confessorum et martyrum in defendendâ fide studium et constantiam, sic loquitur : « Sed in hâc quâdam confessionum « virtute, illud etiam est nobis vel maximè « considerandum, quòd tunc apud ipsam Ec- « clesiæ vetustatem, non partis alicujus, sed « universitatis ab iis est suscepta defensio. » (cap. 8.) Cap. 3 ejusdem Commonit. dixerat tenendam esse in ipsâ vetustate consensionem.

Quare igitur, qui vellent Arianæ hæreseos luem effugere, illos asseruit debuisse antiquitati adhærere? Eâdem prorsùs ratione præcipit, quâ inhærendum fuisse universitati, devitandi causâ erroris schismatisque Donatistarum; utroque in casu prudenter admonuit, attendendum ad diversam temporum, ingravescentiumque hæresum conditionem et statum, eamque esse capessendam pro hâc diversitate viam quæ planior esset, magisque ad captum fidelium accommodata; Africæ quibusdam regionibus continebantur Donatistæ, paucitatem suam nec inficiantes, nec erubescentes : quænam ipsos hæresis coarguendi promptior, securiorque methodus, quàm animum transferri ad conspicandam per orbem totum disseminatam, cui bellum indixerant, Ecclesiam? Quam quidem catholicitatem clarissimis prædicatam oraculis profitentur in Symbolo fideles, atque solius esse veræ Ecclesiæ ita constat, ut id quandoque vel ipsi agnoscant adversarii; nam, sicut observavit S. Augustinus, « velint nolint, ipsi quoque hæ- « retici et schismatum alumni, quando non « cum suis, sed cum extraneis loquuntur, ca- « tholicam, nihil aliud quàm catholicam vo- « cant. » (Lib. de verâ Religione, c. 7.)

At verò cùm se jactarent Ariani, dominatûs sui fines, quàcumque ferè pateat orbis, protendisse, eaque verbis exaggerata propagatio multorum mentibus tenebras offunderet, quid suaderi tunc potuisset aptius continendis in officio fidelibus, quàm spectandam ipsis proferre antiquitatem, quæ nullo poterat aut conatu perfringi, aut involucro fraudis obnubilari?

Non agebatur de doctrinâ variis Catholicorum agitatâ disceptationibus, aut de subeundis remotæ aut reconditæ traditionis penetralibus, verùm de dogmate, notoriâ et solemni Ecclesiæ universalis definitione non ita pridem declarato : universum per orbem circumferebatur palmare illud synodi Nicænæ generalis decretum; in ore amicorum et hostium versabatur jugiter; doctrinam complectebatur à tempore Apostolorum explicitè credendam, et universim reipsà retentam; haud igitur operosum fuit agnoscere hanc esse fidem arianismo priorem; non poterant, quidquid molirentur Ariani, anteriores sibi constituere duces ac patronos, neque inustam hæresi suæ notam novitatis, perfidiæ ac rebellionis abstergere : unde Vincentius nefaria illius sic persequitur portenta : « Hæc omnia numquid « aliam ob causam, nisi utique dùm pro cœ- « lesti dogmate humanæ superstitiones intro- « ducuntur; dùm benè fundata antiquitas sce- « lestâ novitate subruitur; dùm rescinduntur « scita Patrum; dùm convelluntur definita « majorum; dùm sese intrà sacratæ atque « incorruptæ vetustatis castissimos limites pro- « fanæ ac novellæ curiositatis libido non con- « tinet? » (Common. 2, cap. 6.)

Inst. 2° : Quo tempore maximè sæviebat atque diffundebatur arianismus, abductos esse à fide catholicâ omnes ferè Occidentis episcopos, testatur expressè Vincentius : « Adeò ut, « inquit, propè cunctis Latini sermonis episco- « pis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo « quædam mentibus offunderetur. »

Resp. 1° : Hæc licet de universis propè occidentalibus episcopis dicta videantur, restringenda sunt ad episcopos qui Ariminum convenerant, numero circiter quadringenti, quos Vincentius cunctos propè Latini sermonis episcopos eâdem exaggeratione appellat, quâ dixit commonit. 2, cap. 3, ita obrepsisse, eòque temeritatis pervenisse Nestorianam novitatem, « ut Ephesinam quoque synodum, id est, totius « penè Orientis sanctorum episcoporum judi- « cata proculcet. » Ejusdem commonit. cap. 2, ipse quidem dixerat ducentos ferè numero episcopos in concilium illud convenisse, quod triennium antequàm hæc scriberet celebratum

fuisse narravit : at certum est extitisse in Oriente episcopales sedes circiter 722.

2° Quæ referuntur ab eodem Vincentio Lirinensi de innumerabili et fidelium et episcoporum multitudine, « quos velut quædam « bellona aut furia, capto priùs omnium impe- « ratore, » vexabat Ariana hæresis, hæc patefaciunt eorumdem in fide catholicâ invictam constantiam : « Tunc, inquit, temeratæ con- « juges, depullatæ viduæ, profanatæ virgines, « monasteria demolita, disturbati clerici, « verberati levitæ, acti in exilium sacerdotes, « oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: « quorum pars maxima, interdictis urbibus « protrusi atque extorres, inter deserta, spe- « luncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affe- « cti, contriti, et tabefacti sunt. » Common. 1, cap. 6.

Nonne igitur ex carceribus, ex desertis, ex speluncis erumpebant undique ingeminatæ voces, quibus inconcussam fidem prædicantibus partis maximæ episcoporum ac fidelium, totus personaret christianus orbis?

3° Significatum si voluisset Vincentius à maximâ vel à majori episcoporum parte desertam aliquandò fuisse Nicænam fidem, ipsius testimonio et auctoritati procul dubio anteponendum esset testimonium et auctoritas sancti præsertim Athanasii, et Luciferi Calaritani ad augendum propensioris, quàm ad minuendum lapsorum crimen ac numerum : frequentibus etiam synodis quæ habitæ sunt ad causam lapsorum Arimini episcoporum dijudicandam, declaratur, quantùm emineret præsulum multitudo, qui furoribus fraudibusque Arianorum fortiter obstiterant. Hæc nunc argumenta indicare satis est, distinctè exponenda ubi de infallibilitate Ecclesiæ.

ARTICULUS IV.

DE APOSTOLICITATE ECCLESIÆ CHRISTI.

Apostolicam quæ se dixerit Christi Ecclesia, necesse est 1° ut illa possit originem suam ad Apostolos Christumque Apostolorum magistrum et dominum referre ; 2° ut polleat pastorum, ac proinde ministerii spiritualis continuâ successione ; 3° ut ejusdem pastores legitimam sibi jure ac meritò vindicare possint missionem ; 4° ut doctrinam profiteatur ab institutionibus Apostolorum non alienam, non degenerem.

Apostolicitate, qualem exposuimus, prædita est Ecclesia Christi.

I. Necesse est, ut ad Apostolos et ad Christum suam certò referat originem, ea quæ haberi debeat vera Ecclesia. Hâc de conditione sic optimè Tertullianus, de Præscript. c. 20 : « Apostoli Ecclesias apud unamquamque civi- « tatem condiderunt, à quibus traducem fidei « et semina doctrinæ cæteræ exinde mutuatæ « sunt, et quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ « fiant, ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputan- « tur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum : « itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab « Apostolis prima, ex quâ omnes. »

Ecclesiam suam, sicut antequàm pro nostrâ moreretur salute, promiserat Christus, ita suscitatus à mortuis, ædificandam constituendamque curavit, speciali nulli affixam loco, totumque per orbem propagandam ; Petro et cæteris Apostolis contulit potestatem omnem quam adducendis ad fidem, colligendis unam in communionem, dirigendisque ad salutem populis, jam ab initio destinaverat ; particulares omnes Ecclesias ortu præcessit Hierosolymitana ; multas deinceps apud gentes fundaverunt Apostoli : Antiochenam, Romanam (cæterarum caput), Alexandrinam, Corinthianam, Ephesinam, etc. Ecclesiæ illæ omnes communione individuâ devinctæ, in unam et universalem coalescebant Ecclesiam ; hâc simplici expositione perspectum est, Ecclesiam nullam dici posse apostolicam, nisi vel ab aliquo ex Apostolis fundata sit, vel alicujus constitutæ ab Apostolis Ecclesiæ surculus aut rivus, seu velut genuina soboles reputari possit.

II. Ecclesia Christi pollet non interruptâ pastorum ac proindè ministerii ecclesiastici successione. In hâc assertione quâ premuntur omnes hæretici, aliquandiù immorandum est.

Argumentum primum. — Ad naturam et constitutionem Ecclesiæ pertinet pastorale officium ; atqui nullo unquàm tempore deficere potest Ecclesia (quæ profectò absque suâ naturâ et constitutione stare nequit) ; ergo nunquàm abrumpetur in Ecclesiâ pastoralis muneris successio.

Hujusce argumenti prima propositio evidentibus demonstratur Scripturæ testimoniis : Ecclesia sacris in codicibus ovili comparatur. Joann. cap. 10, v. 16 : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.* Post resurrectionem suam Christus dùm conversaretur cum Apostolis, Petrum sic allocutus est : *Pasce agnos meos, pasce oves meas. Ipse dedit,* inquit S. Paulus ad Ephes. 4, *ipse dedit*

quosdam quidem Apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, etc. Ad ea accedit hæc ejusdem Apostoli admonitio : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo,* Act. Apost. cap. 20.

Argumenti secunda pars, nunquàm futurum esse ut deficiat Christi Ecclesia, haud minùs claris innititur testimoniis. Nihil apertius verbis illis, quibus post editam à S. Petro divinitatis ejus confessionem, illum compellavit Apostolum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* Matth. c. 16. Generale est hoc promissum; nullâ circumscriptum est differentiâ temporum; cum firmissimo servandæ in perpetuum Ecclesiæ proposito conjuncta est in Christo summa sapientia, illimitata potestas : transeat cœlum et terra, verba ejus non præteribunt. Matthæi cap. 28, v. 20, ita Christus alloquitur Apostolos : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Eâ voce, *consummatio seculi,* solus ex Evangelistis usus est S. Matth., et quoties illâm usurpavit, toties eâdem significatum voluit finem mundi, ut videre est cap. 13, v. 29 et 40; cap. 24, v. 3, collato cum versibus 30 et 31 ejusdem capitis. Duraturam usque ad judicium Ecclesiam ne ipsi unquàm inficiati sunt Protestantes : utrùm verò aliquando latuerit, aut ita latere possit, ut audiri nequeat? Hoc de capite non sibi semper consenserunt, eorumque inconstantiam multiplicemque variationem exposuit more suo dilucidè et solidè doctissimus Bossuetius lib. 2 Variat. cap. 15. Commentum illud de occultâ Ecclesiâ, hâc ipsâ probatione quam versamus, omninò exploditur; namque, ut demonstratum est, ad naturam et constitutionem Ecclesiæ pertinet ministerium pastorale. Unde à S. Cypriano definitur Ecclesia : « Plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex « adhærens. » Epist. 69 ad Papinianum. Hinc ab eodem scriptum est : « Scire debes episcopum in Ecclesiâ esse, et Ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesiâ non esse. » Nonne et assignant pro notis Ecclesiæ Protestantes, veram doctrinæ prædicationem legitimamque sacramentorum administrationem, quæ munera non omnibus indiscriminatim attribuunt? Hoc autem ipso indubitanter ostenditur nullâ unquàm ætate absconditam esse veram Ecclesiam : quo enim pacto latere possit hominum congregatio, cui ad comparandam salutem adjungere sese populi omnes teneantur : apud quam semper vigeat externa fidei professio, prædicatio verbi, sacramentorum usus naturâ suâ visibilium sub regimine legitimorum pastorum? Hinc meritò dixit S. Augustinus : « In nullum nomen reli« gionis seu verum, seu falsum coagulari ho« mines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel « sacramentorum visibilium consortio colli« gentur. » (Lib. 19 contra Faustum.)

Argumentum II. — In Scripturis utriusque Testamenti Ecclesia Christi vocatur regnum, ibidemque asseritur, varias inter mundi tempestates illud non esse intermittendum : hic sequitur pastoralis perpetuitas ministerii.

Isaiæ cap. 9 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis : et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis : multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ à modò et usque in sempiternum.* Testimonium illud confirmatur istis angeli verbis beatam Virginem alloquentis : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus, Jesum : hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* (Luc. cap. 1.) Danielis cap. 2, commemoratis quatuor regnorum Babylonici, Persici, Macedoniani et Romani successione atque excidio, sic pergit Propheta : *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur.* Cap. 7 : *Aspiciebam ego in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi et tribus et linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.*

Conspirantibus illis testimoniis quæ mutuam sibi lucem afferunt, manifestè designatur Messiæ regnum, quod sit ab eodem in terris obtinendum, *confirmandum, corroborandum in judicio et justitiâ usque in sempiternum;* quod

quidem regnum, cùm non sit terrenum ac temporale, aliud esse non potest ab Ecclesiâ Christi : ea proindè *non dissipabitur, non corrumpetur ;* neque magis potest pastorali carere ministerio, quàm regnum rectè institutum, benè moderatum, destitui regendis idoneâ populis auctoritate.

Argumentum III. — Jam de perpetuâ pastorum Ecclesiæ successione audiantur ipsi qui primis Ecclesiæ seculis floruerunt Patres quibus ignotam fingere primariam Ecclesiæ constitutionem, nimiæ foret temeritatis et arrogantiæ. S. Irænеus postquàm admonuit illis esse « obediendum presbyteris, qui successionem habent ab Apostolis, et cum episcopatûs « successione, charisma veritatis certum acceperunt, » addit : « Reliquos verò qui absistunt « à principali successione, et quocumque loco « colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæ« reticos et malæ sententiæ. » Tertullianus, de Præscriptionibus adversùs hæreticos, cap. 32 : « Si quæ audent se interserere ætati apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis traditæ, « quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere : « Edant ergo origines suarum Ecclesiarum, « evolvant ordinem suorum episcoporum, ita « per successiones ab initio decurrentem, ut « primus ille episcopus aliquem ex Apostolis « vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis « perseveraverint, habuerit auctorem vel ante« cessorem : hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ sensus suos deferunt. » S. Cyprianus, epist. 27 : « Inde per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio et « Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super « episcopos constituatur, et omnis actio Ec« clesiæ per eosdem episcopos gubernetur. »

Argumentum IV. — Rationibus theologicis adstrui quoque potest perpetuæ illius pastorum successionis necessitas, quæ depromptis mox testimoniis declarata est : hæc enim si deficeret aliquando successio ministerii, tùm haberetur Ecclesia tanquàm sine nautâ navis, sine cultore tellus, grex sine pastore, respublica sine rectore et administris justitiæ. In societate nihil cogitari potest anarchiâ deterius, quam jure dixeris legum peremptricem, discordiarum fomitem, scelerum et calamitatum inexhaustam scaturiginem. Nec in regno graviorem quàm in religione stragem procrearet cessatio vel intermissio debiti regiminis : utrique aptari potest hæc Salomonis sententia: *Ubi non est gubernator, populus corruet,* Proverb. cap. 11, v. 14. Lethalem hanc sortem quis crediderit Ecclesiæ aliquando subeundam, nullâ præsertim præeunte revelatione, quæ tam perniciosam hanc rerum conversionem ac perturbationem prænuntiaverit ; imò apertis obsistentibus quæ retulimus, perpetuitatem ministerii ecclesiastici asserentibus testimoniis.

Tam arctè, tam evidenter conjuncta est cum Ecclesiæ naturâ et constitutione pastorale ministerium, eam ut connexionem in suâ fidei professione sic enuntient Protestantes, art. 26 : « Or, parce que nous ne jouissons de « Jésus-Christ que par l'Evangile, nous croyons « que l'ordre de l'Eglise, qui a été établi en « son autorité, doit être sacré et inviolable, et « partant que l'Eglise ne peut subsister, sinon « qu'il y ait des pasteurs qui aient la charge « d'enseigner, lesquels on doit honorer et « écouter en révérence. »

Cùm igitur, articulo 31, profiteantur posse aliquando abrumpi statum Ecclesiæ, atque tum opus esse ut à ruinâ et lapsu excitetur, tum similes se præbent hominibus, qui naufragantes, quidquid subsidii occurrere videatur, fallente specie præcipitanter arripiunt.

III. Ad Ecclesiæ apostolicitatem necesse est ut legitimâ missione pastores illius muniantur: necessitatem missionis ad obeunda ministerii ecclesiastici munera solus ille negaverit, qui pudoris ac religionis sensum omnem excusserit. Nonne irrideretur et abjiceretur turpiter, qui principe neque per seipsum, neque ullo modo mandante aut approbante, domûs regiæ munia fidenter et arbitratu suo usurparet ? quantò magis ille reprobandus qui Deo non vocante, non mittente, dispensatorem mysteriorum Dei et Christi ministrum exhibere se in Ecclesiâ quæ domus Dei est, seu in spirituali regno Christi voluerit ?

Ordine suo, non arbitrio nostro dona sua dividit supremus omnium moderator Dominus: in Ecclesiâ, sicut humano in corpore, membra omnia *non eumdem actum habent*, ut verbis utamur Apostoli, non omnes ad omne officiorum genus vocamur à Deo : ad ministerium ecclesiasticum requiritur auctoritas, requiritur gratia ; utraque pendet à liberis providentiæ divinæ decretis : quid ergo existimandum de homine qui absque missione Deo probatâ, vellet fungi legatione pro Christo, prædicare verbum, conficere sacramenta, cæteraque munera ecclesiastici ordinis capessere ?

Necessitati missionis, ad ea inprimis quæ ad

cultum Dei attinent animarumque regimen et salutem, suffragantur utriusque Testamenti scripturæ : omnibus erat interclusus ad sacerdotium aditus, qui non essent oriundi ex stirpe Aaron ; hinc severè castigati qui postpositâ istâ lege, sacerdotale aliquod munus sibi arrogarent, ut patet exemplis Core, Dathan et Abiron, ipsiusque postea regis Oziæ. Increpat eos graviter Deus, qui ipsius injussu, instituendos informandosque populos ejus nomine susciperent. Audiatur Apostolus gentium de ministris Evangelii : *Quomodò ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante? Quomodò verò prædicabunt nisi mittantur?* (Ad Romanos, c. 10.) De ipsomet Christo ita testificatur idem apostolus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron : sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* (Ad Hebr. c. 5, v. 4.)

IV. Oportet ut doctrinam Ecclesia profiteatur à doctrinâ Apostolorum non alienam, non degenerem. Conditionem hanc esse prorsùs necessariam confitentur ultrò Protestantes et alii Romanæ desertores communionis ; cujus quidem criminandæ ansam pugnaciter inde arripiunt. Testimonia proferunt ex apostolicis scriptis decerpta, quæ more suo interpretantur : ideòque conantur persuadere, apostolorum doctrinæ adversari Ecclesiam Romanam, nec proinde posse illam, jure apostolicam nuncupari : viam discussionis non refugimus ; eam datâ occasione decurrunt catholici theologi, ut videre est tot in elucubratis polemicis operibus ; verùm hìc contendimus frustra laborandum in perscrutandis et contorquendis Apostolorum scriptis, si aliunde constet doctrinam quæ tribueretur Apostolis, non ita fuisse propagatam et ad nos usque transmissam, ut novitatis notâ meritò careat ; tum viâ præscriptionis asserimus, Ecclesiæ apostolicæ doctrinam nullius novitatis, nullius veræ mutationis, jure insimulari et redargui posse : haud leviter hæc duo sunt tractanda, in quibus, ubi agitur de notis Ecclesiæ, positus est verus de apostolicâ doctrinâ quæstionis status.

1° Apostolica haberi non potest illa doctrina quam constiterit non esse ita propagatam et ad nos usque transmissam, ut novitatis notâ meritò careat. Falsitatis argumento esse novitatem monuerunt Apostoli : *O Timothee*, inquit S. Paulus, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ :* quem in locum extat eximium Vincentii Lirinensis commentarium : « Quid « est, ait, depositum? Id est quod tibi creditum « est, non quod à te inventum ; quod accepisti, « non quod excogitâsti ; rem non ingenii, sed « doctrinæ ; non usurpationis privatæ, sed « publicæ traditionis ; rem ad te perductam, « non à te prolatam ; in quâ non auctor debes « esse, sed custos ; non institutor, sed sectator; « non ducens, sed sequens. » (Common. 1, cap. 27.) Sic eodem in capite concludit : « Per « te posteritas intellectum gratuletur, quod « ante vetustas non intellectum venerabatur : « eadem tamen quæ didicisti ita doce, ut cùm « dicas novè, non dicas nova. »

Nervosè argumentum istud tractavit Tertullianus, de Præscriptionibus adversùs hæreticos, cap. 29 : « Ante in omnibus veritas antecedit, « post rem similitudo succedit : cæterùm satis « ineptum, ut prior in doctrinâ hæresis habea- « tur, vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses « cavendas prænuntiabat. » Idem contra Marcionem, lib. 4, cap. 4 : « In summâ, si constat « id, verius quod prius, id prius quod ab initio; « id ab initio quod ab Apostolis : pariter id « quoque constabit, id esse ab Apostolis tradi- « tum, quod apud Ecclesias Apostolorum fue- « rit sacrosanctum. »

Quâ ratione novitatem ac mutationem excludat doctrina Ecclesiæ, exponit illustrissimus Bossuetius, propositis arctissimè sibi cohærentibus quatuor principiis : propria ipsius verba præstat exscribere : « La doctrine de l'Eglise « catholique consiste en quatre points, dont « l'enchaînement est inviolable : l'un, que « l'Eglise est visible ; l'autre, qu'elle est tou- « jours ; le troisième, que la vérité de l'Evan- « gile y est toujours professée par toute la so- « ciété ; le quatrième, qu'il n'est pas permis « de s'éloigner de sa doctrine. Le premier point « est fondé sur un fait constant : c'est que le « terme d'Eglise signifie toujours dans l'Ecri- « ture, et ensuite dans le langage commun des « fidèles, une société visible : les Catholiques « le posent ainsi, et il a fallu que les Protes- « tants en convinssent. Le second point, que « l'Eglise est toujours, n'est pas moins cons- « tant, puisqu'il est fondé sur les promesses « de Jésus-Christ, dont on convient dans tous « les partis. De là on a inféré très-clairement « le troisième point, que la vérité est toujours « professée par la société de l'Eglise : car l'E-

« glise n'étant visible que par la profession de « la vérité, il s'en suit que, si elle est toujours, « et qu'elle soit toujours visible, il ne se peut « qu'elle n'enseigne et ne professe toujours la « vérité de l'Evangile. D'où suit aussi claire- « ment le quatrième : qu'il n'est pas permis « de dire que l'Eglise soit dans l'erreur, ni « de s'écarter de sa doctrine ; et tout cela est « fondé sur la promesse qui est avouée dans « tous les partis, puisqu'enfin la même pro- « messe, qui fait que l'Eglise est toujours, fait « qu'elle est toujours dans l'état qu'emporte « le terme d'Eglise, par conséquent toujours « visible, et toujours enseignant la vérité : il « n'y a rien de plus simple, ni de plus clair, ni « de plus suivi que cette doctrine. » (Variat. lib. 15, cap. 3.)

His invictè principiis eliminatur ab Ecclesiæ doctrinâ mutatio et novitas quæ tot ab ipsis Apostolorum temporibus invexit atque confovit hæreses.

2° Viâ præscriptionis asserere promptum est Ecclesiæ apostolicæ doctrinam, nullius novitatis, nullius veræ mutationis insimulari posse et redargui. Hanc viam tenuêre antiquissimi auctores ecclesiastici. S. Irenæus adversùs hæreses, lib. 3, cap. 3 : « Traditionem « Apostolorum in toto mundo manifestatam in « omni Ecclesiâ adest respicere omnibus qui « vera volent videre : et habemus annumerare « eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi « in Ecclesiis et successores eorum usque ad « nos. »

Tertullianus de Præscriptionibus, c. 21 : « Proinde omnem doctrinam quæ cum illis « Ecclesiis matricibus et originalibus fidei « conspiret, veritati deputandam, sine dubio « tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apos- « toli à Christo, Christus à Deo accepit : « omnem verò doctrinam de mendacio præju- « dicandam, quæ sapiat contra veritatem Ec- « clesiarum et Apostolorum, et Christi et Dei. » Tantam vim inesse consentienti apostolicarum Ecclesiarum testimonio, ut non nisi per summam repelleretur injuriam, vehementi hâc inductione jam à nobis memoratâ, defendit idem auctor : « Ecquid verisimile est ut tot ac « tantæ (Ecclesiæ) in unam fidem erraverint ? « Nullus inter multos eventus unus est : exitus « variâsse debuerat error doctrinæ Ecclesia- « rum : cæterùm quod apud multos invenitur « non est erratum, sed traditum. » (De Præscript. cap. 28.)

Generale hoc placitum urget etiam potentiùs, evolvitque enucleatiùs D. Papin, operum suorum tomo primo. Cujus argumentationis hæc summa est : à tempore apostolico ad nostram usque ætatem Ecclesia est unum veluti corpus, unusque testis qui acceptam et promulgatam ab Apostolis doctrinam, jugi et publicâ fidei professione testatam facit ; Ecclesia scilicet non unam duntaxat complectitur hominum generationem : sed numero plus quàm sexaginta aut septuaginta, easque sibi mutuò implicatas, complexu suo coercet : ex pueris, adolescentibus, viris ac senibus coalescit continuâ fidei unius communione, unâque veluti membrorum compage coadunatis ; à singulis pueritiæ, adolescentiæ, virilis ætatis et senectæ annis computari possunt novæ totidem generationes sibi cohærentes et permixtæ : sedulò attendatur tum generationum seculi unius multitudo, mutuaque connexio, tum quæ illis intercesserunt cum præteriti seculi generationibus necessitudo, consortium, mutuaque veluti commercia : unde propter illam generationum coadunationem ac seriem jugiter affluentem, potest Ecclesia comparari magno flumini quod aquis alias aliis excipientibus, et ad mare continuò decurrentibus, idem tamen hominum judicio, ac reipsà flumen est : potest etiam conferri cum humano corpore, quod avolantibus lapsu temporis variis suî partibus, aliisque accedentibus, non aliud et aliud censetur substantialiter corpus.

Hæc si attentè considerentur, facilè intelleXeris, testimonio Ecclesiæ quæ decimo octavo viget seculo, constare de doctrinâ quam profitebatur Ecclesia seculo decimo septimo : eâdem ratione testimonio seculi decimi septimi compertam et declaratam fuisse doctrinam seculi decimi sexti, et sic quasi longo, unoque tamen funiculis multis contexto fune, ab ætate Apostolorum ad nos usque, perpetuâ concatenatione protenso permeavit apostolica doctrina.

Et verò, si quæ nunc in terris versatur Ecclesia, profiteretur ac proponeret dogma ab illis alienum quæ accepit tanquàm ab Apostolis tradita, aut ideò errori patrocinaretur quia ignoraret, quam doctrinam à præcedente mox ætate susceperit, aut quia reprobum illud dogma vellet dolosè et fraudulenter propinare ac tueri, vel quia statuisset veterem palam excutere doctrinam, atque novitatis partes quasi ex condicto communique consensu adjuvare pro viribus : tertium hoc innovandi genus ne ipsi Protestantes auderent Ecclesiæ Christi attribuere ; ignorâsse autem Ecclesiam

v. g., decimi quinti seculi, quam profiteretur et credendam proposuerit Ecclesia seculi decimi quarti, id non minùs absurdum, nec minùs impossibile, propter multiplicem et arctissimam quæ utriusque memorati seculi generationes in fidei unius professionem devinxit, necessitudinem : neque enim exeunte uno seculo, simul intereunt omnes fidelium generationes, sed ineunte atque etiam progrediente subsequente seculo, versantur ut plurimæ quæ cum generationibus præcedentis ævi vixerint, eâdem cum illis ut diximus, communione et professione fidei copulatæ.

Denique propter generationum quas indicavimus, tantam multitudinem, implicationem, cohærentiam, fieri non potest, ut dolosè ac fraudulenter inducatur in Ecclesiam, et invalescat doctrina acceptæ à prædecessoribus doctrinæ contraria : fingatur enim generationem unam, homines v. g. quadraginta annis natos inter se conspirare ad peregrinum aliquod et novum hæreticumque dogma inducendum et comprobandum, nonne statim reclamarent juvenes, eorumdem alumni et conclamarent : Nihil tale à vobis antea audivimus : longè diversam à vobis hausimus doctrinam ; præcavendam et fugiendam monebatis novitatem ; cur nos jam prohibeatis assentiri Apostolo dicenti : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit?* (Ad Galatas, cap. 1, v. 9.)

Ad reclamationem hanc accederent studios. et patenter diversorum ordinum fideles plurimi : neque enim probabile aut verisimile est, ut futurum omnium fidelium genus, pastores præsertim primi à secundi ordinis, repentino quasi impetu et communi suffragio, totâ in Ecclesiâ approbarent, combiberent aut dissimularent invectam novam exoticamque doctrinam. Nova in Ecclesiam si importaretur doctrina, sex deprehenderentur quæ diligenter adnotavit Bellarminus, et quæ ortum progressumque hæresum inspectantibus, spontè obversantur : 1° novum ipsum dogma, 2° ipsius auctor, 3° tempus quo cœpit, 4° locus ubi cœpit, 5° quis illud oppugnaverit, 6° exiguus aliquis cœtus unde paulatim aliis accedentibus cœperit. Nullum potest Ecclesiæ dogma exhiberi, cui adaptari possint connaturalia hæc novitatis indicia.

Adde invictum aliud argumentum quod ipse adhibuit Lutherus, ad confirmandam realem Christi in Eucharistiâ præsentiam : non unâ aut alterâ ætate, sed ad finem usque mundi profiteri oportet symboli apostolici hunc articulum : *Credo in sanctam Ecclesiam;* quæ fidei professio mendax foret et irrita, temporibus illis quibus ad hæresim, si fieri posset, deflecteret Ecclesia. Ad omnes pariter ætates pertinet Nicæni et Constantinopolitani symboli professio quam agnoscunt christianæ societates : omni ergo tempore profitendum est non duntaxat fuisse, sed adhuc esse apostolicam Ecclesiam; ergo nec eam à doctrinâ Apostolorum unquàm deficere.

Unum etiam ad cumulum accedit : perpetuò dictitant Protestantes, tenendum esse naturalem et obvium Scripturarum sensum, quem utinam non desererent : viderint quàm sibi constent in effingendâ Christi Ecclesiâ, de quâ ipse dixit Christus : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam : si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus :* eamdem vocat Apostolus, *columnam et firmamentum veritatis.* Ad Ecclesiam visibilem et à pastoribus gubernatam pertinent cœlestia hæc effata : eò tamen spectant Protestantium placita, ut incidere et quidem diuturna posse credatur tempora, quibus prodeuntes ab inferorum partibus errores obtineant in Ecclesiâ : docent prædictam, nempè visibilem et conspicuam reipsà Ecclesiam, nedùm constanter audiri oporteat, repelli potiùs et reprobari quoad multa dogmata, multis potuisse ac debuisse labentibus seculis : effutire non verentur lapsam quandoque columnam illam, et humo diutissimè affixam : disjectum ac prostratum illud firmamentum veritatis, ingruentibus atque tenaciter insidentibus detestandis dogmatibus, qualia sunt, ut obloquuntur, idololatria in colendis sanctis, sacrisque venerandis imaginibus ; irritatio et contemptus passionis Christi in offerendo Missæ sacrificio, etc.

Solvuntur objecta. — Objicies 1° : Exagitatur doctrinæ novitas, quasi adulterinæ nota Ecclesiæ, et constanti orthodoxorum testimonio reprobata : attamen ætate Apostolorum multa credebantur divinâ fide dogmata quæ deinceps permissa sunt liberis theologorum disceptationibus : quæcumque enim revelata sunt capita doctrinæ, ea explicitè callebant Apostoli, quos sic erat allocutus ipse Christus : *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* Joann. cap. 16, v. 13. A Spiritu sancto sic erudiebantur Apostoli, ut quâ perfunderentur scientiâ veritatis, ea manaret universam in Ecclesiam, communicata cum pastoribus quos instituerent ; multa autem

nunc credenda profitemur, quæ olim absque dispendio fidei et salutis vocari in dubium aut etiam negari potuerint : sunt enim fidelium venerationi propositi, qui negaverint, animas quibus nihil luendum superest, post discessum à corpore, statim in cœlum recipi : sunt alii pariter in sanctis numerati qui non posse confici et conferre ab hæreticis baptisma docuerint : alia possent proferri exempla mutationis inductæ, in professionem catholicæ fidei : in eâ igitur constantiam ac perpetuitatem necessariò non postulat enuntiata in symbolis Nicæno et Constantinopolitano apostolicitas.

Resp. : Accuratè ut diluatur proposita objectio, explicatu non admodùm facilis, distinctè definiendum est quid sit implicita, quid sit explicita fides. Explicita fides illa est quæ fertur in dogma de quo tunc cogitatur, ita ut illud sit objectum proximum in quod supernaturalis cadat assensus fidei, sive expressè, sive involutè hoc idem dogma fuerit in semetipso revelatum : diximus, sive expressè, sive involutè, revelatum sit : quod enim obscurè vel in alio revelatum est, id potest deinceps viâ auctoritatis, vel discussionis evolvi et explanari, atque sic evolutum et explanatum explicitâ fide credi, ut revelata expressè dogmata. Fides implicita dicitur, quando in eo quod creditur ita involvuntur alia, ut lateat quæ et qualia sint, tùm quâ ratione in illo contineantur.

Hæc autem fides diversimodè haberi potest : ratione motivi ; dùm enim fide supernaturali, ac propter auctoritatem Dei revelantis, vel unus creditur fidei articulus, cæteri omnes implicitè creduntur, cùm ad eos omnes extendatur unum et idem illud motivum, sicut dùm ex charitatis motivo pœnitens vel unum expressè detestatur mortale peccatum, alia etiam horrescit omnia : at verò dùm negatur aut adducitur in dubium vel unus fidei articulus, abjicitur simul de omnibus aliis divina fides : hinc non nisi humanam fidem habent hæretici. Obtinetur quoque implicita fides, dùm aliqua supernaturali assensu creditur generatim dogmatum collectio, quorum multa ignorantur à credente : sic rusticus dùm indistinctè et quasi conglobatim credit quidquid revelaverit Deus, et credendum Ecclesia proposuerit, credit implicitè omnia fidei dogmata, catholicam omnem veritatem. Denique fide implicitâ creditur dogma indivulsè connexum cum aliquo dogmate explicitè credito, cujus ignoretur vel non attendatur arctissima hæc cum altero connexio : v. g., qui Christum Jesum credunt Deum esse simul et hominem, credunt implicitè duas inesse illi voluntates, divinam et humanam, licet fortè tunc de duabus non cogitent voluntatibus : qui tamen sic crederet aliquod dogma, cum alio expressè cognito intrinsecè connexum, non pareret assensum divinæ fidei, licet supernaturalem, nisi dogma ita connexum, esset aliunde immediatè revelatum, ut sunt duæ Christi voluntates.

Prælibatâ implicitæ et explicitæ fidei definitione, quasdam statuemus propositiones quæ planam sternent viam afferendæ responsioni.

PROPOSITIO PRIMA. — *Ab initio generis humani eadem semper fuit implicita fides.*

Quicumque divinâ crediderunt fide, seu propter Dei revelantis auctoritatem aliquod dogma, illi omnes, quæcumque jam revelaverat Deus, aut esset revelaturus, crediderunt implicitè, quia proprium divinæ fidei motivum porrigitur ex seipso ad omnia revelata aut revelanda.

Præterea in illis quæ explicitè semper credita sunt, continebatur implicitè quæcumque ad fidem spectant : tota enim per se fidei materia revocatur ad cognitionem mysteriorum Dei ut Deus est, et Christi ut redemptor est : quod quidem indicatur isto Evangelii pronuntiato : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Joan. c. 17, v. 3. Act. Apost. cap. 4, de Christo dicitur : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Ad Hebræos Epist. cap. 11, v. 6, legere est : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Tali autem fide quæ semper fuit ad salutem necessaria, credebatur implicitè et quoad substantiam, quidquid divinitùs jam revelatum fuerat, aut esset revelandum de providentiæ divinæ ad salutem humanam consiliis et operibus, tùm de Incarnatione Verbi, Deique hominis facti unicâ personâ, duplici naturâ, duplici voluntate, laboribus, morte, gloriâ, etc. Fides ipsa in sanctissimam Trinitatem continebatur implicitè in fide explicitâ de Deo infinitè perfecto, cùm ad infinitam naturæ divinæ perfectionem interna pertineat divinis exhaurienda *processionibus* fœcunditas. Hinc de fidelibus christianæ legis dixit Apostolus : *Habentes eumdem spiritum fidei,* quam scilicet habuerant qui adventum Christi antecesserant. Hinc dictum est à S. Augustino : « Tempora variata

« sunt, non fides : mutatus est sonus verbi « *veniet* aut *venit* : tamen eadem fides utros- « que (Christianos eorumque antecessores), « conjungit. » Tractatu 45 in Joannem. Vide etiam S. Augustinum, lib. 18 de Civitate Dei; tùm et S. Irenæi lib. 4 adversùs hæreses, cap. 13. Quapropter asseruerunt Patres potuisse ab initio mundi fideles omnes appellari Christianos. Euseb. lib. 1 Hist. cap. 4; S. Epiphan. Hæres. 66. Ergo eadem semper fuit fides implicita, et quoad substantiam, tum in lege quæ dicitur naturæ, tum in lege Mosaicâ, tum imprimis à tempore Apostolorum.

Propositio II. — *Sunt multa dogmata quorum explicita fides non semper fuit æqualis.*

Observari quidem potest viguisse apud aliquos quâlibet mundi ætate in Ecclesiâ explicitam fidem præcipuorum religionis dogmatum : hâc fide mysteriorum donatum fuisse Abrahamum indicat ipse Christus his verbis : *Abraham exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est.* De Moyse testatur Apostolus : *Majores*, inquit, *divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* Ad Hebræos, cap. 11. De David Pharisæos sic interrogat Christus : *Quomodò ergo David in spiritu vocat eum (Salomonem) Dominum dicens : Dixit Dominus Domino meo?* Matth. cap. 22, v. 43 et 44. De cæteris sanctis prophetis idem affirmari potest, et præstantibus quibusdam aliis pietate viris.

At probari nihil attinet (adeò perspicuè verum est), multò plura in evangelicâ lege, explicitâ fide credenda, proposita fuisse, quàm ante adventum Christi, cùm tam multa uberioribus ipse revelationibus explicaverit, quarum depositum tradidit Ecclesiæ; hæc autem labentibus temporibus multa expressè definienda curavit, atque explicitâ fide tenenda proposuit, quæ antea implicitè duntaxat credebantur, qualis est valor baptismi ab hæreticis ritè collati, concessa statim post mortem visio intuitiva justis, quibus nihil luendum superest, etc. Nec tamen ab Ecclesiâ definiente nova procuduntur dogmata fidei; distinctè profert, quæ in seipsis quidem pertinebant ad fidem, utpote divinitùs revelata, sed quorum revelatio ad pariendam explicitam fidem, explicatione indigeret; unde priusquàm decernat ac definiat Ecclesia, tam studiosè pervestigat, quid Scripturis, quid traditione contineatur : post tempus Apostolorum, nulla facta est revelatio quâ augeatur publicum fidei depositum : ad illud enim pertinere non censentur privatæ revelationes quantùmlibet inconcussæ, atque divinâ fide ab illis credendæ quibus sufficienter affulserint.

Hinc præclara illa Vincentii Lirinensis effata : « Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his « unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit : « non amputat necessaria, non apponit superflua, non usurpat aliena : sed omni industriâ « hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si quà sunt illa antiquitùs « informata et inchoata, accuret et poliat : si « quà jam expressa et enucleata, consolidet, « firmet : si quà jam confirmata et definita, « custodiat. »

Propositio III. — *Explicitâ fide crediderunt Apostoli quæcumque divinitùs Ecclesiæ revelata sunt, et quæ non pendent à quibusdam factis decursu temporum contingentibus.*

1° Quidem explicitâ fide credidisse Apostolos quidquid Ecclesiæ revelatum est, omninò constat, ipso Christi testimonio sanctum illis ita pollicentis Spiritum : *Ille vos*, inquit, *docebit omnia quæcumque dixero vobis*, Joann. cap. 14, v. 26; et iterùm : *Cùm venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ibid. cap. 16, v. 13.

Diximus : Quæcumque revelata sunt, nec pendent à quibusdam factis decursu temporum contingentibus. Sunt enim propositiones quædam universales quæ multas complectuntur singulares propositiones fide explicitâ credendas, quamvis istæ pendeant à factis quibusdam contingentibus non revelatis; sit, v. g., iste syllogismus, in principiis Catholicorum : Omne concilium œcumenicum est infallibile; atqui concilium Tridentinum est œcumenicum : ergo concilium Tridentinum est infallibile. Prima hujus syllogismi propositio est divinitùs revelata; secunda pendet à factis quibusdam non revelatis : v. g., celebratum esse Tridentinâ in urbe aliquod concilium; in illud concilium convenisse sufficientem episcoporum numerum ad universalem repræsentandam Ecclesiam. Hæc facta particularia latere potuerunt Apostolos, quibus distinctè compertum erat, infallibilitate pollere omne concilium verè œcumenicum.

Propositio IV. — *Publicæ omnis revelationis thesaurum commiserunt suis discipulis matricibusque Ecclesiis Apostoli.*

Nisi thesaurum illum discipulis suis, et illis

quas fundaverunt Ecclesiis commisissent Apostoli, non esset cur ad nos usque transmitti potuisset : plura certè pastoribus Ecclesiarum exhibuerunt explicitè dogmata quàm vulgo fidelium, cui tamen exponenda et explicanda curaverunt quæ ad instruendam fidem, informandosque mores necessaria, vel tunc opportuna judicavérint. Diebus enim ac noctibus elaborabant, ut scientiâ salutis unusquisque fidelium imbueretur.

His præmissis, nihil est cur objecto impediamur argumento : 1° quidquid Apostolis revelatum est : quidquid credendum tradiderunt Ecclesiis quas condiderant, id semper, subsecutis temporibus, *explicitè vel implicitè* creditum est. 2° Explicitè novâ in lege semper credita sunt, tùm quæ catholicæ fidei habentur fundamenta : nempe unitas Dei in tribus personis, Incarnatio Verbi, redemptio generis humani, immortalitas animæ, etc., tùm et alia dogmata, morumque regulæ, quibus planè opus sit ad institutionem verè christianam, et evangelicæ perfectioni congruentem. 3° Quamvis revelatam omnem veritatem, docente Spiritu sancto, distinctè et explicitè cognitam habuerint Apostoli, non inde consequitur debuisse Apostolos eam omnem veritatem omnibus Ecclesiis quas fundarent, distinctè et explicitè credendam proponere : tùm scripta, tùm non scripta reliquerunt Ecclesiæ documenta et instituta, ex quibus constat integrum orthodoxæ doctrinæ depositum : ex illo depromere, expressè declarare, et pervulgare pro suâ auctoritate potuit ac potest Ecclesia, quæ pro suâ sapientiâ, assistente Spiritu sancto, censuerit ad necessitates fidelium, et opportunitates temporum accommodata. 4° Id eventu manifestè comprobatum est : qui enim decreta conciliorum, constitutionesque summorum pontificum oculis ac mente aliquantùm perlustraverit, ille statim multa perspiciet, quæ olim innoxiè cùm potuerint vocari in controversiam, solemnibus postea et perpetuis sancita sunt decretis, adeò ut de rebaptizantium errore exclamaverit Vincentius Lirinensis : « O « rerum mira conversio! auctores ejusdem « opinionis, Catholici ; consectatores verò, « hæretici judicantur : absolvuntur magistri, « condemnantur discipuli : conscriptores li- « brorum, filii regni erunt, assertores verò « gehenna suscipiet. » A notâ hæresis immunis est S. Cyprianus, quæ postea plaudente universo orbe catholico inusta est Donatistis.

« Hoc, ait idem Vincentius, semper, neque « quidquam præterea, hæreticorum novitatibus « excitata, conciliorum suorum decretis catho- « lica perfecit Ecclesia, nisi ut, quod priùs à « majoribus solâ traditione susceperat, hoc « deindè posteris etiam per Scripturæ chiro- « graphum consignaret. »

Objicies 2° : Ad indicandam cui adhærendum sit, Ecclesiam, quid conferre potest pastorum successio? talem sibi vindicant Græcorum, Syrorum, Armeniorum et Æthiopum societates. Vera Ecclesia ex particularibus coalescit Ecclesiis, quarum multæ continuam ab ætate apostolicâ pastorum suorum seriem proferre non possent ; deinde in successionem ministerii ideò esset inquirendum, ut colligeretur veritas doctrinæ : hæc autem nullâ habitâ ratione dictæ successionis decerpi potest tùm ex divinis Scripturis, tùm ex Patrum testimoniis : à quocumque etiam enuntietur, pro jure suo reverenter debet audiri, eique parendum, quidquid sit de ministrorum interruptâ vel non interruptâ successione. Hinc laicis nonnunquàm usus est Deus ad propagationem fidei : apud Indos, Evangelistarum munere functi sunt Frumentius et Adesius, referente Socrate lib. 1 Hist. cap. 15, ac Theodoret. lib. 1, cap. 23. Christianam ad religionem, ministerio feminæ adductos fuisse Iberos testantur idem Socrates, opere citato, cap. 6. Theod. lib. 1, cap. 24. Sozom. lib. 2.

Resp. : A voluntate Dei, à liberis ipsius decretis, religata pendent Ecclesiæ status ipsaque natura. Pluribus autem argumentis ostensum est, hanc esse Dei voluntatem : hoc esse à supremo Numine constitutum, ut pastorum continuâ et legitimâ successione transmitteretur sana doctrina, eoque sic propagato ministerio quæ carerent societates, illas ab Ecclesiæ Christi titulo ac veritate abhorrere ; hâc unâ adnotatione tota rescinditur objectio.

Prodierunt hæreticorum et schismaticorum sectæ quæ longam pastorum succedentium seriem ostentare posse videantur : nec tamen illam ad ævum apostolicum producere probabili ullâ ratione potuerunt : semper apparet et apparebit sanguinolentus quasi vulneris locus, quo à vivo Ecclesiæ corpore, abscissæ sunt ac projectæ : hinc ita sapienter Bossuetius : « Le moment de la séparation sera tou- « jours si constant, que les hérétiques eux- « mêmes ne le pourront désavouer, et qu'ils « n'oseront pas seulement tenter de se faire « venir de la source par une suite qu'on n'ait « jamais vu s'interrompre : c'est le faible inc-

« vitable de toutes les sectes que les hommes « ont établies; nul ne peut changer les siècles « passés, ni se donner des prédécesseurs, ou « faire qu'il les ait trouvés en possession. La « seule Eglise catholique remplit tous les siècles « précédents par une suite qui ne peut lui être « contestée. La loi vient au-devant de l'Évan- « gile : la succession de Moïse et des patriar- « ches ne fait qu'une même suite avec Jésus- « Christ. » (*Discours sur l'histoire universelle*, seconde partie, chap. 30.)

Neque verò ut particularis aliqua Ecclesia, originem suam probatam faciat et apostolica censeatur, necesse est ut descendentem à temporibus apostolicis, et nunquàm intercisam pastorum suorum particularium seriem ostendat; satis est ut adunata sit, et etiamnùm inhæreat Ecclesiæ quæ talem successionem meritò sibi adscribere valeat; hinc, ut scitè observat Honoratus Tourneły : « Nec Irenæus, « Lugdunenses præsules quos fuerat secutus, « nec Eusebius Cæsareenses suos decessores, « nec Epiphanius Salaminenses, nec Optatus « Milevitanos, nec Augustinus Hipponenses, in « medium adducunt; sed communi consensu « in uno solo Romanorum pontificum antisti- « tum albo inscribendo conspirant. »

A legitimâ et à tempore Apostolorum ductâ necnon continuò perseverante successione non sejungitur nec divelli potest sana doctrina, custodiente illam constanter verâ Ecclesiâ quam apostolicitate demonstrandam suscepimus : at veritatem ipsam doctrinæ, quæ in singulis capitibus, proprio ac privato discutiatur examine, genuinam haberi Ecclesiæ notam pernegamus, cùm ea discussio plerisque hominibus sit impervia, eosque ludibrium objiceret omni vento doctrinæ, ut probatum est.

Quibus velit Deus, potest efficaciter instrumentis uti, ad eruendas et salvandas sedentes in umbrâ mortis quaslibet gentes : infirma mundi quandoque, etiam post exitum Apostolorum, eligit ut confundat fortia; et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt convellat et destruat. At laici et feminæ, animarum salut allaborantes, gentilibusque præferentes facem Evangelii, ecclesiastico non defungebantu ministerio, sed charitatis præstabant munia impellente Spiritu sancto, vocemque virtuti mirabiliter suppeditante.

Objicies 3° : Ad asserendam apostolicitatem asseri priùs oportet perpetuitatem doctrinæ quæcumque autem ad illam indagandam adhibeatur methodus, nimius et ad captum fidelium minimè attemperatus recursabit labor : tametsi enim sisteretur intra præscriptionis viam, hanc ipsam inire non posset vulgus hominum : nec enim valeret per singulas Ecclesiæ ætates excurrere, atque in illis omnibus indagare, num aliqua extiterint, aut etiamnum deprehendere sit novitatis vestigia, in eâ quam professa est, aut profitetur, doctrinâ, cujus proindè ad hanc apostolicitatis normam singula exigenda sint dogmata. Quanto hominum pars curriculum istud possit confi cere?

Resp. : Absit ut ad secernendam certòque comperiendam Christi Ecclesiam, oporteat singula discutere sigillatim dogmata : via præscriptionis propositum ad scopum compendiaria magisque expedita, quæ tamen non unius est generis : alia strictè et propriè sumpta in eo posita est, ut constituto tempore, quo extra controversiam vigebat, aliquod cujus patrocinium suscipitur, determinatum dogma, ostendatur, ab illâ epochâ nullam ad ævum usque apostolicum inveniri mutationem quæ veritati dogmatis illius officiat. Utilitatis quidem plurimùm ex eâ methodo percipi potest ad revincendos alios alia impugnantes doctrinæ capita. Ejusdem methodi vim ac rationem uberrimè exponit et illustrat idoneisque confirmat exemplis, auctor notissimi operis cui titulus : *Perpétuité de la foi*. Verùm tractandâ apostolicitate tanquàm Ecclesiæ notâ suppetit aliud præscriptionis genus etiam brevius, omnia simul complexum et longè facillimum : in eo ipso collocatur quod jam demonstravimus, nempe ut ostendatur Ecclesiam quæ habenda sit apostolica, non vinculum abrupisse unitatis : non fuisse ab antiquiori et quæ jure possessionis gaudebat, avulsam ac disjectam. « Sed « enim, ut apositè animadvertit Tertullianus, « in omnibus veritas imaginem antecedit : post « rem similitudo succedit. » De Præscript. cap. 29. Ideòque cùm præteritas antevertere nequeant ætates hæresis aut schisma, nec suam pro arbitrio retroferre originem, nulla est hæretica aut schismatica secta, quæ novitatis impressam fronti ac indelebilem non gerat notam : quâ proindè quæ careat Ecclesia, apostolicitatem sibi ea proprio jure vindicat : hoc argumento sic urgebat hæreticos Tertullianus : « Ubi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus « stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ « sectator? nam constat illos, neque adeò olim « fuisse Antonini ferè principatu, et in Catho-

« licæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub episcopatu Eleutherii « Benedicti. » De Præscript. cap. 30. Iisdem hæreticos confodiebat telis Vincentius Lirinensis : « Quæ unquàm hæresis, nisi sub certo « nomine, certo loco, certo tempore, ebullivit? Quis unquàm hæreses instituit, nisi qui « se prius ab Ecclesiæ catholicæ universitatis « et antiquitatis consensione discreverit? Quod « ita esse luce clariùs exempla demonstrant : « quis enim unquàm ante profanum illum Pelagium, tantam virtutem liberè præsumpsit « arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus « singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum « discipulum ejus Cœlestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit « adstrictum? Quis ante sacrilegum Arium, « Trinitatis unitatem discindere? Quis ante « sceleratum Sabellium unitatis Trinitatem « confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Novatianum, crudelem Deum dixit, eò « quòd mallet mortem impii, quàm ut revertatur et vivat? » Commonit. 1, cap. 34. Inventâ autem et cognitâ Ecclesiâ quæ ab Apostolis, quæ à Christo Domino verè ortum duxerit, cui proindè commissæ sunt Scripturæ Scripturarumque intellectus, concreditumque illibatum fidei depositum, quin Apostolicam profiteatur doctrinam dubitare vetat legitima præscriptio : hic est enim ordo præclarus et inviolatus quem ita descripsit Tertullianus : « Nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui « Filius revelavit, nec aliis videtur revelâsse « quàm Apostolis quos misit ad prædicandum, « utique quod illis revelavit; quid autem præ« dicaverint, id est, quid illis Christus revela« verit, et hic præscribam non aliter probari « debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi « Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, « tam vivâ, quod aiunt, voce, quàm per epis« tolas postea. » De Præscriptione, cap. 21.

Sectionis secundæ secunda pars.

Utrùm Ecclesiæ Romanæ competant unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quales exposuimus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE UNITATE ROMANÆ ECCLESIÆ.

Quam asseruimus unitatem, hâc verè pollet Romana Ecclesia.

Probatur : Postulat ejusmodi unitas, ut vigeat in Ecclesiâ consensio, tum circa fidei professionem, tum circa debitum pastoribus obsequium, tum denique circa communionem sacramentorum : talis autem consensio palam obversatur Romanâ in Ecclesiâ : 1° *In eamdem fidei professionem* conspirant quotquot Romanæ consociantur cathedræ : discrepantiam dogmatum ita exhorret suprema illa sedes, ut illos omnes à communione suâ repellat, qui vel unum quod approbaverit doctrinæ caput, lacessere aut negare pertinaciter audeant : quid enimverò significant tot undique personantes in eam hæreticorum vel schismaticorum de ipsius intolerantiâ querimoniæ, nisi eam pati non posse quemquam positos à Patribus limites transilire? Refertæ sunt collectiones conciliorum censuris, quibus perstringit ipso interposito anathemate, refragantes institutionibus, quas auctoritate suâ sanciendas judicaverit. Quam verò profitetur unitatem, eam nemo disturbari existimet diversitate opinionum, quibus variæ patrocinantur theologorum ejus communionis scholæ : quantumcumque dissentire inter se videantur, non recedunt à communi et apud eosdem inviolabili unitatis principio : agnoscunt omnes judicio Ecclesiæ, propositâ quâlibet privatorum sententiâ, obsequendum ac firmiter esse inhærendum : auctoritate illius obstrictos se gloriantur ut saluberrimo nexu, quo individuam in societatem, non facto duntaxat et quasi fortuito, *sed jure*, divinoque ex præscripto colligantur. 2° Romanæ Ecclesiæ consentiunt alumni *circa debitum pastoribus obsequium :* summum venerantur pontificem tanquàm communem omnium patrem ac magistrum, cæteros inter episcopos auctoritate præcellentem : certatim profitentur, non aliis se adunatos pastoribus, quàm illis qui Romanæ sedis devincti sunt communione : sponte subscribunt celeberrimo illo S. Hieronymi pronuntiato : « Quicumque « extra hanc domum agnum comederit, pro« fanus est. » Epist. 14 ad Damasum Papam. Neque eò loci quæritur utrùm reipsà Petro ejusque successoribus contulerit Christus primatum honoris et jurisdictionis; satis est ut in eam summam dignitatem et auctoritatem agnoscendam tanquàm in centrum unitatis consentiant Romano-Catholici : attenditur eorum consensûs firmitas et constantia, non ipsa veritas doctrinæ, ubi agitur de unitate Ecclesiæ : non enim per veritatem doctrinæ investigatur unitas, sed per unitatem indagatur doctrinæ veritas. 3° *Eamdem Sacramento-*

rum, Romanâ in Ecclesiâ servatur communio. Septem omninò ab omnibus hujus Ecclesiæ alumnis nec plura admittuntur nec pauciora; eorum omnium ab illis creditur propria efficacia: tum eorumdem quorumdam necessitas quæ vocatur *medii*, tum aliorum necessitas quæ dicitur *præcepti*. Tribus ergo vinculis quibus constringitur ac retinetur unitas Ecclesiæ apprimè secum sunt stabiliterque conjuncti.

Solvuntur objecta. — Ex necessitate et conditionibus principii quo constituatur ac foveatur unitas.

Objicies : Ad unitatem quæ non sit *facti* duntaxat, sed *juris*, hoc est, ad veram unitatem quæ inter essentiales recenseatur Ecclesiæ proprietates, requiritur unitatis principium quod sit immutabile, et ab omnibus idem agnoscatur Catholicis : immutabile quidem, cùm ab eo religata pendeat unitas quæ non possit abrumpi, quin et ipsa excidat et dilabatur Ecclesia; oportet insuper, ut principium illud ab omnibus admittatur Catholicis, seu non possit illæsâ catholicâ fide repudiari : si enim absque hæresis notâ, aut aliâ censurâ possit rejici, jam haberi tanquàm hæretici aut schismatici non possent, qui unitatem illo penitùs innixam principio discinderent : atqui Romanâ in Ecclesiâ tale nullum extat unitatis principium. Quod enim assignatur in eâ principium unitatis ab omnibus admissum, qui dicuntur Romano-Catholici, illud positum est in conjunctione Romani pontificis cum corpore pastorali : at ea consensio non est immutabilis : namque fieri posse docent Gallicani theologi, ut errorem fidelibus, dogmatico proponat decreto summus pontifex, et sic à corpore pastorali dissentiat, cui perpetuam adscribunt infallibilitatem. At summo pontifici donum istud infallibilitatis adjudicant Ultramontani, nec absque ipsius approbatione deberi generalis concilii decretis arbitrantur plenum et irreformabile obsequium : hâc in discrepantiâ sententiarum, quo pacto stare possit unitatis principium, immutabile simul et indubitatum?

Resp. : Fac, quod absit, accidere ut errorem decreto approbet summus pontifex et credendum proponat fidelibus : vel ageretur de doctrinâ communi summi pontificis et episcoporum consensu jam proscriptâ, vel de doctrinâ quæ damnata nondùm fuerit consentientibus summo cum pontifice episcopis : priori in hypothesi adesset immota simul et omnibus probata Catholicis regula fidei, nempè Romani pontificis cum episcopali corpore consensio quæ nunquàm potest à veritate deflectere; ergo tunc suppeteret inconcussum unitatis principium, quod omnes profiteantur Catholici. In altero autem casu, nondùm quidem definitio suppeditaretur, quæ Catholicam ad fidem pertineret, cùm hæreticus haberi non possit, neque ille qui cum Ultramontanis opinetur errare posse corpus pastorale Romano à pontifice sejunctum, neque qui putat Gallicanâ cum Ecclesiâ errare posse sejunctum à corpore pastorali Romanum pontificem. Verùm si (quod avertat Deus), ederetur à summo pontifice definitio dogmatica, quæ fidelibus obtruderet errorem (id quod fieri posse negant Ultramontani), reclamaret statim, ut profitentur ultrò Gallicani theologi, et malo incumbenti obsisteret efficaciter corpus pastorale, vel ad sanam doctrinam revocando errorem, pontificem vel ipsum ab eminente sede, si pertinax foret, dejiciendo, alterumque substituendo, qui recta teneret ac doceret. Id enim cùm necessarium esset ad propulsandum scandalum, gravissimumque quod immineret Ecclesiæ periculum, dubitari non potest, quin præstandum curaret Christus Dominus, qui dilectissimæ Ecclesiæ nunquàm in necessariis deesse certissimè credendus est. Præterea si tempora inciderent et rerum adjuncta, quæ ad consulendum fidei deposito et saluti fidelium, promptiorem omninò postularent, et principio unitatis, ab omnibus propugnato Catholicis, munitam definitionem, tum provideret qui omnia novit ac potest, Deus, ne temporibus illis decreto ullo indulgeret errori summus pontifex ac fidelibus suscipiendum exhiberet : etsi enim infallibilitate careat, posset profectò tunc adjuvante Deo nòn errare; at non potest Deus fallere promissa, tantoque in discrimine, Ecclesiam deserere. Obiter adnotare nobis liceat probandam non videri nonnullorum responsionem qui fore contendant, ut si fortè dissideret à corpore pastorali summus pontifex, tum quâ parte staret veritas, indicaretur ipsâ determinatione *corporis fidelium*, nec aliam afferant solutionem : non satis attendunt ita constitutam esse Ecclesiam, ejusque sic ordinatum, suadente ipsâ rerum naturâ, regimen, ut non gregem pastores, sed pastores grex in discernendâ veritate sequi debeat : hinc pastorum infallibilitate *activâ* nititur *tota corporis fidelium* passiva infallibilitas.

De facto Victoris.

Objicies : De celebrandi paschatis tempore dissentiebant à reliquis orbis christiani Ecclesiis omnes Asiæ iisque adjacentes Ecclesiæ; eas, Eusebio teste, tanquàm *rectæ fidei contraria sentientes* proscripsit, et à *fidelium consortio alienas pronuntiavit Victor*, Romanus pontifex; suæ tamen licet tenaces sententiæ, nunquàm habitæ sunt extorres ab Ecclesiæ catholicæ communione : tunc ergo persuasum erat neque schismaticos omnes, neque excommunicatos ab unitate universalis Ecclesiæ submoveri.

Resp. 1° : Celeberrimæ illius controversiæ ratio et exitus, nedùm faveant tolerantismo eidem potiùs haud leviter adversantur. Expo nendus primùm videtur quæstionis status festam diem paschatis, Asianæ Ecclesiæ cen sebant esse celebrandam more Judæis olin præscripto, lunâ videlicet decimâ quartâ men sis martii in quamcumque demùm diem ea luna incidisset; tumque jejuniis imponendum finem statuebant : pascha autem, in veneration nem Dominicæ resurrectionis, Dominicâ die esse peragendum, aliæ judicabant totius orbis Ecclesiæ, Romana inprimis omnium mater et magistra. Nitebantur Asiani vetustâ traditione, quam putabant et à Joanne Apostolo, qui apud Ephesum Asiæ metropolim diem ultimam obierat, et à Philippo, qui mortuus est Hiera poli, exortam esse, atque à S. Polycarpo aliis que Apostolicis viris trajectam. Hæc refer Polycrates Epist. synodicâ apud Eusebium Hist. eccles. lib. 5, cap. 24. Aliam verò tradi tionem à SS. Petro et Paulo aliisque Apo stolis profectam sequebatur romanus Pontifex et cæteri per orbem disseminati episcopi Asseri quidem non potest deceptum esse Po lycraten episcopum Victori coætaneum, testificantem à S. Joanne observatum esse lunâ decimâ quartâ paschale festum : id referendo si hallucinatus sit, errorem quoque illum attribui necesse est S. Polycarpo, Joannis assiduo, et ad omnia dicta et gesta tanti Apostoli arrecto discipulo, neque tamen suspicari licet Romanam Ecclesiam et Ecclesias quæ Romanæ consuetudini de celebrando paschate Dominicâ die adhæserunt, errâsse, dùm consuetudinem hanc à Petro et Paulo aliisque Apostolis defluxisse prædicabant, cujus varietatis et discriminis ratio hæc depromi potest : ad meram disciplinam, in quam varietas innoxiè cadere queat, ex se ipsâ pertinet assignatio diei paschali peragendo destinatæ : hinc à S. Irenæo comparatur determinationi servandorum diversis temporibus jejuniorum (Euseb. Hist. eccles. lib. 5, cap. 24), et à Sozemeno, ipsi consuetudini Romanam apud Ecclesiam tunc receptæ, canendi semel quotannis, alleluia, primo die paschalis festivitatis (Hist. eccles. lib. 7, cap. 19) : potuit ergo accidere ut martii (cui apud Judæos respondebat mensis nisan), lunâ decimâ quartâ, quâ nempe die agnum paschalem comedebant Judæi, quâ die illum comedit Christus, pascha celebraret Joannes omnium ferè Ecclesiarum Asiæ fundator; idem eam ob causam præstandum sibi duxerunt Asiani : Romana autem Ecclesia cum aliis plurimis secuta est invectam à Petro et Paulo aliisque Apostolis consuetudinem celebrandi Dominicâ die paschatis in resurrectionis Dominicæ commendationem : quæ deinde consuetudo per totam, ut dicetur, invaluit Ecclesiam. Quâ autem ratione contrariam consuetudinem prohibuerit Romana sedes : quâ de causâ profligati sint postea quarto-decimani universalis Ecclesiæ judicio, tanquàm hæretici, ex jam dicendis intelligetur.

2° Cùm, ut narrat S. Iræneus, « Beatissimus « Polycarpus, Aniceti temporibus Romam ve- « nisset, atque inter illos de quibusdam aliis « rebus modica esset controversia, statim pacis « osculo se complexi sunt, de hoc capite (de « die celebrandi paschatis), non magnoperè « contendentes : neque enim Anicetus Poly- « carpo persuadere unquàm poterat ut obser- « vare desineret, quippe qui cum Joanne « Domini nostri discipulo, et cum reliquis « Apostolis quibuscum familiariter vixerat, « eum morem perpetuò observâsset, neque « item Polycarpus Aniceto persuadere conatus « est, cùm Anicetus eorum qui ante se fuerant « presbyterorum morem sibi retinendum esse « diceret; quæ cùm ita se haberent, communicâ- « runt sibi invicem. » (Euseb. Hist. eccles. lib. 5, cap. 24.) Significare videtur eò loci S. Iræneus, non à Joanne solùm, sed à reliquis indiscriminatim Apostolis observatum fuisse eum qui apud Asianos inoleverat celebrandi paschatis morem ; Eusebius verò testatur et constat derivatum esse à plerisque Apostolis morem Asianæ consuetudini contrarium : conciliari possunt illa sibi mutuò in speciem adversantia testimonia, si nempe dicatur vel *per reliquos Apostolos*, non intellexisse S. Irenæum, omnes Apostolos, sed ex iis nonnullos *quibuscum familiariter* vixerat S. Polycarpus, vel primævis temporibus, antequàm per varias mundi plagas

disseminarentur Apostoli, et cùm in Palestinâ degerent, illos in celebrando paschate secutos esse pariter œconomiæ causâ, morem Judæorum; at dispersos deinde et gratiæ Dei traditos, alium tenuisse sapienter usum, quem scilicet opportunum sanctissimoque proposito congruum judicaverint : neque post illam Apostolorum dispersionem, qui morabatur Smyrnæ S. Polycarpus, potuit cum eorum singulis familiariter conversari.

3° Sedem Romanam tenente Victore exarsit de constituendâ die paschatis, controversia, quæ antea sedatis agebatur animis; compellere voluit Asianos ad consuetudinem illam abdicandam, quam ut à Patribus suis acceptam studiosè sectabantur. « Synodi ob id cœtusque « episcoporum convenêre : » eas synodos sigillatim commemorat Eusebius (Hist. eccles. lib. 5, cap. 23), « atque omnes (extra Asiam) « uno consensu ecclesiasticam regulam univer- « versis fidelibus per epistolas tradiderunt : « ne videlicet ullo alio quàm Dominico die, « mysterium resurrectionis Domini unquàm « celebretur : Episcopis verò Asiæ, qui morem « sibi à majoribus traditum retinendum esse « acriter contendebant, Polycrates præerat; » hic porrò synodicâ in Epistolâ quam ad Victorem et ad Romanæ urbis Ecclesiam scripsit, consuetudinem hanc revocat ad regulam fidei (Euseb. Hist. eccles. lib. 5, cap. 24), atque hæc subdit : « Scripturam sacram omnem per- « legi : nihil moveor iis quæ nobis ad formidi- « nem intentantur : etenim ab illis qui me « longè majores erant, dictum scio : Obedire « oportet Deo magis quàm hominibus. » (Ibid.) Videbatur ergo Polycrates Ecclesiæ Romanæ aliarumque omnium Asianis repugnantium consuetudinem reprobare tanquàm spuriam, à regulâ fidei divinisque præceptionibus abhorrentem. His indignatus Victor, « illicò omnes « Asiæ vicinarumque provinciarum Ecclesias, « tanquàm contraria rectæ fidei sentientes, à « communione abscindere conatur, datisque « litteris, universos qui illic erant fratres pro- « scribit, et ab unitate Ecclesiæ prorsùs alienos « esse pronuntiat. » His verbis fulmen excommunicationis non vibrâsse Victorem, sed comminatum, affirmant multi istis ducti momentis : Asianas Ecclesias Victor *abscindere conatur*, ergo non abscindit. Victorem S. Irænеus scriptis *admonet ne integras Dei Ecclesias morem sibi à majoribus traditum custodientes à communione abscindat.* Ergo communionem Victor illis non ademerat. S. Irænеo idem quod Eusebius, tradunt S. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiast. cap. 35; Photius in Bibliothecâ; Nicephorus Hist. Eccles. cap. 38. Latam reipsà fuisse in Asianos à Victore excommunicationem contendunt alii, quorum argumenta ad hæc revocantur : Asianas Ecclesias à *communione conatur abscindere.* Qui hæreat in minis, ille non irrogare nititur pœnas, sed ne irrogandis detur locus, comminando præcavet. Censurâ perstringit Asianos Victor, eosque *communionis expertes* declarat; significantioribus verbis poteratne latam enuntiare excommunicationem ? Ipsum autem cùm rogat sanctus Irænеus ne Asianos inveteratæ apud ipsos consuetudini insistentes abscindat, idem est ac si precaretur ne jam latæ excommunicationis executionem prosequatur et urgeat; idem quoque postulabant alii non pauci episcopi, Victorem enixè exhortantes, « ut ea « potiùs sentire vellet, quæ paci et unitati, « charitatique erga proximum congruebant. » (Euseb. Hist. eccles. lib. 5, cap. 24.)

4° Haud quidem dubium videri debet, annuisse Victorem, et concessisse votis et hortamentis tot pietate et studio pacis insignium præsulum, sancti præsertim Irænei, de quo sic loquitur Eusebius (ibid. in fine capitis) : « Irenæus qui- « dem nomini suo verè respondens (quo paci- « ficus designatur), sed etiam vitæ instituto, « hæc monuit et allegavit, nec verò ad Victo- « rem solum, sed ad multos alios Ecclesiarum « antistites, de quæstione propositâ litteras in « eamdem sententiam misit. » Certè nisi à proposito destitisset Victor, communionemque, si ablata sit, Asianis restituisset, non tacuisset Eusebius acerbam hanc agendi rationem, nec tot episcoporum quæ undique percrebuissent, querimonias ; compositam tunc fuisse indicat Sozomenus controversiam, eâ lege ut Asiani consuetudini quidem suæ inhærerent, si vellent, quin tamen Romanæ Ecclesiæ morem aliarumque Ecclesiarum improbarent ac traducerent tanquàm à regulâ *fidei alienum* Deoque prohibente inductum; statutum est « ut singuli festum prout consueverant, cele- « brantes, à mutuâ inter se communione ne- « quaquàm discederent, » cujus ineundæ concordiæ ratio ista redditur : « Neque enim in « omnibus Ecclesiis, quamvis eamdem fidei « doctrinam profiteantur, easdem traditiones « per omnia similes reperire licet. »

5° Gestorum ea series si consideretur, perspectum erit nihil indè concludi posse quod suffragetur tolerantismo : ut enim factis illis

sincerè expositis adjuvaretur, probandum esset Asianos, retentâ nihilominùs Ecclesiæ catholicæ communione, vel fuisse à Victore perculsos anathemate, eoque ad exitum deducto, nec revocato, vel ab eisdem sic violatam esse auctoritatem, ut crimen schismatis incurrerent, vel definitam Ecclesiæ doctrinæ aliquam partem, contumaciter negâsse : at genuinâ controversiæ totius enarratione ostenditur aut emissum non fuisse Asianas in Ecclesias excommunicationis fulmen, aut confestim repressum effectuque prohibitum. Non impegerunt in schismatis crimen Asianæ Ecclesiæ ; non refugerunt ineundam cum Romanâ sede communionem, nec Victoris alicui decreto parere detractaverunt, cujus executioni non obstiterint alii episcopi, et à quo, si latum fuerit, promovendo statim non destiterit. Dogma nullum impugnârunt aut reprobaverunt ab Ecclesiâ definitum. Meram ad consuetudinem non ad dogma, ut observavimus, spectabat agitata de die celebrandi paschatis tum controversia, summum pontificatum cùm Victor obineret : habiti sunt quidem hæretici, vel si minùs propriè, saltem schismatici post synodum Nicænam Quarto-Decimani : hanc certò labem contraxerunt tum quia Ecclesiæ universæ Dominicâ die pascha celebrari tunc jubentis auctoritatem aspernati sunt, tum quia longè aliter animo affecti ac priores de quibus locuti sumus, indulgerent Judæorum pervicaciæ, quasi adhuc vigerent cæremonialia legis Mosaicæ instituta, quibus olim lunæ quarto decimæ mensis nisan paschale festum illigatum est. De facto Victoris legi possunt Baronius, Tillemont, de Marca, etc.

Neque duntaxat nihil prodest tolerantium partibus mota olim de die celebrandi paschatis controversia, verùm etiam grave illis infligit vulnus ; fatebuntur enim tolerantes, Romanâ in Ecclesiâ persuasum fuisse, posse illos à consortio fidelium dimoveri, qui auctoritati primæ sedis contumaciter obluctentur : Asianos si quidem à communione catholicæ Ecclesiæ *abscindere* conatus sit S. Victor Romanus pontifex ; quicumque illum deterruerunt episcopi ab inferendâ Ecclesiis Asianis excommunicatione, vel eâdem executioni mandandâ, illi eo nitebantur principio, quòd à charitate et regiminis Ecclesiastici moderatione alienum esse videretur, integras Ecclesias eamdem cum reliquis fidem profitentes, à communione fidelium, meram ob diversitatem consuetudinis excludere; idem et vehementius conquerebantur Asiani : quâ disceptandi et agendi ratione, nonne demonstratur orbis Christiani omnes episcopos consensisse in confitendum, ab unitate Ecclesiæ Catholicæ disjungi posse ac debere potiori jure, quicumque vel unum dogma fidei sigillo consignatum labefacere pertinaciter attentaverint, etiamsi inter illa minimè repositum, quæ tolerantes *fundamentalia* nuncupant.

De facto S. Cypriani.

Objicies : Neminem latet quo animorum æstu baptismum à quibuscumque hæreticis collatum respuerint episcopi multi tum Africani, tum Asiatici, quos inter eminebant SS. Cyprianus et Firmilianus ; eorum conatibus restitit pro viribus Romanus pontifex S. Stephanus : ipsis omnibus ahæneum veluti murum opposuit illud effatum : *Nihil innovetur nisi quod traditum est.* Quæstio illa in earum refertur numerum quæ dogmaticæ vocantur : opinioni suæ constanter inhæserunt SS. Cyprianus et Firmilianus : quos quidem, à communione fidelium et viâ salutis alienos si habuisset Ecclesia, eosdem non duxisset sanctorum albo, ut cœlestis compotes beatitudinis inscribendos. Possunt igitur inter viva Ecclesiæ membra illi etiam adscribi, qui dogmaticis in quæstionibus Romanæ sedis judicio diremptis, et anathemate interjecto sanctis, errorem sectati obfirmato fuerint animo, eumdemque fidelibus quantùm in ipsis, ingerere conati.

Resp. 1° : Spectare ad ipsum dogma fatemur motam olim de baptismo hæreticorum controversiam : at simul constat eam nondùm tunc fuisse Ecclesiæ catholicæ auctoritate dijudicatam et definitam. Audiatur S. Augustinus tantopere tantâque sagacitate eâ in quæstione debellandis Donatistis intentus. Non locupletior, non fide dignior testis proferri potest. « Cùm « tanti, inquit, meriti, tantæ Ecclesiæ, tanti pec- « toris, tanti oris, tantæ virtutis episcopus (S. « Cyprianus), aliud de baptismo arbitraretur, « quàm erat diligentiùs inquisita veritas firma- « tura, multique ejus collegæ, quamvis nondùm « liquidò manifestatum, id tamen tenerent, « quod præterita Ecclesiæ consuetudo, et pos- « tea totus catholicus orbis amplexus est, non « se ille tamen à cæteris diversa sentientibus, « separatâ communione disjunxit; et hoc etiam « cæteris persuadere non destitit, ut invicem « sufferrent invicem in dilectione, studentes « servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. » (Lib. 1, de Baptismo, cap. 18.) Eodem lib. asserit quòd « aliud alii de istâ quæstione « salvâ pace sentirent, donec universali con-

« cilio unum aliquid eliquatum ; quòd ille vir « sanctus (S. Cyprianus)de baptismo aliter sen- « tiens quàm se res habebat, quæ postea pertrac- « tata et diligentissimâ consideratione firmata « est, in catholicâ unitate permansit, et cha- « ritatis ubertate compensatum est et passionis « falce purgatum. » (Lib. 1, de Baptismo, cap. 18.) « Nondùm erat diligenter illa baptismi quæstio « pertractata, sed tamen saluberrimam consue- « tudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque « schismaticis et hæreticis corrigere quod pra- « vum est, non iterare quod datum est. » Ibid. cap. 29.

Disertissimis illis S. Augustini testimoniis evincitur, tempore S. Cypriani nondùm fuisse *liquidò manifestatum, eliquatum* quid de baptismate hæreticorum sentire ad tutandum fidei depositum oporteret ; *nondùm erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata;* nondùm ergo in hæreticis numerabantur, nec tunc numerandi, qui spurium et nullum dicerent administratum ab hæreticis baptismum. « Consuetudinis ro- « bore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola « opponebatur inducere volentibus novitatem, « quia non poterant apprehendere veritatem : « postea tamen dùm inter multos ex utrâque « parte tractatur et quæritur, non solùm in- « venta est, sed etiam ad plenarii concilii auc- « toritatem roburque perducta. » Ibid. lib. 2, cap. 8. Negantibus igitur valere præstitum ab hæreticis baptisma, nullum tum objiciebatur universalis Ecclesiæ dogmaticum decretum : obtendebatur quidem veneranda et inveterata consuetudo, sed cui obsistendum putabant convocatis conciliis numerosæ Ecclesiæ, quibus præsidebant commendandi tum pietate, tum eruditione episcopi ; momentis suis dùm librata expendebatur quæstio, nondùm ad explicitam et claram Ecclesiæ universalis definitionem adducta, non hæreticis, non schismaticis accensebantur rebaptizantes.

2° Nec ipse illos à communione suâ dejecit S. Stephanus ; excommunicationis minas tantummodò intentavit. Istud indicat ipse S. Cyprianus, dùm summum illum pontificem, exprobrantis animo ita compellat : « Dat honorem « Deo, qui hæreticorum amicus et inimicus « Christianorum, sacerdotes Dei, veritatem « Christi, et Ecclesiæ unitatem tuentes, absti- « nendos putat. » Non solùm *abstinendos*, sed planè à consortio fidelium abstractos dixisset S. Cyprianus, si reipsà fuisset excommunicatus : id enim ad vituperandam S. Stephani agendi rationem conferre multò magis videbatur (Epist. ad Pompeianum, inter Cyprianas 74). Non semotum fuisse à communione adversantium sibi præsulum S. Cyprianum testatur his verbis S. Hieronymus : « In communione eo- « rum permansit, qui sententiæ suæ contra- « ierant. » (Dialogo contra Luciferianos, tomo 4 operum S. Hieronymi.)

Idem multoties declarat S. Augustinus : « Ecce, inquit, duo erant, ut de aliis taceam « qui diversa sentiebant, eminentissimarum « Ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginen- « sis episcopi, Stephanus et Cyprianus, ambo « in unitate catholicâ constituti ; multi cum illo, « pauci cum isto etiam sentiebant, utrique cum « eis in unitate consistentes. » (Lib. de unico Baptismo, contra Petilianum, cap. 14.) Quamvis commotiùs, sed fraternè tamen indignarentur, (SS. Stephanus et Cyprianus) « vicit tamen « pax in cordibus eorum, ut in tali disceptа- « tione, nullum inter eos schismatis malum ori- « retur. » (Lib. 5, contra Donatistas, cap. 25.) Citato jam loco contra Petilianum causam pandit propter quam inter illos steterit unitas communionis : « Hoc facit sanitas pacis, ut cùm « diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, et prop- « ter inveniendi difficultatem, diversas pariunt « in fraternâ disceptatione sententias, donec « ad verum liquidum perveniatur, vinculum « permaneat unitatis, ne in parte præcisâ re- « maneat insanabile vulnus erroris. » Epist. ad Xistum Romanum pontificem secundâ de Baptismo hæc refert Dionysius Alexandrinus de Stephano, cujus in locum successerat Xistus. « Antea quidem litteras scripserat de Heleno « et de Firmiliano, de omnibus denique sacer- « dotibus per Ciliciam, Cappadociam cunctas- « que finitimas provincias constitutis, sese ob « eam causam ab illorum communione discес- « surum, quòd hæreticos rebaptizarent. » (Euseb. Hist. ecclesiast. lib. 7, cap. 5.)

3° Quæ tempore S. Cypriani, controversia, tantâ contentione versata est, ea ipsa perspicuum nobis subministrat de necessitate communionis individuæ testimonium ; apud omnes de baptismo hæreticorum dissentientes, id erat concessum et inconcussum, jacere alienos et à communione ecclesiasticâ, et ab æternâ salute hæreticos. Eo illos nomine, hoc est, quia unitati Ecclesiæ repugnantes, vero defraudari baptismate asserunt SS. Cyprianus et Firmilianus eisdemque assentientes episcopi. « Si id- « circò, ait S. Cyprianus, apud hæreticos Ec- « clesia non est, quia una est et dividi non « potest, et si ideò illic Spiritus sanctus non est,

« quia unus et esse apud profanos et extraneos « non potest, utique et baptisma, quod in eâ- « dem unitate consistit, esse apud hæreticos « non potest, quia separari neque ab Ecclesiâ, « neque à Spiritu sancto potest. » (Epist. ad Pompeianum.)

« Cùm nobis et hæreticis, ait S. Firmilianus, « nec Deus unus sit, nec Dominus unus, nec « una Ecclesia, nec fides una, sed nec unus « spiritus, aut corpus unum, manifestum est, « nec baptisma nobis et hæreticis commune « esse posse, quibus nihil est omninò commune. » (Epist. ad S. Cyprianum contra Epist. Stephani.)

Legantur subscriptiones episcoporum qui tertiam in synodum Carthaginensem convenerant; eodem nituntur principio ad rebaptizandos hæreticos. Sic, v. g., Cæcilius à Bilta : « Ego « unum baptisma in Ecclesiâ solâ scio, et extra « Ecclesiam nullum ; non apud hæreticos, ubi « spes nulla est. » Sic Crescens à Cirta : « Cen- « seo omnes hæreticos sive schismaticos qui ad « catholicam Ecclesiam voluerint venire, non « ante ingredi, nisi exorcizati et baptizati fue- « rint. » Hæreticos ergo schismaticos communione Ecclesiæ carere, atque extra viam salutis vagari persuasum habebant pariter et rebaptizantes, et Stephanus cum omnibus qui veram tenerent de baptismo, quam tuebatur doctrinam. Ponderentur hæc verba : « Si quis à « quâcumque hæresi venerit ad nos, nihil in- « novetur nisi quod traditum est, ut manus ei « imponatur ad pœnitentiam. » Credebatur ergo interclusum quibuslibet hæreticis ad salutem aditum, qui reserandus esset imponendis manibus ad pœnitentiam.

Inst. 1° : Dictum est intra minas excommunicationis hæsisse S. Stephanum ; ut quid igitur de vibrato anathematis fulmine abruptâque unitate conqueritur his verbis S. Cyprianus : « Præcepit (Stephanus) nihil innovari nisi quod « traditum est, quasi innovet qui unitatem te- « nens, unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat, « et non ille utique, qui unitatis oblitus, « mendacia et contagia profanæ tinctionis usur- « pat ? » Idem reperire est in concilio tertio Carthaginensi : « Superest ut de hâc ipsâ re « quid sentiamus proferamus, neminem judi- « cantes, aut à jure communionis aliquem, si « diversum senserit, amoventes : neque enim « quemquam nostrûm episcopum se episco- « porum constituit, aut tyrannico terrore, « ad obsequendi necessitatem collegas suos adi- « git. » Eâ præmonendi ratione haud obscurè significatur, non comminatum duntaxat, sed reverà protulisse sententiam Stephanum, quâ voluerit ab unitate Ecclesiæ segregatos, qui baptizari ab hæreticis validè non posse judicaverint.

Resp. : Hæc verba in priori testimonio relata, *unitatis oblitus*, revocantur ad unitatem non communionis, sed baptismi. Redarguit S. Stephanum S. Cyprianus, quasi unum esse baptisma ille negaverit, dùm ab hæreticis non conferri verum baptisma declaravit. Hanc esse genuinam objecti testimonii interpretationem fatebitur, quisquis animadvertendum curaverit non hìc increpari à S. Cypriano, Stephanum, propter latam aut saltem intentatam ab ipso excommunicationem, sed propter usurpata (ut verbis S. Cypriani utamur), *profanæ tinctionis contagia*, seu pro rato habitum hæreticorum baptisma. Alterum verò testimonium mox adductum, non gravius facessit negotium : tametsi enim solas excommunicationis minas proposuerit S. Stephanus, cùm ad inferendam non obsequentibus pœnam, ille paratum sese exhibeat qui eamdem comminatus sit, id satis esse putavit S. Cyprianus ut diceret : « Su- « perest, ut quid singuli sentiamus, proferamus, « neminem judicantes, aut à jure communionis « aliquem, si diversum senserit, amoventes. » Profitetur nolle se cuiquam diversa sentienti communionem adimere, quod quidem dicere de illo potuit, qui excommunicationem fuerit minatus, licet idem pœnam hanc non irrogaverit; præterea de injecto *terrore* quo ad obsequendi necessitatem adigantur rebaptizantes, conquestus est S. Cyprianus : terror ille ad excommunicationis minas potiùs quàm ad excommunicationem jam latam ex semetipso refertur.

Inst. 2° : Epist. ad S. Cyprianum, contra epist. S. Stephani, Romanum hunc pontificem sic compellat S. Firmilianus : « Lites et dis- « sensiones quantas parâsti per Ecclesias totius « mundi ! Peccatum verò quàm magnum tibi « exaggerâsti, quando te à tot gregibus scidisti ! « Excidisti enim te ipsum, noli te fallere. » Deindè affirmat, tam acerbè fuisse à Stephano exceptos Africanorum legatos « ut eos nec ad « sermonem communis saltem eloquii admit- « teret; tum etiam ut præciperet fraternitati « universæ, ne quis eos in domum suam reci- « peret, ut venientibus non solùm pax et com- « munio, sed et tectum et hospitium nega- « retur. »

Resp. : Quæ hâc in epistolâ funduntur et

aggeruntur in S. Stephanum convicia, expositæ mox narrationi detrahunt fidem, quæ procul dubio pœnitentiâ et charitate diluenda curavit S. Firmilianus : obruendâ penitùs silentio viderentur, nisi elevandi ipsius hoc in negotio testimonii necessitas cogeret : conflare Stephano invidiam conatur, tanquàm *schismatico, ab unitate ecclesiasticâ apostatæ, ab omnium* abstinenti communione, cum disseminatis *per totum mundum* episcopis dissentienti, pacem *cum singulis varîo discordiæ genere rumpenti, apertæ et manifestæ stultitiæ convicto, perfidiâ et proditione* Judam æmulanti, *omnibus pejori hæreticis, pseudo-Christo, pseudo-Apostolo, dolosoque operario.* Quis non intelligat ab animo tunc impotenti ac præcipiti, inflammato iracundiâ, tot contumelias et opprobria proficisci ? Non ergo mirandum, qui sic affectus tum fuerit, illum verba et facta S. Stephani exaggerâsse ultra modum, minas excommunicationis pro ipsâmet excommunicatione imprudenter habuisse, id expertum quod homini turbatis oculis diversa conspicienti solet obtingere, ementitâ nimirùm illa sub specie apparere ; auscultandum potiùs SS. Augustini, Hieronymi, Dionysii, pacatâ nec præoccupatâ mente disserentium testimoniis aliisque monumentis quæ S. Stephanum inter et S. Cyprianum indivulsam permansisse testantur unitatis ecclesiasticæ communionem.

De facto S. Meletii.

Objicies : Antiochenam ad sedem ab Arianis promotus fuerat Meletius Sebastanus episcopus : sublimem hunc locum jam obtinebat Paulinus sanctitatis famâ commendandus : non potitus est Meletius Damasi Romani pontificis communione, quam retinendæ unitati ecclesiasticæ necessariam judicant Catholici Romani : hinc ad Damasum ita scribebat S. Hieronymus : *Non novi Vitalem, Meletium respuo.* Quin etiam hæreseos eumdem non obscurè insimulavit idem S. doctor in Chronico : « Synodus Antiochiæ à Meletio et suis facta, in quâ homousio « (consubstantiali) anomæoque rejecto, medium « inter hæc, homoiousion (naturâ simile) Macedonianum dogma vindicârunt. » Quis tamen audeat magnum hunc Meletium sanctorum catalogo inscriptum, tamque splendidum christianæ præsertim mansuetudinis exemplar, ab Ecclesiæ sinu ablegatum, atque extra viam salutis constitutum suspicari? Ergo schismaticos potest Ecclesia catholica sinu suo complecti.

Resp. : Hic paucis enarrandum Antiochenæ schisma Ecclesiæ : translato à sede Antiochenâ ad Constantinopolitanam Eudoxo, in subrogandum illi Meletium consenserunt anno 360 cum Arianis pars maxima Catholicorum : electionem ejus improbârunt Eustatiani, quia electus esset suffragantibus ipsis Nicænæ fidei infensissimis hostibus. Arianorum spem ac vota cùm apertè fefellisset Meletius propugnandâ strenuè coram imperatore Constantio Christi divinitate, in exilium amandatus est, atque in hujus locum suffectus Arianæ impietatis tenacissimus Euzoius ; tum Meletii communionem Eustatianis, Euzoii verò omnibus catholicis refugientibus, Antiochenum in episcopatum temerè ordinavit Paulinum (sanctissimum licet virum), Lucifer Calaritanus antistes ; hinc obfirmatum schisma, quod ut dimoveretur, hoc proposuit ineundumque curavit pactum cum Paulino Meletius, Antiochenam ut Ecclesiam communi consilio moderarentur, atque alterutro vitâ functo, qui superstes foret, solus ille, nullo adscito in consortium, sedem hanc obtineret : utroque tamen mortuo non statim extinctum fuit schisma, cujus ulterior expositio ad institutum nostrum non attinet. Jam vindicare à schismatis labe Meletium ardui laboris non est. Abs re non erit præmittere nullâ unquàm excommunicatione à Damaso Romano pontifice, nullâ unquàm ab occidentalibus episcopis, nec ab ipso Paulino, nedùm à Catholicis Orientalibus perculsum illum fuisse. Non eâ privatus est Romani pontificis communione, quæ constituendis Ecclesiæ membris habeatur necessaria, sed aliâ illîs notissimâ temporibus, quæ ab illâ quam admit major excommunicatio, longè distinguitur. Ea, ut rectè observat Honoratus Tournely, quatuor ferè capitibus, inter coepiscopos continebatur : mutuâ visitatione, solemnium celebratione in collegarum diœcesi, mutuâ litterarum quæ formatæ et commendatitiæ dicebantur, missione et acceptatione, suffragiis denique et consessu in conciliis. Inde servatis servandis, et habitâ ratione primatûs, colligi potest, in quo sita esset Romani pontificis cum Ecclesiæ catholicæ episcopi ea communio, quæ episcopalis nuncuparetur.

Sedem Antiochenam non invaserat, non ambierat, Meletius pacis semper amantissimus : hanc eâ mente conscenderat, ne fortè si renueret, Arianus, qui gregem tanquàm lupus discerperet, intruderetur episcopus. *Ex ignorantiâ veritatis*, seu modi quo et affectus et electus fuerit Meletius, episcopatu illum abdicandum Occidentales judicârunt, *virum Dei*

admirabilem, ait S. Basilius, Epist. 349. Cæterùm divulgatâ pactione quam dissipando dissensionum fomiti Meletius inierat cum Paulino, nullum jam apparuit denegatæ ipsi à Romano pontifice communionis vestigium, nec ullo modo vocatus est deinceps in suspicionem arianismi, à quo semper abhorruit. Suppetunt inconcussa celeberrimorum inter Orientales episcopos testimonia, quibus abundè constat, quantùm et catholicæ addictus fidei, et à schismate alienus esset. S. Basilius Magnus, laudato impensè Meletio propter defensam invicto animo Nicænam fidem, subjungit, Epist. ad S. Epiphanium : « Ad hunc usque « diem in communione habemus illum per Dei « gratiam, et si Dominus dederit, sumus habituri, quin et Papa (commune hoc erat « episcopis nomen), beatissimæ memoriæ, « Athanasius, Alexandriâ profectus, in votis « habebat communionem cum ipso inire, sed « vafris nonnullorum consiliis actum est, ut « in aliud tempus distulerit hanc unionem. » Habitâ in ejusdem funere facundâ oratione, hoc inter cætera de illo testimonium perhibuit S. Gregorius Nyssenus : « Auxit nobis numerum Apostolorum, novus apostolus, qui « cooptatus est in ordinem Apostolorum : traxerunt enim sancti ad se moribus consimilem, athletam, athletæ coronatum, coronati, « animo castum, corde puri, præconem ser« monis, ministri sermonis. » Providente Deo factum esse testatur S. Chrysostomus, ut Constantinopolim advenerit S. Meletius quo tempore haberetur secundum generale concilium, « ut qui erant ubique terrarum episcopi, « tanquàm archetypum exemplar illius sanctitatem intuiti, sui in hoc munere officii cer« tissimam regulam haberent, quemadmodùm « oporteret administrare et regere Ecclesias. » Homil. 47. Quo studio arderet tutandæ fidei declarat exilium duplex quod honorificâ eâ de causâ passus est. Jubente scilicet imperatore minorem in Armeniam ejectus, at inde revocatus à Juliano apostatâ, qui exulibus episcopis proprias in sedes reditum concesserat, rursùs postea exilio mulctatus fuit à Valente, Catholico primùm, Ariano deindè principe cui Arianas in partes trahere ipsum adnitenti constantissimè restiterat. Quantùm verò schismati repugnaret, patet ex dictis, et planum faceret vel sola illa pactio inita cum Paulino, quam ita commemorat Theodoretus, Hist. ecclesiast. lib. 5, cap. 3 :

« Meletius vir omnium mortalium mitissimus, amanter simul ac leniter Paulinum his « verbis compellavit : Quandoquidem harum « ovium et mihi Dominus ipse curam commisit, et tu aliarum curam suscepisti, ovesque « inter se in religione consentiunt, jungamus « greges amicè, et contentionem de primatu « deponamus : gregemque in commune pascentes, communem eis curam ex æquo impendamus. Quòd si cathedra in medio posita « contentionem facit, eam ego auferre conabor ; posito enim super illâ Evangeliorum « libro, nos ex utrâque parte sedeamus : ac si « quidem ego prior ex hâc vitâ discessero, tu « solus, ô amice, præsulatum totius gregis « obtine : si verò id tibi priùs contigerit, tum « ego, prout potero, gregis curam geram. Et « divinus quidem Meletius amanter et placidus « ista dicebat, Paulinus verò conditionem « oblatam accipere noluit. » Quid ergo respondendum objecto S. Hieronymi testimonio ? Falsis deceptus rumoribus, immeritò scripsit repudiatam esse Antiochenâ in synodo, à Meletio aliisque ipsi adhærentibus episcopis vocem *homousion*. Symbolum quippe Nicænum expressè professi sunt, et vocem illam libello inseruerunt quem Joviniano imperatori obtulêre, suis obsignatum subscriptionibus. « Ne, « inquiunt, in eorum numero qui doctrinam « veritatis adulterare student, habeamur, vi« sum est religioni tuæ significare, quòd fidem « concilii jam olim Nicææ congregati, et ap« probemus et teneamus : quandoquidem vo« cabulum *consubstantialis*, quod quibusdam « videtur novum et insolens, est probè à Pa« tribus, ac tutâ interpretatione explanatum, « ita ut significet Filium ex Patris substantiâ « genitum esse, et similem esse Patri secundùm « substantiam. » Socratis Hist. Eccles. lib. 3, c. 25. Falsò quoque præjudicaretur vocem ὁμοιούσιον, ex se ipsâ cum dogmate Macedoniano esse indivulsè conjunctam : ea vox variè usurpata est, modò in catholicum, modò erroneum in sensum adducta. Qui vocem ὁμούσιον rejicerent, et voce ὁμοιούσιον, uterentur, non eo solo nomine illos esse erroris incusandos testatur apertè S. Athanasius, lib. de Synodis. « Adversùs eos, ait, qui omnia synodis scripta reci« piunt, de solo autem consubstantiali ambi« gunt, non ut adversùs inimicos affici nos « decet. » Et iterùm : « Ut fratres cum fratri« bus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem « sit sententia, controversia autem de verbis. » Idem sentiebat S. Hilarius : « Caret, fratres, « inquit, similitudo naturæ suspicione con-

« tumeliæ : nec potest videri Filius idcircò in « proprietate naturæ non esse, quia similis « est, cùm similitudo nulla sit, nisi ex æquali- « tate naturæ (Patrem inter et Filium); æqua- « litas autem naturæ non potest esse, nisi una « sit. »

De facto Euphemii et Macedonii.

Objic. : Negari non potest vera inter ac viva Ecclesiæ catholicæ membra meritò recenseri Euphemium et Macedonium viros insigni pietate præditos, quorum unus in sanctorum numerum relatus est ab Ecclesiâ Græcâ, alter ab Ecclesiâ tum Græcâ, tum Latinâ, eumdem in ordinem tot jam à seculis adscriptus est. Attamen Ecclesiæ Romanæ communione ad mortem usque caruerunt. Obstinato schismate, dehortantibus licet et increpantibus Romanis pontificibus permanserunt ab illâ disjuncti : noluerunt Acacii communionem deserere, hominis à Romanâ sede justissimè proscripti, manifestisque et gravissimis criminibus obstricti : hæresis enim Eutychianæ acerrimum sectatorem Petrum Moggum, Alexandrinæ sedi, de quâ dejectus fuerat, restituit ; condendi *Henotici*, unde Ecclesiæ plurima incubuerunt mala, auctor extitit : eo jubente detrusi sunt in carcerem, et ad asserendum Petro Moggo episcopatum compulsi per vim, legati quos miserat Felix sanctissimus pontifex, cujus monita annis quinque contempserat : juridicè depositus et excommunicatus, nedùm obtemperaret melioremque ad mentem se reciperet, nomen Felicis, per summam audaciam è sacris dypticis abrasit : sic aggravatum obfirmatumque est schisma, cui consensisse Euphemius et Macedonius hoc ipso censeantur, quòd Acacii tot implicati flagitiis condemnationem obstinatè detrectaverint. Sic indulgebant tam exitioso schismati quo laboravit Constantinopolitana sedes annis fermè triginta quinque ; donec urgente Hormisdâ summo pontifice, sacris è tabulis expunctum fuerit nomen Acacii. Neque ad illos excusandos opponatur eosdem à damnatione Acacii per œconomiam opportunumque condescensum abstinuisse, ne severiùs agendo exacerbarent eorum animos, qui Acacio velificantes, novos instaurandæ paci aggerebant obices : præcludit hæc diverticula ipse Gelasius Papa in responsione ad obtendentem eadem illa Euphemium : « A ca- « tholicâ apostolicâque communione, inquit, ad « hæreticam damnatamque prolapsos vos vi- « detis, cognoscitis, non negatis. Et non solùm « vos in infimis jacere delectat, sed etiam in « superiore manentes sede vultis impelli : con- « descendere nos vobiscum invitatis ad ima de « summis, nos coascendere vos nobiscum ro- « gamus ad summa de imis. » Hinc Hormisdas in rerum agendarum indiculo, quem profecturis Constantinopolim legatis dedit, cùm primùm significavisset, damnandos cum Acacio Euphemium et Macedonium aliosque illius sequaces, rigorem istum eodem in libello sic temperat, ut in Romanæ sedis communionem non esse adsciscendum decernat Joannem Constantinopolitanum tunc episcopum, nisi priùs sacris è dypticis delenda curaverit illorum nomina, qui Acacii communioni adhæserint. Communionis illius participes anathemate fuisse percussos testantur querelis suis Orientales in Epistolâ ad Symmachum Romanum pontificem : « Si propter Alexandrino- « rum, inquiunt, aut magis Eutychianorum « amicitiam, qui aversantur et anathematizant « sanctissimum et beatissimum Papam Leonem, « vel in Chalcedone habitam synodum, anathe- « matizatus est Acacius, quare nos à vobis « æstimamur hæretici, et in anathemate sumus « nos, qui amplectimur solam illam Epistolam, « et quæ dicta sunt in sanctâ synodo? »

Resp. : Ad plenam objectionis solutionem, revocanda est in mentem accurata schismatis definitio ; talis est ea quam exhibet S. Thomas: « Propriè schismatici dicuntur, qui propria « sponte et intentione se ab unitate Ecclesiæ « separant, quæ est unitas principalis. » Quæ autem unitatis illius natura et conditio ? « Ec- « clesiæ unitas in duobus attenditur, scilicet « in connexione membrorum Ecclesiæ ad in- « vicem, seu communicatione, et iterùm in « ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad « unum caput, secundùm illud ad Coloss. 2 : « *Inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput,* « *ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones* « *subministratum et constructum crescit in au-* « *gmentum Dei* : hoc autem caput est ipse Chri- « stus, cujus vicem in Ecclesiâ gerit summus « pontifex, et ideò schismatici dicuntur, qui « subesse renuunt summo pontifici, et qui « membris Ecclesiæ ei subjectis communionem « recusant. » Secundâ secundæ quæst. 39, art. 1, in c. At subesse summo pontifici nedùm renuerent Euphemius et Macedonius, vel servandam cum veris Ecclesiæ membris communionem refugerent, nihil habuerunt antiquius, quàm ut sese apostolicæ devotos sedi, et fidelium gregi sincerâ charitate devinctos

comprobarent. « Euphemius simul atque epi-« scopatum iniit, nihil moratus, suis ipse « manibus in sacris tabulis nomen Moggi ex-« punxit, et Felicis appellationem reposuit, « atque in sacro suggestu confidens, synodales « more recepto epistolas Romam ad Felicem « dedit : porrò Papa scripta quidem illius re-« cepit, et Euphemio veluti orthodoxo favit ; « sed illum in episcopalem communionem non « admisit, propterea quòd Acacii et Flavitæ « nomen de sacro libro non deduxisset. » Ita Nicephorus, Hist. lib. 16, c. 19. Suscepisse à Papâ Romano scripta Euphemium testatus est quoque Liberatus, Breviarii cap. 18. Ad illum tanquàm ad fratrem scripsit Gelasius Papa : *Dilectissimo fratri Euphemio, Gelasius.* Eâdem in causâ versabatur Macedonius : eamdem testificatus est summum in pontificem reverentiam. Hinc Anastasio imperatori, ipsum ad rejiciendam synodum Chalcedonensem sollicitanti respondit : « Nihil se facturum absque « universali synodo cui Romanus episcopus « præsideret. » Theodorus Lector, lib. 2 Hist.

Episcopali quidem communione, (quam descripsimus ubi de facto Meletii) orbati fuerunt apud Romanam sedem Euphemius et Macedonius, eâ tamen non sunt destituti quâ cæteri fideles perfruuntur; illis neque viventibus, neque defunctis ullum anathema inflixit Gelasius, vel Hormisdas, vel Symmachus : illos inter et Acacium maximum est institutum discrimen : in ipso libello quem destinatis ad Constantinopolitanam Ecclesiam legatis præbuit Hormisdas, jubet anathematizari Acacium, *abrasis de dypticorum inscriptione eorum vocabulis,* qui communionem Acacii secuti fuerant, ac proindè Euphemii et Macedonii nominibus : at longé aliud est in dypticis non appellari, quod instar privilegii habetur, aliud ab unitate Ecclesiæ, et fidelium communione abscindi. Quin etiam restitutis, postulante instanter Constantinopolitanâ plebe, sacrâ in dypticâ nominibus Euphemii et Macedonii, optatæ illi restitutioni suffragata est Constantinopolitana synodus quæ sub Mennâ Patriarchâ Constantin. habita est anno 536, imperante Justiniano. Cui synodo non solùm Antiochenæ et Hierosolymitanæ, sed etiam Romanæ sedis legati cum spectatissimis Orientis metropolitanis aderant. Schismaticorum memoriam adeò commendatam noluisset, qui concilio præfuit Mennas, de quo honorificum istud testimonium perhibuit ipse Agapetus summus pontifex : « Qui alicui neque scientiâ neque vitâ fuit « ignotus, sed et fidei integritate et sacrarum « Scripturarum studio, atque etiam piæ admi-« nistrationis studio sic ejus fama resplenduit, « ut ipsi tardiùs venire videretur (patriar-« chatus), quo dignus habitus erat. » Suam necnon in communionem admisit Hormisdas episcopos et clericos Ponti, Asiæ, Palæstinæ, totiusque Antiocheni patriarchatûs, quamvis Euphemii et Macedonii nomina sacris in dypticis obfirmatè retinuerint. Eisdem Euphemio et Macedonio commendationis multùm ad propulsandum ab eis crimen schismatis, accedit ex constanti communione quâ sibi conjunctos habuerunt præstantissimos sanctitate viros, S. Flavianum Antiochenum episcopum, S. Eliam Jerosolymitanum, S. Sabam, S. Theodosium aliosque celeberrimos pietate in Palæstinâ monachos : probatio tamen ista, quod adnotandum est, licet gravis esse momenti nobis videatur, haud tamen arbitramur, ad unitatem catholicam, ex se ipsâ sufficere *mediatam* cum Romanâ sede communionem, *immediatam* ex se, et directè necessariam esse credimus. Eò collineant monumenta ecclesiastica omnia quibus centrum esse unitatis catholicæ Romanam sedem demonstrabimus : causæ nihilominùs Euphemii et Macedonii magnoperè patrocinatur ea quam semper obtinuerunt communio cum sanctissimis viris, arctissimumque eorumdem consortium, qui profectò non consensissent in tantam, eamque publicam et constantissimam cum schismaticis et ab Ecclesiâ catholicâ exulantibus necessitudinem.

Quare igitur, inquies, obstinatè recusaverunt Euphemius et Macedonius Romanis obsequi pontificibus, qui anathematizari Acacium ejusque nomen è sacris expungi dypticis tam instanter jusserant?—Resp. : Hanc sibi tenendam agendi rationem putaverunt, ne irritarentur ultra modum animi ad schisma jam propensi : verebantur ne magis ac magis exulcerati jugum omne auctoritatis ecclesiasticæ tandem excuterent; fore autem sperabant opportuno ut condescensu deliniti paulatim defervescerent, pleno assuescerent obsequio, et Romanæ sedi exosam communionem (Acacii) mutatis rerum adjunctis, feliciter abdicarent : interpositâ igitur morâ nominis illius sacris è dypticis expungendi, existimabant non reipsà, licet specie tenùs, violari jussa Romanorum pontificum, qui extrema Orientalibus impendentia Ecclesiis mala si potuissent propiùs conspicari, hanc approbarent Ecclesiæ bono

consulentem œconomiam. Nihil verò occurrebat quo malæ fidei redargui possent Euphemius et Macedonius : testabantur pro viribus, sincerum quo ardebant studium resarciendæ cum Apostolicâ sede, perfectæ communionis; inconcussam sedis illius fidem, sancti Leonis eximiâ consignatam Epistolâ, et Chalcedonensis concilii decretis solemniter confirmatam, tam strenuè tuebantur, ut in exilium ab imperatore Anastasio uterque amandatus fuerit, propter invictam hanc in fide constantiam. Quod autem objicitur, episcopos Orientales in Epistolâ ad Symmachum Papam conqueri sese *hæreticos æstimari, et esse in anathemate*, querelis illis non significatur anathemate propriè dicto, seu majori excommunicatione illos fuisse mulctatos, neque illis inustam hæresis notam : sed, ut observat Natalis Alexander, eò loci indicatur minoris quoddam excommunicationis genus, *quâ nec ab Ecclesiæ corpore segregati*, nec extra salutis statum positi erant, sed honoribus nonnullis duntaxat et appendicibus ecclesiasticæ communionis privati, nimirùm epistolis formatis, et synodicis, missione legatorum, etc. Conqueruntur ergo Orientales illi de nimio, ut putabant, rigore sedis Apostolicæ, quasi judicaret illos esse hæresi Eutychianæ deditos, licet palam et constanter addictos sese profiterentur S. Leonis Epistolæ, et Chalcedonensi synodo, atque idcircò ab Eutychianis cum Romanâ sede anathematizarentur. Propositâ in objectione nihil est, quod adductâ gestorum serie non diluatur : responsionis summa hæc est, non hæresis, non schismatis notam incurrisse Euphemium aut Macedonium; non anathemate confixos, licet quodam episcopali communionis genere privatos : nedùm ab unitate catholicâ desciscerent, nihil intentatum eos reliquisse, ut plenam et perfectam obtinerent Romanâ cum sede communionem : non fovendæ dissensionis, sed conciliandæ potiùs pacis studio abstinuisse à delendo sacris è dypticis nomine Acacii, veritos ne exasperati excandescerent impotentiùs animi.

De magno schismate occidentali.

Post obitum Gregorii XI, qui translatam jampridem in Gallias sedem Apostolicam urbi Romæ restituerat, summum ad pontificatum evectus est Barensis archiepiscopus, qui Urbani VI nomen assumpsit : severitatem ejus ferre cùm non valerent cardinales, atque ad ipsum eligendum, fuisse per vim sese compulsos et adactos, conclamarent, Robertum ei suffecerunt Gebennensis comitis fratrem, qui Clemens VII appellari voluit : Urbano Romæ successit Bonifacius IX, Bonifacio Innocentius VII, Innocentio Gregorius XII; Clementi autem VII, qui Avenione sedebat, successit Petrus de Luna, Benedicti XIII nuncupatus nomine, qui supremo ne loco cederet, pertinaciter ad extremum usque spiritum obluctatus est. Ex eo tam diuturno schismate patrocinium sibi accersere soliti sunt defensores tolerantismi. Itaque sic objicies : Illis certè temporibus scindebatur duas in partes tota Occidentis Ecclesia : collidebantur invicem discordiâ æstuante qui alterutrius dubii pontificis partibus manciparentur : diris devovebant se invicem, quærentes quæ sua sunt, illi competitores; mutua hæc inter anathemata, atque invalescente misero quo christianæ tot gentes tamdiù conflictarentur, schismate, quo pacto servari potuerit unitas Ecclesiæ catholicæ, nisi dixeris, ut placet tolerantistai patronis, immotam consistere necessariam membris Ecclesiæ unitatem, dummodò retineatur id quod vocitant *fundamentum fidei?*

Resp. : Luctuosis illis temporibus sic erat intricata de vero pontifice dignoscendo controversia, antequàm universalis eam Ecclesia dirimeret, ut in eo dijudicando facto potuerint tutâ conscientiâ, et absque labe schismatis aberrare particulares Ecclesiæ : hinc in utrâque, ut aiunt, *obedientiâ* versabantur homines tum doctrinâ, tum pietate conspicui : neque ad revocandam pacem discutiendum putârunt Pisana et Constantiensis synodus, quem ex contendentibus habèri oporteret legitimum Ecclesiæ pastorem; at jusserunt ut singuli, summâ quam sibi attribuebant dignitate, sese quantùm opus esset, abdicarent, eorumque in locum elegerunt Alexandrum V Pisana synodus, Constantiensis verò Martinum V, deposito Joanne XXIII, qui Alexandro V successerat. Hanc pro suo jure, tanquàm expeditam magis certioremque viam Ecclesia catholica sibi præstituit. Nullius momenti erant anathemata quæ mutuò ab incertis pontificibus vibrarentur : solos enim reos percellere potest excommunicatio; inculpatè autem dubitabatur de auctoritate verè dubiâ : præterea, qui uni ex dubiis pontificibus bonâ fide obsequebantur, latæ ab altero excommunicationi parere non tenebantur, nisi hæc eadem excommunicatio certam faceret excommunicantis auctoritatem, id quod per se ipsam præstare non poterat. Quapropter exceptis illis qui malevolo incitati animo, vel

privatis indulgentes commodis, fovendo ac protrahendo studerent schismati, aut saltem de illius non curarent exitu, cæteri, neque haberi possunt à catholicâ unitate alieni, neque, quo laborabant, errore facti, à salute capessendâ dimovebantur. In eo consentiebant, ut spontè confiterentur, primatu et honoris et potestatis ecclesiasticæ illum pollere qui Romanus sit verè pontifex ; habebant sincerè in votis, atque enitebantur, ut ex contendentibus, quis eminentissimam hanc obtineret dignitatem, certò demùm innotesceret, animo parati eum statim atque ablatus foret dubitandi locus, palam et obsequenter agnoscere, postposito omni partium studio : hinc eumdem licet non sequerentur pontificem, mentem eamdem gerebant à schismate prorsùs abhorrentem.

De conciliis Constantiensi et Basileensi.

Objicies : Concilii generalis auctoritati subditum esse Romanum pontificem, declaravit expressis verbis œcumenica synodus Constantiensis : ad ipsum autem dogma, non ad meram disciplinam pertinere hanc declarationem, vel levissimè attendentibus compertum est ; eam tamen repellunt ac reprobant, summoque impugnant studio Ultramontani theologi, quos nec acerrimi defensores synodi Constantiensis arbitrantur habendos extorres ab Ecclesiâ ; servatâ igitur Ecclesiæ unitate, deseri atque oppugnari potest ea sententia, quam de potestate concilii generalis Romanum in pontificem, definiendam curavit synodus Constantiensis œcumenica. Operæ pretium est ejusdem concilii decretum saltem exscribere, hâc de causâ editum ac sancitum sessione quintâ : « Hæc « sancta synodus Constantiensis, generale con- « cilium faciens, pro extirpatione ipsius schis- « matis, et unione ac reformatione Ecclesiæ « Dei in capite et in membris ad laudem Dei « omnipotentis, in Spiritu sancto legitimè con- « gregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, « liberiùs, unionem et reformationem Ecclesiæ « Dei, ordinat, definit, decernit et declarat ut « sequitur : et primò quòd ipsa in Spiritu san- « cto legitimè congregata, concilium univer- « sale faciens, et Ecclesiam catholicam repræ- « sentans, potestatem à Christo immediatè « habet, cui quilibet cujuscumque statûs vel « dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire « tenetur in his quæ pertinent ad fidem et « exturpationem dicti schismatis, et reforma- « tionem dictæ Ecclesiæ in capite et mem- « bris. Idem declarat quòd quicumque, cujus- « cumque conditionis, statûs et dignitatis « etiamsi papalis, qui mandatis, statutis seu or- « dinationibus, et præceptis hujus synodi sacræ, « et cujuscumque alterius concilii universalis « legitimè congregati, super præmissis, seu ad « ea pertinentibus factis vel faciendis obedire « contumaciter contempserit, nisi resipuerit, « condignæ pœnitentiæ subjiciatur et debitè « puniatur, etiam ad alia juris remedia, si opus « fuerit, recurrendo. » Tam solemni et expressæ definitioni juvat attexere Declarationis Gallicanæ anni 1682 caput secundum : « Sic « autem inesse Apostolicæ sedi ac Petri suc- « cessoribus, Christi vicariis, rerum spiritua- « lium plenam potestatem, ut simul valeant « atque immota consistant sanctæ œcumenicæ « synodi Constantiensis à sede Apostolicâ « comprobata, ipsoque Romanorum pontificum « ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab « Ecclesiâ Gallicanâ perpetuâ religione custo- « dita decreta de auctoritate conciliorum ge- « neralium, quæ sessione quartâ et quintâ « continentur, nec probari à Gallicanâ Eccle- « siâ qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint « auctoritatis, ac minùs approbatæ, robur « infringant, aut ad solum schismatis tempus « concilii dicta detorqueant. » Persuasum igitur habet Gallicana Ecclesia, decretis sessionum quartæ et quintæ concilii Constantiensis nihil deesse ad irreformabilem Ecclesiæ universalis dogmaticam determinationem ac definitionem, cui tamen internum et externum obsequium detrectantes Ecclesias, hæresis aut schismatis non posset insimulare, ipsam præsertim Romanam Ecclesiam, nisi vellet hujusmodi notas sibimet accersere et imprimere. Concilii Constantiensis decreta de supremâ conciliorum generalium auctoritate, constat fuisse à synodo Basileensi confirmata, sessione secundâ, 15 februarii ann. 1432.

Resp. 1° : Ex decretis concilii Constantiensis extundi nihil potest in defensionem systematis Juriæi : in eo potissimùm illud versatur, aliorumque Protestantium capitalis error, quòd licitum esse velint privatis etiam hominibus decreta conciliorum generalium discutere iisdemque refragari, si fortè privatis illis censoribus videantur à sanâ doctrinâ deviare, quamvis nec de illorum œcumenicitate, nec de genuino eorum sensu addubitent : at generalium Ecclesiæ conciliorum decretis esse obsequendum et inhærendum confitentur ultrò Catholici omnes : quæ enim vertitur Ultra-

montanos inter et Gallicanam Ecclesiam controversia, in eo posita est, utrùm omnibus in sessionibus verè fuerit œcumenicum concilium Constantiense ; utrùm reipsà definitum voluerit illa synodus inferiorem esse concilio generali Romanum pontificem, an etiam talis definitio si prolata fuerit, referatur solummodò ad schismatis tempora : ea nunc expendere singula capita, nostri non est instituti : cujus ratio id unum postulat, ut ostendatur catholicæ unitati, quâ aliis cum Ecclesiis Romanæ sedi adunatis Gallicana conjungitur, diversitatem illam sententiarum non officere. 2° Sunt qui ad elevandam objectionem allatam, diligenter adnotent, relatis in decretis abstineri ab infligendâ vel intentandâ *anathematis pœnâ*, ac ne quidem declarari tenendum esse *secundùm catholicam fidem*, pronuntiatum quod decreta illa exhibeant. Non admodùm satisfacere videtur hæc solutio : reponi enim posset, « neque Apostolos Hierosolymitani « concilii decreto adhibuisse anathematis pœ- « nam, sed ita conclusisse : *A quibus custodien- « tes vos benè agetis :* cæterùm postquàm edi- « xerant : *Visum est Spiritui sancto et nobis*, « satis significatum non sine pœnâ gravi futu- « ros esse eos qui Spiritûs sancti judicium « contempsissent ; ita æstimandum de Con- « stantiensi synodo, postquàm edixit : Hæc « sancta synodus generale concilium faciens, « in Spiritu sancto legitimè congregata, ordi- « nat, decernit, definit et declarat. » Bossuetius, Defens. declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 10, cap. 19. Addi posset ad dirimendam quæ vigebat inter Catholicos controversiam, judicavisse concilium generale, satisfore mentem suam nullo imposito anathemate ostendisse, atque expresso decreto confirmâsse. 3° Numquid igitur inurenda est hæreseos nota tot fidelibus, totque theologis, imò et episcopis, qui palam inficiantur præcellere auctoritate Romano pontifici concilium generale? Absit tam gravis, tamque et charitati et justitiæ inimica imputatio ; quantocumque studio generalis concilii superioritatem tueatur Clerus Gallicanus, *huic sententiæ adversantes, neque perduelles, neque contumaces reputat, priscamque sententiam retinere et declarare contentus, ab omni non modò anathemate, verùm etiam censurâ temperavit, tantamque rem Ecclesiæ catholicæ judicio reservavit.* Ita Bossuetius ibid., disertissimus licet sententiæ Cleri Gallicani patronus.

Neque asperiùs sentiebant tempore concilii Tridentini Gallicanæ præsules Ecclesiæ. « Tametsi enim post Constantienses canones « sententiam suam ad fidem pertinere crede- « rent, simul intelligebant, aliud esse quod « illis videretur, aliud quod toti Ecclesiæ ca- « tholicæ definiendum putarent; quare fovere « pacem et Catholicos omnes charitate com- « plecti æquum arbitrantur : quæ quidem eo- « rum secuti successores, in hâc postremâ « Declaratione (anni 1682), simul et avitam « sententiam Ecclesiæ catholicæ, ac ut quid « jam dicamus amplius, utilem defenderunt, « et ab omni prorsùs censurâ temperârunt. » Defens. declarat. Gallic. parte primâ, lib. 1, cap. 3. De auctoritate, de sensu editorum sessionibus quartâ et quintâ concilii Constantiensis decretorum dissident à Gallis theologi qui dicuntur Ultramontani ; illa etiam fuisse à Florentinâ et Lateranensi synodis antiquata et abrogata prætendunt non pauci, quos sinu suo catholica complectitur Ecclesia ; momentosam illam de potestate concilii generalis supra Papam, vel Papæ supra concilium generale, quæstionem intactam reliquit synodus Tridentina : hinc Pius IV in plenâ quam post illam synodum edidit fidei professione, hæc declarat tantummodò de sede Apostolicâ : « Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ec- « clesiam Romanam, omnium Ecclesiarum « matrem ac magistram agnosco, Romanoque « pontifici beati Petri Apostolorum principis « successori ac Jesu Christi vicario, veram « obedientiam spondeo ac juro. Hâc fide, in- « quit Bossuetius, qui intra Ecclesiam sunt, « ad Ecclesiæ dignitates, ipsasque adeò epi- « scopales cathedras promoventur ; hâc fide « qui extra sunt, ad Ecclesiæ castra revocan- « tur. Hæc verò sunt, addit idem doctissimus « præsul, de quibus nulla inter Catholicos « controversia esse possit. Hâc stante fidei « summâ, cætera quæ deinde incurrunt, jam « non in fide, sed in quæstione sint posita, « inter Catholicos pacifico animo disceptanda : « quare Clerus Gallicanus ea ut sibi certa, ut « Ecclesiæ Gallicanæ familiaria, ut Ecclesiæ « universæ utilia, ut ab ipsâ antiquitate de- « prompta, non ut eâdem fide credenda pro- « ponit. » Defens. declarat. Gallic. part. primâ, lib. 1, cap. 1. Aliud est igitur decretorum Constantiensis concilii veritatem auctoritatemque defendere, quod suo loco, quantùm in nobis erit præstabimus, aliud (quod longè abest à Cleri Gallicani et affectu), velle sentientibus aliter Ecclesiis, violatæ catholicæ

fidei crimen inferre. Id quantùm Gallicana refugeret Ecclesia, nullibi clariùs significantiùsque ostendit illustrissimus Bossuetius, quàm in prævià dissertatione, quam ad vindicandam Galliæ orthodoxiam, summâ curâ intentoque animo elaboravit. Hujus caput sextum magnâ ex parte oculis subjicere, propter rei gravitatem non pigeat :

Sic orditur : « Sanè non latet, quid ecclesiasticæ paci obtenderint, nempe Clerum « Gallicanum, decreto peculiari de fide condito, se ab omnibus aliis gentibus Catholicis « abrupisse. » Quod impactum crimen amolitur ac refellit ex ipsis actis conventûs habiti Parisiis anno 1682. Postquàm retulit hæc verba Cameracensis episcopi de quatuor articulis : *Que l'on ne prétendait pas en faire une décision de foi, mais seulement en adopter l'opinion*, addit : « Quæ probata omnibus, et ad rei « memoriam sempiternam in acta relata sunt, « die junii 19, horâ post meridiem tertiâ, anno « 1682. » Tum pergit : « En perspicuis verbis « Gallicani Patres testantur ac probant, non « eo se animo fuisse, ut decretum de fide con« derent, sed ut *eam opinionem* tanquàm po« tiorem atque *omnium optimam* adoptarent, « opinionem sanè; non, ut eminentissimus « Daguirreus objectabat, *catholicæ doctrinæ for« mulam*, quæ animos *constringeret*. Itaque re« verà ab omni censurâ temperant, nusquàm « fidem ipsam nominant, nemini excommuni« cationem intentandam putant. Legatur de« claratio, verba expendantur, nihil reperietur « quod fidei formulam sapiat. Sanè ab initio « memorantur *Ecclesiæ Gallicanæ decreta;* an « decreta de fide, ad quæ sub animarum peri« culo constringantur? De his ne verbum qui« dem : decreta dixerunt notissimis vocibus ac « latinissimis, priscam et inolitam, id est, con« suetam in his partibus sententiam, non « fidem quâ omnes tenerentur. » Deinde narrat promovendos ad episcopatum Gallos datis ad pontificem maximum litteris, *id verè, id obedientissimè* professos esse. *Mens nempe nostra non fuit quidquam decernere.* Quibus relatis sic tandem prosequitur : « Quod in ipso con« ventu clarâ voce testatos ex gestis vidimus, « nihil nempe decretum quod spectaret ad « fidem, nihil eo animo ut conscientias con« stringeret, aut alterius sententiæ condemna« tionem induceret, id enim nec per somnium « cogitabant. » *Gallia Orthodoxa, prævia dissertatio*, cap. 6, tom. 1, Defens. declarat. Cleri Gallic.

Inst. 1° : Stantibus Gallicanæ Ecclesiæ placitis ac decretis, consequenter asseri potest ad servandam unitatem catholicam, minimè requiri consensionem in omnia fidei dogmata : profitentur enim Gallicani præsules cum aliis, concilio generali repræsentari universalem Ecclesiam, nec posse illæsâ fide repudiari definitam propositamque ab eo doctrinam : porrò definitum expressè à synodo Constantiensi arbitrantur, subditum esse concilii œcumenici summum pontificem : nec tamen ab Ecclesiarum communione semoventur, quæ contraria sentiunt ac propugnant. Ergo, etc.

Resp. : Non eorum nobis probanda videtur responsio, quibus placet, repugnantes concilii Constantiensis decretis de superioritate synodi generalis, ideò duntaxat à catholicâ unitate non dejici, quia memoratæ definitionis exęcutionem non urgeat Ecclesia : præterquàm quòd enim catholici orbis maximæ parti definitionem hanc non profitenti, responsio illa irroget injuriam, quasi nonnisi per condescensum catholicâ communione donarentur tot Ecclesiæ, ipsaque Romana, eas non latet illud decretum : publicam in lucem editum est cum cæteris ejusdem synodi; etiamnùm percelebre, ac diligenter asservatum; dogmatico autem decreto universalis synodi, quod esset sufficienter ad catholicam fidem expressum ac propositum, jure ipso naturali et immutabili, debetur sincerum et integrum obsequium : refragantes quamvis anathemate non percelleret Ecclesia, ipsi tamen à salutis viâ deerrarent, catholicam que tandem pertinaciâ suâ unitatem abscinderent et abscindere meritò censerentur. Alia igitur ineunda est solvendæ objectionis ratio.

1° Universam concilio generali repræsentari Ecclesiam, cum omnibus confitemur Catholicis : ipsum idcircò profitemur, statim atque debitè celebratum est, dignum esse cujus definitionibus omnes sincero animo et absque errandi formidine adhæreant : ita proinde esse adhærendum, modò tamen sufficienter illius œcumenicitas atque decreta proposita sint, necnon res ipsa quæ credenda sit, satis expressè declaretur; porrò Constantiensis synodi decreta quibus definitum est inferiorem esse concilio generali Romanum pontificem, immotâ licet auctoritate valeant, fateri necesse est, vel eorum auctoritatem non eò usque assurgere, vel decretorum illorum doctrinam non ita esse enuntiatam ac propositam, ut tanquàm hæretici aut schismatici habeantur, qui illam inficiantur atque impugnent : pessimè profectò de Gallicanâ

Ecclesiâ mereretur, qui eam velle statueret ut catholicæ fidei jurâ intra Galliæ fines coarctarentur. Nonne tunc invictis ipsa objiceretur telis quæ contorquebant in Donatistas S. Augustinus totque alii insignes unitatis Ecclesiæ patroni? Hinc, teste Bossuetio, ut exposuimus, « perspicuis verbis Gallicani Patres testantur ac probant non eo se animo fuisse, ut decretum de fide conderent, sed ut eam opinionem tanquam potiorem atque omnium optimam adoptarent. » Quæ vox apud Bossuetium idem sonat, quòd sententia decretis fidei non annumerata. 2° Cùm pro certo habeant Gallicani episcopi, concilium Constantiense omnibus in sessionibus esse verè œcumenicum, atque expresso et immoto declaravisse decreto, subjectum esse concilio generali Romanum pontificem, pronum est, ut doctrinam hanc divinitùs esse revelatam, ideòque ad fidem pertinere, ipsis videatur, cùm in auctoritatem Dei revelantis resolvatur divina fides; haud tamen cogitaverunt de infligendâ Ecclesiis aliter sentientibus hæresis notâ, neque voluerunt suam sententiam exhibere tanquam dogma fidei, et quo conscientiæ ex necessitate obstringerentur: « Tametsi enim, ut loquitur Bossuetius, post Constantienses canones sententiam suam ad fidem pertinere crederent, simul intelligebant, aliud esse quod illis videretur, aliud quod toti Ecclesiæ catholicæ definiendum putarent: quare fovere pacem et Catholicos omnes charitate complecti arbitrantur. »

Inst. 2°: Docent Gallicani theologi non solùm definitum esse expressis verbis à concilio Constantiensi sess. quartâ et quintâ, superiùs esse Romano pontifici generale concilium, verùm etiam decretum illud fuisse à Martino V approbatum, et quidem post unionem trium *obedientiarum* (Joannis scilicet XXIII, Gregorii XII et Benedicti XIII, ad ultimum usque spiritum pertinacissimi); quâ ratione potuerit pervulgatum illud decretum Ultramontanis ab Ecclesiis ignorari, aut si cognitum perspectumque illud habuerint, quo pacto possint hæreseos labem effugere stantibus Gallicanorum theologorum assertionibus?

Resp.: Aliud est quod à Gallicanis, quibus sponte adhæremus, propugnatur theologis, aliud est quod catholica tanquàm definitum habeat Ecclesia, ut ex Bossuetii adnotatione colligimus: aliæ præter Gallicanam Ecclesiæ (quæ si contaminarentur hæresi, dilaberetur Ecclesiæ catholicitas), putant vel Constantiensis concilii quartam et quintam sessionem non esse generalis concilii, utpote, inquiunt, ex solâ Joannis XXIII conflatas obedientiâ, vel illarum decretum ad solâ schismatis referendum esse tempora: in hâc responsionis parte potissimùm acquiescunt Ultramontani theologi; hanc adstruere nituntur verbis ipsis quartæ sessionis, in quâ de summo etiam dicitur pontifice: « Obedire tenetur (synodo Constantiensi) in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et membris. » Hùc adducitur testimonium Cardinalis Joannis de Turrecrematâ, qui concilio præsens aderat: « Manifestè patet, inquit, quòd decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de quâlibet synodo, sed de illâ singulariter, pro cujus tempore non erat in Ecclesiâ pastor totius Ecclesiæ indubitatus. » In Summâ de Ecclesiâ, cap. 99.

Si objiciant Gallicani theologi, in secundâ parte decreti sessionis quintæ concilii Constantiensis declarari quemcumque cujuscumque conditionis, status et dignitatis, *etiamsi papalis*, teneri mandatis obedire, et statutis seu ordinationibus sacræ illius synodi, *et cujuscumque alterius concilii universalis legitimè congregati*, respondent Ultramontani verborum illorum significationem aperiri verbis istis quæ immediatè subjiciuntur: *Super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis.* Quænam verò in primâ parte decreti præmittuntur, hæc verba scilicet quæ in quartâ etiam, ut diximus, sessione leguntur: *In his quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem*, etc. Hâc autem restrictione, inquiunt, indicatur dubio duntaxat Papa superius esse concilium generale. Quod autem attinet ad hæc verba sessionis quartæ: *In his quæ pertinent ad fidem*, dicunt hæc esse intelligenda de prolatis adversùs errores Wicleffi et Joannis Hus, etc., decretis: neque ad fidem pertinere concilii generalis auctoritatem in ipsum caput Ecclesiæ. Addunt non aliùm sensum præ se ferre approbantis concilium Constantiense Martini V constitutionem, quâ profitetur sessione ultimâ se velle omnia et singula, « quæ in materiis fidei, per præsens concilium conciliariter, et non alio modo determinata et decreta sunt, tenere et inviolabiliter observare. » Nec prætermittunt constitutionem quam in consistorio generali quod ultimò Constantiæ celebratum est, edidit et promulgandam curavit Martinus V, in quâ

tic pronuntiat : « Nulli fas est à supremo judice, videlicet Apostolicâ sede, seu Romano « pontifice Jesu Christi vicario in terris, appellare, aut illius judicium in causis fidei « declinare : de illâ constitutione loquitur « Gersonius in tractatu cui titulus : Quomodò « et an liceat à summo pontifice appellare. » Hæc summatim et consultò exposuimus, ut licet inconcussa maneant concilii generalis Constantiensis laudata decreta, de quibus multò latius ubi de Romano pontifice, magis ac magis innotescat, quantâ æquitate et sapientiâ cavendum duxerit Gallicana Ecclesia, ne aliarum Ecclesiarum in catholicâ unitate constantiam vocare in suspicionem, vindicandis Constantiensis decreti auctoritate ac sensu videretur.

ARTICULUS II

DE SANCTITATE ROMANÆ ECCLESIÆ.

Hîc, ut patet, intelliguntur omnes etiam Ecclesiæ, Romanæ sedi communione adhærentes.

PROPOSITIO. — *Sancta est Romana Ecclesia, sanctitate illâ quam ostendimus Ecclesiæ Christi esse attribuendam.*

Quam Romanæ Ecclesiæ tanquàm insignem notam et characterem attribuimus sanctitas, postulat 1° ut ejus inter alumnos reperiantur qui verâ pietate venerationem sibi conciliaverint ; 2° ut doctrinam profiteatur cum evangelicâ morum disciplinâ congruentem ; 3° ut certa possit proferre miracula, quæ suis faveant institutis ; 4° (quod omnia complectitur) ut auctore omnis justitiæ Christo, fundatam sese, eodemque sponsore provectam jure ac meritò glorietur. Atqui eorum quæ jam recensuimus, nihil est quod Romanæ Ecclesiæ adscribi non possit ac debeat : ergo, etc.

De sanctorum Romanâ in Ecclesiâ exemplis.

Expositionem hanc auspicari possumus ab ipsis Apostolorum temporibus : legatur caput ultimum Epist. B. Pauli ad Romanos, et attende quot ex illis honorificâ mentione salutandos duxerit, tanquàm evangelicâ virtute nobiles probatissimosque Deo operarios. Annales ecclesiasticos vel raptim percurras : quot et quales occurrent tibi purissimâ succensi charitate, effusoque proprio ad tuendam Evangelii integritatem sanguine delibuti Martyres! Cogita Ignatios, Polycarpos, Justinos, Irenæos aliosque Romanæ addictissimos communioni : hanc etiam procul dubiò tenuerunt Nicænæ synodi, cui per legatos præfuit Romanus pontifex, sanctissimi Patres, quos tantoperè ob invictam obeundis in persecutionibus constantiam colebat Constantinus imperator : quis efferre laudibus non gestiat Alexandrum Alexandriæ episcopum ; Athanasium tunc diaconum, Potamonem, Paphnucium, Spiridionem? etc. Ulteriùs si prosequamur labentis cursum temporis, miraberis lucentes et ardentes Ecclesiæ Romanæ faces, Magnum Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, etc. Proh! quanta his vel nominatis præconiorum seges! Oculos flecte Romanam in sedem : exhibentur tibi, virtutibus, non minùs quàm summâ dignitate, imò et splendidiùs exornati Leo Magnus, Gregorius Magnus, Nicolaus primus, etc. Quot ad æternam memoriam commendatos prætermittimus! Sed abs re non erit cum erudito abbate *Fleury* animadvertere, octo primis Ecclesiæ seculis, tres aut quatuor duntaxat reperiri Romanos pontifices qui Sanctorum non adscribantur numero, (Mœurs des Chrétiens, cap. 32.) Pervolvantur quæ magnificè scripsit S. Augustinus de anachoretis, cœnobitis, sanctimonialibus et clericis, aliisque sibi coætaneis, lib. 1 de Moribus Ecclesiæ, cap. 31, 32, 33. Inde spontè concluditur, quantas sanctitatis opes Romanam in Ecclesiam contulerit inexhaustus donorum cœlestium fons Spiritus.

Temporibus ipsis ab ævo Apostolorum longè remotioribus, obversantur viri, quorum sanctitati testimonium perhibere veluti coacti sunt non pauci hæresum antesignani vel patroni ; sanctos confessi sunt Bernardum, Dominicum, Franciscum, Lutherus (Lib. de Captivitate Babylon. cap. 2); Melanchton (Apolog. artic. 5 et 27,) et alii. Appellatis mox sanctis inter multos adjungere possumus Franciscum Salesium, Carolum Borromæum, Xaverium, Vincentium à Paulo, etc., ætate apostolicâ dignos planè Christi ministros. Apprimè intelligitur Romanæ sanctitatem Ecclesiæ talium sanctitate commendari, quos materno complexa sinu, suis habuit deditos moribus, suorumque fidelissimos institutorum defensores. Frustra quis vellet Romanam in Ecclesiam refundere multorum vitia, quos suâ in communione tolerat, cùm in eâ non proruant, nisi placitis ejus et monitis increpationibusque reluctantes. « Nunc vos illud admoneo, aiebat « S. Augustinus ad Manichæos, ut aliquando

« Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, « vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidiè tanquàm malos « filios corrigere studet. » (De Moribus Ecclesiæ, lib. 1, cap. 34.) Alienis justi non maculantur peccatis, quibus nec imitatione, nec consensione communicant. « Permixti bonis corpora- « liter, inquit S. Augustinus, separati spiri- « tualiter in catholicâ Ecclesiâ mali, et quando « humanâ conditione ignorantur, et quando « disciplinæ consideratione damnantur, suas « sarcinas portant. » (Contra litteras Petiliani, lib. 3, cap. 38.)

De sanctitate doctrinæ Romanâ in Ecclesiâ.

Sanctitate doctrinæ præditam esse Romanam Ecclesiam, non hìc probandum singulorum examine dogmatum suscipimus (sub eâ ratione non pertinet ad Ecclesiæ notas), sed generalibus et compendiariis asseremus argumentis.

1° Fieri quidem potest ut malè vivant qui benè credunt : nituntur in vetitum homines, verissimumque illud effatum :

Video meliora proboque, deteriora sequor.

At ubi de regulis morum, malè credidisse, alienam à sanctitate capitalisbusque scatentem erroribus doctrinam, perpetuò palamque profiteri ; assiduo illam sermone regendis tradidisse populis, eamdem elaboratis studiosè scriptis posteritati prodere, id prorsùs abnorme est hominibus tribuere, ut ingenii spectandis præstantiâ, sic eminenti pietate virtutumque omni genere commendandis, quales modò appellavimus ; id tamen de illis obviâ consecutione existimandum est, si Ecclesia Romana cujus communione gaudebant, talem tenuisset doctrinam de instituendis moribus, qualem ipsis attribuunt prætensæ præsertim auctores reformationis. 2° Apostolorum ætate, et ipsis christianæ Religionis exordiis, veram fidem certissimè secuta est Romana Ecclesia ; testem advocare possumus Apostolum gentium : *Gratias,* inquit, *ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* (Epist. ad Romanos, cap. 1, v. 8.) Libabatam hanc fidem illâ in Ecclesiâ ad usque saltem S. Augustini tempora permansisse fatetur ipse Calvinus, et tanquàm indubitatum eo Institutionis suæ loco asserit, in quo Romanam in sedem debacchatur impotentiùs (Institut. lib. 4, cap. 2) : « Cùm extra « controversiam esset, inquit, nihil à principio « usque ad illam ætatem mutatum fuisse in « doctrinâ, » Romanæ scilicet Ecclesiæ de quâ sermonem habet. Non audent Protestantes notam inurere Patribus Chalcedonensis concilii, ann. 330, Romanæ sedi summo adhærentibus affectu, à quibus communi exclamatum est consensu : *Petrus per Leonem locutus est.* Quo igitur tempore depravata fuisset, et capitalibus deformata erroribus, Romanæ doctrina Ecclesiæ ? Lethalem hanc epocham determinare insectatores illius non potuerunt ; de ortu Antichristi, cujus personam Romano imponunt pontifici, atque de apostasiâ quam Romanæ attribuunt Ecclesiæ, disserentibus placuit Protestantium multis, successores omnes Gregorii Magni, habendos esse totidem pseudo-pontifices verosque Antichristos. Imò eum primum fuisse Antichristum effutit cum Illyrico David Chitræus, in Commentario cap. 9 Apocal. ; eâ ætate penitùs corruisse volunt, nutantem jam quarto et quinto seculo, ut jactant, Ecclesiam. Sunt qui antichristianismi initium referunt ad Leonem Magnum Romanam ad sedem evectum anno 440 ; at nonnulli ad pontificatum Gregorii VII distulerunt Antichristi adventum ; tardiùs etiam advenisse quidam statuerunt. Id stupendum sanè, quòd cùm certis testatum sit monumentis quandonam prodierint Arianismus, Nestorianismus, Pelagiana hæresis, etc., quibus determinatè temporibus prætensam reformationem aggredi, novique apostolatûs munia invadere cœperint Lutherus et Calvinus, stupendum est, quòd ipsos lateat reformatores, quandonam ab evangelicâ fide ita desciverit Romana Ecclesia, « ut doctrina « citra quam Christianismus non constat, tota « sepulta sit, et explosa ; publici habiti sint « conventus idololatriæ et impietatis scholæ :.. « ubi verbum Domini palam et impunè con- « culcatur. Ejus ministerium præcipuus ner- « vus atque anima Ecclesiæ dissipatur ! » (Institut. Cabini, parte quartâ, cap. 2.)

3° Ex corruptelis doctrinæ quarum Ecclesiam Romanam insimulant Protestantes, horrenda, quæ nefandi livoris et atrocis calumniæ ipsos coarguant, elicerentur consectaria : crimini vertunt et quidem impietatis et idololatriæ, cultum invocationemque sanctorum, (Lutherus sermone *de Cruce ;* Cabinus, lib. 3 Inst. cap. 20 ; Magdeburgenses præfat. sextæ centuriæ.) Attamen, ut remotiora nunc silentio prætereamus secula, evidentissimè patet, quarto et quinto seculo invocatos esse palam catholicâ in Ecclesiâ sanctos, et impensam eorum reliquiis venerationem ; ita Chalcedo-

nensis concilii actione secundâ testantur episcopi : « Flavianus post mortem vivit ; Martyr « pro nobis oret. » S. Athanasius sermone in Evangelium de sanctissimâ Deiparâ, sic eam deprecatur : « Intercede, hera et domina, et « regina, et mater Dei pro nobis. » S. Basilius oratione in 40 Martyres : « Qui aliquâ premitur « angustiâ, ad eos confugiat : qui rursùm lætatur, hos oret. » S. Ambrosius sermone 93, de sanctis Nazario et Celso : « Quòd si dicas « mihi : Quid honoras in carne jam resolutâ, « atque consumptâ? Honoro in carne Martyris « exceptas pro Christi nomine cicatrices : honoro viventis memoriam perennitate virtutis : honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina « æternitatis. » Egregiam ex Patribus Orientis et Occidentis excerptam testimoniorum seriem vide apud Bellarminum (de Ecclesiâ triumphante, lib. 1, cap. 19; et lib. 3, cap. 3) ; specimina quædam duntaxat hìc exhibenda censuimus. Jam verò si impietati, si deputanda sit idololatriæ invocatio sanctorum eorumque reliquiarum cultus, ergo tanquàm impii, tanquàm idololatræ, commissarum sibi interfectores animarum habendi sunt, pervicaces ad mortem usque detestandi auctores scandali, SS. Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, etc., quorum laudem nullâ deterendam ætate tam assiduè nuntiat Ecclesia : ergo miserè obcæcatos fuisse et stolidis abreptos erroribus fatendum esset tot insignes sanctitate, sermone et scriptis viros ; atque si religiosè non colendum duxeris, æternis saltem extollendum habeas encomiis, ineptum perditumque moribus Vigilantium, à S. Hieronymo tam lepidè vehementerque exagitatum, reliquiarum sanctorum cultores vocare solitum adoratores cinerum et idololatras! ergo cum suis pastoribus ac ducibus collapsa esset, atque abjecto effrena pudore facta meretrix Ecclesia Christi, à quarto saltem et quinto seculo, cùm prostituentes supremi cultum numinis, sese cum mandatis sibi gregibus, in sanctorum præsidium, « non secùs ac tutelarium deorum fidem « conferrent, cùmque defunctæ creaturæ, « atque exanguia, et semicorrosa ossa colere, « invocare, honore divino afficere non erubescerent. » Talibus utuntur Protestantes compositis ad odium concitandum dicteriis; quo jure, quâ æquitate, ipsimet coram Deo dijudicent.

4° De Romanæ doctrinâ Ecclesiæ statuendum non est ex privatorum hominum variis opinionibus : reprobari ab illâ expressis decretis eas omnes et singulas quæ verbo Dei adversentur, nec postulant, nec sinunt rerum adjuncta, nec liceret per tempus ; quid sentiat, quid doceat, colligatur ex publicis quibus inhæret monumentis : v. g., conferantur cum Tridentini concilii generalis decretis dogmata et disciplinæ capita, quæ maximè exprobrantur à Protestantibus et aliis, catholicæ quam deseruerunt Ecclesiæ. De cultu et veneratione sacramento Eucharistiæ adhibendâ pronuntiat Tridentina synodus, huic sanctissimo sacramento deberi *cultum latriæ* : hinc ansam arripiunt Protestantes, Romanæ Ecclesiæ inferendi criminis idololatriæ. Adorandum Eucharistiæ sacramentum idcircò persuasum habemus, *quia illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit : Et adorent omnes angeli Dei.* (Concil. Trident. sess. 13, cap. 5.) Fac nos errare dùm credimus realem Christi in Eucharistiâ præsentiam, falleremur credendo adesse Christum, ubi non adesset : non falleremur credendo adorandum esse ubicumque adest, nec habendi idololatræ, dùm consequenter cultum latriæ in Eucharistiæ sacramento studiosè impendimus. Numquid læsæ majestatis regiæ meritò insimularetur qui regios adhiberet honores, ubi absconditum esse regem crederet? (Lege opera doctissimi Papin, tom. 2, p. 31 et 32.) Vociferantur Protestantes, quasi sacrificio Missæ evacuaretur oblati in cruce sacrificii infinita virtus ; conjiciant oculos in caput 2 sess. 22 concil. Trid., in quo hæc traduntur de Missæ sacrificio : « Una enim, eademque est hostia, idem nunc « offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum « tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione « diversâ ; cujus quidem oblationis cruentæ « fructus per hanc uberrimè percipiuntur, « tantùm abest ut illi per hanc quovis modo « derogetur. » Contendunt Protestantes, si vindicentur justis merita, tum vim abnegari et influxum meritorum Christi ; audiatur Trid. synodus sess. 6, cap. 16 : « Cùm enim ille ipse « Christus Jesus, tanquàm caput in membra, « et tanquàm vitis in palmites, in ipsos justifi- « catos jugiter virtutem influat, quæ virtus « bona eorum opera semper antecedit, et co- « mitatur, et subsequitur, et sine quâ nullo « pacto Deo grata et meritoria esse possent. »

De invocatione sanctorum eorumque cultu et

reliquiis, legatur caput 3 sess. 22, et decretum de illorum invocatione, veneratione, etc., sess. 25; intelligetur « bonum atque utile esse supplíciter eos invocare, et beneficia impetranda « à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor « et Salvator est, ad eorum orationes, opem, « auxiliumque confugere. » Numquid injuria irrogatur regi, dum apud ipsum adhibentur grati intercessores? Quis dixerit eos tunc adæquari principi? intelliget etiam quàm rationi et æquitati congruat venerari « sancta « corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, « et templum Spiritûs sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda. » (Lege opera doctissimi Papin, loco superiùs laudato.) Denique perspicietur sic impertiendum judicari debitum imaginibus honorem, « ut non credatur « inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ. » (Ibid.) Propositâ vel simpliciter doctrinâ Ecclesiæ catholicæ, dissipantur impactæ, quibus eam Protestantes et alii lacessunt, calumniæ. Perperàm quoque et injustè ipsi imputarentur pullulantia omni ævo scandala; prædixit Christus nascitura in agro Patris familias zizania, quæ suo tempore comburenda, radicitùs avellentur; ad corpus Ecclesiæ qui pertinent peccatores, non eidem inseruntur quatenùs peccatores; communionis ipsius vincula non habentur peccatum et scandalum: desudant et obloquuntur incassùm novatores; nunquàm ostendetur, Romanam Ecclesiam aut quidquam detraxisse ex doctrinâ Christi et Apostolorum, aut quidquam ab illâ invectum quod pugnet cum assertâ in Symbolis fidei sanctitate Ecclesiæ.

De confirmantibus Romanæ sanctitatem Ecclesiæ miraculis.

Quanta sit miraculorum vis ad suffragandum veritati, dictis et factis declaravit ipse Christus summa veritas: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me,* Joann. cap. 10, v. 25. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Ibid. v. 38.

Cum adversariis res nobis agitur qui miraculorum auctoritate communitam esse fidem neque ignorant, neque inficiantur; atverò deesse sibi spectanda hæc divinitatis sigilla cùm sentiant, et vix dissimulare queant, persuadere moliuntur interilsse cum Apostolis miraculorum donum, et quæ ab illorum temporibus edicta referuntur, aut conficta esse, aut nullius ad asserendam doctrinam momenti: præjudicatam hanc insulsamque sententiam confutavimus artic. 2 hujusce sectionis. Jàm indicabimus miracula non pauca ex innumeris quæ Romanæ suppetunt Ecclesiæ, eaque vindicabimus ab invidiâ et temeritate oppugnantium.

Romanæ sedi consociatum fuisse communione S. Irenæum nemo negaverit: de dono miraculorum in eâ perspecto ac permanente sic ipse loquitur: « In illius (Jesu Christi) « nomine, qui verè sunt illius discipuli, ab ipso « accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia « reliquorum hominum, quemadmodùm unusquisque accipit donum ab eo: alii enim « dæmones excludunt firmissimè et verè, ut « etiam sæpissimè credant qui emundati sunt « à nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesiâ: « alii autem et præscientiam habent futurorum, « et visiones et dictiones propheticas: alii autem laborantes aliquâ infirmitate, per manûs « impositionem curant et sanos restituunt; « jam etiam, quemadmodùm diximus, et mortui « resurrexerunt, et perseverant nobiscum annis multis; et quid autem? non est numerum « dicere gratiarum quas per universum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine « Christi Jesu crucifixi sub Pontio Pilato per « singulos dies, in opitulationem gentium perficit. » Lib. 2 adversùs hæres. cap. 32 et 66. Talia sunt etiam miracula *S. Gregorii Neocæsareensis, cognomine Thaumaturgi,* testibus SS. Basilio, Tract. de Spiritu Sancto, cap. 29; Gregorio Nysseno, in Vitâ S. Gregorii Thaumaturgi, Hieronymo, in Catalogo auctorum ecclesiasticorum: SS. *Antonii, Hilarionis, Martini, Nicolai* et aliorum, referentibus SS. Athanasio, Hieronymo, Sulpitio Severo, etc., nempe S. Athanasio miracula S Antonii, S. Hieron. S. Hilarionis, etc. Talia sunt quæ commemorantur à S. Hilario lib. in Constantium imperatorem: Gregorio Nazianzeno Oratione 18: S. Augustino lib. 22 de Civitate Dei; Theodoreto Oratione 8 adversùs Græcos. Non minoris sunt ponderis quæ edita sunt à SS. Bernardo, Francisco Assinatensi, Vincentio Ferrariensi, Francisco de Paula, Xaverio, etc. De multitudine, præstantiâ et certitudine miraculorum quæ in communione Romanæ Ecclesiæ facta sunt, utinam consulatur, et assiduâ versetur manu, opus à Benedicto XIV tantâ eruditione, tantâ curâ et luce veritatis elucubratum *de servorum Dei Beatificatione et beatorum Canonizatione!*

Hactenùs siluimus de miraculis Christi et Apostolorum, ne vergere illa in decus ac præsidium Romanæ Ecclesiæ si dicerentur; id putaremur tanquàm concessum assumere, quod probandum esset; at id probatu arduum non est; quod quidem sepositis etiam omnibus, quæ mox indicata sunt, miraculis, abundè sufficeret. Romanam scilicet Ecclesiam apostolicis extitisse temporibus jam ostensum est: eamque fatentur plerique Protestantes viguisse, veramque habendam Ecclesiam ad sextum usque seculum: ergo ad illius confirmandam doctrinam, asserendasque proprietates collineabant Christi et Apostolorum miracula: hæc ulla extitit unquàm aut existit secta, quæ possit tam multa tantique ponderis argumenta illi præripere, cùm nulla sit præter illam Ecclesia quæ ad ipsam Apostolorum ætatem valeat originem suam referre.

Solvuntur objecta. — Gallico in opere, tanquàm in armamentario congessit Juriæus, quidquid lymphato stimulante odio comminisci potuerit ad conflandam Romanæ Ecclesiæ invidiam: hæc eadem quæ legitima vocat, præjudicata, quisquis vel per transennam attigerit, ille statim videbit, ea singulatim discutere, ut omninò ingrati, sic et supervacui fore laboris: præcipua itaque ex illis quædam nostrum ad propositum præ cæteris spectantia perstringemus:

1° Allatam Romanis à theologis definitionem Ecclesiæ vellicat Juriæus: cùm doceant, inquit, ex professione doctrinæ, sacramentorum communione, et legitimis subjectione pastoribus, tanquàm ex corpore, at ex fide, spe et charitate tanquàm ex animâ Ecclesiam coalescere, tradunt nihilominùs, ad constituendæ Ecclesiæ genuina membra, ne quidem requiri internam fidem: quasi vivens corpus consistere posset absque animâ: deindè Ecclesiæ quoad corpus spectatæ non quoad animam, tribuunt maximas dotes: potestatem scilicet dirimendi controversias de fide, infallibilitatem in judicando, etc., cùm tamen in homine ex animâ et corpore constituto adscribatur animæ quidquid præcellit, nempe rationem, intelligentiam. 2° Contendit idem auctor, Antichristi personam ac partes evidenter sustinere Romanos pontifices, Romanâque in sede Antichristianum prorsùs exeri principatum; quod quidem, his et similibus confirmat argumentis: « Le Papisme s'est « révolté contre la pure doctrine de Jésus-« Christ: il a donné à Dieu des associés dans « son culte et dans l'adoration qui n'est due « qu'à lui: il a placé sur les autels des images « d'or et d'argent, de marbre et de bronze, « devant lesquelles il ordonne qu'on se prosterne: il a fait un faux Jésus-Christ de pain « qu'il a donné pour rival au véritable Jésus-« Christ, et auquel il rend tous les honneurs « souverains qu'on ne doit rendre qu'à Dieu: il « s'est établi un nouveau sacrifice, de nouveaux « médiateurs, de nouvelles voies pour être « sauvé, de nouveaux patrons, un nouveau « chef de l'Eglise, » etc. Romano pontifici audenter assignat id omne quod Epist. 2 ad Thessalonic. cap. 2, præmonuit de Antichristo Apostolus gentium: *Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquàm sit Deus.* Quibus verbis insigne istud et moderatum sanè commentarium subjicit Juriæus: quod, ut scriptoris illius indoles magis ac magis innotescat, advertere molestum non sit: sic Romanum depingit pontificem ipsiusque potestatem: « C'est *un « homme de péché*. S'il y a un siége au monde « où l'iniquité soit sur le trône, c'est celui de « cet empire antichrétien (Romanæ sedis), où « règne l'orgueil, l'avarice, l'ambition, la si-« monie, la vente des bénéfices et des âmes, où « l'on vend et où l'on a vendu la rémission des « péchés: où la trahison, la politique humaine, « la fourberie, la tromperie, les impuretés, la « sodomie, la brutalité, la fornication, la né-« cromancie, et tout ce que l'on peut imaginer « d'abominable, s'est pratiqué. » *Préjugés légitimes contre le Papisme*, chap. 4, n. 2.

3° Vehementer invehitur Juriæus contra temporale dominium, quo donata est à principibus secularibus Apostolica sedes; contra sacrum cardinalium collegium, quod Romano senatui velut subrogatum exhibet; contra Romanæ curiæ splendorem, tribunalia, opes ac præsidia: totus est ut persuadeat hæc omnia penitùs abhorrere ab institutionibus Christi, cujus inter cætera, hæc omnibus perspecta sunt: *Regnum meum non est de hoc mundo: reges gentium dominantur eorum, non ita inter vos.* Tum colligit Juriæus quæ ex Ultramontanorum canonistarum ac theologorum placitis, et maximè ex factis dictisve quorumdam pontificum, videantur supremæ regum in temporalibus auctoritati magis adversari, quò caput rectoremque Ecclesiæ, principibus ac populis exosum faciat. 4° Si depravatis moribus atque flagitiis infames extitêre nonnulli pontifices, labem

hanc ac dedecus in Ecclesiam cui vel ingementi præerant, sic regeri ac refundi prædicat Juriæus, quasi sceleribus eorum suffragata esset atque gratulata : nec eumdem mireris undequaquè corradere quidquid vitiorum ministris et alumnis Romanæ Ecclesiæ objecerint, non ipsius tantùm infestissimi hostes, verùm etiam catholici nonnulli scriptores pietate conspicui, atque zelo ecclesiasticæ disciplinæ inflammati. 5° Ineptas et insulsas quæstiones, corruptelamque spirantes sententias à diversis profectas auctoribus, recenset ex industriâ Juriæus, ad concitandos Romanam in Ecclesiam animos, perindè ac si approbaret Ecclesia quidquid errorum expresso decreto non proscripserit.

Resp. ad primum : Nugatur ac portenta fingit sibi Juriæus, quibuscum animosè certare valeat ; Catholicorum nemo dixerit, posse fide, aut spe aut charitate destitui Ecclesiam Christi; illis in virtutibus positam esse profitentur potiorem ipsius partem, seu animam, negantque sine illis viva ejusdem membra constitui : *Sine fide impossibile est placere Deo, et qui non diligit manet in morte :* quod verò ad validè obeunda, docendi, judicandi, sacramenta conferendi munia, non requiratur sanctitas in ministris, id verè ac sapienter olim definitum est contra Donastitas : cùm enim ea lateat, simulationisque velo sæpiùs obducatur mentis depravatio, perpetuò nutaret institutum à Christo ministerium, neque compertum foret quibus parendum esset pastoribus, quos adiri aporteret ad percipienda sacramenta, dissensionibusque et schismati pateret jugiter Ecclesia.

Ad secundum : De personâ Antichristi, summis ponticifibus impositâ, fabulam pudet refellere : Antichristi nomine, individuum hominem significari, manifestè constat 2 ad Thessalonic. cap. 2 : *Nisi venerit discessio primùm, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* et infra : *Ille iniquus quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Deinde non nisi quadraginta mensibus perseveraturum dicitur Antichristi regnum Apocalyps. 13; quâ igitur ratione ab ætate S. Gregorii Magni, et maximè à nono seculo, Romanis in pontificibus perstitisset, debacchatusque fuisset Antichristus ? omittimus signa et prodigia quæ adventum ejus consequentur ; putidum hoc figmentum vide ineluctabilibus aliis confutatum argumentis apud Bellarminum. Antichristi aliquando vocantur ipsimet hæretici : ita 1 Joannis cap. 2 : *Audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt.* Non eo solùm sensu Romanos antistites, Antichristi nomine donavit Juriæus ; verùm etsi hanc solam notionem illis accommodatam vellet, incideret in apertam principii, ut aiunt, petitionem : haberet enim tanquàm hæreses omnia doctrinæ capita, in quibus à Protestantibus dissideant Romanæ consortes communionis. Ac reipsà Romanos ut pontifices induat personâ Antichristi Juriæus, eadem recantat quæ de imaginum cultu, invocatione sanctorum, sacrificio Missæ, obtrudere soleant Protestantes : vel solâ catholicæ doctrinæ sincerâ expositione diluuntur criminationes illæ, quæ jam toties à Romanæ defensoribus Ecclesiæ depulsæ sunt.

Ad tertium : Pontificiâ auctoritate, spirituali principatu, jure divino manantibus, quasi propriis bonis commendari credimus Romanam sedem ; non ab eodem fonte derivantur temporales opes, atque externi splendoris insignia: non hæc subsidia, hæreditatis loco, à principe Apostolorum delata sunt : hinc Eugenium III summum pontificem sic alloquitur divus Bernardus : « Numquid tibi aliud (præter sollici- « tudinem omnium Ecclesiarum) dimisit sanc- « tus Apostolus ? Quod habeo, inquit, hoc tibi « do. Quid illud ? Unum scio, non est aurum « neque argentum, cùm ipse dicat : Argentum « et aurum non est mihi. Si habere contingat, « utere non pro libitu, sed pro tempore. Sic « eris utens illis, quasi non utens ; ipsa qui- « dem, quod ad animi bona spectat, nec bona « sunt nec mala : usus tamen horum bonus, « abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus tur- « pior : esto ut aliâ quâcumque ratione hæc « tibi vindices, sed non apostolico jure. » De Considerat. lib. 2, cap. 6. Ad amplificandam supremæ sedis dignitatem, et plurimis opportunisque providendum impensis, ingentes ditiones contulerunt principes seculares, Gallicani inprimis reges ; laudanda profectò ipsorum pietas, atque in bonorum quæ largiti sunt administrationem, si quando irrepserint abusus, non idcircò divinæ institutioni repugnat regalis hæc munificentia, effusumque studium honorandi, ejus in vicario, communis omnium Redemptoris. Præterea dominatum in temporalibus si affectaverint quidam pontifices, subditam sibi regum ipsorum potestatem si voluerint, hoc facti est, non juris ; non ad Romanæ fidem pertinet Ecclesiæ ; non ad ejus obtinendam communionem tenendum præstituitur, nec illius deserendæ licet unquàm occasionem arripere.

Ad quartum : Ut quid in retexendis quorum-

dam pontificum flagitiis tam impensè versatur Jurieus? Quot potuisset, si charitati et æquitati consuleret, illis opponere qui ecclesiasticam in disciplinam, morumque promovendam integritatem, verbo et exemplis pro viribus incubuerint! Idque adnotandum est maximi discrimen momenti, quòd mali pontifices, quò graviùs in vitia corruerint, eò magis Romanæ institutis Ecclesiæ eorum vita dissonaret; qui verò boni et optimi, quò studiosiùs virtutum omne genus colerent, eò accuratiùs ejusdem Ecclesiæ placitis ac disciplinæ eorum agendi ratio congrueret. Pessimi quamvis nonnulli pontifices Apostolicam tenuerint sedem, secernendam ab illorum moribus auctoritatem curabant fideles; pretiosum distinguebant à vili, divinamque institutionem ab humanæ perversitate voluntatis; obsequebantur Christi de scribis et Pharisæis pronuntiato Matth. 23: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.*

Non id prætereundum videtur, Deum qui rerum moderatur universitatem, nunquàm cupiditatibus pravorum, de quibus injecta est mentio, pontificum, habenas ita laxavisse, ut ab illis dogma ullum fidei, principiumve morum, dejicerent aut labefacerent; quod quidem magno argumento est, quantùm suæ, Romanæ scilicet Ecclesiæ patrocinio ac tutamini invigilet caput ipsius invisibile, Christus Dominus.

Non hæretici duntaxat et schismatici, verùm et quandoque ex sanctis Patribus, ut SS. Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, S. Augustinus, Bernardus, etc., ita mores insectantur sui quisque seculi, ut ad verborum corticem si tantummodò respexeris, vix ulla superesse viderentur apud Ecclesiæ ministros, societatemque Christianorum evangelicæ pietatis vestigia; multa nihilominùs florebant eximia virtutum exempla, nedùmque Patres illi colligerent, ingravescentibus vitiis resiliendum esse ab eâ quibus obstrinxerant sese Ecclesiâ, imò ad illi inviolato affectu inhærendum et obtemperandum, quoscumque possent, impellebant et urgebant.

Quàm latus hìc aperiretur campus, ad redarguenda ipsorum prætensæ reformationis auctorum vitia, indomitasque cupiditates, eorumque vel testimoniis patefaciendum, novæ illius missionis tam discrepantem à veterum Apostolorum fructibus, fœtum et progressum! Aptior in hæc disserendi locus aderit.

Ad quintum: Absit ut quæstiones omnes ac sententias approbare censeatur Romana Ecclesia, quas disertè non reprobaverit; satiùs sæpè judicat præstolari, dùm vel lapsu temporis extabescant, vel debitis, dùm habentur despectui, obruantur tenebris; nituntur in vetitum novitatis præsertim amantium ingenia, eòque ardentiùs partus suos fovere ac tueri gestiunt, quò propiùs imminente obterendos fulmine conspexerint. Cæterùm pro temporum opportunitate, christiani utilitatibus populi, et sacri ratione depositi, Romana sedes, acceptâ divinitùs auctoritate utitur, ad proscribenda doctrinarum diversa genera, quæ morali disciplinæ periculum injiciant. Id testantur perversas in propositiones decreta Alexandri VII, ann. 1665 et ann. 1666: Innocentii XI, ann. 1679 et ann. 1687; Alexandri VIII, ann. 1690, die 24 augusti, ejusdemque anni 7 decembris, etc.

Hæc indicare sufficiat, ne ultra propositum excurramus.

ARTICULUS III.

VERÈ CATHOLICA EST ROMANA ECCLESIA.

1° Ecclesiæ catholicitatem qui testantur Patres, iidem de Romanâ loquuntur Ecclesiâ, cujus communione perfruebantur; hæc autem, ut observat Bellarminus, tempore S. Irenæi jam erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes provincias tum cognitas. Id quod ipse refert S. Irenæus lib. 1, cap. 3, adversùs Hæres., idem postea retulerunt de suis temporibus Tertullianus lib. contra Judæos cap. 3, S. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ; S. Athanasius lib. de Humanitate Verbi; S. Chrysost., S. Hieron. in cap. 24 Matth.; S. Aug. passim contra Donatistas; tractatu 3 in Epistolas Joannis, sic objecto illis catholicitatis defectu prosequitur: « Tenemus hæreditatem « Christi, illi eam non tenent; non enim com- « municant orbi terrarum; non communicant « universitati redemptæ sanguine Christi. » Lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 41, catholicitatem commemorat charissima inter vincula quibus Romanæ addictus erat Ecclesiæ: « Multa « sunt alia quæ in ejus gremio, inquit, me « justissimè teneant; tenet consensio populo- « rum atque gentium. » Eodem incitatus veritatis spiritu dixit S. Pacianus epist. 1 ad Simpronianum Novatianum: « Christianus mihi « nomen est, Catholicus verò cognomen; illud « me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, « inde significor. » Eòdem referuntur quæ

scripsit S. Leo Magnus serm. de SS. Petro et Paulo; S. Prosper qui lib. de Ingratis, ita cecinit :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Tempore S. Gregorii papæ, Ecclesiam Romanam toto fuisse versatam in orbe, colligitur ex Epistolis ipsius ad episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ. Idem declarat venerabilis Beda in c. 6 Canticorum; tum et S. Bernardus, qui disputans coram rege Siciliæ Rogerio, asserebat Romano pontifici ætate suâ paruisse Orientem et Occidentem totum.

2° Recentioribus temporibus non minori potitam fuisse extensione constat Romanam Ecclesiam, quàm ætatibus S. Augustini et aliorum Patrum qui tam asseveranter Ecclesiæ catholicitatem commendaverunt. Egregium adducere juvat testimonium quod de suo ævo perhibuit idoneâ enumeratione factâ Bellarminus : « Nostro, inquit, tempore « Ecclesia Romana præter Italiam et Hispa- « niam totam, præter Galliam ferè totam, « præter Germaniam, Angliam, Poloniam, « Bohemiam, Hungariam, Græciam, Syriam, « Æthiopiam, Ægyptum, in quibus inveniuntur « Catholici, in ipso novo orbe habet Ecclesias, « sine admixtione hæreticorum; (tum) in om- « nibus quatuor partibus mundi : ad orientem « in Indiis, ad occidentem in Americâ, ad « septentrionem in Japoniâ (notum est quibus « deinceps apud Japones conflictata sit cladi- « bus); ad meridiem, in Brasiliâ et exteriore « parte Africæ. » A tempore Bellarmini suis quibusdam ex sedibus deturbata est fides, aliorsùm provecta; hæc enim licet ad consummationem usque seculi permansura in terris, non omnibus tamen quibus viget locis, inseparabiliter alligata est; neque idcircò suâ unquàm defraudata aut defraudanda catholicitate; hanc ita delineavit, habitâ ratione sui seculi, celeberrimus controversista Nicolius, defunctus ann. 1695 : « Une société qui, « comme l'Eglise catholique, est répandue en « Italie, en France, en Espagne, en Allemagne, « en Angleterre, dans les Pays-Bas catholi- « ques, dans les Provinces-Unies, en Pologne, « en Hongrie, en diverses îles de l'Archipel, « dans plusieurs lieux de l'Asie, dans le Con- « go, et en diverses côtes de l'Afrique; qui « occupe de grands royaumes dans l'Amérique « septentrionale et méridionale; qui se répand « avec édification dans les Malabares, dans les « royaumes de Siam, de Tonquin, de la Co- « chinchine, de la Chine, qui a divers mem- « bres dans les autres communions.... est une « société étendue par toute la terre, selon le « langage de l'Ecriture, et même selon celui « du commun du monde. » (*Prétendus Réformés convaincus de schisme*, tom. 2, chap. 12.)

Hâc de extensione, seu catholicitate Romanæ Ecclesiæ consuli etiam potest Nicolius de La Croix, in suâ Geographiâ ecclesiasticâ, tom. 2.

Diluuntur objecta. — Objicies 1° : Quâ ratione, quâ probabilitatis specie asseri potest per totum orbem Romanam versari Ecclesiam? conjiciantur oculi in varias mundi partes, et statim videre est illam ferè exulare ab Angliâ, Scotiâ, provinciis Fœderatis, Daniâ, Suecià, majori parte Germaniæ, Transylvaniâ, Moldaviâ, Valachiâ, Russiâ, Moscoviâ, vixque eam invenire apud Græcos, Armenos, Ægyptios, Abyssinos; meritò itaque ut argumentum ab Ecclesiæ catholicitate ductum dechinaret, Claudius minister respondebat : « S'il fallait « agir aujourd'hui sur ce principe, que la « vraie Eglise orthodoxe doit être véritable- « ment répandue par toutes les nations, il « faudrait conclure qu'il n'y aurait plus de « vraie Eglise orthodoxe au monde, car il est « vrai que de toutes les communions qui di- « visent aujourd'hui le Christianisme, il n'y « en a aucune à qui cette marque puisse con- « venir. »

Resp. : Dùm asseritur Romanam per omnem mundum pertingere Ecclesiam, non strictè et metaphysico rigore intelligenda est illa diffusio; futurum Ecclesiæ statum noverat Spiritus sanctus quo afflati locuti sunt prophetæ. Eam nihilominùs prædixit, ut patet ex relatis inter probationes nostras testimoniis, usque ad extremos mundi fines esse diffundendam; ad universalitatem igitur moralem revocandæ sunt ejusmodi propositiones, sicut postulat subjecta materia.

Qui fore prænuntiavit, ut Ecclesia, lapide qui de monte abscissus est, et mirabiliter crevit, adumbrata impleret *universam terram*, Dan. 2, 35, servirentque filio hominis *omnes populi, tribus et linguæ*, ibid. 7, 14, idem propheta Daniel ita regem Nabuchodonozor allocutus est, cap. 2, v. 38 : *Sub ditione tuâ universa constituit* (Deus cœli). Idem dixit ibid. v. 39, de Alexandro Magno : *Imperabit univer-*

sæ terræ; idem de imperio romano sic prænuntiavit, cap. 7, v. 23 : *Devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam.*

Apud ipsos auctores ethnicos usitatus est similis loquendi modus : apud Ovidium Fastorum lib. 1 :

Gentibus est aliis tellus data limite certo ;
Romanæ spatium est urbis et orbis idem.

Cæsaris ditionem his quoque verbis extollit :

Quodcumque est alto sub Jove, Cæsar habet.

Apud Sallustium, Hist. Catilin. num. 36, hæc leguntur de populi Romani Dominio : « Cui cùm « ad occasum ab ortu solis omnia domita armis « parerent. » Attamen Romano imperio quod cæteris præcelluit, nunquàm adjectum est terrarum tantum spatium, nec tot unquàm subditi sunt populi, quantùm et quot Ecclesia complectitur, quam Christi regnum et hæreditatem habendam decernunt vetus novumque Testamentum. Ut quantùm pateat, et quo jure dicatur per totum orbem porrecta, intelligatur, attendatur iterùm ad ea quæ mox ex Bellarmino et Nicolio exscribendum curavimus.

Quæ ad impugnandam Romanæ catholicitatem Ecclesiæ depromuntur ex Arianismi progressione, aliisque nonnullis factis, tum etiam ex malè intellectis quorumdam Patrum testimoniis, hæc omnia ne separentur, cùm eumdem ad scopum colliment, accuratè discutientur, tractandâ Ecclesiæ dispersæ infallibilitate.

ARTICULUS IV.

VERÈ APOSTOLICA EST ROMANA ECCLESIA.

Probatur : Ea societas verè est apostolica, in quam conspirant omnes conditiones quæ apostolicitate continentur ; atqui, etc.

1° *Originem suam ad Apostolos, ad Christum referre meritò potest ;* id insigni demonstratur ad Romanos Epistolâ, quæ constanter et S. Paulo adscripta, et in libris Spiritu sancto afflante conscriptis numerata fuit ; Romanæ pariter antiquitatem Ecclesiæ confitebitur quisquis annales ecclesiasticos vel leviter attigerit. Testem appellare possumus S. Irenæum S. Polycarpi à Joanne Apostolo instituti discipulum : « Quoniam, inquit, valdè longum est, in « hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enu« merare successiones, maximæ et antiquissi« mæ, et omnibus cognitæ, à gloriosissimis « duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ « fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam quam « habet ab Apostolis traditionem, et annun« tiatam hominibus fidem, per successiones « episcoporum pervenientem usque ad nos in« dicantes, confundimus omnes eos qui quo« quomodò vel per sibi placentia, vel vanam « gloriam, vel per cæcitatem, et malam sen« tentiam, præterquàm oportet, colligunt. » Adversùs hæreses, lib. 3, cap. 3. « Percurre, « inquit Tertullianus, Ecclesias apostolicas, « apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum « suis locis præsident ; apud quas ipsæ au« thenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes « vocem et repræsentantes faciem uniuscu« jusque : proxima est tibi Achaia ? habes Co« rinthum; si non longè es à Macedoniâ, habes « Philippos, habes Thessalonicenses ; si potes « in Asiam tendere, habes Ephesum ; si autem « Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis « quoque auctoritas præstò est : ista quàm « felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli « cum sanguine suo profuderunt ! » De Præscrip. cap. 36. Idem manifestè constabit etiam ex jam exponendis.

2° *Successionem pastorum, ac proinde ministerii ecclesiastici non interruptam, jure sibi vindicat romana Ecclesia.* Audivimus mox S. Irenæum continuam Romanorum episcoporum successionem, per quam traduceretur catholica fides, commemorantem. Eumdem in sensum Tertullianus, cùm ab hæreticis postularet, ut evolverent *ordinem episcoporum suorum per successiones ab initio decurrentem,* exemplum repetit à successione Romanorum pontificum, de Præscript. cap. 32. Quantùm venerandâ istâ Romanorum pontificum serie commoveretur declarat S. Augustinus, contra Epist. fundamenti, cap. 4 : « Tenet me, inquit, in Eccle« siâ, ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascen« das oves suas Dominus commendavit, usque « ad præsentem episcopatum, successio sacer« dotum. » Accuratos habemus catalogos, in quibus omnes numerantur, qui ab ipso Petro Apostolo, sedem Apostolicam tenuerunt usque ad Pium VI, qui eminentem hanc sedem suis illustrat virtutibus. Neque abrupta est legitima hæc successio, aut quorumdam pontificum pravis moribus, aut variis contentionibus schismatum ; hominem inficiunt ; offensionem pariunt ; jura non extinguunt ; auctoritatem non perimunt inquinati mores ; confertur à supremo Numine, spiritualis pontificibus, temporalis terrenis principibus auctoritas ; utraque ordinata, perverso etiam in vivendi genere. *Omnis anima potestatibus sublimioribus*

subdita sit, ait Apostolus de ipso Neronis imperio, quem deinceps ministrum Dei vocat. *Non est enim potestas nisi à Deo ; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*, Rom. 13.

Diuturniùs schisma nullum grassatum est schismate Occidentis ; ablatus tamen tunc non fuit, nec abscissus ordo pontificiæ successionis ; profitebantur enim omnes Catholici tum etiam vigere pontificiam auctoritatem, neque intercidisse Apostolicam sedem, quamvis compertum non esset, utrùm Gregorio XI, qui mortuus est ann. 1378, validè successerit Barensis archiepiscopus qui Urbanus VI dictus est, utrùmve Robertus Gebennensis qui Clemens VII appellari voluit.

3° *Legitimam obtinent missionem Romanæ pastores Ecclesiæ ;* viâ ordinariâ, unâque et individuâ in communione, adjunctâ manuum impositione, præficiuntur Ecclesiarum gubernationi, nec in illis ad ecclesiastica munia promovendis, opus est novo miraculorum testimonio, aliisque missionis legitimæ argumentis quæ ordini consueto et ab Apostolis transmisso derogare valeant ; hinc ipsis possunt hæc verba Christi significanter adhiberi : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Missionis illius quæ Romanâ in Ecclesiâ accipitur, præditi fuerunt apostolici tot viri, qui ethnicorum innumeris gentibus lucem evangelicam intulerunt. De præclaris illis ad fidem conversionibus, legantur inter cæteros Bellarminus et Lessius, qui illis referendis utuntur adversariorum ipso testimonio, Magdeburgensium scilicet centuriatorum.

Seculo 6, quâ inprimis ætate, ducunt Protestantes dejectionis et corruptelæ exordia, quam Romanæ invectam fuisse comminiscuntur Ecclesiæ, Majorem in Britanniam jubente Gregorio Magno, appulsi monachi, Anglos tùm falsorum cultores numinum adduxerunt christianam ad fidem. Seculo 7, missus à Cononе Papâ sanctus Kilianus, Francones Christo addicendos curavit. Seculo 8, temporibus Gregorii II et Gregorii III ac Zachariæ, traducta est ad evangelicæ legis professionem Germaniæ magna pars, per S. Bonifacium episcopum et martyrem, quem miserat Gregorius II. Seculo 9, conversi à monachis Corbeiensibus Vandali ; eodem seculo subjecti Romanis pontificibus Bulgari, Sclavi, Poloni, Dani, Moravi. Seculo 10, regna multa christianam amplexa sunt fidem, allaborantibus Alberto Bohemorum, et Methodio Moravorum archipræsulibus. Seculo 11, Hungaris jugum Evangelii tunc subeuntibus, dati sunt à Romano Pontifice episcopi. Seculo 12, Norwegiam christianâ imbuit veritate Adrianus IV suum ante pontificatum eò missus ab Eugenio Papâ. Seculo 13, christianæ Religioni nomen dederunt plurimi in Tartariâ, promoventibus duobus dominicanis à summo legatis pontifice, teste Paulo Veneto, qui hâc in re navavit ipse operam.

Seculo 14, ab uno S. Vincentio ordinis Prædicatorum constat conversa esse ad fidem, ut observat Bellarminus, viginti quinque millia partim Judæorum, partim Saracenorum ; id testatur S. Antonius, qui ætate illâ floruit Hist. tertiâ parte, tit. 23, cap. 8

Nôrunt omnes quo à fonte derivata sit missio insignium et pietate et doctrinâ virorum, qui in Indiâ orientali, in Japoniâ, in maximo Sinarum regno disseminaverint verbum Evangelii. Cernitur etiamnum unde missionem accersant probati Deo et hominibus operarii, ad propositam remotissimis infidelium in regionibus messem advolantes, parati omninò sua seque ipsos pro animabus illorum impendere !

Ex his omnibus quæ breviter adumbravimus, efficax istud efflorescit argumentum : Promissum fuerat et clarè prænuntiatum convertendas esse ad Christum omnes gentes terræ ; quis ergo dubitabit quin vera et legitima missio in eâ suscipiatur Ecclesiâ, in quâ et cujus ope, atque inexhausto propagandæ fidei studio, adimpleantur tam splendidè tum veteris, tum novi Testamenti de conversione gentium vaticinia ?

4° *Profitetur Ecclesia Romana doctrinam à doctrinâ Apostolorum non abhorrentem, non degenerem.* Pluribus hæc propositio astrui potest argumentis, absque singulorum discussione dogmatum, quæ quidem discussionis methodus longè minùs apta est, et accommoda, ubi agitur de exponendis Ecclesiæ notis.

Argumentum primum. — Vel dicendum est exulare ab orbe christiano doctrinam Apostolorum, id quod nemo concedet divinis addictus institutis, vel fatendum est servatum esse Romanam apud Ecclesiam apostolicæ depositum fidei ; hùc enim adduci potest adversùs omnes sectas ratiocinium istud Tertulliani de Præscript. cap. 35 : « Audeant respondere « et ipsæ aliquas ejusmodi præscriptiones ad- « versùs nostram diciplinam ; si enim negant

« veritatem ejus, debent probare illam quoque « hæresim esse eâdem formâ revictam, quâ « ipsæ revincuntur, et ostendere simul ubinam « quærenda sit veritas, quam apud illas non « esse jam constat. Posterior nostra res non « est, imò omnibus prior est; hoc erit testi- « monium veritatis, ubique occupantis princi- « patum. » Etverò in terris perpetuò versari oportet ac eminere Ecclesiam, quæ doctrinam apostolicam retineat, profiteatur ac vindicet. Hanc igitur doctrinam si Romana Ecclesia adulteraverit, deseruerit, atque sic defecerit, assignetur necesse est, ac certò monstretur Ecclesia, quæ tum antiquitate originis, tum continuâ pastorum successione, eorumque legitimâ missione, Romanæ antecellat Ecclesiæ; percurre cogitatione, quas volueris sectas; hoc ipso quo demonstratur, quod quidem obvium est, notâ illas novitatis inquinari, consequens est ac indubitatum haberi illas non posse pro constitutâ auctore Christo, et propagatâ adnitentibus Apostolis, Ecclesiâ. Sic perspectum est partim à Donato Casarum Nigrarum, partim ab altero Donato Majorini successore, exortam esse Donatistarum sectam; notum est ab Ario, Arianos, à Photino Sirmiensi episcopo, Photinianos, à Macedonio Macedonianos, ab utroque Apollinari patre et filio, Apollinaristas, à Nestorio Nestorianos, à Pelagio Pelagianos, ab Eutyche Eutychianos, à Paulo Severiano, vel Theodoro Pharanitano Monothelitas, duxisse primordium. Quæ proinde omnes sectæ et aliæ quælibet urgeri poterant simili illius quo utebatur Tertullianus, argumento : « Aliquos Marcionitas, et « Valentinianos liberanda veritas expectabat : « interea perperam evangelizabatur; perpe- « ram credebatur; tot millia millium per- « peram tincta (baptizata), tot opera fidei « perperam administrata, tot virtutes, tot « charismata perperam operata, tot sacerdo- « tia, tot ministeria perperam functa; tot de- « nique martyria perperam coronata. » De Præscr. c. 29.

Argumentum II. — Summè providum, humanique generis amantissimum Deum, credi nefas est hunc rerum ordinem ita constituisse ut quò prudentiùs, populi magisque accommodatâ eorum ad conditionem viâ, indagarent veritatem, eò periculosiùs, in illis etiam quæ ad æternam pertinent salutem, ab optatâ veritate aberrarent; in ejusmodi tamen angustias, non permittente tantùm, sed approbante, sed præcipiente Deo adigerentur populi, sanæ fidei quantùmvis appetentes, Romanæ si Ecclesiæ talis foret doctrina, qualis à Protestantibus effingitur, hoc est, adultera, sacrilega, ipsiusque patrona idololatriæ; certum est enim, ut asserendâ supremi controversiarum judicis auctoritate ostendimus, hanc esse populorum communem indolem, insitamque animis eorum propensionem, ut in illis maximè quæ religionis sunt, ducantur auctoritate, et eâ inprimis quæ major ipsis esse videatur; unde ut latiùs mox indicatâ quæstione prosecuti sumus, in sectis privato examini patrocinantibus, earumdem alumni, quorumdam auctoritati ministrorum totam fidem suam modulandam tradere consueverunt.

Certum est pariter, vel primo aspectu, et nullâ etiam tentatâ inquisitione, Romanam Ecclesiam eminentiori auctoritate pollere, quàm aliam christianam quamlibet societatem; de illâ quippe loquebatur S. Augustinus, cùm diceret, quæ jam partim retulimus : « Multa « sunt alia quæ in ejus gremio me justissimè « teneant; tenet consensus populorum atque « gentium; tenet auctoritas miraculis inchoa- « ta, spe nutrita, charitate aucta, vetustate « firmata; tenet ab ipsâ sede Petri apostoli, « usque ad præsentem episcopatum, successio « sacerdotum; tenet prostremò ipsum catho- « licæ nomen, quod non sine causâ inter tam « multas hæreses, sic ita Ecclesia sola obtinuit, « ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici « velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi « ad catholicam conveniatur, nullus hæretico- « rum vel basilicam suam, vel domum audeat « ostendere. » Cont. Epist. fundam.

Proposito argumento multùm accedit roboris incrementum ex fœcunditate Romanæ Ecclesiæ et constanti atque efficaci, de quo diximus, propagandæ christianæ fidei studio; de infidelibus ad Christum adducendis, aut nihil, aut parùm curant hæretici, quem illorum animi affectum sic graviter perstringebat Tertullianus : « De verbi autem administratione quid « dicam, cùm hoc sit negotium illis non ethni- « cos convertendi, sed nostros evertendi? « Hanc magis gloriam captant, si stantibus « ruinam, non si jacentibus elevationem ope- « rentur; quoniam et ipsum opus eorum non « de suo proprio ædificio venit, sed de veri- « tatis destructione : nostra suffodiunt, ut sua « ædificent. » De Præscript. c. 42.

At non suos tantummodò tanquàm sedula nutrix fovet catholica Romana Ecclesia; parturire Christo semper exoptavit quotquot in

tenebris umbrâque mortis obcæcati sedeant; nec otiosum et inane votorum id genus; factâ brevi enumeratione supra exposuimus quàm multi ethnici, continuâ ætatum serie, providente Deo, idoneosque mittente operarios Romanâ Ecclesiâ, ejus inter filios adscripti fuerint; numquid verò ut ejuratis falsis numinibus, depositâ morum feritate, abdicatâ vivendi pristinâ licentiâ, ad veritatis assecutionem anhelantes, lethalibus imbuerentur erroribus, novâque ac tenaciori contaminarentur idololatriâ, quam cruentâ inter illos multi obsignaverint morte, idque impellentibus viris qui legitimi habebantur Ecclesiæ ministri, ipsorum documenta confirmantibus splendidâ morum sanctitate et miraculis, itane hominum saluti et catholicæ fidei propagationi consuluerit bonus Pastor, qui suum ad ovile vocat omnes gentes, deditque semetipsum redemptionem pro omnibus?

Argumentum III. — Fatentur Protestantes vicinis tempori apostolico seculis, Romanam Ecclesiam cum aliis quæ communionis ejus essent participes, veram fuisse Christi Ecclesiam; at eam contendunt defecisse irrepentibus sensim in illius instituta et invalescentibus exitiosis saluti erroribus; alii alias prætensis illis *insensibilibus mutationibus* affingunt epochas quas hìc strictim expendere parvi refert. Hæc duo duntaxat ad vindicandam Ecclesiæ Romanæ in apostolicâ doctrinâ perseverantiam reponimus; fictitias esse nimirùm hujusce modi mutationes, tum, si obtinuissent, mendacem fore Christum et suæ irrisorem Ecclesiæ.

1° Fictitiæ sunt insensibiles illæ mutationes quibus depravatam fuisse et interpolatam Romanæ Ecclesiæ apostolicam antea doctrinam dictitant Protestantes. Sit in exemplum invocatio sanctorum, quam tribus primis seculis ignotam fuisse asseverant, et quarto seculo latenter animos invasisse ac invaluisse per summam religionis offensionem : religiosum quippe sanctorum cultum jactitant illo Decalogi præcepto prohiberi : *Non habebis deos alienos;* tum istis Prophetæ verbis : *Non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.* Quâ emùm ratione contingere potuit, ut cùm Ecclesia universa tertio crediderit seculo divinâ vetitum esse lege, religiosum alicui creaturæ honorem impendere, aut ad quemquam præter Deum preces effundere, prohibitio hæc quarto et quinto seculo passim ita oblivioni mandata sit, aut sic infracta et conculcata, ut sanctos colere et invocare, doctissimi etiam et sanctissimi, per summum Creatoris dedecus, Mediatorisque contemptum, Religioni et christianæ pietati consentaneum duxerint, nemine reclamante, nemine obstante, diversas tot apud gentes? Observantiam illam et à consuetudine placitisque catholicæ Ecclesiæ tertio florentis seculo tam alienam esse, et supremo Numini, omniumque hominum Salvatori tam injuriosam, ignorare non potuissent SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Jerosolymitanus, Gregorius Nissenus, Ambrosius, Chrysostomus, Asterius, Hieronymus, Gaudentius, Paulinus, etc. Hanc tamen nullâ novitatis labe aspersam, nullo inquinatam idololatriæ crimine crediderunt, imò et eam ad ultimum usque spiritum secuti sunt, immortalibusque scriptis pro datâ occasione commendaverunt. Vid. insigne volumen de Perpetuitate fidei, tom. 1, cap. 10.

Aliud exemplum proferemus, quo etiam evidentiùs pateat, quid de confictis illis insensibilibus mutationibus statuendum sit; qui illas obtendunt, tanquàm probatum sumunt, adinventum fuisse nono Ecclesiæ seculo dogma de reali præsentiâ Christi in sacramento Eucharistiæ, idemque subocculte grassatum, erupisse tandem decimo seculo, avidè fuisse arreptum, præcipua inter fidei dogmata cooptatum, magnoque consensu palam in Ecclesiâ et continuè celebratum. Ne umbram quidem probabilitatis trahit commentitium istud innovationis genus; ad hanc enim oportuisset ut quæ solam corporis Christi figuram in Eucharistiâ credidisse finguntur per totum orbem innumeræ gentes, eodem in sacramento ipsum realiter et corporaliter præsentem, animorum summâ conspiratione, seculo proximè consecuto agnoscerent et adorarent; tum etiam ut persuasum haberent eamdem se fidem, religiosumque eumdem cultum ab Apostolis manantem constanter tenuisse, id unum sequentes quod traditum sit?

Talia confingere si liceat, cogitetur quoque adduci posse pari temporis intervallo in Galliâ, et magnates et plebem, ut communi consensione profiteantur in omnibus Ludovici Magni tabellis et imaginibus delitescere ac realiter contineri maximum hunc ipsum principem, nullo tamen sensibili monumento tantam, tamque portentosam mutationem consignari, imò nihil novi contigisse tota persuasum habeat Gallia. Cogita saltem quales excitaverint motus universâ in Ecclesiâ Zuinglii et Calvini placita,

quibus realem Christi in Eucharistiâ præsentiam è medio tollere moliti sunt; illorum doctrina, quantùmvis ad humanæ mentis captum, testimoniumque sensuum, accommoda, quot publicis statim oppugnata concertationibus! Quot nobilibus eruditisque scriptis impetita! quantoque studio proscripta!

Attende quomodò fieri potuisset, nonò ut seculo si exortum fuisset dogma realis præsentiæ, in eo suscipiendo ac tenaciter asseverando convenisset Orientalis cum Occidentali Ecclesiâ, permanente aliunde dolendo dissidio. Plura legere est citato in opere: *Perpétuité de la foi.* Unum adjicimus, quo rei summa ut postea magis evolvemus, continetur: vel absolutæ sunt Christi promissiones quæ ad Ecclesiæ durationem incolumitatemque pertinent, vel conditionatæ; si absolutæ dicantur, procul igitur ab Ecclesiâ tum sensibiles, tum insensibiles, dogmatum fidei mutationes. Si verò dicantur conditionatæ, cuinam putabuntur alligatæ conditioni? An effutietur, ut quidam Protestantium commentus est, non esse defecturam Ecclesiam, si modò fidem suam ad verbum divinum exigendam componendamque curaverit? hoc non esset specialem ullam Ecclesiæ polliceri defensionem, præsidiumque asserere, sed amantissimæ illudere Ecclesiæ, cùm de quolibet privato homine idem ex æquo posset enuntiari.

Argumentum IV. — Romanam Ecclesiam novitatis accusant Protestantes: *Accusatio*, inquit Tullius pro Cœlio, cap. 3, longè inferiori in causâ, *crimen desiderat, rem ut definiat; hominem* (seu auctorem) *notet; argumento probet; teste confirmet.* Duo hic occurrunt quæ intentatam Romanæ Ecclesiæ accusationem prorsùs elidant: 1° Id semper tenuit ac professa est, ubi agitur de dogmatibus, antiquitati semper esse inhærendum: hinc Stephani Papæ illud effatum contra rebaptizantes: *Nihil innovetur nisi quod traditum est.* Hinc nomine Ecclesiæ, diversis in operibus hæc urgebat Tertullianus: *Id verum quod prius; mea est possessio; olim possideo; prior possideo;* hinc pervulgatum illud Vincentii Lirinensis pronuntiatum: *Quod ubique, quod semper.* Eodem sensu dixit S. Hieronymus in Epist. ad Pammachium et Oceanum: « Quisquis assertor es novorum dogmatum, « quæso te ut parcas romanis auribus; parce « fidei quæ apostolicâ voce laudata est; cur « post quadringentos annos docere nos niteris, « quod ante nescivimus? Cur profers in me- « dium quod Petrus et Paulus edere nolue- « runt? usque in hanc diem sine istâ doctrinâ « Christianus mundus fuit. »

Alterum id nec minùs attentè observandum est, à Romanæ quidem Ecclesiæ consortio et communione, hæreseon exivisse, aut rejectos fuisse auctores vel patronos; hanc verò à nullâ unquàm præstantiori vel æquali descivisse societate; nullo unquàm privati alicujus auctoris nomine designata et notata fuit, qualiter à Valentino, Valentinianorum secta, à Marcione, Marcionitarum, à Macedonio, Macedoniorum, à Socino Socinianorum, etc. Arboris ad instar altissimis defixæ radicibus, cujus avellantur quidam interdum rami, et avulsi exarescant, romana perpetuò stetit Ecclesia fragosas inter persecutionum hæreseonque procellas, satiusque judicavit pati, numerosæ ut aliquando gentes à suâ communione resilirent, quàm peregrinis novisque dogmatibus concedere aut ullomodò suffragari. Nonne idcircò intolerantem eam vocant, et criminantur, conviciisque appetunt ejus adversarii, quòd à sinu suo rescindere non dubitet hæreticorum seu novatorum in fidei negotio quælibet genera?

Hoc eodem argumento utuntur vetustissimi scriptores ad revincendam hæreticorum pravitatem et audaciam, simulque extollendam Romanæ integritatem Ecclesiæ. « Ubi tunc « Marcion, Ponticus Nauclerus, stoicæ studio- « sus? inquit Tertullianus; ubi Valentinus « Platonicæ sectator? Nam constat illos neque « adeò olim fuisse, Antonini ferè principatu, et « in catholicæ primùm doctrinam credidisse, « apud Ecclesiam Romanensem, sub episco- « patu Eleuterii Benedicti, donec ob inquietam « semper eorum curiositatem, quam fratres « quoque semper vitabant, semel et iterùm « ejecti, » etc. De Præscript. cap. 30. Vid. etiam S. Justinum, Dialogo cum Tryphone; S. Irenæum lib. 1 adversùs Hæreses, cap. 23, etc.

Undequàque igitur inclarescit Romanæ apostolicitas Ecclesiæ; quapropter licet cum Bossuetio exclamare: « Quelle consolation aux « enfants de Dieu! Mais quelle conviction de la « vérité, quand ils voient, que d'Innocent XI, « qui remplit aujourd'hui si dignement le pre- « mier Siége de l'Eglise, on remonte, sans in- « terruption, jusqu'à Saint Pierre, établi par « Jésus-Christ prince des Apôtres; d'où, en « prenant les pontifes qui ont servi sous la loi, « on va jusqu'à Aaron et jusqu'à Moïse, de-là « jusqu'aux Patriarches, et jusqu'à l'origine « du monde! Quelle suite! Quelle tradition!

« Quel enchaînement merveilleux! Si notre « esprit, naturellement incertain, et devenu, « par ses incertitudes, le jouet de ses propres « raisonnements, a besoin, dans les questions « où il y va du salut, d'être fixé et déterminé « par quelque autorité certaine, quelle plus « grande autorité que celle de l'Eglise catho- « lique, qui réunit en elle-même toute l'auto- « rité des siècles passés, et les anciennes « traditions du genre humain, jusqu'à sa « première origine! » *Discours sur l'histoire universelle, seconde partie, chap.* 30.

Quæ hìc objici possent, præoccupavimus ac solvimus articulo IV secundæ partis, sectionis secundæ.

Sectionis secundae tertia pars.

Probandum suscipimus nulli præter Romanam Ecclesiam societati inter Christianos congruere unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem, maximè si conjunctim sumantur. Earum vel unâ deficiente palàm est ac demonstratum veram Christi Ecclesiam non posse consistere. Res nobis agitur inprimis cum Protestantibus, quos ad eam quam deseruerunt fidem et communionem adducere, potissimùm est in votis; errorem abjicere quid morentur, si perspicuè ostensum fuerit, nedùm prætensæ reformationi aspirent omnes quas assignavimus notæ (quod tamen ad hanc inducendam necesse foret), illarum ne unam quidem vindicare sibi valeant; eisdem carere alios à Protestantibus hæreticos et schismaticos, nec erit arduum patefacere; sit igitur

PROPOSITIO PRIMA. — *Schismatis convincuntur Protestantes, nec ullam possunt præscindendæ unitatis causam obtendere.*

1° Constituta est divinitùs auctoritas cui parere oporteat varias dijudicanti de fide ac moribus controversias; id pluribus ac certissimis ostensum est argumentis; at communi calculo statuunt Protestantes, non auctoritate, sed privato spiritu investiganda esse quæ ad fidem moresque pertineant; ergo constitutæ divinitùs auctoritati detrectant obtemperare; ergo schismatis crimen, quidquid obloquentur, incurrunt.

2° Veram Ecclesiam probatum est non esse conflatam ex omnibus sectis quæ fundamentales, ut aiunt, articulos retineant, sed unam et individuam haberi societatem, extra quam nulla salus; Romanam Ecclesiam deseruêre Protestantes, nec ullam quidem in aliam adsciscendos se curaverunt; ergo schismatis labem indubitatè susceperunt, quâ contaminantur quicumque dedignantur aut respuunt veræ communionem Ecclesiæ. Juvat argumentum istud pressiùs adhuc urgere. Scilicet, antequàm à Romanâ discederent Ecclesiâ Lutherus et Calvinus, aut eam judicabant veram esse Christi Ecclesiam, aut sic adulteratam censebant, et à Christo alienam, ut illius omninò tanquàm pestiferum et lethale fugiendum esset consortium; eam si judicaverint veram esse Christi Ecclesiam, eamdem deserere nisi animo schismatico non potuerunt; si verò illam sic fœdatam putaverint, ut salus in eâ parari non posset, illis saltem, ut diximus, inquirenda fuit societas alia, quæ Christi Ecclesia meritò haberetur; quam autem aliam (quæ nulla esse potuit) adierunt? Non ad Græcos, neque ad Armenos, non ad Cophtas, neque ad ipsos Valdenses, se contulerunt; sed ipsius cui adhærerent Ecclesiæ, conditores fuerunt et advocati, cujus profectò non sponsus, non caput, non lapis angularis, Christus.

3° Illi sunt verè schismatici, qui nullâ muniti ordinariâ vel extraordinariâ missione, novum instituerunt ministerium; novorum quasi Apostolorum personam induerunt, positumque antiquitùs ordinem penitùs disturbaverunt; ita sese gesserunt societatis Protestantium auctores et duces; ergo.

Demonstrata est missionis necessitas; hanc neque diffitentur adversarii; duplex porrò missionis genus: alia dicitur ordinaria, alia verò extraordinaria; manat prior ab eâ Ecclesiâ cui professione ejusdem fidei, sacramentorum participatione, eisdemque subjectione pastoribus, adhæreatur: consuetum extra ordinem obtingit altera, mirabilibusque divinæ potentiæ et sapientiæ operibus declaratur. Verùm utraque defuit prætensæ reformationis auctoribus ac patronis. Primùm quidem ea quæ nuncupatur ordinaria: unde enim ad eos derivari potuerit? non ab Ecclesiâ Romanâ, cujus auctoritatem palam abjecerunt et communionem: hanc esse prædicabant immanibus jamdudùm conspurcatam flagitiis et idololatrico cultu; ab illâ tanquàm à novâ Babylone, et impudenti meretrice declinandum profitebantur; quodnam ergo jurisdictionis ac potestatis genus subministrare illis potuisset, jam prorsùs à Christo et repudiata, et omni jure destituta? Præterea, quam dedisset potestatem, hanc certè revocare potuit; quo-

modò autem eâ auctoritate præditos adhuc voluisset perduelles, quos videret nihil intentatum relinquere suam ut ipsius doctrinam, disciplinam, sacerdotiumque proscinderent, quos genuerat filios, ab institutionibus, quas combiberant, alienarent, eamdemque, si fieri potuisset, everterent ac perimerent? Quamobrem à sinu suo, solemnibus anathematismis illos extremis tanquàm remediis adhibendis ablegavit.

Adde quòd nec Luthero, neque Zuinglio, cui fictitiâ in reformatione successit Calvinus, ulla unquàm in Ecclesiâ Romanâ, potestas pastoralis multò minùs erigendi formandique novas Ecclesias, matrici repugnantes Ecclesiæ attributa fuerit.

Denique auctoritate ecclesiastici ministerii, Romana si præstaret Ecclesia, cùm ab eâ Lutherus defecit, ergo tum vera fuit Ecclesia; ergo absque schismatis notâ resilire ab ipsâ non potuerunt infaustæ reformationis architecti.

Ordinariâ missione destituti, haud potiori jure missionem extraordinariam obtenderent; ea quippe miraculis aliisque naturalem ordinem superantibus donis, prodenda, confirmandaque fuisset : hinc sui temporis hæreticos ita provocabat Tertullianus de Præscript. c. 31 : « Probent se novos Apostolos esse; « dicant Christum iterùm descendisse, iterùm « crucifixum, iterùm mortuum, iterùm resu- « scitatum. Sic enim Apostolos solet facere, « dare illis præterea virtutem eadem signa « edendi quæ et ipse; volo igitur virtutes illas « proferri. » Constat nullum à Luthero, nullum à Zuinglio, nullum à Calvino editum esse miraculum; quantis tamen et quàm evidentibus opus fuisset miraculis, ut publicum totque à seculis inveteratum aboleretur in Ecclesiâ ubique ministerium; annuntiaretur ubique inaudita priùs doctrina; exauctorarentur constituti totum per orbem episcopi; pro nutu novorum Apostolorum rescinderetur quæ ipsis displicerent, generalium etiam conciliorum dogmatica decreta; everterentur cum sacrificio altaria, novaque conderetur ac per omnes gentes propagaretur Ecclesia. Hæccine privati homines, qui ordinariâ missione caruerint, aggredi potuerunt absque manifestis providentiæ extraordinariæ signis?

4° In schismaticis numerari debent illi apud quos non reperitur commune et certum unitatis principium; eo quippe sublato, etiamsi forsitan occurreret unitas facti, desideraretur tamen unitas juris; apud Protestantes nequidem inveniri unitatem facti, probatu haud esset difficile, cùm tot ac tam diversas discindantur in sectas; at procul dubio destituuntur unitate juris, seu communi et inconcusso unitatis principio. Communem quidem reponunt haberi, immotamque regulam, sacram videlicet Scripturam; verùm eamdem arbitrantur atque contendunt privato exponendam esse spiritu, quem singuli affulgere sibi jactitare possunt; tum qui Luthero et Calvino, Lutheranis et Calvinistis, tam diversa et contraria, ut observavimus in tractatu de Judice controversiarum, suggesserit, dissensionum potiùs quàm unitatis haberetur fomentum ac principium.

His jactis fundamentis, manifestè consequens est, nullam posse Protestantes, nec alios quoscumque legitimam præcidendæ unitatis causam afferre? Cùm enim auctoritati à Deo constitutæ, naturâ suâ intrinsecè obluctetur schisma; cùm necessariam discindat membrorum Ecclesiæ inter se connexionem, quo pacto approbari unquàm possit? Hinc de inferioribus schismate propriè dicto dissensionibus sic interpellat et redarguit Corinthios gentium Apostolus, 1 Epist. c. 1, v. 10 : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Hinc S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ : « Habere jam non potest Deum Pa- « trem qui Ecclesiam non habeat matrem. » Totum egregium illud opus eò spectat ut servandæ unitatis indivulsam astruat, commendetque necessitatem. Hinc S. Augustinus tractatu pariter de Unitate Ecclesiæ cap. 10 : « Habere autem caput Christum nemo poterit, « nisi in ejus corpore fuerit quod est Ecclesia; » et lib. 2 contra Epist. Parmeniani cap. 11 : « Præcidendæ unitatis nulla est justa neces- « sitas. »

Schismaticæ pravitatis crimen Protestantes eò minùs possunt à se amoliri, quòd eorum ab Ecclesiâ Romanâ discessionis auctores, nullo instructi, ut diximus, missionis genere, apostolicum ementiti munus, imò et ipsius Christi æmulantes in perversum, arrogantesque sibi auctoritatem, novum Ecclesiæ statum invexerunt, cui totum orbem, quantùm in ipsis fuit, mancipatum voluerunt.

Objicies : Scatebat erroribus Romana Ecclesia : funditùs erat corrupta, tùm in doctrinâ, tùm in moribus; ad hæc tam salutis inimica compellebat dogmata et placita; impendebat undique et augebatur in dies, quod exemplis

et institutionibus inferebat, æternæ mortis periculum; quis conflagrante domo non exeat, aut extra naufragantem navim, si possit, non se proripiat? Oportuit obsequi tam urgentibus monitis Domini : *Recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere; exite de medio ejus*, Isai. 52.

Resp. Hæreticis omnibus proclive est, ut in odium vocare et invidiam adnitantur veram, cui bellum indixerint, Ecclesiam; quæ Manichæi conjecerint in eam convicia, cernere est apud S. Augustinum, lib. de Moribus Ecclesiæ. Quæ Donatistæ profuderint, referuntur ab eodem S. doctore, lib. 2 contra litteras Petiliani; quæ jacularentur Luciferiani legere est in Dialogo S. Hieronymi contra Luciferianos. Obsoletas illas veterum hæreticorum recuderunt et cumulârunt Lutheranæ et Calvinistæ sectarum parentes et antesignani; quasdam recensebimus articulo sequenti, ut quo fuerint incitati spiritu, magis etiam innotescat. Aliam nunc ineundam duximus viam ad repellendas, quas Romanam in Ecclesiam adhibuerunt, objurgationes.

1° Jam ostensum est firmissimis argumentis, convictos esse schismatis prætensæ reformationis artifices et asseclas, sive careret, sive laboraret imputatis sibi criminibus Romana Ecclesia; idque luce meridianâ clarius est, cùm ab eâ deficientes, nulli se adjunxerint alii Ecclesiæ, sed absque ullâ missionis auctoritate, novam, quasi ex se ipsis nati, condiderint; ut quid ergo Romanam Ecclesiam tot probrosis lacessere gestiunt dicteriis, suæ ut ab eâ discessioni rationis aliquod momentum prætexere valeant? 2° Hoc ipso quo demonstratum est Romanam in Ecclesiam convenire expressas è Nicæno Symbolo dotes, seu notas quibus ab omni alienâ societate secernitur vera Christi Ecclesia, nempe unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem, demonstratum est simul eam esse ab erroribus et corruptelis immunem, quæ cogant aut suadeant ab ejus communione recedere. 3° Si quæ viderentur objici posse illi crimina quæ ad eamdem deserendam impellerent, haud patiebatur æquitas ut privati quidam accusatorum simul et judicum usurpatis partibus, decretoriâ eam sententiâ damnarent, omnique dedecore infamem decernerent Ecclesiam, quam hactenùs ut matrem et magistram coluerant; tum quæ tantâ auctoritatis eminentiâ, tamque longævâ ministerii possessione commendaretur; anno 1520 Vormatiensibus in comitiis jam renuerat pervicaciter Lutherus Ecclesiæ universalis tribunal agnoscere; anno 1524, defectionis vexillum erexerat Zuinglius, debacchatus contra indulgentias invocationem sanctorum, missæ sacrificium, leges ecclesiasticas, cœlibatum religiosorum, etc.; anno 1536, Genevensis pastor institutus est Calvinus, eoque novo incitamento accensus, ad exscindendum Romanæ Ecclesiæ, quod jam scriptis impugnaverat, ministerium.

Non à veritatis studio, sed ab impotenti novitatis appetitu originem duxit prætensa reformatio; derelicto enim unitatis principio et centro, tot fuit repugnantibus implicata documentis societas Protestantium, tot in adversantes sibi partes miserè discerpta, ut ex illorum principiis inexhaustisque variationibus prodierit, innumeros nactus sectatores, immanis tolerantismus, quem esse nativum malè fœcundæ arboris surculum demonstravit inter alios celeberrimus Papin, hâc ipsâ compulsus attentâ cogitatione, Romanam ad communionem ejuratis Protestantium institutis.

Instabis : A communione suâ projecit Romana Ecclesia quoscumque videret necessariæ reformationi operam impendere; acerrimis ipsos coegit persecutionibus, ut suæ et incolumitati et saluti opportunâ discessione consulerent. — Resp. : Hæc ad fucum imperitæ plebi faciendum proferuntur; exitiosos Lutherus disseminaverat errores contra indulgentias, naturam justificationis, sacramentorum efficaciam, etc. Admonitus à cardinali Cajetano, summi legato pontificis, emendationemque pollicitus, promissis non stetit. Atque nedùm susceptos abdicaret errores, novis studuit asserendis, et quà potuit propagandis; quid igitur de excommunicationis sententiâ, quam in pertinacissimum tulit anno 1520 Leo X, conquerendum esse videatur? Lutheranæ postea et Calvinianæ hæreses à synodo Tridentinâ generali, post maturum examen vibrato in illarum obstinatos defensores anathemate, proscriptæ sunt; nonne hæc fuit constans Ecclesiæ agendi ratio, quam quidem disserendo de unitate Ecclesiæ, exposuimus, ut erroris contumaces patronos et sectatores à communione suâ tandem propelleret?

Quod pertinet ad eam quam obtendunt vim persecutionum pseudoreformatores, 1°, ut opportunè adnotavit D. Tournely, ab anno 1520, quo excommunicati sunt à Leone X Lutherani, ad annum 1529, quo in comitiis Spi-

rensibus protestati sunt, se ad concilium liberum provocare, nihil fermè contra ipsos actum fuerat, tantùm abest ut in Galliâ, Hispaniâ, Italiâ, Angliâ, etc., tragicæ fierent executiones, ut ipsi scripserunt; attamen jam eruperat, jam grassabatur schisma, quod ut roborarent ac protenderent, omni ope contendebant. 2° Ut non expendamus id persecutionum genus, quod certè nullos verè martyres effecit, quonam Scripturæ vel Traditionis convinceretur testimonio, licitum esse ab Ecclesiæ communione desciscere, ingruentis obtentu persecutionis, castigantibus dogmatum illius ac disciplinæ protervam impugnationem christianis principibus, tum obsequentes eidem filios, in rebellionis societatem et schismatis pro viribus abducere?

Frustra responderetur, ab Ecclesiæ pristinâ dignitate et auctoritate Romanam Ecclesiam jamdudùm excidisse; hanc diluimus responsionem, tum asserendis Ecclesiæ Romanæ assignatis in Symbolo Nicæno et Constantinopolitano insignibus Ecclesiæ Christi notis, tum à Protestantibus percontando, cuinam societati, Romanam deserentes Ecclesiam, nomen dederint; aut quâ auctoritate, quo missionis genere communiti, novum aggressi fuerint constituere ministerium, veteres è sedibus suis pastores dejicere, et novas ubicumque possent, fundare ac more suo regere Ecclesias.

PROPOSITIO II. — *Sanctitate caret societas Protestantium.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex præcedentibus assertionibus.*

Quæ ad asserendum Ecclesiæ Romanæ sanctitatem adduximus rationis auctoritatisque momenta, iisdem necessariâ consecutione probatur, sanctitate carere sectas omnes quæ Ecclesiæ illi adversantur. Deinde, cùm ex primâ propositione constet à crimine schismatis haberi non posse excusatam Protestantium societatem, quo jure sanctitatem sibi adscribere valeat? Detestatur Dominus, *proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias*, Prov. 6, 19. Quo quidem scelere implicantur omnes schismatici. Quid aliunde cœlesti dignius animadversione, quàm despicari, et tanquàm pestiferam illius refugere communionem societatis de quâ dixit Apostolus gentium Ephes. 5, 25, 26: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

ARGUMENTUM II. — *Ex indole ac moribus auctorum prætensæ reformationis.*

Romanâ in Ecclesiâ extiterint qui factis, verbis, aut scriptis, plurimam exhibuerint offensionem, non ab hominibus illis constitutam se, propagatam, exornatamve profitetur; atverò ante Lutherum, ante Calvinum, ubinam erat societas Lutheranorum aut Calvinistarum? talibus gaudet atque gloriatur parentibus; attendatur paulisper quidnam ex eorum indole ac moribus, ad commendationem sanctitatis possit accersere.

Auctores inter prætensæ reformationis principem locum obtinet Lutherus ex monacho avitæ desertor fidei et hæresiarcha; considerate quomodò reformatoris et apostoli, quam sibi imposuit, personam sustineat; quantâ animi demissione et modestiâ paratum se dictitaret pontificiis obsequi decretis, antequàm fuisset à sede Apostolicâ damnatus. « Beatissime Pater, aiebat ann. 1518, epist. ad Leonem X, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus quæ sum et habeo; « vivifica, occide, voca, revoca, approba, « reproba, ut placuerit, vocem Christi in te « præsidentis agnoscam. » Anno 1519, sic eumdem ad pontificem scripsit: « Coram Deo et « totâ creaturâ testor me neque voluisse, neque « hodiè velle Ecclesiæ Romanæ ac Beatitudinis « tuæ potestatem ullomodò tangere, aut quâcumque versutiâ demoliri; quin plenissimè « confiteor hujus Ecclesiæ potestatem esse « super omnia, nec ei præferendum quidquam « sive in cœlo sive in terrâ præter unum Dominum Jesum Christum Dominum nostrum. » En in Luthero contectus ovis pelle lupus; at ubi edita est bulla Leonis X, 41 proscribentis extractas ex libris illius propositiones, tum impos mentis, efferati instar lupi, rabidum evomuit, quo tumebat, virus; libellum exaravit cui titulus: *Adversùs execrabilem Antichristi bullam Martinus Lutherus.* Postque combustam bullam coram omnibus quos extra urbem eduxerat scholasticis Universitatis Witemb., satius fore protestatus est Papam ipsum, sedemque papalem ita torreri. Squamei cujusdam et horribilis monstri, quod in Tiberi repertum esse somniaverat, formam pontificio totam accommodat regno, ad eamque putidam allegoriam non reformidat Scripturæ ipsius abuti testimoniis; creber etiam usurpabat istam quâ mirè delectabatur, imprecationem: *Pestis eram vivens, moriens ero mors tua, Papa.*

Dicebat sibi esse in votis ut appensos eidem patibulo cerneret cardinales et Papam; plenum esse Papam diabolis; eumdem esse simul Papam et diabolum velut incarnatum. Hæc et alia quæ referre vetat pudor, deblaterare solebat improbus ille scurra; nec regiæ parcebat majestati; regem Angliæ Henricum VIII, à quo fuerat confutatus, sic desipere statuit, « ut « nescias, inquit, an ipsa mania sic insanire « possit, aut ipsa stoliditas tam stolida sit, « quàm est caput hoc Henrici nostri; fortè ut « verum faciat proverbium : *Aut regem aut « fatuum nasci oportuit.* » Talibus scatet dicteriis libellus cui titulus : *Contra Henricum, regem Angliæ, Martinus Lutherus.* Non verecundiùs aut æquiùs se gessit erga Romanæ ipsa dogmata Ecclesiæ, quàm inter præstantes spirituali vel temporali auctoritate viros. Ne nimis multa congeramus, sit in exemplum dialogus, ut ait, *Papisticus,* cui *divinum* opposuit sermonem :

Divinus. (Sermo.)—*Non habebis deos alienos coram me.*

Papisticus.—*Dicito non habendos deos, sed habeto deos alienos.*

Divinus. — *Honora parentes.*

Papisticus.— *Dicito parentes esse honorandos, sed rebella et occide eos.*

Divinus. — *Non fornicaberis.*

Papisticus. — *Dic non fornicandum ; coge tamen fornicari.* (Tom. 1 edit. Wittemb. anno 1512.)

Cæteras piget prosequi calumnias quibus referta sunt opera Lutheri.

Scripturarum quantùmvis extollere auctoritatem videatur, eisdem tamen addere aliquando non dubitat, quæ suis faveant placitis, vel detrahere quæ officiant; ita suam ut astruat de justificatione per solam fidem, sententiam, his Apostoli verbis Epist. ad Rom. cap. 3 : *Arbitramur hominem justificari per fidem,* subjungit, *solam;* rogatusque cur vocem hanc adjecerit, respondet : « Si tuus Papista morosum et diffi- « cilem se præbere volet de voce, *solâ,* statim « dic : Papista et asinus eadem res est : sic volo, « sic jubeo; sit pro ratione voluntas. » Epist. ad Amicum, de voce *solâ.* In hæc verba Apostoli 1 ad Corinth. cap. 6 : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* addit Lutherus, *tu uxorem;* quâ mente addiderit, nemo est qui non intelligat, qui sanctimonialis Catharinæ de Bore meminerit, cui anno 1525 nupsit insignis ille reformator. E contrariò, ex hâc S. Petri sententiâ : *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis,* detrahit hæc verba : *Per bona opera,* quia bona opera nihil ad salutem prodesse existimaverit. Quo veritatis studio et amore duceretur, inde colligere est quòd gratum sibi obventurum fuisse declararet, si persuaderi à Carlostadio potuisset Christum non esse realiter præsèntem in Eucharistiâ. O quanta tunc incumberet Papismo strages! Hinc in Epist. ad Argentinenses, eâdem de causâ se libenter negaturum profitetur realem hanc Christi præsentiam, nisi obstarent clara Scripturæ testimonia; eodem impulsus animo, in lib. de Formulâ Missandi, generosè sic pronuntiat : « Si quod concilium statueret « aut permitteret utramque speciem (eucharis- « ticam), nos nequaquàm utrâque uti vellemus, « sed in despectum concilii, ejusque statuti, « aut unâ, aut neutrâ uti vellemus, maledic- « turi universos qui ex statuto concilii utrâ- « que uterentur. » Adeò in omnibus dominatum affectabat novus ille Apostolus, inter illos numerandus filios superbiæ, de quibus in lib. Job, cap. 41, v. 25, ut principes, reges, pontifices jactaret non esse dignos, qui calceamentorum ipsius corrigiam solverent, tract. contra regem Angliæ; nec se multùm curare de mille Cyprianis, mille Augustinis, etc.; arrogantiam illam et impudentiam dissimulare non potuerunt ejusdem discipuli, quos inter sic loquitur in universali suâ Bibliothecâ Conradus Gesnerus : « Faxit Deus ne contentione et im- « pudentiâ oris obsit Ecclesiæ suæ, cujus « olim crepundia tam feliciter promovit. »

Quid dicendum videatur de altero prætensæ reformationis principe, Calvino? In maximi momenti dogmatibus quantùmvis à Luthero dissideat, illum tanquàm sincerum evangelicæ doctrinæ præconem ad cœlos evehit : « Nunc « quoque sicut hactenùs, inquit, non dissi- « mulanter testamur, eum nos habere pro in- « signi Christi Apostolo, cujus maximè operâ « et ministerio, restituta hoc tempore fuerit « Evangelii puritas. » Respons. contra Pugium, de libero Arbitrio, pag. 142. Modestiæ dùm captat laudem Calvinus, atro et mordaci felle sua passim conspergit opera; adversarios suos his non dedignatur afficere encomiis : nebulones illos scilicet vocat, stultos, perditos, ebriosos, furiosos, bestias, tauros, asinos, canes, porcos, etc. Sic, v. g., Westphalum, admonitione ultimâ, versùs finem, sic compellat : « Audisne, latrator? audisne, phrenetice? « audisne, bestia? » Venerandos Ecclesiæ Patres,

admirator suî alto despicatur supercilio ; audiatur illustrissimus Bossuetius Calvinum cum Luthero conferens : « S'il faut faire la comparaison de ces deux hommes, il n'y a personne qui n'aimât mieux essuyer la colère impétueuse et insolente de l'un (Luther), que la profonde malignité et l'amertume de l'autre, qui se vante d'être de sang-froid, quand il répand tant de poison dans ses discours. » Hist. des variations, lib. 9, tom. 2.

Non hìc de moribus Calvini ulteriùs inquirendum existimamus, quem profectò impudentiâ vicit Lutherus, affirmare non veritus magis esse necessarium feminæ usum, quàm edere, bibere, dormire; atque si uxor debitum recusaret, licitum fore uti ancillâ.

ARGUMENTUM III. — *Ex Protestantium dogmatibus ac disciplinâ.*

Ineluctabili necessitate ad malè agendum pertrahi illos quicumque peccant, decernunt Lutherus et Calvinus ; nihil aliud toto in tractatu de servo Arbitrio statuit Lutherus, cujus operis à primordio id generatim pronuntiat : « Quidquid fit à nobis sive boni, sive mali, « malâ necessitate fit. » Horrendum istud commentum, sub finem ejusdem libri, *causæ summam, et rerum cardinem* appellat. Doctrinam hanc haud minori protulit audaciâ Calvinus : « Quòd, inquit, voluntatem dico necessitate « in malum trahi vel duci, mirum est si cui « videatur aspera locutio, quæ nec absonum « habet quippiam, nec à sanctorum usu aliena « est. » Lib. 2 Institut. cap. 3, num. 5.

Quem vitiis et cupiditatibus ponent modum qui sibi in animum induxerint sese ad peccandum insuperabili necessitate obstringi, cùm omnium mentibus insitum sit, neminem ob id posse justè condemnari, quod cavere non potuerit? Neminem apud Deum mercedem ullam mereri, non solùm docuerunt prætensæ reformationis duces, verùm etiam totidem esse mortifera peccata, justorum opera, quamvis ob fidem credentibus non imputentur. Quid hâc doctrinâ efficacius ad retardandos et deterrendos à servandis Dei mandatis jam ad vetitum proclives animos ? Frustra reponeretur necessaria esse bona opera, haud quidem *necessitate efficaciæ, sed necessitate præsentiæ*, in testimonium, seu ut signa fidei, per quam tanquàm per manum apprehendatur Christi justitia quæ peccata operiat ; egregium porrò fidei præstabunt testimonium opera, quæ per se tota vergant in hominum damnationem, atque reipsà eam accerserent, nisi misericorditer condonarentur !

Homines ad peccata (quod quidem audire christianæ refugiunt aures), auctore Deo incìtari, compelli et adigi tradiderunt pariter et Lutherus et Calvinus. Illo quidem detestando dogmate Lutherus nihil habet antiquius : « In « cæteris articulis, inquit in assertionibus, « articulo 36, de Papatu, Conciliis, Indul« gentiis, aliisque non necessariis nugis fe« renda est levitas et stultitia Papæ et suorum ; « sed in hoc articulo, qui omnium optimus et « rerum nostrarum summa est, dolendum ac « flendum miseros sic insanire. » Arcana suæ doctrinæ reserat lib. de servo Arbitrio, cùm objicienti Erasmo indurationis et obcæcationis non esse propriè auctorem Deum, ita respondet : « Cùm dicit (Deus) : *Ego indurabo « cor Pharaonis* simpliciter loquitur, ac si dice« ret : Ego faciam ut cor Pharaonis indure« tur, seu ut me operante et faciente indure« tur.... Foris offeram verbum et opus in quod « impinget impetus ille malus, cùm aliud non « possit nisi malè velle, me ipsum malum mo« vente virtute omnipotentiæ. » Peccati auctorem Deum facere neque pertimescit Calvinus : « Absurdum, inquit, videtur volente ac « jubente Deo excæcari hominem qui mox cæ« citatis suæ pœnas daturus est ; tergiversando « itaque effugiunt, Dei tantùm permissu, non « etiam voluntate hoc fieri ; ipse verò palam se « facere pronuntians effugium illud repudiat. » Instit. lib. 1, cap. 18. Blasphemiam pluribus nititur defendere ; ad illam accommodat quæ referuntur in Scripturis de tentationibus Job, de perfidi regis Achab deceptione, de suscepto à Judæis Christum occidendi proposito. Cum sanctitate doctrinæ quâ ratione cohærere possint tam absurda, tam contraria divinæ bonitati, sapientiæ et justitiæ dogmata ?

Si fortè dicatur doctrinam hanc in libello præsertim contra libertinos, Calvinum tanquàm impiam insectari, respondebimus inde argui hæreticorum in docendo inconstantiam, cùm tempori, loco et causæ suæ commodis, inserviant, atque vertiginis motu, ebriorum instar circumacti, quòcumque rapit disputationum æstus, illùc non minùs sibi quàm fidei catholicæ dissentientes detrudantur et allidantur.

Habenas omnes impietatis ac scelerum cuilibet generi laxaverunt Lutherus et Calvinus, statuentes solâ fide quâ sibi credat applicari merita Christi, peccatorem ita justificari, ut eâ stante gravissimis quantùmlibet peccatis

justificatio amoveri non possit. « Vides, inquit « Lutherus, quàm dives sit homo christianus « sive baptizatus, qui etiam volens non potest « perdere salutem suam, quantiscumque pec- « catis, nisi nolit credere; nulla enim peccata « eum possunt damnare nisi sola incredulitas. » Lib. de Captivitate Babylonicâ, art. de Baptismo. Luthero longiùs progressus est errando Calvinus : præter enim absolutam cui patrocinatur Lutherus, justificationis certitudinem, ejusdemque quamdiù permanet fides, inexpugnabilem stabilitatem, absolutam salutis ipsius certitudinem, ac proinde absolutam quoque in susceptâ fide immutabilitatem, quam Lutherus inficiatur, pro aris et focis propugnavit. « In « summâ, inquit, verè fidelis non est, nisi « qui solidâ persuasione, Deum sibi propitium, « benevolumque patrem esse persuasus, de « ejus benignitate omnia sibi pollicetur; nisi « qui divinæ erga se benevolentiæ promissio- « nibus fretus, indubitatam salutis expectatio- « nem præsumit. » Lib. 3 Instit. c. 2. Pluribus hanc assertionem confirmare adnititur, persuadere molitus, fidem quam à justificatione indivulsam profitetur, nunquàm posse excidere. Ita in Antidoto (Tridentinæ synodi).

Tali autem dogmate quàm lata recluditur corruptelæ morum et flagitiis omnibus janua! exosam tamen ac lethalem hanc doctrinam expressis verbis sanxerunt Protestantes in synodo nationali Dordrectanâ.

Canone 6° : « Deus enim, inquiunt, qui dives « est in misericordiâ, ex immutabili electionis « proposito, spiritum etiam in tristibus lapsis « à suis non prorsùs aufert, nec eos usquè « prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis ac justifi- « cationis excidant. »

Canone 7° : « In istis lapsibus conservat in « illis semen illud suum immortale, ex quo « regeniti sunt, ne illud pereat aut excutia- « tur. »

Canone 8° : « Ita non suis meritis et viribus, « sed ex gratuitâ Dei misericordiâ id obti- « nent, ut nec totaliter fide et gratiâ excidant, « nec finaliter in lapsibus maneant aut per- « eant. »

Ita statuit appellata synodus contra remonstrantes (1).

Tali dogmati de inamissibili justitiâ, si Calvinianum aliud adjungatur, quo decernitur justificari fidelium infantes divini virtute pacti, atque instar hæreditatis transmitti justificationem illam, evidenter consequitur fidelis cujuslibet filios et nepotes, ab initiis usque ad finem mundi computandos, certissimâ et irrevocabili ad vitam æternam prædestinatione donari, ut observat doctiss. Bossuetius Variat. tom. 2.

Evangelicæ integritatem disciplinæ quanti facerent prætensæ reformationis principes colligitur ex famosâ Consultatione quâ Lutherus, Melanchton, Bucerus et alii quinque earumdem partium doctores, Philippo landgravio Hessiæ licitum esse voluerunt, « ut honestam ac vir- « tuosam virginem Margaretam de Saal, etsi « prior suæ celsitudinis conjux adhuc sit in « vivis, » duceret in matrimonium. De hâc decisione vid. Variat. lib. 6, versùs finem.

De contemptâ principum auctoritate in prætensâ reformatione, gestisque eâ conspirante contra eosdem bellis consule mox citatum tractatum Bossuetii de Variat., ejusdemque eximium Commonitorium 5 contra Juriæum; Historiam adde Calvinismi à D. Soulier conscriptam; Protestantium deinde societatis hanc agendi rationem conferas cum illâ invictâ patientiâ quam sævientibus ultra modum persecutionibus catholica exhibuit Ecclesia, egregiis Tertulliani aliorumque celebratam encomiis, planumque erit quo spiritu conflata et jactata fuerit prætensa reformatio.

ARGUMENTUM IV. — *Ex miraculorum defectu et prætensæ fructibus reformationis.*

Collatum est Ecclesiæ donum miraculorum, quibus maximè, ut ostendimus, sanctitas ejus pro variis temporum adjunctis confirmata est; at quantùmvis donum illud ad missionem extraordinariam novis reformatoribus qui ordinariâ caruerunt, asserendam, fuisset necessarium, nulla tamen ut etiam adnotavimus, miracula ediderunt, tam discrepantes à Christi legatis illi Apostoli, nisi tamen ducatur in miraculis quod refertur anno 1545 Luthero contigisse, qui dæmonium ejicere à puellâ, in ecclesiam parochianam Witembergensem eo jubente adductâ cùm tentavisset, tum urgente, et fores obstruente maligno dæmone, redactus ad angustias effugere vix potuit; multis coram doctoribus eruditis viris hoc factum est : « In- « ter quos, ait Staphylus, tum ego quoque « juvenis magister aderam. » (In absolutâ Responsione contra Jacobum Smidelinum.)

Memoriâ haud secùs dignum, quod anno 1560 præstitisse dicitur Calvinus, quo paciscente, et

(1) Vide opus insigne cui titulus : *Le renversement de la morale de Jésus-Christ par les erreurs des Calvinistes.*

vitæ subsidia pollicito, inops quidam nomine Bruleus mortuum se simulaverat, ut ab eodem suscitari videretur, *verè esse mortuus repertus est*. Singulare illud miraculum narrat Bolsecus in Vitâ Calvini, cap. 13, et subjicit : « Negent hoc quantùm velint Calvini mancipia, « exploratum et cognitum satis fuit, veritasque « rei probata, imò per ipsam uxorem confir- « mata. » Hùc sanè revocatur quod quibusdam de novatoribus sui temporis animadvertebat Tertullianus de Præscr. c. 31 : « Agnosco « maximam eorum virtutem, quâ Apostolos in « perversum æmulantur ; illi enim de mor- « tuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos « faciunt. »

Quod attinet ad prætensæ fructus reformationis, ipse Lutherus in Postillâ in Evangelium dominicæ primæ Adventûs, hoc suis sectatoribus perhibet cogente veritate testimonium : « Mundus in dies fit deterior ; sunt nunc ho- « mines magis vindictæ cupidi, magis avari, « magis ab omni misericordiâ remoti, magis « immodesti et indisciplinati, multòque dete- « riores quàm fuerint in papatu. » Luthero concinit Jacobus Andreas Smidelinus in concione quartâ in caput 21 Lucæ : « Ut totus « mundus agnoscat eos non esse papistas, nec « bonis operibus quidquam fidere, illorum « etiam operum nullum exercent penitùs ; je- « junii loco comessationibus et perpotationibus « nocte dieque vacant ; ubi pauperibus benignè « facere oportebat, eos deglubunt et excoriant ; « precationes vertunt in juramenta, blasphe- « mias et divini nominis execrationes, idque « tam perditè, ut Christus ne ab ipsis quidem « Turcis hodiè tantoperè blasphemetur ; demùm « pro humilitate regnat passim superbia, fastus, « elatio, atque hoc universum vitæ genus ab « illis evangelicum dicitur institutum. » Eorumdem mores quos apprimè noverat Erasmus, nativis indicavit lineamentis : « Circumspice, « inquit, populum istum evangelicum, et ob- « serva num minùs illic indulgeatur luxui, « libidini et pecuniæ quàm faciant illi quos « detestamini : profer mihi quem istud evan- « gelium ex comessatore sobrium, ex feroci « mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico « benedicum, ex impudico reddiderit verecun- « dum ; ego tibi multos ostendam qui facti sunt « se ipsis deteriores. » In Epist. ad Vulturium Neocomum, ann. 1529.

Hæccine referunt imaginem ac speciem primigeniæ illius Ecclesiæ in Actibus Apostolorum, in Apologetico Tertulliani et aliàs descriptæ, quam suo modo instaurare aggressi sunt novi evangelistæ ; de conversis christianam ad religionem, testimonium istud ethnicorum refert Tertullianus : « Quos retrò ante « hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, « ex ipso quo denotant, laudant ; cæcitate odii « in suffragium impingunt. Quæ mulier ! quàm « lasciva ! quàm festiva ! qui juvenis ! quàm « lusius ! quàm amasius ! facti sunt christiani. » Apolog. c. 3. Qui verò prætensam reformationem erant amplexi, deteriores moribus solebant, testibus eorumdem Apostolis, evadere. nonne hoc stupendum est, ut ad eruendam suis velut ex ruderibus (si Protestantibus credere fas est), Ecclesiam, revocandamque exulantem penè à terris justitiam suscepta, tantoque molimine promota reformatio, vitæ humanæ depravationem potiùs quàm emendationem attulerit.

Propositio III. — *Catholicitate caret societas Protestantium.*

Ecclesiæ Christi tam propria est catholicitas, ut veram quærentibus Ecclesiam, eâ proprietate vel maximè soleat designari ac demonstrari. « Quòd si fortè, inquit S. Cyrillus Hierosoly- « mitanus, catech. 18, veneris in civitates, « non simpliciter interroga, ubi sit dominicus, « seu domus Domini ; nam et reliquæ impio- « rum hæreses dominicos, quamvis pollutos « habitare non dubitant ; neque id tantùm « quæras simpliciter ubi sit Ecclesia, sed ubi « catholica Ecclesia ; hoc enim proprium no- « men est sanctæ hujus et matris omnium nos- « trûm, quæ est sponsa Domini nostri Jesu- « Christi, unigeniti filii Dei. » Idem animadvertit S. Augustinus, lib. de verâ Religione, cap. 7, et lib. contra Epist. Fundamenti, cap. 4. Hinc de suâ paucitate, cùm eam dissimulare non possent, gloriabantur Donatistæ : « Ideò, « aiebant, magis justi sumus, quia pauci su- « mus. » Eumdem ferè in modum jactabant se Pelagiani : quibus inter alia reponebat S. August. : « Nolite de paucitate gloriari ; parricidæ « et pauci, et pessimi sunt. » Numerosiores licet Donatistis et Pelagianis Protestantes, catholicitatem vindicare sibi tamen non possunt ; vix in Oriente innotuerunt Lutherani et Calvinistæ, aut si de iis aliquid auditum fuerit illis in regionibus, ibi, ut partium occidentalium habentur hæretici ; in Occidente autem, quamvis ad animarum perniciem grassati multùm fuerint, nemo, si quas infecerint plagas, mente perlustrare voluerit, diffitebitur longè illis in

hâc etiam mundi parte Romanam antecellere extensione et amplitudine Ecclesiam.

Præfationem Concordiæ Lutheranorum ita mendacii redarguebat Bellarminus : « Dicunt « Confessionem Augustanam in toto orbe ter- « rarum percrebuisse, et in ore et sermone « esse cœpisse ; at ex tribus partibus orbis terræ « duæ majores, Asia et Africa ; nec nomen hujus « Confessionis audierunt ; in Europâ multæ « provinciæ, ut tota Græcia, Italia, Hispania « vel nesciunt quid sit Confessio Augustana, « vel execrantur ; Gallia, Helvetia, Britannia « non recipiunt nisi nomine tenùs. » De notis Ecclesiæ, cap. 4, tom. 2, de Controversiis. Adjicere possumus in Americâ pariter latiùs multò paterè Romanam quàm Protestantium communionem ; nec omittenda Bellarmini loc. cit. adnotatio altera, quæ spontè ipsa mentibus occurrit. « Quamvis, inquiebat, videantur hære- « tici hoc tempore magnam partem septentrio- « nis obtinere, tamen non tenentur omnia illa « loca ab unâ sectâ, sed à plurimis quæ inter « se non minùs pugnant quàm nobiscum. » Præterea quid responderent Protestantes sciscitantibus, ubi tum esset vera et catholica Ecclesia, cùm orbem totum, si fieri potuisset, suis contaminare erroribus constituerunt Lutherus et Calvinus ? unde sic premebat Calvinistas Nicolius : « Que s'il est visible que la société des « Calvinistes ne peut être prise pour l'Eglise de « Jésus-Christ, en la considérant dans son plus « grand éclat, que sera-ce si on la considère « dans l'état où il nous la figure avant Luther? « Ils sont contraints de recourir à la préten- « due église Vaudoise, établie dans quelques « endroits du Piémont et de la Bohême ; et « M. Claude y ajoute de certains fidèles cachés « au milieu de la communion romaine, qu'il « prétend avoir été dans les sentiments de Lu- « ther et de Calvin, et y avoir conservé la vraie « Eglise. » *Les prétendus Réformés convaincus de schisme*, part. 3, cap. 1. Ita societatem suam catholicitate carere intellexerunt Protestantes, ut alii cum Claudio ad invisibilis Ecclesiæ commentitiam ideam confugerint, alii Ecclesiam finxerint ex omnibus conflatam societatibus quæ fundamentalia, ut aiunt, dogmata retineant ; hoc utrumque refellendum figmentum curavimus, quo quidem demonstratur non esse quærendam in societate Protestantium veram Ecclesiæ catholicitatem.

Denique reponere non possunt hæretici sectas suas totum esse labentibus annis occupaturas orbem ; nam, ut rectè respondet Bellarminus, non debet *nunc* incipere Ecclesia crescere, atque absurdissimum si duxerit S. Augustinus quòd hæresis Donatistarum post annum Domini 300 ex Carthagine esset propaganda in omnem terram (lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 14 et 15), quantò magis absurdum erit, nunc primùm post tot quæ effluxerunt ab illâ ætate secula, per Lutheranam et Calvinianam hæreses, Ecclesiam Christi in omnes populos, ut impleantur vaticinia prophetarum, esse diffundendam. Ortum Lutheranæ vel Calvinianæ hæresis, certè non expectavit Ecclesia Christi, ut sicut prænuntiatum fuit, totum per orbem promoveretur.

Propositio IV. — *Carent apostolicitate Protestantes.*

I. Totâ in societate Protestantium desiderari apostolicitatem jam hoc ipso constat, quòd eam carere missione tum ordinariâ tum extraordinariâ, primâ hujus articuli propositione demonstratum sit ; quo quidem defectu nihil magis à muneris apostolici ratione abhorreat : ut etiam latè art. 4 sect. præc. explicatum est.

II. Ad apostolicitatem necesse est, ut illam, sibi vindicantis origo societatis, ad Apostolos, ipsumque Christum Dominum referri possit. At ubi vigebant ante Lutherum Lutherani, ante Calvinum Calvinistæ ? Illos omnes quamvis præcesserint, qui aliqua eorum tenuerint dogmata, id non sufficit veros ut antecessores, ejusdemque societatis et communionis antesignanos habuerint ; alioquin societate et communione Mahumetanis consociarentur, utpote quasdam doctrinæ partes profitentibus (ut puta de unitate et providentiâ Dei), quas profitentur Christiani. Quòcumque se vertant hæretici, præcedentia tempora mutare nequeunt, neque societatis suæ retroagere primordia : « Les fausses religions, inquit illustriss. Bos- « suet., ont pu imiter l'Eglise en beaucoup de « choses, et surtout elles l'imitent en disant « comme elle, que c'est Dieu qui les a fon- « dées : mais ce discours, en leur bouche, « n'est qu'un discours en l'air ; car si Dieu a « créé le genre humain, si, le créant à son « image, il n'a jamais dédaigné de lui enseigner « le moyen de le servir et de lui plaire, toute « secte qui ne montre pas sa succession depuis « l'origine du monde, n'est pas de Dieu. » Et eumdem in sensum sic aptè loquitur de omnibus hæresiarchis idem sapientissimus præsul : « Il paraîtra toujours aux yeux de tout l'uni- « vers qu'eux et la secte qu'ils ont établie,

« se seront détaché de ce grand corps et de « cette ancienne Eglise que Jésus-Christ a fondée, où S. Pierre et ses successeurs tenaient « la première place, dans laquelle toutes les « sectes les ont trouvés établis. Le moment de « la séparation sera toujours si constant, que « les hérétiques eux-mêmes ne le pourront « désavouer, et qu'ils n'oseront seulement pas « tenter de se faire venir de la source, par une « suite que l'on n'ait jamais vues'interrompre. « C'est le faible inévitable de toutes les sectes « que les hommes ont établies. Nul ne peut « changer les siècles passés, ni se donner des « prédécesseurs, ou faire qu'ils les ait trouvés « en possession. La seule Eglise catholique « remplit tous les siècles précédents, par une « suite qui ne peut lui être contestée : la loi « vient au-devant de l'Evangile. La succession « de Moïse et des Patriarches ne fait qu'une « même suite avec celle de Jésus-Christ. » *Discours sur l'Histoire universelle,* seconde partie, chap. 30. Protestantes igitur, et omnes alios qui Romanæ communionem Ecclesiæ deseruerunt, istis possumus breviter evincere Tertulliani quæstionibus : « Qui estis ? quando et « unde venistis? quid in meo agitis non mei? » De Præscr. c. 37. Unde S. Hieronymus contra Luciferianos : « Ex hoc ipso, inquit, quòd « postea instituti sunt, eos esse indicant quos « futuros Apostolos prænuntiavit. »

III. Protestantes perpetuâ pastorum successione destituuntur, legitimoque proinde ministerio. Hæc assertio probatione non indiget; cùm enim postremis nati sint Ecclesiæ seculis, prætendere nequeunt societati suæ perpetuam pastorum seriem. Dicebat de Novatiano S. Cyprianus Epist. ad Magnum : « Novatianus in Ecclesiâ non est, nec episcopus computari potest, qui evangelicâ et apostolicâ traditione « contemptâ, nemini succedens, à seipso ortus « est. » Notanda sunt hæc verba : *Nemini succedens à se ipso ortus est;* quæ Luthero, quæ Zuinglio et cuilibet alii hæresiarchæ accommodari possunt. Quidquid igitur obloquantur et obstrepant, jure nullo prædiți sunt apostolico fungendi ministerio, per ostium non intrantes, atque positos à Patribus terminos revellere molientes: « Quo denique, Marcion, jure, « inquit Tertullianus loc. cit., sylvam meam « cædis ? quâ licentiâ, Valentine, fontes meos « transvertis ? quâ potestate, Apelles, limites « meos commoves ? » Veteres illæ querelæ mutatis nominibus, ultrò incidunt in prætensæ reformationis auctores, eorumdemque consortes : « Scripturas obtendunt, et hâc suâ audaciâ statim quosdam movent : in ipso verò « congressu firmos quidem fatigant, infirmos « capiunt, medios cum scrupulo dimittunt, « hunc igitur potissimum gradum obstruimus, « non admittendos eos ad ullam disputationem. « Si hæ sunt illæ vires eorum, uti eas habere « possint, dispici debet cui competat possessio « Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui « nullo modo competit. » Ibid. cap. 15.

IV. Non vacillat, non dissimilis sibi, non se ipsam circumvenit apostolica doctrina : Deum æmulatur, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jacobi Epist. cathol. cap. 1). At Lutherum à Luthero, Calvinum à Calvino, Lutheranos à Lutheranis, Sacramentarios à Sacramentariis, dissentire in eâ quam jactarent apostolicam, doctrinâ, probatu facillimum est. Quædam duntaxat exempli causâ, ne increscat supra modum volumen, subjiciemus :

Lutherus de præparatione ad mortem : « In « mortis articulo (qui jacet), inquit, beatam « Virginem, angelos, proprium Apostolum et « sanctos reliquos, quibus in vitâ servivit, in« vocare non cesset, ut pro se intercedant ad « Dominum. » Idem verò in articulis ad concilium Mantuanum missis, sic pugnantia loquitur : « Invocatio sanctorum est etiam de nu« mero antichristianorum abusuum, quæ pu« gnat cum præcipuis articulis, et delet Christi « agnitionem. » In declaratione quorumdam articulorum : « Utraque, ait, præcepta et Dei « et Ecclesiæ servanda sunt. » Idem autem in Confessione : « Ab humanis constitutionibus « et præceptis tanquàm à maximo infortunio « cavendum et fugiendum nobis. » Commemoravimus quantùm à se ipso de auctoritate summi pontificis Lutherus dissideat (propositione secundâ). Octoginta variationum Lutheri exempla Coccius enumerat (Jodocus Coccius in opere cui titulus : Thesaurus catholicus).

Calvinus lib. 1 Institutionum, cap. 18 : « Absurdum, inquit, videtur volente et ju« bente Deo excæcari hominem, qui mox cæ« citatis suæ pœnas daturus est : tergiversando « itaque effugiunt Dei permissu, non etiam « voluntate hæc fieri : ipse verò se palam fa« cere pronuntians, effugium repudiat. » Ad cap. 9 Epist. ad Romanos, eamdem edidit blasphemiam; hæc sunt ejus verba : « Non modò « prægognita fuit impiorum perditio, sed im« pii fuerunt destinatò creati ut perderentur. »

Idem tamen ad cap. 3 Joannis, contrarium penitùs dogma enuntiat : « Ne quis suam damnationem Christo adscribat, propriæ cujusque culpæ imputandum esse docet. » Ad cap. 23 Joannis : « Non imponit Christus Judæ pereundi necessitatem. »

De Lutheranorum à Lutheranis, et Sacramentariorum à Sacramentariis, consule inprimis doct. Bossuetium, in libro cui titulus : Histoire des variations des églises protestantes.

Objic. 1° : Illi habendi sunt veri Apostolorum discipuli et hæredes, legitimâque missione prædîti, qui apostolicam sequantur ac defendant veritatem, quam vident humanis supra modum violatam commentis, et pestiferâ penè oppressam errorum undequàque affluentium farragine. Fatiscentem illam, et quasi obrutam, sub Romanæ præsertim Ecclesiæ dominatu cernebant, qui reformationis facti sunt auctores et Apostoli : tùm sese divinitùs præordinatos intellexerunt ad evangelicæ defensionem ac tutamen Ecclesiæ, innumerosque populos ab æterno dimovendos interitu : compellente itaque Spiritu sancto, ac præcellentibus instructi ad id muneris dotibus, totos se impenderunt Ecclesiæ Christi, pristinum in decus, priorem que incolumitatem restituendæ ; urgebat opitulandi necessitas : deflagrabat domus Dei; extrema undique imminebat clades; strenuè tùm auxiliantibus præstantibus viris, nonne gratulandum fuit potiùs quàm quomodò mitterentur sollicitè exquirendum ?

Resp. 1° : Ad id quod objicitur aptissimam suppeditat responsionem ipse Lutherus, quâ imprudenter explodit eam quam usurpaverat missionem.

« Omnes, inquit, parochi et magistratus diligenter attendere debent, et de hoc suos diligenter monebunt, ut concionatores qui seipsos intrudunt, tanquàm nebulones et certos diaboli nuntios devitent, nisi fide digum testimonium suæ à Deo vocationis attulerint : alioquin eos non audient, nec admittent, etiamsi purum putum Evangelium docere velint, nec si angeli aut meri Gabrieles è cœlis fuerint. Nihil enim recipit Deus quod fit ex propriâ electione et devotione, sed omnia ex mandato et vocatione fieri vult. Propterea etiam Christus diabolos noluit prædicare, etiamsi ipsum esse Filium Dei faterentur et veritatem dicerent : noluit enim permittere ut quisquam sine vocatione prædicaret : ergo sic quisque faciat qui prædicare et docere voluerit : demonstret se vocatum ; ostendat mandatum quo cogatur ; si noluerit, tradat magistratus hujusmodi nebulones lictori. »

Quid igitur respondisset Lutherus eum sic alloquenti orientalis vel occidentalis Ecclesiæ alumno? Ex ore tuo judicaberis ; tanquàm nebulo abjiciaris necesse est, certusque diaboli nuntius, nisi dignum vocationis tuæ testimonium attuleris, *etiamsi purum putum Evangelium docere constituas ;* itaque si placet, habearis angelus, vel per te loquatur dæmon, ille tuus, ut profiteri non erubeseis, famoso in colloquio, magister, inficiari non audeas tantæ molis esse, novam condere, totumque per orbem protendere Ecclesiam, ut nec *propriâ* electione possis tantum opus aggredi nisi reprobante Deo, nec tibi credendum sit immediatam missionem, absque miraculis, aliisque supra naturam donis, arroganti.

2° Quâ ratione ipsa veræ et sanæ doctrinæ professio necessitatem tolleret missionis, aut ullo modo labefactaret? Non est necessaria, nec divinitùs datur missio ad impugnandam fidem, disseminandaque spuria dogmata ; non ad mendacii, sed ad veritatis prædicationem, postulatur missio : ergo etiamsi tam constaret veram effudisse doctrinam prætensæ duces reformationis, quàm constat prolatam ab ipsis nefariam errorum colluviem, damnandæ tamen usurpationis incurrissent scelus, cùm absque missione ecclesiasticum assumerent sibi ministerium, eò temeritatis provecti, ut quem invenerint constitutum ordinem, prorsùs invertere machinarentur.

3° Alia sunt veritatis doctrinæ, alia sunt legitimæ missionis testimonia : veritas doctrinæ adstruitur verbo divino scripto vel tradito : utrùm autem legitimam obtinuerint missionem Lutherus, Zuinglius, Calvinus, id pendet ex factis nullibi revelatis : imò demonstratum est eos caruisse tum ordinariâ tum extraordinariâ missione.

4° Id omnibus hæresiarchis solemne est, ut concidisse, vel saltem ad exitum vergere conquerantur infensam novitati, novatoresque projicientem ac repellentem à communione suâ, Ecclesiam. Jactitant reseratos sibi veritatis fontes, quasi cæteris omnibus antea reconditos : quidquid profantur, verbum Dei est ab omni defœcatum labe, nec nisi temerè aut stolidè potest in dubium revocari : ac si tanta urgeret reformationis in fide ac moribus necessitas, numquid à sexto saltem seculo, quo

insulsis et impiis pollutam esse dogmatibus Ecclesiam finxerunt Protestantes, deseruisset Deus ad decimum usque sextum, quo evangelicæ, ut putant, doctrinæ facem Lutherus et Calvinus extulerint? Ergone credibile est, ut Deus tam necessarios tamdiù distulerit reformatores, quibus arcana cœlestis doctrinæ esset manifestaturus, quæ tum sanctissimos et ad veritatem anhelantes viros, tum generalia ipsa concilia inexorabilis hactenùs celavisset? Nemo erit sanæ mentis, qui Lutheri et Calvini declamationibus carere potuisse orbem christianum, potiùs non credat, quàm fuisse tot seculis à Christo salvatore contemptam, repulsam, fœdissimisque traditam, et intabescentem erroribus Ecclesiam.

5° Venditent ut collibuerit, pseudo-reformatores, ingenii dotes, et scientiarum quam sibi tribuunt supellectilem; certè in his quæ pertineant ad scientiam salutis, sanamque doctrinam, non se existimabunt Apostolis superiores, quos, ut Christus prædixerat, docuit Spiritus omnem veritatem : attamen evangelico non ausi fuissent defungi ministerio, nisi legatione muniti quam acceperant à Christo his verbis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* : de illis maximè loquebatur S. Paulus cùm diceret : *Quomodò verò prædicabunt nisi mittantur?* (Ad Rom. cap. 10.)

De ipsomet Christo memorandum illud perhibet testimonium idem Apostolus : *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te,* (Ad Hebræos, cap. 5.) Hinc toties admonendum curavit ipse Christus sese missum fuisse à Patre : tum quare noluerit per semetipsum gentibus prædicare evangelium, hanc exhibuit rationem : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel,* (Matth. cap. 15.) Adeò cavebat unigenitus Dei Filius factus homo, ne quid aggrederetur præter missionem à Patre acceptam, quam innumeris confirmavit miraculis.

Inst. 1° : Propositam de necessitate missionis quæstionem resecare facile est verbis Christi, Joann. 8 : *Si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi; quicumque ex Deo est, verba Dei audit.* Parvi refert populorum saluti utrùm speciali missione donati sint, qui prædicandi susceperint munus, dummodò vera et salutaria prædicent : sicut ægrotorum non magnoperè interest à quibusnam remedia subministrentur, dummodò resarciendæ idonea valetudini; nonne generatim fideles hortatur Apostolus, opportunis ut illos monitis imbuant, quibus hæc prodesse possint? Ad Roman. cap. 15, v. 4, ad Thessal. secundæ cap. 3, v. 5. Nonne *mandavit Deus unicuique de proximo suo,* Ecclesiastici cap. 17. Ut quid necessaria est missio ad ingerendam doctrinam quam promulgaverunt missi divinitùs Apostoli?

Resp. : Qui dixit : *Si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi?* ipse quoque dixit : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent :* et iterùm : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Non prædicavit Christus nisi missus à Patre, et quidem missione evidentibus consignatâ miraculis : quo maximè exemplo revincuntur temerarii, qui nullam missionis ordinariæ vel extraordinariæ probationem afferentes, involare audeant in apostolatûs auctoritatem ac munia. Hos itaque illis compellare promptum est verbis Tertulliani : « Nemo veniens ex alterius auctoritate, ipsam « sibi ex suâ affirmatione defendit. » (Lib. 3 contra Marcionem, cap. 2.)

Tametsi fructum aliquem percipere potuissent (quod ipsâ propositi naturâ et experimento refellitur), qui prætensæ reformationis auctorum concionibus aures accommodârunt, an inde sequeretur non esse violatum ab audacioribus illis Apostolis divinum mandatum de non usurpando ministerio? Ac idcircò subtracti sunt intentato Core ejusque sociis anathemati? Neque à delicto immunes haberi possunt, qui talibus se institutoribus tradiderunt; schisma enim quod duces inchoant, populus consectando fovet, quorum protervia in seipsâ contabesceret, si nemo ipsis adstipularetur; quod intelligens Moyses : *Recedite,* inquit, *à tabernaculo hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* (Num. cap. 16, v. 26.)

Nihil ad rem exemplum ductum à salutaribus remediis à quocumque subministratis : nulla enim requiritur missio nec auctoritas, ut laboranti proximo recuperandæ sanitatis efficacia indicari possint adjumenta; nec aptiùs nobis objiciuntur Apostoli hortationes de admonendis et corripiendis ex charitate fratribus; errantes admonere et revocare ab errore, ipsis modò impares non sint, licet mulieribus, quibus tamen præcipit Apostolus *ut in Ecclesiis taceant,* 1 ad Corinth. cap. 4.

Alia sunt charitatis, alia sunt auctoritatis officia : aliud est corripere inquietos, consolari pusillanimes, convertere peccatores ab errore

viæ suæ, etc., quod sine adjunctâ auctoritate fieri potest ; aliud pastoris munia invadere, Ecclesias constituere, præfecturam in Ecclesiâ Christi gerere ; sicut in temporali regno, aliud est perperam agentibus, legesque aspernantibus, monita salutis adhibere ; aliud verò adsciscere sibi magistratuum munera aut militare imperium, vel ipsum reipublicæ clavum arripere. Frustraque obtenderetur auxiliandum esse proximo, id si fieret per nefas, et contra ordinem à supremo numine præstitutum.

Objicies 2° : Ad Ecclesiæ reformatorum testandam missionem si miraculis opus sit, pro maximo habenda est miraculo ipsa reformationis propagatio : quot hominum millia pronis eam susceperunt animis in Germaniâ, in fœderatis provinciis, intrà Gallias, etc.! Quàm ubere fructu processit majorem in Britanniam, in Sueciam, in Daniam, etc.! Quæ nascentis Ecclesiæ Apostolos adjuvabat omnipotens manus, divinaque sapientia, eadem reformandæ destinatis Apostolis Ecclesiæ, præstò fuit, stupendumque in modum opitulata est : adde martyres quos habuit reformationis causâ, multos quidem et insuperabiles, sicut suos olim dùm maximè floruit, christiana religio. Hinc potuerunt Protestantes quosdam sic alloqui Romanæ vindices Ecclesiæ : *Plures efficimur, quoties metimur à vobis,* (Tertull. Apolog. cap. ult.)

Resp. Nequaquàm ex solâ religionis alicujus diffusione colligi potest, illius auctorem esse Deum ; totum penè orbem occupaverat idololatria : num idcircò Deo probata est, et consona rationi? Quot, heu! gentes pervasit, suasque pertraxit in partes Mahumetana superstitio! Numquid colendus nobis et sequendus infamis qui ipsam armorum vi, voluptatumque lenociniis invexit propheta? Divina procul dubio et admiranda Christianæ religionis propagatio : quod enim pauci Apostoli è gente Judaicâ cæteris invisâ oriundi, illâ ipsâ in gente abjecti et ignobiles, sine litteris, absque ullâ arte dicendi, linguarum prorsùs ignari, mechanicis ferè omnes ac plebeiis occupationibus assueti, nullo instructi auctoritatis temporalis genere, nullo freti humano auxilio, imò frementibus et adversantibus undique populis, repugnante seculari et potestate et philosophiâ, tam citò, tam latè religionem propagaverint, quæ jubeat adorari Deum hominem factum, postulantibus suis popularibus crucifixum, totamque vitam componi ad evangelica instituta, quibus comprimantur obduratæ tum privatâ tum publicâ consuetudine, deorumque ipso exemplo et cultu consecratæ cupiditates, *à Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*

Quid verò simile deprehendere est in prætensæ reformationis propagatione? Christianæ super religionis jam per orbem disseminatæ fundamentum astruere dogmata sua moliti sunt reformatores : Christianos alloquebantur sub ementito Christi nomine, et quasi pro ipso legatione fungerentur : objiciebant continuò scriptum Dei verbum, cujus unumquemque etiam ex imperitis et mulieribus constituebant proprium interpretem ; nihil imponebant oneris novi, quod rebelles cohiberet affectus : è contrariò detrahebant quamplurima quæ vim inferrent inordinatis naturæ motibus. Tollebant, *ut conscientiarum carnificinam,* sacramentalem confessionem, quâ mirificè homines à peccatis revocari queant ; contritionem, quasi pœnitentem magis peccatorem faceret, deprimebant; satisfactionis necessitatem, quasi meritis Christi derogaret, abolebant ; ad remissionem culpæ et pœnæ solam sufficere fidem, contendebant ; specialem habentibus fidem, quâ, ut somniârunt, unusquisque tenetur credere se esse justificatum, nulla imputari peccata, prædicabant; docebant solemnibus ne quidem votis ullam induci obligationem ; religiosum professis statum, potestatem faciebant ineundi pro nutu matrimonii ; eximebant populos à servandis Ecclesiæ præceptis ; bonorum operum omnia negabant merita ; decernebant extinctum esse liberum arbitrium ; statuebant non posse quamdiù animo inesset fides, christianam amitti justitiam ; quin et semel comparatam fidem, nec proinde justitiam effluere unquàm posse tradidit propalam Calvinus.

Numquid mirabile est diruto aggere præcipitem exundare torrentem? Talis in reformationis progressibus, si miraculis opus fuerit, non ut promoverentur illi, verùm ut coercerentur, dicenda fuissent necessaria : quibus enim argumentis efficitur, ut divina sit habenda christianæ propagatio religionis, eorumdem benè multis probatur, prætensæ reformationis propagationem humanis machinationibus deberi, atque immoderatam appetenti libertatem cupiditati.

2° De martyribus autem Protestantium hoc unum cum S. Augustino adnotare sufficit : « Martyrem non facit pœna, sed causa. » (Lib.

3 contra Cresconium Donatistam, cap. 47.) Tot igitur cùm ostensum sit argumentis, invectam non fuisse nec propagatam auctore Deo, prætensam reformationem, inde consequitur puniri potuisse ejusmodi martyres, sed non coronari. Suos quoque martyres, teste eodem S. Augustino, habuerunt Donatistæ, quos refrenare leges imperiales vix potuerint : de illis audiatur sanctus ille doctor : « Priùs pro- « bent se non esse hæreticos vel schismaticos, « tum demùm de indignis pœnis suis lividam « emittant vocem ; tum demùm se audeant « cùm mali aliquid patiuntur, veritatis marty- « res dicere. » (Contra Epist. Parmeniani, lib. 1, c. 8.) Non tantùm dictum est à Christo : *Beati qui persecutionem patiuntur;* persequitur enim ipsa libido ; persequitur ambitio ; persequitur avaritia ; quot enim ærumnas, dolores, animi saltem cruciatus accersere soleant hominibus indomitæ cupiditates ? Sed dixit Christus, æterna sapientia : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* quæ quidem cum hæresi et schismate cohærere nunquàm potest. Non igitur opus est cum obstinatis prætensæ reformationis martyribus conferre innumerabilem utriusque sexûs, omnisque ætatis et conditionis multitudinem martyrum, qui sibi et christianæ religioni, mansuetudine, modestiâ, eximiâ morum integritate, ingenuo pudore, sincerâ et fervidâ in ipsos inimicos charitate, clarissimisque sæpissimè miraculis, tantam sibi apud ipsos persecutores admirationem pepererunt.

3° Quos venditant reformationis suæ progressus et incrementa Protestantes, illis non possunt ab infandâ temeritate et à sacrilegâ usurpatione excusari : namque remeandum est ad prævia novorum Apostolorum gestis, molitionibus et prædicationi tempora ; tumque sciscitandum quo jure, quâ auctoritate, quo missionis genere, ecclesiasticum attribuerint sibi ministerium, maximaque apostolatûs munera capessere et obire attentaverint ; necnon quâ ratione legationem suam probare et patefacere potuerint : quos enim mittit Apostolos Deus, necesse est, ut de illis possit enuntiari illud Christi effatum : *Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit.* At quo pacto teneantur populi tanquàm Christum ipsum audire inverecundos, procacesque quosdam homines, qui legatos se à Deo licet probare nequeant, Apostolorum tamen personam sibi imposuerint, et eo nomine totius Ecclesiæ statum velint invertere, quam intolerandæ superstitionis, repudiatæ pluribus à seculis catholicæ fidei, corruptæ Evangelii disciplinæ, ac impudentis idololatriæ accusare non erubescant ?

Consectarium primum. — Ex adductis, probatisque contra Protestantes assertionibus, manifestè consequitur, neque Socinianos, neque Anabaptistas, neque ipsos Græcos à Romanâ divulsos Ecclesiâ, insigniri notis in symbolo Nicæno et Constantinopolitano memoratis : unitatem vindicare quomodò sibi possent Sociniani et Anabaptistæ, quorum alii fidem rationi subdere, alii commentitis eam modulari ac deludere non verentur revelationibus, utrique auctoritatis osores, quæ sola est ut secura dirimendi controversias via, ita et verum unitatis, ut demonstravimus, principium ? De Græcis à Romanâ Ecclesiâ dissidentibus, dubitandum primo aspectu videretur, utrùm adscribere sibi unitatem non valeant, cùm in exortis de religione litibus componendis, ecclesiasticâ ducantur auctoritate : at cùm unitas recenseatur inter essentiales perpetuasque proprietates Ecclesiæ, auctoritatem quæ sit genuinum unitatis principium, constantem esse pariter oportet ac perpetuam, cæterisque eodem in genere præstantiorem : si enim ad auctoritatem confugiendum est, eam quæ major est ordinavit certè Christus, ad constituendam Ecclesiæ suæ unitatem. Verùm Græcorum societas auctoritatem non confitetur quæ sit constans ac perpetua, cùm Photii temporibus ab Ecclesiâ Romanâ discesserit, cujus auctoritati obsequebatur ; neque cum illâ, auctoritatis gradu contendere potest, spectatis Ecclesiæ Romanæ antiquitate, catholicitate, Ecclesiarum ad ipsam usitato concursu, tum et illo quem generalibus in conciliis atque in profligandis hæresibus semper obtinuit principatu. Schismatis cùm arguantur Græci, laudatam in fidei symbolis sanctitatem sumere sibi non possunt ; nec etiam apostolicitatem, cùm plurimis post ætatem Apostolorum elapsis seculis, enata sit eorum Ecclesia, et à cæteris sejuncta. De catholicitate, quin eâ careant, addubitandi causa nulla est inspectanti quibus ea societas regionibus circumscripta sit.

Quemadmodùm unitate, ita et aliis tribus Ecclesiæ notis carere cæteros qui versantur in terris hæreticos et schismaticos, constat ex principiis jam positis : non est itaque cur in eo probando conteratur tempus.

Consectarium II. — Nedùm igitur ulli, præter romanam, Ecclesiæ, competant *omnes si-*

mul notæ quibus in fidei symbolis designatur et commendatur Ecclesia Christi Salvatoris (quod ad vindicandam sibi Ecclesiæ veritatem omninò foret necessarium), adductis ex hactenùs argumentis colligitur (quod tamen ad nostræ patrocinium causæ minimè potest exigi) nullam ex illis insignibus, seu ne unam quidem ex notis de quibus disseruimus, adjudicari posse ulli ex societatibus, quæ Romanæ Ecclesiæ orbantur communione : unde quæ illi obsecundant testimonia, *credibilia facta sunt nimis*.

Quæstio ultima.

Utrùm assignatæ à nobis notæ dotibus omnibus induantur ad veras Ecclesiæ notas requisitis?

Eò revocantur dotes illæ, seu conditiones : 1° Ut quæ afferuntur notæ sint propriæ, non communes : hoc est, ut saltem simul sumptæ, ad solam pertineant Romanam Ecclesiam. 2° Ut demonstrandâ Ecclesiæ veritate divinâque ejusdem constitutione, sint illæ aliquâ certâ ratione notiores. Alioquin frustra adhiberentur, cùm per seipsam liquidò innotesceret. 3° Cum illâ conditione, ut patet, conjunctum est, notarum ut cognitio suâpte naturâ præcedat cognitionem Ecclesiæ : eâ quippe jam cognitâ, ut quid eidem investigandæ navaretur opera? 4° Ut quæ proponuntur notæ sint ad captum vulgi, imperitorumque hominum attemperatæ, cùm velit Deus *omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.*

Atqui enumeratas illas conditiones reperire est in quatuor notis quæ à nobis expositæ sunt, unitate scilicet, sanctitate, catholicitate et apostolicitate.

I. *Notæ illæ sunt propriæ, non communes.*

Ostendimus omnes illas Ecclesiæ Christi competere ; easdem omnes Romanam in Ecclesiam confluere ; nulli alii societati ne distributivè quidem sumptas posse attribui. Ergo, etc.

II. *Demonstrandâ notiores sunt Ecclesiâ.*

Quod ut penitùs intelligatur, recolendum est Ecclesiam Christi esse hominum societatem qui ejusdem fidei professione, eorumdem sacramentorum communione, eisdem submissione pastoribus, inter se junguntur. At longè promptius est cognosci unam ex notis commemoratis (quod absolutè sufficit, cùm una quælibet soli congruat veræ Ecclesiæ), aut etiam illas omnes haberi compertas, quàm explorari et certò discerni, tot fidei dogmata et morum instituta, quæ complectitur traditum Ecclesiæ à Christo depositum, investigari quæ ad institutionem naturamque omnium sacramentorum referuntur, tùm expendi quæcumque ad Ecclesiæ pastorum ordinationem spectent ac munera.

Sedulò adnotandum est (quod aliàs indicavimus) licet ad Ecclesiæ unitatem requiratur ejusdem doctrinæ professio, eorumdem sacramentorum communio, etc. ; tùm non attendi ad veritatem doctrinæ, sed ad ejusdem fidei professionem, unitatisque principium, non ad legitimam pastorum institutionem, sed ad eorum inter se consortium ; ad eorumdem sacramentorum communionem, non ad eorum naturam et efficaciam. Hinc pro certo tenemus pro idoneis inveniendæ Ecclesiæ notis, non eas esse habendas, quæ assignantur à Protestantibus, veræ nimirùm doctrinæ prædicationem ac legitimam sacramentorum administrationem : id quippe notarum genus quàm sit hominum plerisque impervium, facilè colligitur ex toto ferè tractatu de judice controversiarum, moxque summatim etiam declarabitur.

III. *Prævia sunt rei demonstrandæ.*

Totidem cùm ipsæ sint, ut diximus, Ecclesiæ proprietates, præire non possunt reipsâ Ecclesiæ, sed earum cognitione via sternitur ad eam secernendam : quemadmodùm, lineamentorum quæ alicui homini inhærent, subjectâ menti notitiâ, possumus ad ipsius hominis agnitionem pervenire : hinc iterùm concipitur quàm impares sint et incongruæ ad investigandam Ecclesiam notæ à Protestantibus oblatæ : prius est enim veram innotuisse Christi Ecclesiam, Christianorum magistram, controversiarumque, ut probatum est, judicem, quàm certò ac indubitanter dignosci veritatem doctrinæ, seu complexionem dogmatum ex quibus coalescit depositum fidei.

IV. *Cognitu sunt faciles, quas adhibuimus notæ.*

Quæ ad hanc explanandam conditionem jam dicturi sumus, conferantur cum iis quæ diximus de præstando ab illitteratis et rusticis, divinæ actu fidei : ita enim connexæ sunt inter se quæstiones pleræque de Ecclesiâ, ut vix aut nullo modo à se invicem disjungi possint.

Non opus est ut ad omne prorsùs hominum genus notæ omnes sint accommodatæ : sunt enim homines non pauci adeò imbecillæ men-

tis et obtusi ad spiritualia ingenii, ut vel simplicissimam dogmatum communium expositionem apprehendere non valeant. At si quatuor notas in symbolis relatas mente contrectare nequeant, multò minùs possent Scripturarum discutiendis privato examine et canonicitate et sensu, veram investigare et invenire Ecclesiam : ad multorum infirmitati et imperitiæ consulendum, hoc unum planè et abundè sufficit, ut ex notis quæ afferuntur, facilia quædam eliciantur documenta, quæ pro singulorum captu si adhibeantur, illis veræ possint Ecclesiæ notitiam ingerere; quò magis autem ratione, judicio et eruditione proficitur, eò plura eisdem in notis deprehenduntur certa et inconcussa veræ signa Ecclesiæ.

Quòd verò Ecclesia Romana indubitatis non careat signis, quibus ab imperitis etiam et simplicibus agnosci possit (quæ quidem signa illis contineantur notis quas adscripsimus) sic potest elucidari.

1° Notæ illæ omnes eò collimant ac referuntur, ut eminentem concilient Romanæ Ecclesiæ auctoritatem; unde sic argumentari licet : In confesso est apud adversarios, ad eamque confessionem adiguntur ipsâmet facti evidentiâ, in Romanæ Ecclesiæ doctrinam, nullâ unquàm ætate sensibilem ac manifestam fuisse inductam mutationem, neque illam prioris atque auctoritate potioris alicujus Ecclesiæ deseruisse communionem; evidenter etiam constat, ex eâ prodiisse, ejusque institutis firmiter addictos fuisse viros summâ pietate et eruditione orbe toto christiano venerandos, multaque ipsis attributa miracula, quæ pro divinis sanctitatis illorum signaculis haberentur; nullum unquàm variis ut sectis impositum est illi privati alicujus auctoris nomen; Catholica ab ipsis hæreticis solita fuit nuncupari; diffusione ac splendore evidenter superat singulas quaslibet sectas hæreticas vel schismaticas : his vel tantisper consideratis quæ intellectu sunt facilia, pronum est, ut Ecclesia illa cæteris anteponatur omnibus, quæ ab eâdem, si viâ auctoritatis procedendum sit, facilè vincuntur; si verò ad privatam doctrinæ discussionem provocent, methodum obtrudunt plerisque arduam nimis et inaccessam, cæterisque plenam periculi, ac lethalibus fœtam erroribus.

2° Dummodò vel leviter exponatur quid sit apostolicitas, nemo est, nisi mentis penitùs inops qui statim non percipiat, et ultrò non fateatur, oportere ut à Christo et Apostolis ducat originem vera Christi Ecclesia. Romanæ autem Ecclesiæ, eam jure ac meritò aptari notam, non gravis aut diuturni laboris est, rudibus ipsis et imperitis rationabiliter persuaderi. Nec quidquam effingere potuerunt hæretici, quod illius originem Ecclesiæ novitatis redarguere videatur. Carere autem apostolicitate hæreticas omnes et schismaticas societates, potest facili etiam negotio demonstrari ipsis etiam mediocris admodùm intelligentiæ hominibus : omnes enim illæ societates produntur vel ipso auctorum à quibus conflatæ sunt, nomine, earumdemque à vetustiori Ecclesiâ, cujus auctoritatem sequebantur, defectione.

3° Notissimum est frequentatam esse in Ecclesiâ Christi prioribus à seculis viam auctoritatis, ad comprimendos hæreticos et schismaticos, inveteratumque esse conciliis morem, ut eos anathemate percellant : hæc sunt facta evidentia et ab omnibus concessa; hæc hominum vulgo exhiberi possunt; tumque ad summum, si tamen opus fuerit, indicanda sunt alumnis ingenio et doctrinâ parùm valentibus, aliqua generalium synodorum decreta, sicut ipsis exhiberentur pervulgata quædam edicta principum. Inde ultrò colligent sibi esse, suam ut instruant fidem, confugiendum ad arcem auctoritatis, cujus aliunde, suæ conscii infirmitatis, necessitatem continuò experiuntur ac sentiunt : ergo repugnabunt omni societati, quæ ipsos hortatur et impellit, ut in se onus suscipiant ferendi adhibito proprio examine de omnibus tum credendis, tum agendis, decretorium judicium; ergo Protestantium, aliorumque viam auctoritatis refugientium communioni, Romanam anteferent incunctanter societatem. Quod attinet ad Græcorum schismaticas sectas, poterit per modum historiæ ad instituendos etiam rudes homines, enarrari, si postularent rerum adjuncta, quæ sit origo schismatis Græcorum; quomodò discesserint à Romanâ Ecclesiâ, cujus generalibus in conciliis auctoritatem agnoverant; tum quàm longè sint catholicitate aliisque dotibus eâdem inferiores.

Objicies : Quâ probabilitate faciles intellectu haberi possunt quæ ad secernendam Christi Ecclesiam prolatæ sunt notæ? Quot opus fuit, ad eas ut expedit vindicandas et explicandas, auctoritatis rationumque momentis; quot diversi generis disquisitionibus, ad hæreticorum retundendos conatus, retegendas cavillationes,

asserendaque Ecclesiæ jura! Nonne Claudii vel Juriæi argumentis obruerentur homines theologicis non assueti disputationibus?

Et verò, prædictæ ut notæ expendantur, atque ut par est adhibeantur, vel ratione utendum est, vel confugiendum ad Scripturam aut traditionem, vel denique ad Ecclesiæ auctoritatem. At Ecclesiæ dotes ac notæ pendent à liberâ Dei voluntate; non igitur solâ ratione duce possunt explorari : si dicatur, illas esse ope Scripturarum vel traditionis exquirendas et ponderandas, relabi necesse est in incommoda quæ privato ab examine derivantur. Denique non ipsius Ecclesiæ auctoritate pertentari queunt ac introspici : quid enim jam opus esset notis ad dignoscendam Ecclesiam, si jam cognita et probata esset ejusdem auctoritas?

Resp. 1° : Hæc objicere non possunt, qui symbola Apostolorum, Nicænum et Constantinopolitanum aliquo in pretio et honore habeant; quæ quidem omnibus, aut ferè omnibus probantur qui se Christianos dici velint; hæc symbola non confecta sunt hominum duntaxat litteratorum solertiumque gratiâ; ipsis proponuntur plebeiis, agrestibus, è medio sumptis; qui proinde valeant, adjuvantibus idoneis institutoribus, sufficienter intelligere, quales sint unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas Ecclesiæ, ac deinde perspicere cuinam societati, auctore Christo, adscribi eas oporteat. Quamvis autem diluendis hæreticorum argumentis, evertendisque omnigenis systematibus, impendantur, in longum quandoque sermonem provectæ, nec sine impigro labore concertationes, non ex eo concludendum est, non posse hominum vulgus de genuinis Ecclesiæ notis, quantùm ipsorum salutis interest, edoceri; eduntur de supremi existentiâ numinis, de veritate moderantis universum orbem providentiæ, libri multi operosè compositi; nec tamen discussionis multæ opus est, nec molesti laboris, ut vel imperiti, præjudicatis opinionibus, cupiditatibusve non abrepti, mundi summum, omnibusque providentem agnoscant opificem. Sic etiam notas Ecclesiæ licet ab hæreticorum assultibus defendere nequeant illitterati, nec earum rationem evolvere, illas tamen ritè ac dilucidè expositas mente possunt attingere, et animo complecti, quantùm eorum postulat ordinata institutio.

2° Cogitatione revolvantur singulæ de quibus agitur notæ, videbitur nec ingenii sagacitatem, nec longum temporis spatium requiri, ut mentem etiam vulgi hominum subeant, si congruenter propositæ sint : Ecclesiam Christi facilè concipitur non esse similem regno in se diviso, et eâ de causâ ruinæ proximo; nec posse absque fixo et certo unitatis principio, fixam et certam haberi unitatem. Haud magis difficile est percipere, non inveniri veram et necessariam unitatem apud societates quæ profitentur non auctoritate, sed privato examine componendas esse omnes de fide et moribus controversias : hæc enim dijudicandi methodus, ut observatum est, non unitatis, sed divisionis inextricabile est principium : de Græcis autem schismaticis, conscendendo ad illud tempus, quo à Romanâ desciverunt Ecclesiâ, oculis quodammodò deprehenditur velut adhuc cruentum rescissæ unitatis vestigium.

Consideratis heroicâ tot suorum alumnorum sanctitate, quos religiosè colit Romana Ecclesia, et coruscante toties apud eam miraculorum dono, spectatis pariter castis ac severis morum institutis, quæ pervulgatis catechismis inserenda curavit, persuaderi prudenter ipsis potest rudibus, et quidem promptiùs quàm cæteris (cùm factis et exemplis soleant promptiùs commoveri), vel nullam extare Ecclesiam Christi, quod Christianæ exhorrescunt aures, vel Romanam societatem, hanc eamdem esse Ecclesiam, quam recitando Apostolorum symbolo, *sanctam* esse Christiani omnes profiteantur.

Intricatâ et prolixâ disquisitione opus non est ut patefiat, amplitudine et diffusione singulis hæreticorum sectis Romanam antecellere Ecclesiam, quemadmodùm prolixus et intricatus non requiritur discursus, ut dignoscatur an temporale aliquod regnum latiùs insigniter protendatur quàm alterum : neque meditatione multâ insudandum est, tum ad intelligendum, ad Ecclesiam Christi pertinere conversionem gentium, tum ad perspiciendum quænam societas egregium illud opus in se susceperit et assiduè prosequatur.

Eidem quoque Ecclesiæ Romanæ, et quidem soli apostolicitatem competere, planum faciunt et ipsius perspecta antiquitas, et omnium, ut diximus, hæreticorum et schismaticorum ab eâ, tanquàm inanium ramorum à feraci arbore, divulsio.

3° Si quæratur num ratione aut Scripturâ, vel traditione aut ipsiusmet Ecclesiæ auctoritate possit hominum vulgus, sicut legitima

postulat persuasio, erudiri, respondeo ad persuasionem hanc posse hæc omnia subsidia suo modo aptè et efficaciter conferri : paucis istud, ac velut exempli causâ indicabimus, nè jam explanata sæpiùs iterentur.

Sic ratio ipsa docet, auctoritate si componendæ sint de fide et moribus controversiæ, illi præ cæteris adhærendum esse Ecclesiæ, quæ majorem præ se ferat auctoritatem, atque ita esse à Deo pro summâ sapientiâ ordinatum : sic etiam ex Scripturarum claris quibusdam textibus, quorum authenticitas communi probatur Christianorum consensu, evinci promptissimè potest catholicitas Ecclesiæ, atque deinde facti evidentiâ declaratur quænam societas eâ dote polleat. Traditio quoque interponi potest, haud quidem discutiendis singularum ætatum monumentis, sed apertis quibusdam, et obviis præscriptionibus. V. g., ut non semel adnotavimus, notissimâ Romanæ Ecclesiæ antiquitate, alienarumque societatum ab ipsâ tanquàm à matrice discessione dignoscitur in hâc solâ reperiri apostolicitatem, essentialem, ut patet, Ecclesiæ Christi proprietatem ; Ecclesiam bonâ fide inquirentes, potest ad suî notitiam ipsa promovere, suas pastorum institutionibus dotes expandendo, ac suæ manifestando præstantiam auctoritatis; sicut mater filiis, è longinquo advectis regno, quibus ignota est, potest seipsam notam facere exponendis, quæ illorum ignorantiam excutiant, notis.

Si qui verò tam expedita veræ insignia Ecclesiæ præ tarditate mentis attingere et assequi non possint, id naturæ notarum quas exposuimus non est imputandum : catholicâ illi doctrinâ eo ferè modo imbuentur, quo teneri admodùm infantes, vulgaribus nempe quibusdam rudimentis, quorum vim et energiam, quantùm satis est ad salutem, apprehendant, aperiente cor eorum Spiritu sancto, absque tamen novâ revelatione, et ad credendum inclinando verissimis, licet inenarrabilibus, modis.

Hùc operæ prétium videtur advocare præclara ista illustrissimi Fenelonii verba : « L'homme ignorant n'a besoin ni de livre, ni « de raisonnement pour trouver la vraie Egli- « se ; les yeux fermés, il sait avec certitude « que toutes celles qui veulent le faire juge, « sont fausses, et qu'il n'y a que celle qui lui « dit de croire humblement, qui puisse être « la véritable : au lieu des livres et des raison- « nements, il n'a besoin que de son impuis- « sance et de la bonté de Dieu pour rejeter « une flatteuse séduction, et pour demeurer « dans une humble docilité : il ne lui faut que « son ignorance bien sensée pour décider. » (Lettre sur l'existence de Dieu, sur le culte digne de lui, et sur la véritable Eglise.)

Sectio tertia.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

CAPUT PRIMUM.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ GENERATIM SPECTATA.

Errare non potest Ecclesia in his quæ ad fidem moresve pertineant.

ARGUMENTORUM PRIMA CLASSIS,

Desumpta ex assertionibus hactenùs positis ac probatis.

Ut in stabili, sapienterque extructâ domo cohærent sibi omnia, ita in Ecclesiâ Christi coagmentantur inter se quæ proponuntur doctrinæ diversa capita, unde ex iis quæ jam tractavimus, deducuntur certissimæ et obviæ probationes ad vindicandam Ecclesiæ infallibilitatem tanto animorum æstu, tot ab hæreticis impugnatam.

1° Ex unitate Ecclesiæ necessariò consequitur ipsius infallibilitas. Ad eam quippe unitatem requiri ostendimus fixum et immutabile unitatis principium, illudque in ipsius Ecclesiæ auctoritate divinitùs esse constitutum. Ergo concidere nunquàm potest aut labefactari hæc auctoritas, nec proinde aberrare à fide Ecclesia, quin abrumpatur vinculum unitatis necessarium. Frustra hìc obtruderetur jactata toties à Protestantibus, totiesque confutata articulorum, ut aiunt, fundamentalium et non fundamentalium distinctio. Præterea, non

posse conciliari cum enuntiatâ in symbolis unitate, professionem hæresis, ita semper fuit persuasum in Ecclesiâ, ut eos qui suis parere pertinaciter detrectaverint decretis, anathemate perculsos voluerit, atque à suâ communione constanter alienos habuerit : at quo jure, si careret infallibilitate? Respondeant Protestantes, qui unumquemque idcircò volunt privato examini Scripturarum in fidem suam informandam incumbere, quia Ecclesiæ detrahunt eam quam illi adscribendam esse contendimus infallibilitatem. Denique fingi non potest eodem prorsùs tempore, quasi conspiratis subitò partibus, à professione fidei universam deficere Ecclesiam : temporis igitur interjecto, et quidem haud exiguo intervallo (si deficeret), alii fidem, alii hæresim in Ecclesiâ profiterentur; ergo tunc dilaberetur ac proscinderetur unitas, quæ postulat ejusdem professionem fidei.

2° Ex Ecclesiæ sanctitate colligitur æquè perspicuum ejus infallibilitatis argumentum. Ex mox dictis, omnes interposito anathemate compellit Ecclesia, omnibus quæ de fide et moribus protulerit decretis, irrevocabiliter assentiri : at sublato inerrantiæ dono, iniquitatis et nefariæ dominationis argueretur inflexibilis ille rigor, quo sub tantâ pœnâ fideles ad combibendum quandòque errorem adigerentur? Deinde dogmaticis in decretis si possit Ecclesia hæresim sectari ac propinare fidelibus, evangelica posset nonnunquàm instituta de moribus impetere, cùm ad fidei thesaurum doctrina quoque morum pertineat, eademque innitatur divinâ revelatione : posset populis contrarias divinis legibus definitiones, tanquàm inviolabilem componendæ vitæ regulam proponere, quo inditâ sponsæ Christi sanctitate quid magis indignum!

3° Cum Ecclesiæ catholicitate conjunctum est infallibilitatis privilegium. Visibilitate et catholicitate defraudari nunquàm potest Ecclesia; ergo neque doctrinam fidei potest unquàm deserere : licet enim adhuc tunc visibilis atque diffusa perstaret, tanquàm aliqua societas quæ christianam se profiteretur, haud spectandam se præberet, qualem ipsâ catholicitate agnoscendam voluit Christus, cùm non diffunderetur ut vera Ecclesia, cujus ad naturam et constitutionem necessaria est veræ professio fidei.

4° Evidentissimum subministrat infallibilitatis Ecclesiæ argumentum apostolicitas. Ad apostolicitatem nimirùm necesse est, ut quam nunc tenet Ecclesia doctrinam, eadem ab ævo Apostolorum immunis ab omni erroris notâ manaverit; idemque argumentum ad futuras spectat ætates, cùm nullis temporum spatiis circumscribatur apostolicitas, eademque perpetuò repugnet novitati.

5° Demonstratum est omni probationum genere, supremum esse controversiarum judicem constitutam Ecclesiam, ipsiusque auctoritate dirimendas lites omnes quæ de rebus fidei exoriuntur. Supremo illo tribunali suo in genere nullum est superius et æquale; ab illo interjici *appellationem* non licet; ipsique depositâ omni dubitatione, tum extrùs, tum interiùs parendum est : hanc autem supremam, tamque absolutam Ecclesiæ auctoritatem, nemo confitebitur, qui infallibilitatis donum illi non attribuat. Ecclesiæ decretis ita strictè et absolutè præcipit Deus obtemperari, ut si erraret unquàm Ecclesia, Deus ipse summè verax manifestè patrocinaretur errori, quod suspicari nefas, suamque ludibrio propriam auctoritatem objiceret. Hunc esse præstitutum divinitùs ordinem demonstravimus, ut *viâ auctoritatis* dijudicaretur quid credendum, quid respuendum sit ad assequendam salutem, tum etiam omnibus hæreticorum et schismaticorum sectis, visibili auctoritate Ecclesiam Christi antecellere : ergo si falli posset et consequenter fallere, intrinsecis ac necessariis ipsis dignoscendæ ac tuendæ fidei ordinatis principiis, non per accidens, sed ipsorum naturâ, in errorem detruderetur populus christianus, neque ulla suppeteret via detegendæ veritatis, cùm constituta ipsa divinitùs auctoritas deterreret à fide. Tantò etiam efficaciùs, suscepto implicaretur errore, et ad errorem populos incitaret Ecclesia, quantò magis persuasum habeat sibi esse concessam à Christo infallibilitatem, nec posse unquàm sua retractari ac reformari judicia.

6° Quid plura? Probavimus permansuram Christi jugiter Ecclesiam : ergo nunquàm excidet à professione veræ fidei, cùm hoc ipso adulterinas inter societates deberet connumerari, quarum nulla potest haberi Christi Ecclesia.

ARGUMENTORUM SECUNDA CLASSIS,

Ex apertis Scripturæ testimoniis deprompta.

Tria seligimus, quibus nisi eliciatur assensus, cætera nihil proficerent.

Primum : Matthæi cap. ultimo : *Data est mihi*, inquit Christus, *omnis potestas in cœlo*

et in terrâ; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ad Apostolos dirigi hæc verba patet ex antecedentibus, totoque contextu : dixerat evangelista: *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus; et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt; et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas,* etc. Duodecim elegerat apostolos Christus : proditor Judas, filius perditionis, suspensus crepuit medius, abiitque in locum suum; undecim supererant quos affatur Christus. Idem testatur Marcus cap. ultimo.

Ad successores Apostolorum etiam referuntur citata promissionis verba : pollicetur enim Christus sese pastoribus ad quos illa pertineant, adfuturum esse *usque ad consummationem seculi* : ergo usque ad finem mundi; hæc sola significatio subjecta est illis vocibus, *consummatio seculi*. Quæ à S. Matthæo, eoque solo usurpata sunt, cap. 13, v. 39, 40 et 49 ; c. 24, v. 3 et 14 ; c. 28, v. 20 ; porrò non ad finem usque mundi producenda erat Apostolorum vita in terris, sed pro patribus nascituri erant Ecclesiæ filii in quibus cerneret apostolici muneris et auctoritatis hæredes. Meritò itaque ministrum Basnagium sic urget doctissimus Bossuetius : « Le ministre prétend qu'il fallait « traduire, *jusqu'à la fin du siècle* : sur ce fon- « dement, il assure que l'assistance promise « par ce lieu, ne passe pas le siècle où les « Apôtres ont vécu : tout ira bien durant « soixante ou quatre-vingts ans, si l'on veut, « qu'il restera en vie quelqu'un des Apôtres : « comme si l'on ne devait plus ni enseigner « ni baptiser après eux, ou que Jésus-Christ « n'ait eu dans sa promesse aucun égard à « ces fonctions, qui sont les seules qu'il ex- « prime. »

Et quis sanè possit opinari, defunctis Apostolis, quo tempore tot emergerent hæreses, tot ingruerent persecutionum genera, specialique præsidio maximè indigeret Ecclesia, ipsi à Christo Domino qui omnia prævidebat, donum infallibilitatis tùm esse adimendum, cùm tam studiosè eadem adniteretur gratissimo, ut omnes fatentur, cultu Deum sibi demereri? Quot illis temporibus pretiosâ in conspectu Domini morte martyres, et absolutâ numeris omnibus pietate conspicui cujuscumque ordinis fideles, incontaminatam commendârunt Ecclesiæ fidem!

Probandum superest, relatis promissionis vocibus enuntiari tutelam divinumque præsidium, quo ab errore in iis quæ ad fidem revocantur, tuta et immunis præstaretur *usque ad consummationem seculi*. Id perspectum erit, si verba ista Christi : *Et ecce ego vobiscum sum*, conferantur cum aliis Scripturæ testimoniis, quibus certum et efficax spondetur auxilium : v. g., libri Judicum c. 6, apparuit Gedeoni angelus Domini, *et ait : Dominus tecum, virorum fortissime; dixitque ei Gedeon : Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?.. Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum.*

Psalmo 22, v. 4 : *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Isaiæ c. 43, v. 2 : *Cùm pertransieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te,* Jeremiæ c. 1, v. 19 : *Et bellabunt adversùm te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.*

In hujusmodi testimoniis asseritur efficax et ad instantes accommodatum necessitates auxilium : Christus Apostolis, eorumque hæredibus pollicitus est absolutum, et quale requirebatur ad Ecclesiæ suæ gubernationem, præsidium : quasi dixisset Apostolis et eorum usque ad mundi finem successoribus : Confidite, nihil est reconditum in divinis institutionibus, quod ut oportuerit declarare non possitis; ego sum veritas; nulli sunt obices, quos, me præsente et juvante, perrumpere non valeatis. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ;* individulsâ charitate æternoque fœdere devinctus Ecclesiæ, semper adero, ne quid docentibus vobis detrimentum capiat fides, sine quâ impossibile est ut vel ipsa mihi dilectissima placeat Ecclesia.

Objicies : Dixit Christus : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* Mat. c. 28, v. 20. Non inde consequitur, quoties duos vel tres in Christi nomine congregari contigerit, toties inerrantiæ dono futuros esse tunc præditos : ergo nec illis Christi verbis : *Et ecce sum vobiscum omnibus diebus,* etc., spondetur infallibilitas Apostolorum successoribus.

Resp. : Neg. consequentiam; verbis istis hæc sententia continetur : Ubi duo vel tres in nomine Christi convenerunt, ibi adest Christus, ut eis vim et sapientiam largiatur quâ in-

digeant ad suis fungendum officiis; quantò magis congregati in ejus nomine episcopi, adjuvandi sunt et prohibendi ab errore in ferendis judiciis quæ spectant ad regendam in fide ac moribus Ecclesiam! Ita, sicut adnotat Bellarminus, locum illum synodus œcumenica Chalcedonensis in epist. ad S. Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis ejusdem concilii; item sexta synodus actione 17; Toletanum III, non procul ab initio; Innocentius papa, apud Gratianum distinct. 20, can. *De quibus.*; S. Cœlestinus in epist. ad concilium Ephes.; S. Cyrillus in expositione symboli Nicæni, intellexerunt.

Ad expositum delegantis Apostolos testimonium Christi revocari possunt, tùm Isaiæ cap. 9, v. 7, ubi asseritur confirmandum esse à Christo et corroborandum *in judicio et justitiâ, amodò usque in sempiternum,* regnum ejus, quod est Ecclesia; tùm Ezechielis cap. 27, v. 26 et 27; Oseæ cap. 2, v. 19 et 20, ubi declaratur efficacia et perpetuitas sanciendi cum Ecclesiâ fœderis, sed maximè cap. 14 Joann. v. 16 et 17 : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.*

Secundum : Postquàm divinitatem Christi confessus est Petrus, respondit illi Salvator : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* Matt. c. 16, v. 16. Portæ erant pars civitatum maximè munita; ad portam conveniebat in Palæstinâ populus; sedebant ad decernendum judices; agitabantur lites; iniri solebant pacta et contractus; portæ inimicorum vocabantur vires et potestas; unde ad hæc verba Geneseos, quibus Abrahamum compellavit Deus : *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum,* subjungit synopsis criticorum id commentarii : *Hebraismus, quasi diceret : Hostibus superiores erunt; in portis erant propugnacula.*

Quid autem allato mox in testimonio significent portæ inferi? Designant, ut ait S. Hieronymus, portas inferi, vitia atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. In hunc Evangelii locum, tom. 4 operum. Cùm statim post confessionem S. Petri apponantur citata verba, referuntur maximè ad illorum hominum molitiones, quos ad eversionem catholicæ fidei instigat pater mendacii diabolus : at quis futurum non intelligat, ut adversùs Ecclesiam prævalerent, disturbareturque docendi ministerium, si quando ab integritate doctrinæ ipsa deflecteret, suisque lethiferam sanciret decretis novitatem?

Memoratum ad textum adjungi potest illud Apostoli pronuntiatum : « Ut scias (alloquitur « Timoth. 1, 3, 15), quomodò oporteat te in do- « mo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, « columna et firmamentum veritatis. »

Textum hunc ut alienum in sensum detorqueant, nonnulli quam defendimus infallibilitatis inimici, reponunt Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, *jure, non facto,* hoc est, illam esse constitutam, tutandæ ut addicatur veritati, sed muneri et officio posse aliquando deesse; nunquàm tamen defecturam ab ipsis, ut vocant, fundamentalibus articulis, quibus retentis adhuc stabit. Conficta prorsùs et distorta hæc interpretatio : non asserit duntaxat Apostolus id esse muneris mandatum Ecclesiæ, ut fulcire conetur veritatem, quod quidem officium singulis injunctum est pastoribus, sed hanc esse Ecclesiæ constitutionem et naturam, ut veritatem non patiatur excidere.

De distinctione fundamentalium et non fundamentalium, qualis est à Protestantibus invecta, satis superque diximus : pudeat P. Courrayer commentum illud jam attritum recudere ad excutiendam Ecclesiæ, quam deseruit, infallibilitatem; æquiores sese præbuerunt illo apostatâ prætensæ duces reformationis, qui ut olim Balaam, ita interdùm, quasi suarum obliti partium, obsecundant veritati.

« Ecclesia, inquit Lutherus, est columna et « firmamentum veritatis : nam sic habet sym- « bolum omnium nostrûm : Credo Ecclesiam « sanctam, catholicam, ut impossibile sit illam « errare, etiam in minimo articulo » (de servo Arbitrio, tom. 3 operum). « Sic illius (Eccle- « siæ) auctoritatem Deus commendat, ait Cal- « vinus, Instit. lib. 4, c. 1, ut dùm illa violatur, « suam ipsius imminutam censeat : neque enim « parvi momenti est quòd vocatur columna et « firmamentum veritatis, et domus Dei, quibus « verbis significat Paulus, ne intercidat veritas « Dei in mundo, Ecclesiam esse ejus fidam « custodem, quia ejus ministerio et operâ voluit « Deus puram verbi sui prædicationem conser- « vari. »

Reverà soli internæ, ut aiunt, Ecclesiæ firmitatem hanc in fide inconcussam attribuunt Lutherus et Calvinus : verùm quâ ratione hortaretur Timotheum ut in Ecclesiâ internâ et invisibili satageret aptè conversari, curaret se ipsum *probabilem exhibere Deo operarium inconfusibi-*

lem, rectè tractantem verbum veritatis, ad Ephes. c. 4? Jam aliunde confutavimus figmentum istud de invisibili Ecclesiâ, et ostendimus ad Ecclesiam ut visibilem pertinere Christi promissiones.

Tertium : Ephes. cap. 4, v. 11 : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei.... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.*

Infallibilitate si destituatur episcopale ministerium, pronum est ut instar parvulorum in rebus ad fidem attinentibus vacillent populi, imò in errorem abripiantur pastorum institutis, quibus auscultare et obsequi debeant : procive est etiam ut mutuò secum miserè collidantur, dùm alii aliis adhærentes ducibus, dicendum putabunt : *Ego quidem sum Pauli; ego sum Apollo; ego sum Cephæ.*

ARGUMENTORUM TERTIA CLASSIS,

Ex constanti traditione ipsiusque universalis Ecclesiæ testimonio.

Accepisse à Christo in fide et moribus infallibilitatis donum Ecclesiam declaratur constanti traditione tum apud Græcos, tum apud Latinos; quæ quanti hoc inprimis in capite valeat, ex mox dicendis patebit.

Ex Græcis, appellamus Galliæ nostræ decus, S. Irenæum, edoctum à S. Polycarpo Joannis Apostoli discipulo : « Non oportet, « inquit, apud alios quærere veritatem, quam « facile est ab Ecclesiâ sumere, cùm Apostoli « quasi in depositorium dives, plenissimè in « eam contulerint omnia quæ sunt veritatis : « ut omnis quicumque velit, sumat ex eâ po- « tum vitæ. » (Lib. 3, adversùs hæreses, cap. 4.) Idem etiam apertiùs cap. 14 : « Ubi enim « Ecclesia, ibi et spiritus Dei, et ubi spiritus « Dei, illic Ecclesia et omnis gratia : spiritus « autem veritas. » Docet S. Irenæus non posse Ecclesiam à Spiritu sancto divelli, neque ab Ecclesiâ spiritum veritatis; unde igitur in eam error posset obrepere?

Apud Clementem Alexandrinum, « verus « fidelis ille est qui Apostolicam et ecclesiasti- « cam servat dogmatum rectitudinem. » Apud eumdem, hæreticus ille est, « qui adversùs « ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in « humanarum hæreseon desiluit opiniones. » Stromatum lib. 7. Origenes affirmat, errorem ab Ecclesiâ, Deo protegente propulsari. « Ec- « clesia Dei viventis, inquit, veritate Dei mu- « nita est. » In Jerem. Homil. 5. Ecclesiam exhibet eâ luce perfusam quam à Christo mutuatur : « Ex cujus lumine illuminata Eccle- « sia, etiam ipsa lux mundi efficitur. » In Genes. homil. 1. Profitetur S. Alexander, Alexandriæ patriarcha, « unam ac solam, catholicam, apo- « stolicam Ecclesiam, quæ semper quidem « inexpugnabilis est, licet universus eam orbis « oppugnet : victrix una est omnis impiæ fa- « ctionis hæreticorum, qui adversùs ipsam in- « surgunt. »

Infallibilis procul dubio Ecclesia, quæ nec ab universo mundo potest expugnari, nec ullâ hæreticorum factione dimoveri à fide, et quæ ex omnibus hæreticis certissimum agit triumphum. Hanc infallibilitatem disertè agnoscit S. Athanasius, cùm ita pronuntiat : « Fidelis « sermo, et non vacillans promissio; invicta res « est Ecclesia, etiamsi adsint portæ inferi, « quamvis tùm infernus ipse, tum ii qui in ipso « principes mundi tenebrarum, moveantur. » (Unum esse Christum Orat. tom. 2.) Nutaret promissio, invicta non foret Ecclesia, si unquàm spiritu erroris abriperetur. S. Cyrillus Jerosolymitanus exponit quare Ecclesia nuncupetur catholica : « quia, inquit, docet catho- « licè, hoc est, universaliter, et sine ullo de- « fectu vel differentiâ, omnia dogmata. » Catechesi 18.

Idem æquivalentibus verbis testificatur S. Cyrillus Alexandrinus : « Luce Domini, inquit, « Oper. tom. 2, plena est Ecclesia. Nunquàm « cessabit Ecclesiæ gloria. » Quo evaderet illud decus Ecclesiæ, si errorem profiteretur?

Ex Latinis : Tertullianus Ecclesiarum consensionem firmissimum esse veritatis argumentum sic probat : « Nullam respexerit Spi- « ritus sanctus (Ecclesiam) ut eam in veritatem « deduceret : ad hoc missus à Christo, ad hoc « postulatus à Patre, ut esset doctor veritatis : « neglexerit officium Dei villicus Christi vica- « rius, sinens Ecclesias aliter interim intellige- « re, aliter credere, quàm quod ipse per Apo- « stolos prædicabat; ecquid verisimile est ut « tot ac tantæ in unam fidem erraverint? »

S. Cyprianus : « Una mater (Ecclesia) fœ- « cunditatis successibus copiosa : illius fœtu « nascimur; illius lacte nutrimur; spiritu ejus « animamur; adulterari non potest sponsa « Christi, incorrupta et pudica. » (De unitate Ecclesiæ.) S. Hilarius : « Os Christi Ecclesiam « esse, et Prophetica et Apostolica auctoritas

« est. » Idem : « Hoc Ecclesiæ proprium est, ut « tunc vincat cùm læditur, tunc intelligatur cùm « arguitur, tunc obtineat cùm deseritur. » (De Trinit. lib. 7, n. 4.) S. Hieronymus : « Ipsam « Ecclesiam singulari virtute firmavit (Christus), « ut immobilis in secula sempiterna consiste- « ret. » S. Ambrosius : « Spectat (Ecclesia) « aliorum naufragia, ipsa immunis et exsors « periculi, parata semper ut sibi illucescat « Christus, atque ejus illuminatione jucundita- « tem acquirat sibi. » (In Lucæ cap. 8.) S. Augustinus : « Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia « una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra « omnes hæreses pugnans; pugnari potest, « expugnari tamen non potest : hæreses omnes « de illâ exierunt, tanquàm sarmenta inutilia « de vite præcisa, ipsa autem manet in radice « suâ, in vite suâ, in charitate suâ : *portæ in-* « *feri non prævalebunt adversùs eam.* » (De Symbolo, operum tom. 6.) Vide etiam S. Fulgentium ad Monim. lib. 3, cap. 4; Vincentium Lirinensem, commonit. 1, cap. 23; S. Leonem, epist. 60, etc.

Novimus quidem parùm laborare Protestantes de traditionis auctoritate; verùm ut nunc omittamus quæ suo loco ad eam vindicandam congerenda curabimus, speciale nobis, idemque firmissimum ea suppeditat argumentum infallibilitatis Ecclesiæ, si attendatur non potuisse tum Græcos, tum Latinos perpetuò ignorare, utrùm Ecclesiæ Christus hoc donum contulerit, necne, aut saltem utrùm Ecclesia crediderit à temporibus apostolicis, hoc sese præsidio exornatam atque munitam.

Diximus latere perpetuò non potuisse tum Græcos tum Latinos utrùm infallibilitate donata sit Ecclesia, utrùmve præstantissimo illo dono careat : tale est enim suâpte naturâ, ut ignorato quid de momentosâ illâ quæstione sentiendum sit, ignoretur pariter, quale dogmaticis Ecclesiæ decretis obsequium adhiberi debeat : utrùm scilicet iisdem, absoluto et irreformabili adhærendum sit assensu. Hujusmodi autem ignorantiâ prioribus etiam seculis implicatam fuisse, totam fidelium societatem, id prorsùs alienum est à sapientiâ et charitate Christi.

At saltem, ut addidimus, latere perpetuò tum in Oriente tum in Occidente non potuit, utrùm Ecclesia sese constanter crediderit infallibilem in dirimendis de fide ac moribus controversiis : id certè singulis ætatibus tam cognitu obvium fuit, quàm Protestantibus apertum est, eorum societatem infallibilitatis donum sibi non attribuere, quamvis sæpiùs se gerat, quasi pro concesso illud sumeret.

Aliis adhuc si opus esset argumentis ad convincendum nunquàm dubitâsse Ecclesiam, quin infallibilitate donata sit à Christo, id apertissimè testarentur generales synodi, tum pronuntiandi ac decernendi quâ utuntur ratione, tum irrevocabili quousque ipsorum obtemperetur decretis, anathemate. Sic profantur, ut olim apostoli : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Jam verò ex eo quòd ab ætate apostolicâ et sequentibus, Ecclesia constanter crediderit collatum sibi fuisse infallibilitatis subsidium, ambigere non possumus, quin illo reipsà potiatur. Abhorret enim ab ipsius constitutione, ac provido ejusdem regimine, sic eam ferè ab ortu suo fuisse obcæcatam, ut sibi infallibilitatem, quæ nulla foret, confidenter ac perpetuò attribueret : numquid probabile est eam non à Christo, non ab Apostolis edoctam esse quid potestatis in causis fidei ac morum acceperit? Infallibilem si falsò sese arbitraretur, cogitari vix posset perniciosior fidei depositio, ac fidelium saluti hallucinatio : ab erroribus enim quos approbâsset, ac vibrato anathemate proposuisset Ecclesia, quo pacto revocaretur, et à grassante, quod peperisset scandalo desisteret, cùm se errori imperviam, nec suis in decretis locum esse emendationi, persuasum haberet? Ergo vel ipsius testimonio, sicut et constanti traditione, excutitur omnis de concessâ illi infallibilitate dubitatio.

ARGUMENTORUM QUARTA CLASSIS,

Ex rationibus theologicis.

Quotquot in primâ classe argumentorum, expositæ sunt consecutiones derivatæ ex probatis antea thesibus, totidem habentur maximi momenti rationes theologicæ, quibus alias nonnullas possumus attexere.

1° Quia negant Protestantes, Ecclesiæ auctoritate definitivè componendas esse pullulantes de fide controversias, ideò inficiantur, infallibilitatem Christum esse impertitum Ecclesiæ : quibus igitur argumentis comprobatum est, indubitanter constitutam esse Ecclesiam supremum controversiarum illarum judicem, eadem recurrunt et ingeminantur ad asserendum Ecclesiæ infallibilitatis donum.

2° Ostenditur ab ipsis Protestantibus Deistas debellantibus, nec potuisse sperari, nec reipsà factum esse, religionis ut officia, quantùm par est, dignosceret humanum genus, nisi revelantis auctoritate Dei duceretur, quæ aberrare

non potest. Ostenditur à Catholicis quantâcumque auctoritate in seipsis polleant Scripturæ divinitùs inspiratæ, requiri tamen ad certò dignoscendam credendorum agendorumque veritatem, ut Ecclesiâ interprete, sacræ illæ litteræ explanentur, ejusdemque freti testimonio, dicere possent fideles cum Apostolo, anathema angelo doctrinam aliquam contrariam è cœlis (quod repugnat), afferenti. Quibus argumentis astruere studuerunt ipsimet Protestantes contra Deistas, divinæ ac proinde infallibilis auctoritatis necessitatem, iisdem, si consequenter ratiocinarentur, confirmari intelligerent infallibilem in Christianâ Religione, auctoritatem Ecclesiæ.

3° Urgeri possunt ratione quâ demonstrat Bossuetius, pervulgatâ apud eos doctrinâ de judiciis Ecclesiæ, deplorandam religionum foveri indifferentiam; postquàm adnotavit hanc esse decantatam eorum methodum, ut propriâ unusquisque disquisitione et postpositâ cui certò et constanter adhæreant, Ecclesiæ auctoritate, suam audeat informare fidem, continuò subjicit: « Mais que feront ceux qui « de bonne foi demeureront convaincus de leur « ignorance, et se sentiront incapables de rien « prononcer sur des matières si hautes et si « disputées? Que feront-ils, dis-je, sinon à la « fin de croire bonne toute religion, et se sau- « ver dans l'asile de l'indifférence, qui est en « effet la disposition, où l'expérience fait voir « que vous mène votre réforme? » Instruction pastorale sur les promesses de l'Eglise, chap. 18.

4° In symbolo Apostolorum quod ipsi profitentur Protestantes, habetur expressa mentio de Ecclesiâ: altum verò silentium de Scripturis atque sacramentis; quâ nempe de causâ, hæc spontè occurrit: positâ Ecclesiæ auctoritate, eâque infallibili, prævidebatur comparanda de Scripturis et sacramentis necessaria certaque notitia.

Solvuntur objecta.

Objectio desumpta ex antiquo Synagogæ statu. — Carebat infallibilitate synagoga; attamen verbis non minùs significantibus, commendatur in Deuteronomio ipsius auctoritas, quàm in Evangelio, christiani auctoritas ministerii. Deuteron. cap. 17: *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te.*

Resp.: Quidquid sit de synagogæ infallibilitate, de quâ mox dicemus, longè minùs ad eam significandam aptum est adductum Deuteronomii testimonium, quàm exposita à nobis loca novi Testamenti ad adscribendum Ecclesiæ christianæ absolutum inerrantiæ donum: in textu enim Deuteronomii agebatur de particularibus causis apud judices qui civitatum ad portas pro more tunc usurpato sedebant, primùm agitandis: illi autem si dissentirent, ad supremum gentis tribunal, cui præerat summus pontifex, ultimum deferebatur judicium: de ipsis decernebat temporibus pro speciali reipublicæ judaicæ constitutione, quæ *theocratia* dici poterat. In illis quæ allata sunt verbis memorantur diversæ quæstiones de intentatis videlicet criminibus, de civilibus negotiis, de discernendâ quæ apparebat leprâ, ejusque negandâ aut affirmandâ sanatione: ad hujusmodi componendas lites non requirebatur in judicibus infallibilitas, sed sola auctoritas cui esset ab omnibus obtemperandum: citato textu nullum designatur propositum dogma, aut definita morum regula, in judiciis quæ indicantur, sed præscribitur populo ut delatis in causis sequatur decreta judicum, paratâ contumacibus capitali pœnâ.

At in testimoniis quæ deprompsimus ad probandam Ecclesiæ christianæ infallibilitatem, agitur de proponendis ut irretractabili assensu credendis dogmatibus, morumque necessariis christianam ad vitam placitis; textibus illis enuntiantur distinctæ et absolutæ promissiones quibus spondet Christus continuum et efficax docentibus Apostolis eorumque successoribus præsidium.

Instabis: 1° Quamvis citato Deuteronomii testimonio non distinctè enuntietur judicandi potestas quæ circa dogmata versetur aut morum regulas, fieri attamen non potuit, ut interdùm Judaicâ in republicâ, sicut solet in societatibus revelatam religionem profitentibus, non emergerent quandoque de rebus quæ divinam ad fidem attinerent, variæ contentiones; auctoritate, eâque infallibili dijudicari debuerunt, si tenenda esset in causis religionis illa methodus quam Romana sequitur Ecclesia: perspicua tamen suppetunt Scripturarum testimonia quibus planum fiat, nequaquàm infallibilitatis

dono præditam fuisse synagogam. Isaiæ cap. 56 legitur : *Speculatores ejus cæci omnes : nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia;* Jeremiæ cap. 8 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt à summo usque ad novissimum.*

Resp. 1° : « Synagoga, ut rectè animadvertit « Bellarminus, erat Ecclesia particularis, non « catholica, quia erat alligata uni tempori, id « est, usque ad adventum Messiæ, item uni loco, « id est, templo Salomonis, extra quod non « poterant sacrificare, et uni familiæ, id est, « filiis Jacob. » (Cap. 6 de Notis Ecclesiæ, lib. 4.) Poterant quidem gentiles Judaicæ aggregari reipublicæ, et aggregati totam legem tenebantur observare : *Testificor omni homini circumcidenti se,* aiebat Apostolus, *quoniam debitor est omnis legis faciendæ,* ad Galatas, cap. 5, sed nullâ lege astringebantur ut inter membra synagogæ adscribendos se curarent : neque ergo ipsius adire tribunal, ejusque jubebantur parere auctoritati. Extra populum Judaicum inventi sunt fideles et justi, ut Job, Cornelius centurio, eunuchus Candacis reginæ, et alii, nec ubi sermo est de auctoritate et inerrantiâ, institui plenè potest synagogæ comparatio cum Ecclesiâ Christi.

Resp. 2° : Duplex in gente Judaïcâ constitutum fuit ministerium, ordinarium unum, extraordinarium alterum : summo pontifici et oriundis ex stirpe Aaron sacerdotibus commissum fuit ordinarium ministerium, docendi nempe populum, aliaque obeundi munera quæ ad cultum Dei pertinerent. At extraordinarium ministerium prophetis fuerat mandatum, et quidem tam frequens, tamque erroribus et delictorum contagio paratum occurrere, ut quasi ordinarium habendum esse videretur.

Lib. 2 Paralip. cap. 36, v. 15, dicitur : *Mittebat autem dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, et quotidiè commonens, eò quòd parceret populo et habitaculo suo.*

Jerem. cap. 25, v. 4 : *Misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque,* etc. Ejusdem prophetæ cap. 11, v. 7 : *Contestans contestatus sum patres vestros in die quâ eduxi vos de terrâ Ægypti, usque ad diem hanc.*

Unde meritò dixit Bossuetius : « Le ministère « prophétique avant la captivité, était comme « ordinaire au peuple de Dieu, où les prophè- « tes faisaient comme un ordre toujours sub- « sistant, d'où Dieu tirait continuellement des « hommes divins, par la bouche desquels il « parlait lui-même hautement et publiquement « à tout le peuple. » Conférence avec M. Claude.

Nec tamen defecit unquàm Mosaicâ in lege ordinarium et sacerdotale ministerium : id ipse testificatur dominus Ezechielis cap. 44, v. 15 : *Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cùm errarent filii Israël à me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi.*

Quæ omnes errâsse Israeliticos pastores innuere videntur, testimonia Isaiæ et Jeremiæ, hæc de multis, et quidem facto, non dogmaticâ definitione aberrantibus intelligenda sunt : quemadmodùm etsi dictum fuerit Ezechielis cap. 3 : *Omnis domus Israel attritâ fronte et duro corde,* nihilominùs, cap. 9, dicitur : *Signa tau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctas abominationes quæ sunt in medio ejus.* Quamvis dixerit ad Galatas 3 S. Paulus : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* attamen cap. 6, ita eos alloquitur : *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.*

Verùm sive apud Judæos ministerio ordinario in se considerato alligata fuerit infallibilitas, sive illâ caruerit (quâ de quæstione nihil liquidò constat), haud idcircò in synagogâ deerat infallibilis auctoritas visibilis et eminens, quâ integrum servaretur fidei depositum : præstò enim erat continuò, ut diximus, prophetarum ministerium vigilans et arrectum, quo grassantes dejicerentur errores, sanaque palam prædicaretur ac retineretur doctrina. Flagrantiori nunquàm et fortiori studio emicabat illud prophetarum ministerium, quàm cùm sæviret magis, graviùsque immineret religioni periculum. Toto regno Achaz, prophetavit Isaias, divinæ accensus amore legis : idem non destitit propheta, principatum tenente Manasse, *qui sanguinem innoxium fudit multùm nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os : absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino,* lib. 4 Regum, cap. 21.

Instabis 2° : Post captivitatem Babylonicam, per annos circiter quingentos, cessavit prophetarum ministerium ; quâ ratione tunc certò vigebat in synagogâ infallibilis auctoritas ? — Resp. Appositâ Bossuetii responsione, sic breviter elevari potest id objectionis genus : « Depuis le retour de la captivité jusqu'à Jésus-

« Christ, il n'y eut plus d'idolâtrie publique « et durable. On sait ce qui arriva sous Antio- « chus l'Illustre ; mais on sait aussi le zèle de « Mathatias, et le grand nombre de vrais Fidè- « les qui se joignit à sa maison, et les victoires « éclatantes de Judas Machabée et de ses frè- « res : sous eux et leurs successeurs, la profes- « sion de la vraie foi dura jusqu'à Jésus-Christ; « à la fin, les Pharisiens introduisirent dans la « religion et dans le culte beaucoup de super- « stition; comme la corruption allait prévaloir, « Jésus-Christ parut dans le monde. » Confé- rence avec M. Claude.

Avitæ religioni inhærebat populus, divinæ documentis justitiæ revocatus ad obsequium : servabantur publicâ et obfirmatâ professione, religionis dogmata : nondùm transierant in propriam Synagogæ doctrinam placita quæ- dam à Scribis et Pharisæis invecta, sed prædi- cante Christo palàm reprobanda et abster- genda.

Secunda objectio, quâ ipsorum Apostolorum im- pugnatur infallibilitas.

Objicies : Tempore passionis Christi omnes erraverunt Apostoli, ut prædixerat Christus, Matthæi cap. 26, v. 31 : *Omnes vos scandalum patiemini in me istâ nocte : scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.* Ante ascensionem suam Christus *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non credide- runt,* Marci cap. ultimo.

Resp. Operæ pretium est attendere cum Bel- larmino, tempore passionis Christi Apostolos non fuisse episcopos nisi designatos, ut patet, sed solos partes Ecclesiæ materiales quæ errare possunt, neque in eis solis Ecclesia consiste- bat : nam status Ecclesiæ christianæ, cum obligatione ad ingrediendum in eam incœpit in die Pentecostes, quando peractis omnibus mysteriis redemptionis cœperunt Apostoli in Jerusalem publicè promulgare fidem Christi et baptisma : itaque etiamsi Apostoli omnes tem- pore passionis Christi errâssent circa fidem, nihil obfuisset eorum error Ecclesiæ universali. (De Ecclesiâ militante, cap. 17.) Cæterùm, hæc verba : *Omnes vos scandalum patiemini in me istâ nocte*, possunt intelligi de metu et pa- vore quo repentè perculsi Apostoli, capto à Ju- dæorum satellitibus Domino, in fugam omnes se dederunt : quod spectat hæc verba : *Expro- bravit incredulitatem eorum et duritiam cordis*, significatur tarditas ad credendum meritò cul- panda, non verò infidelitas propriè dicta : nondùm acceperant Apostoli Spiritum sanc- tum ; resurrectionem suam Christus cùm præ- nuntiaret, figuratè illum loqui putaverant : nam Lucæ cap. 18, cùm dixisset : *Occident eum, et tertiâ die resurget*, subjungitur : *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.*

Inst. : Accepto etiam Spiritu sancto erravе- runt à fide Apostoli : secundum enim Christi adventum, et ultimum ac universale instare judicium arbitrati sunt, scriptisque prodide- runt. S. Joannes, Epist. 1, cap. 2, v. 18 : *Filioli, novissima hora est : et sicut audîstis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt : unde scimus quia novissima hora est.* Idem Apostolus, Apocalypsis cap. 22, v. 20 : *Dicit qui testimonium perhibet istorum : etiam venio citò : amen veni, Domine Jesu.* S. Paulus : *Scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt*, 1 ad Corinth. cap. 10, v. 11. Idem, Epist. ad Hebræos, cap. 9, v. 26 : *Nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitu- tionem peccati per hostiam suam apparuit.* Alia sunt eòdem collineantia Scripturæ testimonia.

Resp. : Hæc ad eximendam Apostolis infalli- bilitatem objici non possunt nisi ab hominibus qui fidem christianam aut nunquàm susceпe- rint, aut susceptam penitùs abdicaverint.

Objectionem hanc discussimus atque refuta- vimus tractatu nostro de Religione. Indè nunc extrahimus quæ ad præsens nostrum institutum conferri et sufficere valeant.

I. Si prædicavissent Apostoli, atque scripto etiam tradidissent, impendere universalis tem- pus judicii, nec illud protrahendum ultra finem ipsius quo vivebant seculi, quo pacto apostolicæ Ecclesiæ deceptos illos fuisse aut deceptores non animadvertissent eviden- tissimo admonitæ exitu? Quâ ratione, animad- verso tanto errore vel fraude, talibus tamen magistris, seculo secundo quo res indubitanter patuisset, non abrogâssent fidem? Quo incи- tamento, tam alacriter pro christianâ doctrinâ sanguinem profudissent tot martyres, quos ea deceptio latere non potuisset? Quos inter pe- riti gravesque philosophi, qui non nisi post maturum severumque examen, christianæ mi- litiæ nomen dederunt.

II. Noverant (id quod per se liquet) Apos- toli, non posse unius intra seculi, et quidem jam partim elapsi spatium, absolvi quæcum- que Christo ipsisque prænuntiantibus, essent

antecessura universale judicium : oportebat ut *omni creaturæ* (Marci cap. ultimo), prædicaretur Evangelium ; in Ecclesiæ complexum adsciscerétur *plenitudo gentium*, ad Rom. cap. 11, v. 25 ; ad Christum converteretur gens Israelitica, ibid. v. 15 et 24, cujus conversionis proxima nulla indicia vidit ipse confectus senio S. Joannes. Num aliunde probabile videbatur tam angusto ut temporis spatio terminaretur docendi ministerium à Christo institutum, tùmque ea in terris desineret jam à primordiis quam fundaverat Ecclesia; unius hominis ætate aboleretur christiana fides, cui tanquàm umbræ et figuræ præiverant lex naturæ et lex Mosaica quæ quatuor circiter annorum millia compleverant?

III. Dùm ergo asserebat S. Joannes novissimam adventàsse horam, indicare noluit advenisse, aut imminere tempus universali præstitutum judicio ; ut quid exeunte primo seculo scripsisset Evangelium ad edocendam penè extinctam generationem, jam apostolicis informatam documentis, sive ille ante, sive post excidium Jerosolymæ exaraverit epistolam, ex quâ deprompta sunt hæc verba : *Novissima hora est ?* Dicendum est, eadem hæc verba esse intelligenda de ultimâ mundi ætate, cujus tota duratio dividi potest quasdam in partes quæ *horæ* nomine adumbrantur, sicut in parabolâ quæ patrem familiàs inducit operarios quosdam primo mane, alios tertiâ, alios horâ sextâ et nonâ, alios undecimâ mittentem in vineam suam, designantur diversæ mundi aut diversorum hominum ætates, Matth. cap. 20. Novissimâ de quâ loquitur horâ S. Joannes, cùm non significetur unius pars diei, neque una dies, neque unus annus, potuit adhiberi ad significandam generationum etiam indefinitam seriem : ac reipsà, unâ de generatione si locutus fuisset S. Joannes, quo sensu dicere potuisset Apocalyp. cap. 20, v. 7 : *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes?*

Jam verò ad testimonia S. Pauli, cùm apud Thessalonicenses increbuisset rumor prope esse ut Christus appareret universum judicaturus orbem, revocat eos Apostolus à præjudicatâ illâ opinione : *Rogamus autem vos, fratres,* inquit, *per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis, in ipsum, ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquàm per nos missam, quasi instet dies Domini,* etc., 2. Epist. c. 8. Quapropter quæ dixit *de finibus seculorum, de consummatione seculorum*, eodem ferè modo exponenda sunt, quo *novissima hora* quam commemoravit S. Joannes.

Dilationem secundi adventûs Salvatoris objicientibus quibusdam incredulis, confirmat mentes Fidelium princeps Apostolorum, his verbis : *Unum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus.* Tùm addit : *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit, propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Act. Apost. cap. 1, v. 6 et 7.

Quo tempore venturus sit Christus judicatum vivos et mortuos, latere voluit ipsos Apostolos, unde interrogantibus illis et dicentibus : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel, respondit : Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in suâ potestate.* Act. Apost. cap. 1, v. 6 et 7. Itaque mirum non est textibus secundum ad Christi adventum spectantibus quasdam offusas esse nebulas, quæ vacillandi occasionem aliquando pariunt nonnullis, in campo Scripturarum non exercitatis.

Tertia objectio, ducta ex comparatione Apostolorum cum eorum successoribus.

Esto concessa fuerit Apostolis plena infallibilitas, non inde sequitur transmissam illam fuisse ad successores illorum seu episcopos : talis consecutio si obtineret, colligendum esset pariter singulos episcopos esse infallibiles, singulos miraculorum dono et prophetiarum præditos, singulos afflante Spiritu sancto inspiratos, ad conscribendum quæ inter canonicas litteras debeant recenseri. Atqui, etc.

Resp. Apostolorum, ut ita loquamur corpori, seu collegio facta sunt ea promissa quæ ad ordinarium, idemque nullo definitum tempore, ministerium docendi pertineant ; ideòque ad corpus episcoporum, sancitam promissionibus illis divinis infallibilitatem translatam esse profitemur, ac multiplici argumentorum genere confirmatum est. Quòd autem miraculorum dono, et Spiritûs sancti propriè dictâ inspiratione singuli donati sint Apostoli, id referebatur ad testatam omnibus faciendam christianam fidem, propagandam Ecclesiam, renovandamque faciem orbis terrarum. Quamvis autem, ut probavimus, non effluxerit cum ætate apostolicâ donum illud miraculorum, divini fatlo instituti non postulabat, ut tam

frequenter quàm illis temporibus, labente omni seculo exereretur, atque in illos omnes manaret, qui erudiendis populis Apostolorum vices gererent.

Instabis : Ex concessis, atque ut experimentis evincitur, singuli possunt errare episcopi : ergo et ipsa episcoporum collectio : tam enim repugnat infallibilem esse in judicando episcoporum collectionem, qui singuli errori sunt obnoxii, quàm acutè videndi facultate valere hominum cœtum, quorum singulis hebescunt et caligant oculi.

Resp. In ipso naturali ordine multa quæ non individuis, competunt multitudini : à singulis militibus expugnari oppidum non potest, quod subrueretur à multitudine ; aliquo in genere certam fidem facere non possent singuli testes ; indubitatam procrearet plurima multitudo testium. Quid mirum igitur, si fallibiles quamvis singuli episcopi, infallibilitate divinis ex promissis potiatur corpus, seu collectio episcoporum? Nullius est momenti objecta comparatio : dùm enim coeunt consentientes inter se multi lippis aut caligantibus oculis homines, nihil affert eorumdem consociatio, quo depellatur vel compensetur ea quæ singulos afficit, visûs imbecillitas : verùm Deus qui singulis potuit, sed noluit episcopis donum infallibilitatis impartiri, potuit et voluit illud eorumdem collectioni tribuere.

Quarta objectio, ex difficultate certò cognoscendi infallibilitatem Ecclesiæ.

Obj. : Quâ possent viâ homines præsertim illitterati infallibilitatem illam habere exploratè cognitam? *Non declaratione ipsâ Ecclesiæ :* tum quia nullo unquàm expresso decreto patefecit tam eximiam dotem, tum quia etiamsi expressâ illam definitione firmatam voluisset, non ideò absolutam mereretur fidem, cùm de ipsâmet illius definitione potuisset quoque dubitari. *Non adeundis privato examine Scripturis,* cùm examen illud de infallibilitate quam tot refugient christianæ societates, non minùs operosum, rudibus præsertim et imperitis esse videatur, quàm aliorum discussio dogmatum. *Non ope traditionis;* oporteret enim et Patrum scripta evolvere, et cum decretis conciliorum conferre præsentis doctrinam Ecclesiæ, ut certò compertum haberetur, num veteribus illis monumentis, ritè congruat.

Resp. 1° objectionem hanc explanatam in iis quæ protulimus, tum ubi de supremâ Ecclesiæ in dijudicandis controversiis auctoritate, tum ubi de ejusdem apostolicitate; breviter nunc refellimus : non opus fuit expressis ut decretis suam assereret infallibilitatem Ecclesia : de illâ non ambigebant Catholici, nec ipsâ declarandâ fregisset contumaciam hominum rebellantium, et vesanam affectantium libertatem : inerrantiæ illud donum sufficientissimè sibi vindicavit perpetuâ praxi, exigendo plenum ut exhiberetur et absolutum suis definitionibus obsequium, et renuentes quoscumque à suâ communione repellendo.

2° Ad certò comperiendam eamdem Ecclesiæ infallibilitatem, non requiritur operosa Scripturarum, vel traditionis discussio. Facilè deprehenditur, ad instruendam informandamque fidem, ineundam atque tenendam esse viam auctoritatis ; neque in necessariis ad salutem deesse humano generi paternam providentiam ; auctoritatem verò quæ fallere aut falli posset, imparem fore dirimendis irreformabili judicio controversiis, et imperandæ quæ nunquàm retractari debeat, assensioni.

3° Non magis arduum est cognitu supremam de rebus fidei judicandi auctoritatem (quæ cum infallibili concidit), viguisse semper in Ecclesiâ, quàm cognoscere in Galliarum regno ab ipsius constitutione viguisse supremam de temporalibus judicandi potestatem. Hoc autem ipso confiteri pronum est, Ecclesiam à Christo prædictam accepisse auctoritatem, cùm nec hujus originem auctoritatis ipsa ignorare, neque inconcessam usurpare potuisset.

4° Infallibilitatem Ecclesiæ, ut ostensum est, testantur obvia et aperta quæ omnibus christianis societatibus habentur authentica Scripturæ testimonia : eamdem perspicuè comprobat perpetua Ecclesiæ praxis quam mox indicavimus, et quæ tum à synodo quam Jerosolymis habuerunt Apostoli, tum à generalibus omnibus proditur conciliis.

Aliarum quarumdam objectionum promiscua complexio.

1° Non minùs Ecclesiæ sanctitati adversantur peccata, quàm ejusdem repugnant veracitati quilibet errores in causis fidei ac morîbus : immunem illam à peccatis præstare efficaciter non voluit Deus, cùm ab ejus communione non repellantur peccatores : ergo nihil vetat quominùs et erroribus sit obnoxia. 2° Iniquum est in propriâ suâ causâ ita judicare Ecclesiam, ut decretis suis nolit quemquam, ubi cognita sunt, refragari.

3° Continuam miraculorum seriem involveret Ecclesiæ infallibilitas; ergo aliena est ab ordine divinæ providentiæ. 4° Infallibilitas Ecclesiæ si constaret, sola posset omnes dissolvere controversias ; ergo viam discussionis, neque concilia, neque SS. Patres debellandis hæreticis, tam studiosè curavissent. 5° De subjecto cui inesse dicatur infallibilitas illa quæ adscribitur Ecclesiæ, litigant inter se vel qui maximè prærogativam illam defendere aggrediantur : Romano alii eam pontifici, alii corpori pastorali adjudicant. Tali autem pendente dubio, indubitatum et irreformabile dogmaticis decretis non potest adhiberi obsequium.

Resp. ad primum : Tametsi multos sinu suo complectatur Ecclesia peccatores, peccatum tamen nunquàm approbat, neque eorum attingitur vitiis quos à suâ communione non divellit : languidum, fœdatum ac morbidum verè dicitur naturale corpus, languescant si quædam illius membra, et morbo fœdata intabescant : at Ecclesia non inficitur illorum delictis, quos in membris suis numerari patiatur. In ejus enim corpus non cooptantur peccatores quatenùs peccatores, sed quatenùs tria retinent externa catholicæ communionis vincula, ejusdem scilicet professionem fidei, eorumdem sacramentorum communionem, iisdem addictionem pastoribus; at errorem si doceret Ecclesia, eodem certè contaminaretur atque à propriâ constitutione suâ et naturâ excideret. Promisit quidem Christus adfore se perpetuò cum Apostolis eorumque successoribus, quorum infallibilitate innititur corporis fidelium *passiva* inerrantia ; at hæredibus apostolicæ auctoritatis non pollicitus est immunitatem à vitiis et cupiditatibus, quas tamen ita moderatur et coercet, ut nunquàm abrumpatur in Ecclesiâ continuatio et series apostolicarum de fide morumque regulis institutionum.

Sapienter admonet Melchior Canus, de Locis Theologicis lib. 4, cap. 5, Spiritum veritatis, fidei catholicæ fulcimentum, cæteraque Spiritûs sancti charismata ei Ecclesiæ esse et promissa et data, quam Apostoli suâ doctrinâ, miraculisque fundârunt, quam sacræ litteræ aptè prudenterque describunt *ex probis improbisque servis* constantem : « Quòd si ubi « dona Ecclesiæ Christus pollicetur, contiⁱ « nendis in officio ac veritate fidelibus necessa« ria, ea nos ad latentia solùm et invisa mem« bra referimus, inania profectò essent dona « illa, parùmque ad communem utilitatem ac« commodata : quin, ut supra ostensum est, « noxia essent ac perniciosa valdè, quippe quæ « perditissimis quibusque civibus, et dissidio« rum præberent perpetuas causas, et in om« nibus omninò flagitiis impunitatem ac licen« tiam sempiternam : jam verò si ratione duce « ac magistrâ, cùm injurium principi bono et « sapienti censemus, qui illius privilegia sic in« terpretatur, ut non solùm frustra, sed in per« niciem concessa esse videantur, quantò ma« gis ille erit Christi iniquus, pravus et mali« tiosus interpres, qui gratias et favores, quos « reipublicæ suæ promisit Christus, in eum « sensum acceperit, qui non modò vanitatem « præ se ferat, sed vel exitium? De Ecclesiâ « igitur, quæ bonos simul malosque complecti« tur, locus ille Pauli (quo Ecclesia dicitur « *columna et firmamentum veritatis*) cæterique « similes intelligendi sunt. »

Ita mox appellatus theologus. Cum statu peccati cohærere nequeunt justitia et charitas ; aliter dicendum de doctrinâ veritatis : vera et sancta docere possunt ipsi peccatores ; aliâ igitur ratione Ecclesiam ab errore defendere et arcere potest Spiritus veritatis, quàm singulos in episcopos diffundendo charitatem.

Ad secundum : Causa Ecclesiæ ab ipsâ religionis et Christi causâ non disjungitur : obtemperari absoluto assensu si velit Ecclesia suis de authenticitate Scripturarum, et verbi scripti vel traditi interpretatione judiciis, nonne postulat æquitatis ratio, ut obluctari non liceat docenti auctoritati, cui perpetuum et efficax, ut probavimus, præsidium divinis et apertis asseritur promissionibus ? Quid et iniquius et à ratione magis alienum fingi potest, quàm privatos, etiam illitteratos arrogare sibi dogmatica Ecclesiæ reformandi decreta ? Numquid oportebit, cùm fidem temerare catholicam audeant nescientes jugum, Ecclesiam interea obmutescere, aut collatam sibi à Christo potestatem continuò tenere, ut reconditum in vaginâ obtusumque gladium? Quasi Ecclesiâ superius aut eidem æquale in causis religionis tribunal cœlitùs esset constitutum.

Ad tertium : Ad infallibilitatem Ecclesiæ vindicandam non requiruntur perpetua, ut objicitur, miracula : speciali quidem opus est providentiâ, sed quæ ad instituti ministerii rationem attemperata est, nec solet eo dirigendo, naturalis ordinis legibus, propriè ut in miraculis, derogari : quòd si aliquando incidat miraculi alicujus necessitas, quid creditu ab-

sonum videatur, quòd omnipotens Deus, qui fundandæ et propagandæ causâ Ecclesiæ tot et tanta ediderit miracula, quædam, si opportunum judicaverit, ad ejus tutamen et incolumitatem dignetur interponere?

Ad quartum : Ex infallibilitate Ecclesiæ absolutâ et perpetuâ, id consequi fatemur et profitemur, ut hæc sola sufficiat ad componendas omnes de religione controversias; operæ nihilominùs pretium fuit, ut à conciliis sanctisque Patribus adhiberetur etiam via discussionis, tùm quia disquisitio illa conferre valeat ad edomandam hæreticorum contumaciam, dùm iisdem quibus abutuntur armis revincuntur; tùm quia, ad commendandam fidei causam, plurimi interest ut sigillatim ostendatur quibus innitatur principiis ac fundamentis; tùm maximè eò quòd expediat, ut oblatâ ab hæresibus occasione, exponatur illustrius, quod antea obscurius credebatur, sic tamen ut cœlestis philosophiæ dogmata retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem. De quo consule Vincentium Lirinensem Commonit. cap. 27, 28, 29 et 30.

Ad quintum : Quæ de subjecto infallibilitatis Ecclesiæ moventur quæstiones inter Catholicos, hujusce doni non officiunt certitudini : pro certo habetur et creditur ab omnibus Catholicis, junctum Romano pontifici corpus pastorale, docere aut approbare nihil posse, quod sanæ adversetur doctrinæ : hinc perenne ac prorsùs inexpugnabile fidei catholicæ propugnaculum.

Vide quæ exposuimus ubi de notis Ecclesiæ, diluendâ objectione quâ certum et fide catholicâ tenendum vellicatur unitatis principium. In dissertat. de judice controversiarum, solvimus ac depulimus intentatum catholicis theologis crimen, admittendi, vitiosi, ut aiunt, circuli, tùm etiam anteponendæ Scripturis auctoritatis Ecclesiæ; cætera quæ hìc objicienda forsitan videantur, commodiùs referentur ad sequentia capita, de infallibilitate tùm dispersæ, tùm congregatæ Ecclesiæ.

CAPUT II.

SPECIATIM, DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ DISPERSÆ.

Ecclesiam esse infallibilem, generatim probavimus : inde patet eamdem dispersam, errare non posse. Quæ profectò errorem si fortè susciperet, quid prohiberet, quominùs et congregata deficeret à veritate, cùm ideò, ut explicabitur, à fidei morumque regulis deviare nequeat generale concilium, quia dispersam repræsentat Ecclesiam : hæc igitur si posset falsa aut prava docere vel approbare, nulla foret, quæ tamen invictè demonstrata est, infallibilitas Ecclesiæ; itaque fas esset hìc gradum sistere; verùm et majoris elucidationis gratiâ, specialia quædam proferemus argumenta.

In causis fidei et morum definiendis, infallibilis est dispersa Ecclesia.

Quæcumque ex auctoritate judicis controversiarum et notis Ecclesiæ argumenta deprompsimus, ad asserendam Ecclesiæ infallibilitatem, illa conspirant in hoc donum eidem per totum orbem dispersæ vindicandum : istud enim perpetuum est, sicut principia ex quibus necessariò colligitur; at perpetuò non habentur generales synodi; ergo in dubium vocari non potest dispersæ infallibilitas Ecclesiæ.

Et verò, quis nisi christianam totam discerpat religionem, animo finxerit, posse extra generale concilium discindi unitatem Ecclesiæ, seu vincula quibus inter se devincti tenentur fideles? Hæc autem quo pacto inviolata servaretur unitas, quæ maximè pendet ab ejusdem fidei constanti professione, si absque generali synodo, quæ rarò et difficulter celebratur, exortas de religione lites non valeret, urgente licet decernendi necessitate, tutò ac certò Ecclesia definire?

1° Si temporum intervallis quibus generale unum distat ab altero concilium, prævalere possent portæ inferi adversùs Ecclesiam, nihil infirmius, nihil instabilius foret Ecclesiâ, quæ tamen spondente et gubernante Christo, immotam se ac securam meritò gloriatur. Ergone ex promissionibus quibus Ecclesiæ suæ obstrictum se voluit Christus, eradenda sunt solemnia hæc verba, *omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, aut nunquàm erit abstinendum à celebrando generali concilio?

2° Ad Ecclesiarum quæ toto in orbe spectandæ sunt, consensionem, provocant hæreticos celeberrimi defensores religionis, tanquàm ad firmissimum evangelicæ et integræ doctrinæ testimonium : ita enim S. Irenæus : « Hanc prædicationem et hanc fidem cùm « acceperit, quemadmodùm prædiximus, Ec« clesia, et quidem in universum orbem disse« minata, diligenter custodit, quasi unam « domum inhabitans, et similiter credit iis « (Apostolis et discipulis eorum) videlicet « quasi unam animam habens, et unum cor, et

« consonanter hæc prædicat et docet, et tradit, « quasi unum possidens os... sicut sol creatura « Dei, in universo mundo unus et idem est, sic « et lumen, prædicatio veritatis ubique lucet « et illuminat omnes homines, qui volunt ad « cognitionem veritatis venire. » De Hæresibus l. 1, c. 10. Vide etiam l. 3, cap. 2. Egregio illo contextu quid efficacius ad significandam Ecclesiæ dispersæ infallibilitatem?

Novatores hoc eodem argumenti genere sic premebat Tertullianus : « Percurre Ecclesias « apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ « Apostolorum suis locis præsident ; apud quas « ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, « sonantes voces et repræsentantes faciem « uniuscujusque : proxima est tibi Achaia? ha- « bes Corinthum ; si non longè es à Macedoniâ, « habes Philippenses. » De Præscript. cap. 36. Aliàs retulimus quàm eidem Tertulliano absonum videretur, ut Spiritus sanctus universam passus fuisset aberrare Ecclesiam. Ibid. cap. 28. S. Cyprianus Epist. ad Pupinianum : « Christus « dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præ- « positos, qui Apostolis vicariâ ordinatione « succedunt : *Qui audit vos, me audit ; qui reji- « cit vos, me rejicit.* »

Non distinguit inter episcopos dispersos et episcopos congregatos; lege et Epistolam S. Athanasii synodicam ad imperatorem Jovinianum. Apud Theodoretum, lib. 4 Hist., cap. 3; Epistolam S. Basilii ad Cæsarienses; S. Cyrilli Jerosolymitani, catechesi 18.

Nobis procul dubio datum est, cum S. Augustino, « fiduciâ securæ vocis asserere, quod « in gubernatione Domini nostri Jesu Christi, « universalis Ecclesiæ consensione roboratum « est. » Lib. 7 de Baptismo, cap. 53.

« Hinc semel constituto, inquit doctissimus « Bossuetius, Defens. Cleri Gallicani parte se- « cundâ, lib. 14, cap. 1, hoc certo dogmate, « vim ultimam et ineluctabilem quâ compri- « muntur hæreses, unitate et consensione « constare, profiteamur necesse est, id quoque « valere quocumque modo se illa consensio de- « claraverit, sive concilia congregentur, sive « non congregentur. » Definiendis fidei quæ- stionibus quàm sit ineluctabilis dispersæ auctoritas Ecclesiæ, gravissimis momentis demonstrat idem illustrissimus præsul, cujus hæc inprimis adnotanda sunt verba : « Hanc « verò communem et pervulgatam esse contro- « versiarum finiendarum viam, qui non intel- « ligit, eum pacis inimicum, et omnis eccle- « siasticæ rei imperitum esse profiteor : quare « meritò S. Augustinus de causâ Pelagianorum « loquens, hæc prædicat : Jam enim de hâc « causâ duo concilia missa sunt ad sedem « Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt : « causa finita est. »

« Neque enim, ait Bossuetius citati libri « cap. 3, quâvis subortâ quæstione, sollicitan- « dus orbis terrarum, aut generalia concilia « statim convocanda sunt, sed tantùm ex certâ « causâ, si graves per orbem dissensiones « oriantur, si aliter non videtur coalitura pax : « sic enim ab apostolicis usque temporibus fac- « titatum esse probavimus. »

3° Idem argumentum confirmari potest aliis, præter Pelagianæ hæresis condemnationem, certissimis historiæ ecclesiasticæ monumentis. Notum est illud S. Augustini : « Numquid con- « gregatione synodi opus erat, ut aperta per- « nicies damnaretur? Quasi nulla hæresis « aliquando, nisi synodi congregatione damnata « sit, cùm potiùs rarissimæ inveniantur, pro- « pter quas damnandas necessitas talis extite- « rit, multæque sint incomparabiliter plures, « quæ ubi extiterunt, illic improbari damna- « rique meruerunt, atque inde per cæteras « terras devitandæ innotescere potuerunt. » (Lib. 4 ad Bonifacium, contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 12.) Quod hic affirmatur, illustrat Bossuetius indicatis hæresibus multis sine generali concilio ab Ecclesiâ profligatis : « On ne peut nier que, sans que toute l'Église « fût assemblée, elle n'ait suffisamment con- « damné Novatien, Paul de Samozate, les Ma- « nichéens, les Pélagiens, et une infinité d'au- « tres sectes : ainsi, quelque secte qui s'élève, « on la pourra toujours condamner comme on a « fait celles-là, et l'Église sera infaillible dans « cette condamnation, puisque son consente- « ment servira de règle, » lib. 15 Variat. c. 99. Commemoratis Eusebius, quibusdam hæresibus, fideles profundum in gurgitem adducere conantibus, subjungit, Hist. ecclesiast. lib. 4, cap. 7 : « Catholica autem Ecclesia quæ sola « vera est, semperque sui similis et constans, « novis quotidiè incrementis augebatur... man- « sitque tandem disciplina nostra, sola omnium « consensu superior et victrix, ac præ reliquis « sectis, modestiâ, gravitate divinæque sapien- « tiæ præceptis excellere, ab omnibus judi- « cata. »

4° Ab evangelicâ doctrinâ si vel uno in capite resiliret dispersus per universum orbem episcopalis ordo, christianum populum raperet insuperabiliter secum in erroris partes, atque

ita dissiparetur et occumberet catholica penitùs Ecclesia : constat enim, ut prædicabat S. Cyprianus, « Ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem sacerdoti adunatam, et gregem pastori suo adhærentem. Unde qui cum episcopo non sint, eos in Ecclesiâ non esse, frustraque eos sibi blandiri qui pacem cum sacerdotibus non habuerint, cùm Ecclesia quæ catholica una est, scissa non sit, sed connexa et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata, » Epist. ad Pupinianum. Et certè prolabentibus in errorem, ipsumque pro revelato dogmate proponentibus episcopis per orbem dispersis, vel assentiretur vel dissentiret populus Christianus : si consentiat atque simul cum pastoribus sanam refugiat doctrinam, corruat necesse est universa Ecclesia, quæ, ut ex ipsius constitutione et definitione compertum est, stare nullo modo potest sine professione veræ fidei ; si autem docentibus pastoribus obsistat populus Christianus, atque contrariis addicatur partibus, apostolicæ nimirùm doctrinæ tenax; ergo Ecclesia non erit, ut ait S. Cyprianus, plebs sacerdoti adunata; ergo non ad pastores revocandum esset ultimum in causis fidei judicium, sed ad populos, quibus tamen dictum est : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis*, quemadmodùm dictum est pastoribus : *Posuit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei.*

5° Constituto scilicet, qualem haberi Christus voluit, ecclesiastici regiminis ordine, atque suadente evidenter rectâ ratione, non à populis, seu grege pastores ducendi sunt, sed à pastoribus populi : errantibus ergo episcopis, pronum esset ut errarent populi : quem autem, errante dispersâ Ecclesiâ, errorem combiberent, ille ipsum in Deum non ut permittentem duntaxat, sed ut jubentem et impellentem refunderetur : docentis enim Ecclesiæ auctoritati sic tanquàm sibimet ipsi præcipit obtemperari; Deo igitur dicere possent fideles : Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti.

Quænam autem erroris illius retundendi via suppeteret? Pauci, qui fortè reclamarent, errantium obruerentur multitudine; arrogantis insimularentur pertinaciæ; conflaretur in eos exitiosi accusatio schismatis, atque ut perduelles ab universalis dejicerentur Ecclesiæ consortio, nisi per nefas dicatur, tunc in paucis illis repositam fore Ecclesiam, amissâ catholicitate, ita ut possent, sicut olim Julianus Pelagianus, exclamare « multitudinem nihil prodesse cæcorum; honorandam paucitatem, quam ratio, eruditio libertasque sublimat. »

SOLVUNTUR OBJECTA. — *Objectio prima.*

Controversiarum de fide ac moribus, duo genera possunt excitari : unum videlicet de perspicuis, et quæ soli impugnant hæretici, dogmatibus; alterum de doctrinis obscuris, intricatis, et quæ apud ipsos Catholicos diversis agitantur opinionibus; in priori quæstionum genere, dispersæ Ecclesiæ tribuatur infallibilitatis donum; sed alterum non nisi à concilio generali potest infallibiliter dirimi : œcumenicâ in synodo discutiuntur, quibus veritas obsita est, nebulæ : mutuis episcoporum colloquiis exploduntur hæreticorum argutiæ; reserantur arcana verbi divini tùm scripti, tùm traditi : quod similiter nequeunt dispersi præstare episcopi, cùm quid unus sentiat, ignoret alter, nec possent sententiæ cum sententiis conferri.

Resp. : Objectio illa quam affectatè obtrudunt nonnulli, haud levi, ut primo aspectu videtur, discutienda est calamo.

I. Futilis est et ad arbitrium conficta, quâ innititur, distinctio : promisit Christus sine exceptione, sine restrictione, sese cum Apostolis eorumque successoribus adfuturum *omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, ne quid doceant aut approbent quod divinæ adversetur revelationi; quo jure solis affingeretur œcumenici concilii locis ac temporibus absoluta hæc et generalis promissio, si quæstio moveatur de dogmatibus satis nondùm eliquatis, et quæ catholicos nacta sint aliquot defensores? An repugnat divinæ sapientiæ aut potentiæ ut in obscuris etiam Scripturarum traditionisve testimoniis, veram attingant et sequantur interpretationem dispersi per orbem episcopi? Non ergo poterit speciali Christus *assistentiâ*, universæ id largiri Ecclesiæ, quod sæpè privatis largitur doctoribus, nempe ut dogmaticis in quæstionibus, nondùm ut par est, explanatis, sinceram inveniant et amplectantur doctrinam.

Obscuritatis obtentu si liceret declinare universalis Ecclesiæ sententiam, quo pacto revinci possent et in ordinem redigi, qui præfractè vellent erroneam aliquam opinionem defendere? Longè aberunt à confitendo claram esse, atque genuinâ divini verbi expositione patefactam adversantem sibi doctrinam; ad illud statim convolabunt perfugium, in re implexâ et explicatu arduâ hallucinari posse, et erroris

suscipere patrocinium, dispersam Ecclesiam : tùm deinde quæstionem quam cæteri credent expressè nec ambiguè revelatam, dictitabunt, densâ circumfusam esse caligine, neque posse absque synodo œcumenicâ elucidari. Fatebatur Lutherus clarè et distinctè revelatam esse Christi realem in Eucharistiæ Sacramento præsentiam : divinis eam prorsùs repugnare Scripturis contendebat Calvinus, idemque profitentur Calvinistæ, nec eos ab errore dimovere potuit generale, quod videbantur postulare, concilium.

In quæstionibus implexis et diversas ventilatis in partes, errare si possit generalem extra synodum Ecclesia, nihil ferè hujusmodi in controversiis præstare poterit, quod privati non valeant episcopi ; prolata si quæ tùm fuerint ab universali concilio decreta, eadem posset executioni mandare ; idem potest ac debet privatus quilibet episcopus ; ita disseritur in Comitiis cleri Gallicani anni 1655 et 1656. (Relation de l'Assemblée de 1655 et 1656.)

Haud advertunt adversarii, tùm maximè Spiritûs sancti, qui omnem docet veritatem, requiri præsidium, cùm vera doctrina quibusdam obvolvitur tenebris, ideòque impugnatur periculosiùs ; neque reponatur, posse æstuantibus id genus controversiis, haberi œcumenicam synodum, eoque in tribunali, opportunâ in luce veritatem collocari, lubrici erroris cuniculos retegi, atque inobedientibus debitas irrogari pœnas : quot antequàm convocata et celebrata fuerit synodus generalis, sæpiùs foverentur dissensionum semina, quæ nisi promptiùs comprimantur, erumpent ultra modum, in christianæ dedecus ac pernicem societatis ? Haud diffitemur, ad instaurandam Ecclesiæ pacem, ad reformationem disciplinæ, ad ipsius servandam integritatem fidei, aliquando expedire, aut etiam necessaria esse œcumenica concilia : quandonam recurrat hæc utilitas vel necessitas, certò dijudicat Ecclesia, quam latere non potest modus suæ exerendæ auctoritatis ; hanc igitur sive intra sive extra generale concilium adhibeat, ultra metas sibi à Christo præstitutas non potest excurrere, sicut neque Christus fidelis in omnibus verbis suis, docentem eam deserere.

II. Evidentibus ipsis factis refelluntur qui congregatæ solùm Ecclesiæ datum esse contendant, obscuritate quâdam obductas et explicatu difficiles controversias dirimere ; in asserendis dogmatibus jam explicitâ et catholicâ fide receptis versatæ sunt celeberrimæ et generales synodi, v. g., concilium Nicænum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, Chalcedonense, etc. Nemo enim verè catholicus dubitavit de consubstantialitate Verbi, divinitate Spiritûs sancti, unitate personæ in Christo, duabus in eo inconfusis naturis ; multa autem possunt recenseri dogmata de quibus inter Catholicos disceptatum sit, quæ tamen supremo deinceps definita fuerint Ecclesiæ dispersæ judicio. Prioribus Ecclesiæ seculis extitêre scriptores catholici, quos inter venerandi martyres, ut puta, S. Justinus, S. Irenæus, qui sanctos nonnisi post generalem resurrectionem intuitivâ Dei visione perfrui existimarent ; error ille antequàm à conciliis œcumenicis profligaretur, repudiatus est dispersæ auctoritate Ecclesiæ, atque à Catholicis communi consensu amandatus inter commentitia damnandaque placita. Prodeunte hæresi Pelagianâ pugnari poterat absque hæresis notâ, existere in terris justos, qui totum vitæ curriculum absque ullo veniali peccato transigerent : « Utrùm enim, aiebat S. Augustinus lib. 2 de « Naturâ et Gratiâ, cap. 60, in hoc seculo fue- « rit, vel sit, vel possit esse aliquis ita justè « vivens, ut nullum habeat omninò peccatum, « potest esse aliqua quæstio inter veros « piosque Christianos. » At postquàm concilii Carthaginensis anno 418 celebrati decreta invaluerint in Ecclesiâ, et ante Ephesinum generale quo confirmata sunt, assensu fidei credendum fuit, neminem posse (absque speciali privilegio), peccatum omne totam per vitam effugere. *Aperta pernicies* si vocata sit à S. Augustino Pelagiana hæresis, non id significatum voluit, nullam Pelagianæ doctrinæ partem potuisse initio absque hæresis labe propugnari, sed post Ecclesiæ judicium quo reprobatus est Pelagianismus, tum illum fuisse totum tanquàm *apertam perniciem*, propositâ æternæ mortis pœnâ declinandum omninò et aversandum. Delatos ad S. Augustinum à SS. Prospero et Hilario (Laico) Massiliensium Semipelagianorum errores, strenuè quidem et validissimè confutavit eximius ille gratiæ defensor, libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ ; at dissentientes ab ipso ducebat in Catholicorum numero : tales erant nonnulli episcopi, ut Hilarius Arelatensis, Faustus Rhegiensis, quidam et secundi ordinis sacerdotes, ut Cassianus, pietate et eruditione conspicui, de quibus ita scripsit S. Prosper lib. contra Collatorem, cap. 33 : « Quis hæc præ- « dicari à Catholicis inter Catholicos crede-

« ret? » Idem in Epistolâ ad S. Augustinum : « Hoc totum, inquit, à sanctissimis intentissimè conclamatur. »—« Utinam, inquit S. Augustinus, in fine libri de Dono perseverantiæ, « ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, « maximèque fratribus et dilectoribus nostris, « intelligere! » Non nisi anno demùm centesimo à sancti illius doctoris obitu, ut adnotat cardinalis Norisius, ejusdem sententia inter fidei canones relata est; occasione scilicet dedicationis alicujus ecclesiæ habita est à quatuordecim solùm episcopis anno 529, sub pontificatu Felicis IV, Arausicana synodus II; in illâ conditi sunt ex ipsis S. Augustini verbis canones viginti quinque, eademque confirmata tum à Felice IV, tum deinceps à Bonifacio II, per orbem catholicum pervulgata est; dispersæ obtinuit suffragium Ecclesiæ, atque hæresis nomine infamatus est Semipelagianismus.

Nec omittendum, catholicas olim inter Ecclesias disputatum fuisse de quorumdam librorum inspiratione, quos nihilominùs postea, suffragante dispersâ Ecclesiâ, priusquàm à conciliis Florentino et Tridentino consignaretur Scripturarum canon, creditum est, afflante sancto conscriptos esse Spiritu.

Quid ad hæc digna memoratu exempla? Si Ecclesia nunquàm valeat extra generale concilium certò dijudicare obscuras de doctrinâ controversias, vel quod ad hujus generis quæstiones attinet, suam esse limitatam ignoraret auctoritatem, vel præscriptum sibi à Christo limitem scienter ac temerè transiliret, velletque adhibendo anathemate talibus ut judiciis, irreformabili obtemperaretur assensu; at ineptè et per summum nefas, ut jam diximus, fingeretur ignorari ab Ecclesiâ quoad usque sua judicandi potestas pertingat; tùm quomodò et quando eâdem uti propositum ad scopum debeat; tali enim si laboraret ignorantiâ, quò evaderet concessum illi tam necessarium inerrantiæ donum? Numquid infallibilis suâ in arte haberetur medicus, qui nesciret quo pacto et quando adhibenda sint idonea morbis depellendis remedia? Num inaccessum errori censeretur judicis alicujus tribunal, qui suâ quandoque abuteretur potestate, et iniquas proferret sententias, nescius quid res vel tempora, æquum ad judicium ferant ac postulent? Si verò compertum quidem habeat Ecclesia, sibi non esse infallibilitatem suppeditatam ad componendas extra concilium generale obscuras de doctrinâ lites, et illam tamen sibi arrogaverit, suisque adversantes decretis anathemate perstringat, ergo nefandæ usurpationis ac tyrannidis non veretur crimen sibi accersere, atque adulterinas inter sectas numeranda esset sponsa Christi Ecclesia. Quin et hanc labem suscepisset à remotioribus seculis, ut liquet ex nostris probationibus, hærentemque et inveteratam spontè et obstinato animo retinere pergeret.

Desinant ergo, jugum auctoritatis exosi, ad libitum restringere facta Ecclesiæ à Christo promissa, quem sic Apostolos alloquentem inducit illustrissimus Bossuetius : « Vous enseignerez, vous baptiserez, et vous administrerez les sacrements dont je suis l'instituteur; je bénirai votre ministère, il subsistera toujours; il aura toujours son effet, « qui aussi n'est autre que celui pour lequel je « suis avec vous; on n'y verra jamais d'interruption, pas même d'un seul jour; le monde « finira plutôt que vos fonctions saintes et mon « secours tout-puissant; le ciel et la terre passeront, mais mes paroles ne passeront point. » (Documento secundo pastorali de promissis Ecclesiæ, cap. 38.)

Instabis: Teste S. Augustino, nonnisi concilii plenarii seu generalis definitione dissolvi ac definiri possunt obseptæ difficultatibus, atque in disceptatione versatæ apud Catholicos controversiæ, qualis erat quæstio de collato ab hæreticis baptismate temporibus S. Cypriani, quæ tantâ agitabatur animorum contentione. « Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros et « magnâ charitate præditos episcopos ita inter « se compulit salvâ pace disceptare atque fluctuare, ut diù conciliorum in suis quibusque « regionibus diversa statuta mutaverint, donec « plenario totius orbis concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. »Lib. 1 contra Donatistas, c. 7.

Resp. 1° : Quamvis hanc mentem induisset S. Augustinus, nisi solemni concilii plenarii seu generalis definitione non potuisse componi discussam ingenti animorum sollicitudine ætate S. Cypriani controversiam de baptismo hæreticorum, non inde concludi posset arbitratum esse S. Augustinum, nullas difficiles et obscuras quæstiones potuisse resolvi ac definiri generalem extra synodum; multò minùs putavit, in hujusmodi quæstionibus licitum fore obtrectare vel dissentire definitioni quam dispersa ediderit Ecclesia, cujus est certè dijudicare quâ ratione possit ac debeat pro rerum adjunctis concessam sibi di-

vinitùs auctoritatem exercere, ut supra demonstratum est. Resp. 2° : Dixit iterùm atque iterùm S. Augustinus, motam atque inter Catholicos disceptatam de rebaptizatione quæstionem, plenario tandem seu generali concilio esse diremptam, sed nusquàm affirmavit, eam non potuisse absque talis concilii convocatione et celebratione dirimi ; quæ duo profectò longè discrepant ; hæc perperam confundere student, qui fortassè non magis concilii generalis definitionibus obtemperarent, quàm disseminatæ decretis Ecclesiæ, quâ in repræsentandâ tota posita est vis et auctoritas generalis synodi.

Objicies 2° : In controversiis de doctrinâ, judicis munere defunguntur episcopi, nec illud debent obire quasi defunctoriè ; necesse est ut sedulò cum incorruptis revelationis fontibus conferant suam sententiam ; necesse est insuper, ut certò innotescat prolatam fuisse prævio et præoccupatis vacuo opinionibus examine ; hanc enim certitudinem et notorietatem postulat fidei certitudo atque immota firmitas ; experimentis autem constat à maximâ parte disseminatorum per orbem episcoporum, prætermitti operosam illam necessariamque difficilibus in controversiis discussionem ; palam est aliunde præjudicatis de pontificiâ infallibilitate ductos opinionibus plurimos, clausis veluti oculis, in sententiam à summo pontifice prolatam ultrò descendere ; hinc non propriè judicis, sed executoris duntaxat subire munus ; præterea, etiamsi requisitum accommodatumque ad naturam causarum examen adhibuissent plerique episcopi, undenam id constare sic posset, ut eorum decretis indubia constanter fides debeat adjungi ? Quod de præjudiciis, idem fermè de aliis nonnullis impedimentis, institui potest argumentum, de metu, adulatione, dignitatum ambitu ; quàm proclive est tot humanis inordinatis affectibus veritatem impediri et obscurari, quos cohibere efficaciùs valeat generalis majestas auctoritasque synodi !

Resp. 1° : Decretis Ecclesiæ sì parendum et credendum ante non sit quàm propriâ discussione certò et liquidò constiterit, plerosque saltem episcopos, depositis præjudiciis, maturo et juridico examine, damnandam vel approbandam expendisse doctrinam, eamdemque cum Scripturis et traditione sedulò conferendam curavisse, imperviam Christus præstituisset, tanquàm veritati investigandæ et agnoscendæ necessariam methodum ; adire theologiæ penetralia non potest fidelium vulgus, neque omnes callere et discutere decretorum dogmaticorum characteres, quos diversi postulant adversarii ; nec etiam oculatissimi et peritissimi scrutari valent quid singulorum in mentibus episcoporum repositum sit ; quibus afficiantur affectibus ; quo incitamentorum genere ad assentiendum inflectantur. Cor hominis *inscrutabile, quis cognoscet illud ?* Jerem. 17, 9. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est ?* 1 ad Corinth. 2, 11. 2° Plena est periculi innumerisque scatet offensionibus prædicta methodus ; quot aperiret malevolis effugia ? Quàm multiplicem cavillantibus ansam subministraret, ad eludendas Ecclesiæ dogmaticas sanctiones ! Quò quisque foret ad malignè suspicandum proclivior, eò quoque promptiorem se exhiberet ad affingenda pastoribus aliena inquisitioni veritatis consilia, torpentesve animos in obeundis judicum muneribus, ideòque ab assentiendo et obsequendo liberum se jactaret insolentiùs. 3° Illàc eâdem viâ impunè possent declinari ipsorum solemnia conciliorum generalium judicia ; obtenderetur pariter Patrum majorem partem, condendis in decretis seductam fuisse, illâ quâ imbuta esset pontificiæ infallibilitatis opinione, quam in synodo non abdicaverit ; objiceretur illos æquâ lance non ponderâsse sacra quibus verbum Dei continetur, monumenta ; hinc verè sapienterque dictum à Melchiore Cano : « Si semel novatoribus hanc « licentiam permittimus, ut in quæstionem « vocent, num Ecclesiæ judices eam diligen- « tiam et curam adhibuerint, quâ opus erat ut « quæstio finiretur, ecquis adeò cæcus est, qui « non videat omnia mox pontificum concilio- « rumque judicia labefactari ? » de Locis Theologicis, lib. 5, c. 5. Nullum esset paratum à Christo contra schismatum hæresumque contagium et incrementa, remedium ; hebescerent atque irriderentur Ecclesiæ anathemata in hæreticos quantùmlibet ingeminata ; adimeretur fidelibus, quâ tutò dirigantur, proposita omnibus retrò seculis, credendi regula.

Subindicatis methodi quam perstrinximus, infaustis consectariis, nunc ipsi opponenda sunt vera, quibus non minùs evidenter coarguitur, principia : Primum, et quidem primarii instar fundamenti habendum : Qui novit omnia Christus Dominus, futurum procul dubio prævidit, ut pastores Ecclesiæ multi, et humanis pulsarentur cupiditatibus, et variis, cùm homines sint, tentarentur præjudiciis : at ventis

et mari imperat pro nutu ; obstrepentes compescit haud secùs ac moderatur cupiditates : hominum denique voluntates inclinat quò voluerit ; absolutè autem et indefinitè Apostolis eorumque successoribus fore promisit, ut illos nec deserat, nec adversùs Ecclesiam portæ inferi prævaleant ; quis igitur injuriosæ fingatur locus restrictioni ? « Ces promesses, ut « admonet doctissimus Bossuet, n'ont point « d'exceptions, ni de restrictions, et on n'en « peut apporter que d'arbitraires, qu'on tire de « son cœur et de son esprit particulier, ce qui « est la peste de la piété ; que le Seigneur juge « donc entre nous et nos frères, ou plutôt qu'il « prévienne son jugement, qui serait terrible, « en leur inspirant la docilité pour les juge- « ments de l'Église, à qui Jésus-Christ a tout « promis. » Commonit. 30, num. 19.

Secundum : Deus omnipotens et sapientissimus accommodat ad finem necessaria subsidia ; ergo non potuit decernere ut dono infallibilitatis prædita sit Ecclesia, nisi ab æterno statuerit eidem suppeditare quæcumque ad hanc asserendam servandamque immunitatem necessariò requiruntur : « Cùm ergo, ut ait « celeberrimus Stapleton, Christus Ecclesiæ « suæ infallibilem Spiritûs sancti assistentiam « promiserit, qui eam doceat omnem veritatem, « nec ea sine debitis et certis mediis doceatur, « dubitandum non est quin idem Spiritus ea « omnia quoque media suggerat, et circa ipsa « media sic infallibiliter eam dirigat, ut finem « promissum infallibiliter consequatur. » Tom. 1, controversiâ quartâ, lib. 8, c. 14. Ex hoc stabili certissimoque principio, spontaneam hanc etiam ibidem elicit conclusionem eruditus ille theologus : « Quæ cùm ita sint, bonus « Ecclesiæ filius docentem Ecclesiam securus « et tutò audiet, fretus promissione Christi et « divinâ providentiâ, nec sollicitè laborans, « quia de hoc judicare suum non est, an idonea media ad doctrinam suam Ecclesia adhibuerit, nec curiosè inquirens, quia hoc « explorare sui muneris non est, an in ipsis « mediis debitam diligentiam impenderit. »

Tertium : Ipso Ecclesiæ decreto, non decreti rationibus inducitur obsequendi necessitas ; id scitè observatum est à cardinalibus, archiepiscopis et episcopis jussu regis Lutetiæ congregatis anno 1728 : « C'est la loi qui oblige, « et non pas les raisons de la loi, encore moins « les motifs imaginaires qu'on se donne la li- « berté d'attribuer au législateur : l'une et « l'autre jurisprudence, c'est-à-dire, le droit « séculier, comme le droit ecclésiastique, re- « connaissent également la vérité de cette « maxime. » Secularibus etsi judicibus, aut ipsis principibus non fuerit, ut Ecclesiæ, collatum infallibilitatis donum, numquid liceat subditis prolatas leges aut sententias prætergredi, donec illarum rationes et causas fuerint scrutati, easdemque calculo suo comprobaverint ?

Quartum : A consensione pastorum inter se pendet decretorum certitudo ; quæ igitur amovere et impedire consensionem hanc non potuerint, ea quin infallibiliter doceant, prohibere nequeunt ; seu quoties in docendo consenserint, toties providisse Spiritum sanctum ne erraverint, firmissimè tenendum est ; id multis ostendimus argumentis : « Quid igitur faciet « christianus catholicus, si se aliquâ Ecclesiæ « particulâ ab universalis fidei communione « præciderit ? Quid utique, nisi ut pestifero « corruptoque membro sanitatem universi cor- « poris anteponat ? » Verba sunt Vincentii Lirinensis, commonit. 1, c. 4.

Quintum, quod ex antecedentibus manat : Exteriori episcopatûs definitioni confidenter indubitanterque adhærendum. Ut pastores in definiendo, sic fideles in obsequendo, immota et omnibus impedimentis superior Christi promissio securos facit : si quæ igitur universalis Ecclesiæ dogmatico decreto videatur conditio desiderari, conditionem hanc non fuisse tunc necessariam, aut re ipsâ sufficienter adhibitam, pro certo habendum est. Uno verbo, nunquàm deserendum est illud magni effatum Bossuetii : « Quocumque modo fiat, ut Ecclesia « consentiat, transacta planè res est ; neque « enim fieri potest unquàm ut Ecclesia Spiritu « veritatis instructa non repugnet errori. » Hoc stante ac religiosè servato placito, habebitur instituendæ fidei via brevis et expedita, ad omnium statum et captum accommodata, conciliandis animis, et intra unitatis charitatisque fines continendis, maximè idonea et necessaria.

Instabis : Negari non potest judicum munere perfungi non posse pontificiæ patronos infallibilitatis, hoc est, maximam episcoporum partem ; hanc enim quamdiù sequentur opinionem, necesse est, ut si fortè erraverit summus pontifex, quasi jurantes in ejus verba, in errorem cum eodem spontè rapiantur. — Resp. : Argumentum istud jam præoccupavimus ; id objicere nemo potest nisi catholicæ infensus fidei ; inde etenim concluderetur

nullum, si fortè erraret definiendo summus pontifex, relinqui ad emendandum errorem efficax subsidium; evanida itaque foret, vel potiùs nulla, concessa Ecclesiæ infallibilitas. Deinde ipsos pontificiæ infallibilitatis acerrimos defensores nihil vetat, dubio ut vocant methodico (hoc est, ita se gerentes, quasi de summi pontificis inerrantiâ ambigerent, vel potiùs ab eâdem mentem tunc abstrahentes), ejusdem decreta diligenter conferre cum immotis fidei regulis, tum ut hâc viâ certiores fiant utrùm ex cathedrâ pronuntiaverit, tum ut eâ inquisitione, notionum et documentorum segetem colligant, quam et lucro sibi apponere, et commissis ovibus prudenter ac opportunè impertiri valeant. Accedit quòd infallibilitatem Romano pontifici quantùmvis adjudicent Ultramontani theologi, hanc tamen non usque adeò extollunt, ut pontificiæ constitutioni, Scripturarum Traditionisque facem ab omnibus tanquàm indefectibilem divinæ veracitatis radium agnitam, admovere dedignentur.

Denique, quod planè sufficit ad omnem abigendam anxietatem ac dubitationem, perspectum habuit ab æterno Deus, quales plurimorum in mentibus radices ageret pontificiæ opinio infallibilitatis; absolutam nihilominùs et nullo definitam tempore infallibilitatem promisit Ecclesiæ; ergo promissis cùm deesse nequeat, apertissimè consequens est, ita esse omnia eo duce et providente disposita et ordinata, ut verbo Dei scripto ac tradito consonarent, quæcumque munirentur definitiones, auctoritate universalis Ecclesiæ.

Objic. 3°: Quid proderit infallibilis in episcopatûs consensione constituta auctoritas, nisi consensio illa in condendis vel approbandis decretis certò possit innotescere; seu nisi verâ certitudine constare queat in hanc vel illam doctrinam fidelibus proponendam illos consentire? Talem autem ad notitiam comparandam, quis exhauriendus labor? quis sumptus ut nuntii quòcumque discurrant allaturi authentica illius consensûs instrumenta?

Resp.: Sic validè ac nitidè vanam istam quæstionem, eò loci speciatim recusantem, elevat atque dissolvit Bossuetius, ut ejusdem omninò verbis, hanc duxerimus refellendam. « Quis, inquit, nesciat, ut in omnibus regnis, « ita in regno Christi id valere vel maximè, « quod nullo instrumento consignatum, popu- « lorum omnium usu sensuque constet? Sic in « successione omnium per orbem principum, « suæ leges; apud nos Salica, aliæ apud alios... « Neque verò Ecclesia sub rege Christo, pejore « loco erit, quàm regna terrarum, resque « publicæ omnes, ubi tot tantisque in rebus « eminet vigetque nullo instrumento testata « consensio; quæ profectò in Ecclesiâ eò ma- « gis viget, quò est ejus per Spiritum magistrum « veritatis firmiùs atque arctiùs nexa compa- « ges. Et quidem cùm Augustinus, cùm Vin- « centius Lirinensis, cùm alii omnes Patres « hæreticis ac schismaticis communem univer- « salis Ecclesiæ fidem, cùm consuetudines, « cùm dogmata toto catholico orbe vigentia « toties objecerunt, quis ab eis poposcit, quos « misissent nuntios, quas accepissent litteras, « aut quæ consensionis ejus, quam legis instar « haberi volebant, instrumenta proferrent? Nempe hæc nostro ævo deliria servabantur. « Sunt enim profectò quædam tam aperta, ut « ea pernegare ne contumaces quidem au- « deant: en quædam Ecclesiæ catholicæ vox, « quæ quòcumque locorum diffunditur; quam « etiam ante omnem datam sententiam Catho- « lici audiunt, novatores contremiscunt; quantò « magis cùm prolatum judicium ab altissimâ « Petri sede ad omnes perlabitur Ecclesias! » (Defens. Declarat. cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 14, c. 2.)

CAPUT III.

DE AUCTORITATE MAJORIS NOTORIÈ NUMERI EPISCOPORUM DECRETO ROMANI PONTIFICIS ADHÆRENTIUM.

Quos hìc adversarios refellimus, non audent illi quidem decretis Ecclesiæ dogmaticis absolutè abrogare infallibilem auctoritatem; at eam variis nituntur impedire et constringere placitis, quæ si valerent, vix unquàm posset ullam de fide aut moribus definitionem proferre, cui verum et internum debeatur obsequium. Hæc inter commenta quibus concinnandis maximè studeant, insignem illud obtinet locum, quod spectat ad numerum suffragiorum, irreformabili decreto necessarium.

Absolutam nonnulli postulârunt suffragantium episcoporum unanimitatem ad conciliandum decreto dogmatico Romani pontificis sincerum ac firmum populi christiani assensum; alii et prioribus longè plures, exigunt unanimitatem quam nuncupant, *moralem;* hanc verò tam arcti circumscribunt limitibus, ut ex illius necessitate, quam ad diversum suæ ipsorum causæ statum accommodant, eadem ferè omnia consequerentur incommoda et religionis detrimenta, quæ pareret absolutæ

necessitas unanimitatis ; moralem enim illam unanimitatem in eo positam dictitant, ut omnes *ferè* episcopi Romanæ sedis decreto consentiant. Dùm autem premuntur, Pelagianæ, v. g., condemnatione hæresis, octodecim nactæ in ordine episcopali patronos, non (ut ratio suadet) respondent, unanimitati morali nequaquàm ollicere tam exiguum rebellantium numerum, qui profectò cum tantâ dispersorum Ecclesiæ catholicæ episcoporum multitudine conferri minimè possit, eâdemque velut absorberi videatur, verùm ad alia quæ tempore opportuno intercludenda curabimus diverticula, confugiunt ; hinc etiam dùm nebulosa, ut vocant, tempora commemorant, quibus oppressam penè veritatem fuisse comminiscuntur, tum nonnisi raros admodùm occurrisse volunt episcopos qui catholicæ fidei professionem retinerent.

Quapropter omnibus ut cavillationibus et effugiis præcludatur aditus, ostendere statim animus est, errori non posse subjacere decretum dogmaticum à Romano pontifice universis propositum Ecclesiis, approbatumque à majori notoriè parte episcoporum ; eâ vigente assertione, palam est confutatam iri prætensam necessitatem unanimitatis suffragiorum, vel absolutæ, vel etiam moralis, qualem effingunt adversarii, seu quæ ad absolutam proximè accesserit.

Conclusio. — *In decretis de fide aut moribus errare nunquàm potest major notoriè numerus episcoporum Romano conjunctus pontifici.*

Argumentum primum. — Ubi docentis obversatur auctoritas Ecclesiæ, ibi locum obtinent servanturque promissa quibus Apostolis et illorum in ministerio successoribus infallibilitatem spopondit hisce verbis Filius Dei : *Euntes ergo docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* atqui in majori eminenter ac notoriè episcoporum numero exhibetur docentis ac definientis auctoritas Ecclesiæ. Naturam enim veræ societatis vindicat sibi Ecclesia; moralis admirandam corporis ideam refert exponente Apostolo : suadente autem ipsâ naturâ convenit apud diversas quantùmlibet societates, ut dirimantur lites majori suffragiorum numero ; ratione et æquitate innititur, componendisque maximè consulit dissidiis, lex ista orbis universi celebrata consensu ; quæ ad enervandam hanc legem objicerentur restrictiones, illæ ad certa quædam electionum genera, et ex pacto speciali referuntur, neque ex semetipsis trahuntur ad rationem vimque judiciorum ; multò minùs ad Ecclesiæ judicia dogmatica; non illas patiuntur, nedùm apposuerint, promissa et instituta Christi. Scilicet futurum pollicitus est ut adversùs Ecclesiam nunquàm prævaleant portæ inferi, quo nomine, ut notum est, intelliguntur potissimùm erroris molimina : attamen contingere si posset, ut quos jussit tanquàm semetipsum audiri pastores, propinando ac disseminando errori incumberent majori notoriè numero, unà cum Romano pontifice, nonne tum prævaleret error in Ecclesiam? Non enim obliviscendum, hìc non agi de opinionibus quæ quidem à majori numero, licet falsæ, teneri aliquando possent, verùm de ipsis dogmatibus quæ tanquàm doctrina Ecclesiæ, necessariò ac perpetuò tenenda, universis legitimâ auctoritate proposita sint Ecclesiis.

Episcoporum quidem ut major notoriè numerus, universalis et infallibilis Ecclesiæ præ se ferat auctoritatem, certiorem eminentioremque notorietatem postulamus, quàm ubi asserendus est major numerus judicum vulgaribus in tribunalibus, quia nempe catholicum ad orbem spectat causa fidei, cætera gravitate vincit negotia, firmioremque et irreformabilem exigit assensum ; at ea quam requirimus conspicua et indubitata notorietas, haberi potest, etiamsi notabilis aliqua pars episcoporum à cæteris Romano pontifici adunatis dissentiat. Adducti vis argumenti lucis etiam incrementum mutuabitur à sequente.

Argumentum II. Ubi viget corpus Ecclesiæ, vigere concessam Ecclesiæ infallibilitatem fatendum est; notabilis autem quamvis aliqua pars Ecclesiæ dissentiret à cæteris Romano pontifici conjunctis, imò tametsi ab earumdem communione ultrò discederet, ut Græci, ut Anglia, remaneret tamen, avulsis licet haud exiguis ramis, corpus Ecclesiæ; ergo et infallibilis quâ carere non potest auctoritas. Et quidem si tum intercideret illud donum, quâ ratione perpetuò visibilis foret disseminata per orbem Ecclesia? Non enim qualicumque oportet visibilitatis genere eam se spectandam præbere ; sed ita debet præstare et inclarescere, ut suæ præstantiâ et splendore auctoritatis, idonea sit informandis rectâ institutione sanâque doctrinâ imbuendis populis : id tam necessarii muneris quomodò tum obiret, cùm episcoporum major eminenter ac notoriè numerus, præeunte ipso Ecclesiæ capite conspira-

ret totum in gregem, propositis sub anathematis pœnâ contaminandum erroribus? Nonne cederet in laqueum ac decipulam, dùm *cæci duces cæcorum* constituerentur publicum, quod ipse Christus præfecit, docendi ministerium?

Argumentum III. Errantibus majori notoriè numero episcopis cùm Romano pontifice, et fideles in errorem, interpositâ omni suâ auctoritate compellentibus, gravissimum certè immineret periculum deposito fidei; nutaret etiam Romana sedes, *in quâ*, ut ait S. Augustinus epist. 43, aliàs 162, *semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus*, et quam communionis ecclesiasticæ centrum, confitentur ipsi quibuscum nobis est certamen; paravit igitur pro tanto discrimine Christus tutum subsidium, nisi suam, quod cogitatu nefas, deseruerit Ecclesiam; at undenam illud accerseretur præfato in casu? Vel enim discussione, vel auctoritate dirimenda esset infausta quæ tunc ingrueret, controversia; si discussione utendum sit, recurrunt omnia incommoda quæ scaturire ex privato examine demonstratum est; si auctoritatis viâ insistendum sit, potiori et eminentiori auctoritati procul dubio parendum est, quam perspectum est adscribendam episcoporum majori eminenter ac notoriè numero, Ecclesiæ capiti adhærentium; esto igitur adductâ in hypothesi dissiderent ac reclamarent cæteri, illis obtemperari non sinerent æquitatis ratio, constitutio Ecclesiæ, et populorum sequendæ assuetorum præpollenti auctoritati conditio.

Argumentum IV.— Fac erumpere ac promulgari conditum à sede Apostolicâ, et notoriè majori episcoporum numero comprobatum, orthodoxæ contrarium doctrinæ decretum; quò se vertent fideles? quam in partem inclinandum existimabunt? An minorem longè et evidenter numerum episcoporum summo pontifici reluctantium sectabuntur? Id verò cohærere non potest cum demonstratâ necessitate anteponendi in controversiis de fide ac moribus præcellentem auctoritatem; num obsequentur aliis stantibus ex adverso episcopis et cum summo pontifice heterodoxam definitionem, pro certâ credendi regulâ obtrudentibus? Ergo à revelatâ veritate deficient, atque dejicientur à passivâ quâ instruuntur, infallibilitate, et quam non inficiantur adversarii; superest ergo ut cohibeant se ab assensu vel dissensu, neutramque partem amplectantur; sed 1°. urgebuntur Romanæ sedis et majoris insigniter ac manifestè numeri episcoporum longè superiori auctoritate contrarios minoris partis conatus exertè proscribentium. 2° Ergone hærebunt ancipites jugiter animo fideles, nec, quantacumque premat grassantis erroris cohibendi necessitas, ullum quod censeatur Ecclesiæ decretum, haberi poterit, quamdiù pertinaciter obstiterit notabilis aliqua pars episcoporum, cui profectò nec infallibilitatem unquàm promisit Deus, nec absolutè ipsam resipiscentiam?

Solvuntur objecta, ex facto S. Cypriani.

Valere baptisma collatum ab hæreticis, nec proinde iterandum, definierat expressè S. Stephanus; adhærebat illius decreto non major tantùm, sed maxima pars episcoporum; id apertè testatur S. Augustinus lib. de unico Baptismo, cap. 14, num. 23: « Multi, inquit, « cum Stephano, quidam cum Cypriano sen- « tiebant. » Ab universâ tamen impensè colitur Ecclesiâ, qui decreto illi tenaciter obstitit S. Cyprianus, summâque cum sanctitatis laude ipsius per catholicum orbem propagata est memoria; ergo, etc.

Resp.: Scopum ut assequantur adversarii, tria probentur necesse est: 1° latum fuisse à Stephano, et tanquàm credendi regulam, universis denuntiatum Ecclesiis, dogmaticum de validitate baptismi ab hæreticis administrati decretum. 2° Dogma rebaptizantibus oppositum, à majori saltem episcoporum parte, non approbatum duntaxat, sed fidelibus, partim expresso, partim tacito consensu propositum, tanquàm inconcussâ fide tenendum. 3° Sic approbatum et fidelium societati sic propositum fuisse illud dogma cognovisse S. Cyprianum, ac nihilominùs in defendendo errore perstitisse; atqui ex tribus illis capitibus, ne unum quidem probari potest.

1° Quidem ostendi nequit prolatum esse à S. Stephano decretum verè dogmaticum; his quidem verbis: *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, prohibetur à S. Stephano, ne inveterata deseratur et perfringatur consuetudo, reduces ad Ecclesiam hæreticos non rebaptizandi; fatemur illam inter prohibitionem et rebaptizantium doctrinæ damnationem arctissimum intercedere consortium: non persuadendum suscipimus, nec putamus, ad meram disciplinam fuisse tunc revocatam rebaptizantium causam; at quamtùmcumque reipsà cum dogmate causa illa conjuncta sit, attamen S. Stephanum expressâ definitione declarâsse, eâdemque voluisse fideles obstrictos ad creden-

dum, valori baptismi non obstare hæresis professionem, convinci nullo modo potest. Hinc S. Augustinus, dùm enarrat celeberrimam illam de baptismo hæreticorum controversiam, lib. 5 de Baptismo, cap. 23, refert Stephanum non solùm Cypriano non consensisse, *verùm etiam contra scripsisse atque præcepisse*; differt autem à simplici præcepto dogmatica definitio; ea quid credendum, illud quid agendum sit, præscribit. Significantiùs adhuc loquitur S. doctor lib. 2 de Baptismo, cap. 9 : « Hâc « attestatione, inquit, ostendit (Cyprianus) « multò magis se fuisse commemoraturum, si « quod de hâc re transmarinum vel universale « concilium factum esset; nondùm autem fa« ctum erat, quia consuetudinis robore tenebà« tur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur « inducere volentibus novitatem. »

Aliud est dogmaticam definitionem, aliud est antiquam opponi consuetudinem; hæc tamen *sola opponebatur* rebaptizantibus.

Præterea dogmaticum decretum edere non solebant summi pontifices nisi habitâ Romanâ synodo; synodum autem Romanam in causâ rebaptizantium, à S. Stephano habitam non fuisse testatur S. Augustinus, cùm affirmet nullum tunc factum esse *transmarinum concilium*; concilii enim transmarini nomine designata fuit apud Africanos Romana synodus : sic concilii Milevitani canone 22 : « Ad Trans« marina autem (concilia) qui putaverit appel« landum, à nullo intrà Africam in communio« nem suscipiatur. » Sic episcopi Africani in Epist. ad Papam Cœlestinum : « Quomodò « ipsum transmarinum judicium ratum erit, « ad quod testium necessariæ personæ, vel « propter sexûs, vel propter senectutis infir« mitatem adduci non poterunt? » Porrò, ut advertit Bellarminus lib. 2 de Romano Pontifice, « non appellari unquàm consuevit ab Afri« canis, nisi ad Romanam sedem. » Transmarina dicta fuisse apud Africanos sedis Apostolicæ judicia, significat etiam his verbis de Marca tom. 2 de Concordiâ sacerdotii et imperii, lib. 6, cap. 14 : « Ne presbyteri ad transmari« na judicia, id est, Romam, appellarent. » Deinde dogmaticam si definitionem edidisset sanctus Stephanus, num suâ communione frui illos passus fuisset qui decreto illi obsequium constanter detrectarent? « Ábstinendos quidem « putaverat, qui de suscipiendis hæreticis pri« scam consuetudinem convellere conarentur; » non ultra minas progressus est; in unitate remanserunt : « Vicit pax Christi in cordibus eo« rum, ut in tali disceptatione nullum inter eos « malum schismatis oriretur. » S. August. cont. Donat. c. 25. Hoc argumento usus est Bellarminus, Controvers. tom. 1, lib. 4, cap. 7 : « Sine du« bio Stephanus non definivit tanquàm de fide « hæreticos non rebaptizandos, licet jusserit non « rebaptizari, ut patet ex eo quòd non excommu« nicavit Cyprianum et alios contra sentientes. »

2° Sive ediderit, sive non ediderit decretum dogmaticum in causâ rebaptizantium S. Stephanus, non tunc habita fuit ea episcoporum consensio, quæ universalis Ecclesiæ dogmaticam definitionem satis certò exhiberet. Id non obscurè indicat his verbis S. Augustinus lib. 3 de Baptismo, cap. 3 : « Noverat enim (Cy« prianus) quantam sacramenti profunditatem « tunc omnis Ecclesia variâ disputatione ver« sabat, liberumque faciebat quærendi arbi« trium. » Nonne argumento est tantus ille animorum conflictus, aut nullum prodiisse, tempore S. Cypriani, de controversiâ rebaptizantium decretum dogmaticum, aut illud non eâ tunc episcoporum consensione fuisse fidelibus propositum, quæ certam omninò et absolutam adigeret ad fidem?

3° Quamvis à S. Stephano editum fuisset dogmaticum de baptismo hæreticorum decretum, idemque tanquàm credendi regulam proposuisset pars longè major episcoporum, quid colligi posset ex obfirmato dissensu S. Cypriani, nisi ostendatur, decretum illud, ejusdemque consonantem episcopatûs majori eminenter parte approbationem, innotuisse sancto illi doctori, ipsumque nihilominùs à resistendo non abstinuisse? Id autem probatu impossibile est. Namque ex tribus synodis quæ in causâ rebaptizantium Carthagine celebratæ sunt, duæ saltem habitæ sunt anno 256; secunda scilicet, et tertia; et hæc quidem certò incidit in diem primam septembris illius anni; delata est à deputatis secundæ synodi Epistola synodalis ad S. Stephanum, cujus responsio allata est in Africam ante mox memoratum tertium concilium, ac proinde ante diem primam septembris anni 256; jam verò in annum 257, ut observat doctissimus Tillemontius, mentio nulla injicitur versatæ S. Stephanum inter et S. Cyprianum controversiæ : « Nous ne trouvons « plus rien, inquit, in annum 257, sur l'affaire « du baptême qui regarde S. Cyprien et le « pape Etienne. » Inde pronum est inferre vel à sententiâ suâ descivisse tunc S. Cyprianum, vel temperâsse S. Stephanum ab urgendâ tam strictè illâ quam denuntiaverat, prohibitione,

aut prosequendo, si quod latum fuisset, decreto.

Dubitari meritò posse utrùm suâ in sententiâ perstiterit S. Cyprianus, testatur non semel S. Augustinus. « Non incongruenter, inquit, « de tali viro existimandum est, quòd correxe- « rit, et fortassè suppressum sit ab eis qui hoc « errore nimiùm delectati sint, et tanto velut « patrocinio carere noluerunt. » Epist. 93, aliàs 48. De hâc retractatione S. Cypriani loquitur quidem S. Augustinus tanquàm de eventu incerto ac dubio; at eâ pendente dubitatione, probari non potest S. Cyprianum, si latum fuerit dogmaticum cui restiterit decretum, propositi sui tenacem fuisse ad extrema usque vitæ. Quin etiam credibile est factam à S. Stephano, sub anathematis pœnâ, prohibitionem, non eodem quo antea rigore executioni mandatam, obtestante inprimis et exorante Dionysio Alexandrino episcopo, ne luctuoso schismati nimiâ severitate subministraretur occasio.

Duo insuper hìc subjicere præstat, quæ causam nostram haud parùm adjuvant: Primum, sivè latum fuerit à S. Stephano decretum dogmaticum, sive intra fines constiterit meræ prohibitionis, immunem à vituperatione habendam non fuisse S. Cypriani agendi rationem; hanc culpâ non vacâsse convincitur ipso S. Augustini testimonio: hæreticos non rebaptizandi consuetudinem, quâ universali utebatur Ecclesia, credebat S. Augustinus ex apostolicâ traditione ortum ducere; hanc *saluberrimam* vocat; quæ veriùs putanda sit, *per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi;* inde conclusionem hanc trahit P. Thomassinus dissert. 2 in concilia, num. 27: « Culpâ ergo liberari non « potest Cyprianus, qui consuetudinem univer- « salis Ecclesiæ, et traditionem ab Apostolis « usque ipsis derivatam contemnebat, postha- « bebatque nuperæ per Agrippinum invectæ « corruptelæ. » Quam autem culpam incurrerit S. Cyprianus, dubitari non potest quin illam charitate quæ operit multitudinem peccatorum, diluerit, atque generoso, quo perfunctus est, martyrio. (Vid. S. Augustinum lib. contra Donatum cap. 18.) Secundum notatu dignum, in hoc positum est: fac prolatum esse à S. Stephano decretum dogmaticum contra rebaptizantes, idemque à plurimis passim confirmatum episcopis; haud tamen reperietur moralis in eo approbando unanimitas, qualis ad irreformabilem definitionem postulatur ab adversariis; hanc enim unanimitatem eò usque provehendam volunt, ut *omnes ferè* complectatur episcopos; at in causâ rebaptizantium, longè aberat unanimis ille propemodùm consensus; in secundâ quam habuit S. Cyprianus synodo, interfuêre, iterandum baptisma hæreticorum statuentes, episcopi saltem 70, et in tertiâ, 85; addit Tillemont: « Mais il y a bien « de l'apparence que les autres évêques de la « même province étaient aussi dans le même « sentiment. » In Asiâ verò, quàm multi eodem implicarentur errore, testantur indubitanda monumenta: « Illud præterea didici, inquit « S. Dionysius Alexandrinus, non ab Afris so- « lùm hunc morem nunc primùm invectum « fuisse, sed multò antea, superiorum episcopo- « rum temporibus, in Ecclesiis populosissimis « et in conciliis apud Iconium et Synada, et « apud alios plurimos, idem placitum fuisse. » (Apud Eusebium, lib. 7 Historiæ, cap. 7.) Qui abutuntur facto S. Cypriani, ut absolutam ferè unanimitatem ad irreformabile Ecclesiæ decretum requiri persuadeant, videant iterùm atque iterùm quàm frustra, quàm imprudenter moliantur talibus ex factis, causæ suæ patrocinium accersere.

Instabis 1°: De S. Cypriano testimonium hoc perhibet S. Augustinus: « Satis ostendit « facillimè se correcturum fuisse sententiam « suam, si quis ei demonstraret baptismum « Christi sic dari posse ab eis qui foràs exierunt; « quemadmodùm amitti non potuit, cùm foràs « exierint; unde multa jam diximus, nec nos ipsi « tale quid auderemus asserere, nisi universæ « Ecclesiæ concordissimâ auctoritate firmati. » —Resp.: Eâ *universæ Ecclesiæ concordissimâ auctoritate*, cùm opus fuisse dixit S. Augustinus, ut obfirmato animo ipse profiteretur, posse verum ab hæreticis conferri baptisma, haud declaratum voluit, obnoxiam esse errori prolatam sive intra concilium, sive extra concilium, dogmaticam definitionem, nisi eamdem in sententiam conveniant omnes omninò, vel saltem omnes ferè episcopi; talem quidem concordiam in repudiando rebaptizantium errore, extitisse tempore quo scribebat testificatur, eâque se impelli ad reprobandum hunc errorem, quem post plenarium etiam concilium defendebant Donatistæ: perinde locutus est ac si dixisset: Non auderem administrari validè ab hæreticis baptismum asserere, nisi me commoveret et firmaret Ecclesiæ auctoritas, quæ in hujus baptismatis agnoscendâ veritate *concordissima est;* quòd autem ad Ecclesiæ judicium dogmaticum et irreformabile non arbitratus sit S. Augustinus requiri omnium aut *ferè* omnium episcoporum consensionem, apertè significatur

ipsâmet serie, ipsomet contextu objecti testimonii : namque post adducta in objectione verba, sic prosequitur S. doctor : « Cui (con- « cordissimæ auctoritati) *et ipse* (S. Cyprianus) « sine dubio cederet, si jam illo tempore, « quæstionis hujus veritas eliquata et declarata « per plenarium concilium sedaretur ; si enim « Petrum laudat et prædicat ab uno posteriore « collegâ (Paulo) patienter concorditerque « correctum, quantò citiùs ipse cum concilio « provinciæ suæ, universi orbis auctoritati, « patefactâ veritate, cessisset. » Futurum igitur fuisse declarat S. Augustinus, ut S. Cyprianus postpositâ suâ synodo ex 8 episcopis conflatâ, postpositis etiam illis ex Oriente episcopis, qui cum S. Firmiliano idem sentiebant, cessisset ultrò generali seu plenariæ synodo ; nec potuisse illum, nisi animo ita esset affectus, æternam consequi hæreditatem, indicatur verbis istis S. Augustini : « Quomodò (Cyprianus) « accipere potuerit veritatem contra id quod « sentiebat, inventam, etsi litteræ tacent, me- « rita (ejusdem) clamant ; si epistola non in- « venitur, corona testatur ; si concilium non « indicat episcoporum, consortium indicat an- « gelorum. » Lib. 2 de Baptismo contra Donatistas, cap. 5.

Ergo nedùm causæ nostræ officiat objectatum S. Augustini testimonium, in eos contorqueri potest qui ad eliciendum internum absolutumque obsequium, oportere contendant proposito ut decreto consentiant omnes aut ferè omnes episcopi, idque præsertim necessum esse in obscuris et difficilibus explicatu quæstionibus, qualem fuisse de non rebaptizandis hæreticis controversiam, toties dictitavit S. Augustinus.

Instabis 2° : Jam, inquit S. Augustinus ibid., lib. 3, cap. 4 : « Legi fateor (quid ad Jubaia- « num scripserit S. Cyprianus), et profectò « issem in eamdem sententiam, nisi me ad di- « ligentiorem considerationem revocâsset tanta « auctoritas aliorum, quos vel pares gratiâ doc- « trinæ, vel etiam fortè doctiores, per tot gen- « tes, Latinas, Græcas, barbaras et ipsam He- « bræam, Ecclesia toto orbe diffusa parere « potuit, quæ ipsum quoque (Cyprianum) pe- « pererat, qui mihi nullo modo videri potue- « runt, frustra noluisse istam tenere senten- « tiam ; non quia fieri non potuit, ut in obscu- « rissimâ quæstione, veriùs pluribus unus « paucive sentirent, sed quia non facilè pro uno, « vel paucis adversùs innumerabiles ejusdem « religionis et unitatis viros, et magno ingenio, « et uberi doctrinâ præditos, nisi pertractatis « pro viribus, atque perfectis rebus ferenda « sententia est. » Teste igitur S. Augustino fieri potest ut, errante multitudine episcoporum, paucis vel etiam uni præ cæteris obtingat veritas.

Resp. : An inde quis verè catholicus concludendum duxerit posse anteponi aliquando paucorum, vel unius hominis sententiam definitioni dogmaticæ summi pontificis, ab ordine episcopali comprobatæ ? Pudeat sancto attribuere Augustino, commentum à quo tantoperè abhorruerit, idemque funditùs disjiciendæ auctoritati Ecclesiæ comparatum. Quis primoribus modò labiis delibaverit scripta S. Augustini, nesciat quo loco semper habuerit Ecclesiæ catholicæ judicia ; ea respuere, nolle illi primas dare, nonne insolentissimæ dixit esse insaniæ? Notum est insigne admirandi doctoris illius effatum : « Evangelio non crederem, nisi me ca- « tholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas; » attamen qualis foret, et quam afferret obsequendi et credendi necessitatem, tam commendata ab illo cæterisque Patribus auctoritas Ecclesiæ, si vel paucis, vel etiam uno reluctante episcopo, decreta ipsius dogmatica haberi possent incerta, aut etiam erronea, cùm nullum hactenùs prodierit congregatæ vel dispersæ decretum Ecclesiæ, quod neminem, quod non aliquos expertum fuerit adversarios, nullum consequenter editum fuisset, quod repudiari impunè non potuerit? Quem ad finem sese jactâsset rebellandi effrenata audacia ? Quid aptius fingi potest adducendo ac fovendo impotenti tolerantismo ?

Dixit generatim S. Augustinus posse aliquando fieri, ut multitudine meliùs judicent pauci vel etiam unus ; verùm neque tradidit unquàm, neque putavit paucorum vel unius opinionem præponderare posse communi Romani pontificis disseminatorumque per orbem episcoporum judicio, ut jam ostendimus.

Solvitur objectio ducta ex progressibus quos olim habuit Arianismus.

Obtusa quæ quondam Pelagiani, Donatistæ, Luciferiani ac deinceps Protestantes Catholicis opposuerunt tela, recoquere non verentur subdoli diversorum auctores libellorum. Ariminensis præsertim synodi lapsum, et quæ subsecuta sunt, continuò personant. Conjungere et contexere quandoque student quæ variis contigerunt temporibus, idque exaggerandi causâ supra modum, numeri episcoporum, qui vel in concilio Ariminensi, vel in aliis rerum adjunctis ceciderint.

Tria, ut veritati, ordini et perspicuitati consulatur, secernemus tempora, totidemque distinctis propositionibus accuratè exponenda suscipiemus, quæ nostrum ad propositum spectare videantur : tum etiam ab Arianâ hæresi immunes fuisse Patres Ariminenses ostendemus, quamvis ab eâ quæstione non pendeat assertio nostra.

PROPOSITIO PRIMA.

Ante Ariminensem synodum, Arianismi partes consectatum esse majorem Romano cum pontifice episcoporum numerum, argumento nullo probari potest.

Id ostendi nedùm possit, quod tamen adversariis probandum foret, plura suppetunt rationum momenta, quæ tali à cogitatione deterreant.

1° Erroneæ formulæ si Liberius subscripserit (quod mox expendetur), id fecit coactus, tædio affectus exilii, crudelisque imperatoris Constantii metu perculsus et animo fractus; hâc autem in subscriptione, quæ aliunde plurimùm discrepat à definitione dogmatică universis propositâ Ecclesiis, desideratur procul dubio libertas requisita, ut ex cathedrâ et tanquàm Ecclesiæ caput censeatur loqui summus pontifex. Observationis isto penè genere usus est illustrissimus Bossuetius adversùs Claudium ministrum. Documento Pastorali secundo de Promissis Ecclesiæ : « On sait, par « le témoignage constant de S. Athanase et « de tous les auteurs du temps, que Constance « répandit beaucoup de sang, et que ceux qui « résistaient à sa volonté sur le sujet de « l'Arianisme, avaient tout à craindre de sa « colère, tant il était entêté de cette hérésie; « je ne le dis pas pour excuser Libérius, mais « afin qu'on sache que tout acte qui est extor- « qué par la force ouverte est nul de tout « droit, et réclame contre lui-même. » Graviter quidem peccavisse Liberium ineundà cum Arianis communione, et condemnando, quem atrocibus lacessebant calumniis, sancto Athanasio, non diffitemur; utrùm verò inquinatæ Arianâ hæresi formulæ subscripserit, gravia occurrunt argumenta quæ suadeant subscriptam ab eo fuisse non secundam formulam Sirmiensem, quæ nefando illo scatebat errore, sed primam quæ contra Photinum edita erat, nec Ariano infecta veneno; id eo probat Natalis Alexander, quòd referente in Fragmentis S. Hilario conscripta sit à 22 quos nominat, episcopis illa, cui subscripsit Liberius, formula, secundæ autem formulæ Sirmiensis auctores, vix alios antistites subscripsisse comperiatur præter Ursatium, Valentem et Germinium; accedit quòd post subscriptam quam Demophilus obtulerat formulam, Liberius, non propterea revocatus tum fuerit ab exilio; hanc tamen revocationem aliâ deinceps concessam de causâ, impedire quid potuisset, si formulæ subscripsisset Sirmiensi secundæ? Quid aliud expetere ab ipso potuissent Ariani? Eamdem quam Natalis Alexander sententiam amplexus est versatissimus in Ecclesiæ pristinis annalibus Tillemontius, tom. 6 Hist. Eccles. art. 69, de Arianis. Ejus verba non piget exscribere : « Nous avons dit que Libère avait « signé la formule de Sirmich, sans marquer « si c'était la seconde faite cette année même, « ou la première dressée en 351 contre Photin; « c'est une difficulté célèbre et importante, « puisque la seconde Confession de Sirmich « était visiblement impie, au lieu que la pre- « mière, quoique rejetée de l'Eglise à cause de « ses auteurs et du dessein qu'ils avaient eu « de s'en servir contre la véritable foi, n'est « mauvaise en elle-même que parce qu'elle « n'exclut pas assez les erreurs de l'Arianisme; « il y a de grandes raisons de part et d'autre, « et néanmoins, si dans cette obscurité il faut « déterminer quelque chose, le sentiment le « plus favorable à Libère nous paraît aussi le « mieux appuyé. » De subscriptâ eodem à pontifice formulâ, suam ita mentem aperit D. de Fleury, Hist. Eccles. lib. 13, cap. 46 : « Suivant l'opinion la plus probable, c'était la « première composée contre Photin au concile « tenu en 351, où Démophile même avait assisté, qui supprimait tacitement les termes de « *consubstantiel* et de *semblable en substance*, « mais qui au reste pouvait être défendue, « comme elle l'a été par S. Hilaire. »

Fac nihilominùs Arianæ hæresi subscripsisse Liberium, probandum esset temporibus etiam synodo Ariminensi prævils, de quibus nunc agitur, majorem notoriè partem episcoporum Ariana fuisse amplexam dogmata, id quod historicis apertè repugnat monumentis. De paucitate Arianorum ita exclamat S. Athanasius scriptâ anno (ut solidè probant Patres Benedictini) 360, epistolâ : « Quis illorum non « condemnabit temeritatem? illi nimirùm pauci « numero, sua plus omnibus valere volunt. » Ante tempus synodi Ariminensis viguisse toto penè in orbe orthodoxum dogma de divinitate Verbi, testatur S. Hieronymus. Dialogo adver-

sùs Luciferianos : « Illo, inquit, tempore nihil « tam pium, nihil tam conveniens servo Dei « videbatur, quàm unitatem sequi, et à totius « mundi communione non scindi. » Seleuciam, ubi erant in synodum coacti Orientales, accersitus Hilarius, qui annum exilii quartum ageret in Phrygiâ, interrogatus est de Gallorum fide, quos in Sabellianismi suspicionem adduxerant Ariani; « sed expositâ fide suâ « juxta ea quæ Niceæ erant à Patribus conscri- « pta, Occidentalibus perhibuit testimonium. » Sulpitii Severi Hist. Eccles. lib. 2. Idem S. doctor (Hilarius) libro de Synodis quem exeunte anno 358, vel ineunte anno 359, et ante lapsum Ariminensis synodi exaravit, gratulatus est de servatâ strenuè fide catholicâ, episcopis provinciæ Germaniæ primæ et Germaniæ secundæ, primæ Belgicæ et Belgicæ secundæ, Lugdunensis primæ et Lugdunensis secundæ, provinciæ Aquitanicæ et Novempopulaniæ, provinciarumque Britannicarum : « Gratulatus « sum, inquit, in Domino, incontaminatos « vos, et illæsos ab omni contagio detestan- « dæ hæreseos perstitisse, vosque compartici- « pes exilii mei. »

De temporibus concilio Ariminensi proximè præcurrentibus, sic loquitur Socrates, lib. 2 Hist. c. 27 : « Achaiæ verò et Illyricæ civitates, « et reliquæ occiduarum partium Ecclesiæ, « tranquillæ adhuc erant et inconcussæ, tum « quòd inter se consentirent; tum quòd fidei « regulam à concilio Nicæno traditam constan- « tissimè retinerent. » Servatam religiosè toto in Occidente antiquam traditionem testatur Sozomenus, lib. 3 Hist. c. 12, ibique compressam fuisse in ortu Arianam hæresim, cui promovendæ incubuerint Auxentius Mediolanensis episcopus, atque Ursatius et Valens in Pannoniâ antistites. Hinc ita Tillemontius, Hist. Eccles. t. 6, de fide Occidentalium Ariminensem ante synodum : « Pour l'occident, nous « n'osons pas assurer que plusieurs evêques « n'y soient entrés dans la communion des « Ariens, quoiqu'il y ait sujet de croire que « peu le firent; mais il est visible par la suite « de l'histoire, qu'ils conservèrent presque « tous la vérité de la foi, et c'est ce qui se verra « surtout par le concile de Rimini, où ils firent « de plus grandes fautes; nous n'en savons que « très-peu qu'on puisse dire avoir été Ariens, « ou de faction ou de croyance. » Quod adnotavit doctissimus ille scriptor, historiâ ipsâ synodi Ariminensis dilucidè confirmatur. « Missis per Illyriam, Italiam, Africam, Hispanias, « Galliasque, magistris, officialibus, accitu « numerative quadringenti et aliquantò amplius occidentales episcopi Ariminum conve- « nêre. » Sulpitius Severus, Hist. Eccles. lib. 2. Quos inter adfuerunt Ariani « non ampliùs « quàm octoginta. » (Ibid.)

Episcopos catholicos propè ducentos duntaxat concilio Ariminensi interfuisse scribit S. Athanasius in Epistolâ ad Africanos, qui numerus ita ab eo remotus est, quem semel iterùmque refert libro de Synodis, ut locum depravatum esse ac mendosum cardinalis Baronius suspicetur ad annum 359. Ita Natalis Alexander, Hist. Eccles. seculi 4, cap. 3, num. 23. Instigantibus Arianis indicta fuit et congregata synodus Ariminensis; frequenter ab imperatore præfectisque litteræ missæ sunt, ut quàmplures fieri posset, in eam confluerent hæresis Arianæ patroni ac vindices; quantùm autem et numero et auctoritatis ponderè superarentur catholicis ab episcopis, eò etiam declaratur, quòd Ursacium, Valentem Germinium, Auxentium, Gaium, Demophilum hæreticos declarare, synodus illa, et ab Ecclesiæ communione submovere statim non dubitaverit. S. Athanasius, lib. de Synodis.

Quod spectat ad Orientem, nihil intentatum reliquerant Ariani, suæ ut partes eminerent; at quidquid molirentur, synodo Seleuciensi in quam convenerant Orientales, non adfuerunt inter episcopos 160, quibus tota constituebatur, nisi ad summum, 40 Ariani; pro *consubstantialis* voce decertabant quindecim episcopi; hâc repudiatâ Nicænæ tamen doctrinæ addicti erant quinque supra centum; Semiariani quidem à nonnullis vocati sunt, at hæreseos crimen ab illis repellunt SS. Athanasius et Hilarius, longè digniores quibus credatur, testes; « viros autem, ait S. Athanasius, l. de Synod. « n. 41, qui alia quidem omnia Nicææ scripta « recipiunt, de solo autem *consubstantialis* vo- « cabulo ambigunt, non ut inimicos spectari « par est; neque enim velut Ariomanitas, aut « Patrum adversarios, homines aggredimur, « sed disputamus veluti fratres cum fratribus, « qui eâdem quâ nos sententiâ, solo nomine « in controversiam adducto. » De *consubstantialis* vocem solam abjicientibus, S. Hilarius sic conqueritur : « Ut quia de fide nostrâ, in- « quit ibid. n. 77, 78, nihil inter nos suspicio- « nis relictum est, ea quæ adhuc in suspicio- « nem ex libris veniunt, purgentur, et dabunt « veniam ex communis conscientiæ fide secum « liberiùs locuturo » Itaque si adjiciantur 40

Arianis Seleuciensis synodi, 80 Ariminensis, paucique ex aliis qui synodis duabus illis non interfuerint, quâ ratione suspicari quis posset, illos fuisse cæteris per orbem disseminatis episcopis numero notoriè superiores? Tum id quoque quàm absonum, evidentiùs etiam intelligetur ex jam dicendis de tempore Ariminensis synodi, subsequentibusque annis quibus accrevit, et perniciosiùs grassata est Arianorum secta.

PROPOSITIO II. — *Tempore Ariminensis synodi, notoriè majorem episcoporum numerum Romano cum pontifice Arianam comprobâsse hæresim, nullo modo asseri potest, imò jure ac meritò negatur.*

Id enim ut ostenderetur, convinci tria oporteret : 1° Ariminensi synodo, tametsi arianas in partes inclinata fingeretur, Romanum consensisse pontificem ; 2° quâ tempestate lapsa est illa synodus, minorem notoriè extitisse numerum episcoporum fidei catholicæ inhærentium ; 3° à Patribus Ariminensis concilii comprobatam reipsà fuisse arianam hæresim : hæc autem tria, nedùm astruantur, meritò possunt negari, nec multo negotio refelli.

1° Frustra torqueantur adversarii, ut ostendant arianæ hæresi tum obsecutum esse Liberium, cùm Ariminensis haberetur synodus : eo quippe saltem tempore resipuerat procul dubio, cuicumque tandem formulæ, dùm lapsus est, subscripsisse credatur. Id disertè significatum epistolâ quam tum suo, tum 90 episcoporum nomine ad causam Auxentii dijudicandam, Romæ congregatorum, scripsit Damasus, Liberii proximus successor, ad episcopos Illyrici : « Neque enim præjudicium « aliquod nasci potuit ex numero eorum qui « Ariminum convenerunt ; constat neque Ro- « manum episcopum, cujus ante omnes expe- « tenda fuit sententia, neque Vincentium, qui « tot annos sacerdotium illibatè servavit, neque « alios hujusmodi statutis consensum aliquem « commodâsse. » Epist. Damasi apud Theodoretum. Hist. Eccles. lib. 2, cap 22. Etverò, ut disserit doctissimus Bossuetius, contra Claudium ministrum, lapsu Liberii gestisque Ariminensis synodi ad causæ suæ subsidium abutentem : « Il est certain que ce Pape après « un égarement de quelques mois (lapsus est « anno 357, et synodus Ariminensis habita est « anno 359), rentra dans ses premiers senti- « ments, et acheva son pontificat qui fut long, « lié de communion avec les plus saints Évêques « de l'Eglise, avec un S. Anathase, avec un S. « Basile, et les autres de pareil mérite et de « même réputation ; on sait qu'il est loué par « S. Epiphane et par S. Ambroise, qui l'ap- « pelle par deux fois le Pape Libérius, de « sainte mémoire, et insère dans un de ses « livres, avec éloge, un sermon entier de « ce Pape, ou il célèbre hautement l'éternité, « la puissance, en un mot, la divinité du Fils de « Dieu et sa parfaite égalité avec son Père : « l'empereur savait si bien qu'il était rentré dans « la profession publique de la foi de Nicée, « qu'il ne voulut pas l'appeller au concile de « Rimini, et craignit de pousser deux fois « un personnage de cette autorité, et qu'il « n'avait pu abattre qu'avec tant d'efforts. » (Documento secundo pastorali, de Promissis Ecclesiæ.) Rescissam fuisse à Liberio synodum Ariminensem, declarat Siricius qui Romanam proximè post Damasum, sedem tenuit. (Epist. Siricii ad episcopum Torragon apud l'Abbium, tom. 2, 2 concil.) Testificatur ipse Liberius, Epist. quam ad Orientales episcopos, suo Occidentaliumque nomine mittendam curavit, sese non ante cum lapsis apud Ariminum episcopis initam voluisse communionem, quàm ab eisdem proscripta fuisset formula, cui aut animo dejecti, aut dolis irretiti consenserant : « Om- « nes, inquit ille, ferè episcopi qui Arimini « convenerant, quique vel fallacibus inescati « illecebris, vel vi compulsi, à fide tum qui- « dem desciverant (quomodò hæc verba intel- « ligenda sint exponemus), nunc tamen ad « sanam mentem reversi, fidei formulæ ab « episcopis Arimini convocatis editæ anathema « denuntiârunt, et fidei catholicæ et apostoli- « cæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, et « nobiscum jam una communicant. » (Apud l'Abb., tom. 2 Concil. column. 758.) Haud prætereundum quod refertur in Chronico S. Hieronymi : *Romam* (Liberius) *quasi victor intravit.* Consonat id quod legitur in Marcellini præfatione : *Cui obvius cum gaudio populus Romanus exivit.* Bibliothecæ Patrum tom. 2, p. 652. Romam quomodò quasi ovans ingressus fuisset, nisi ablato casûs sui scandalo, Liberius? Quo pacto ut voti compos occurrisset illi populus Romanus, qui cum Felice Arianis communione sociato, sacrâ in æde versari noluerit? Quæ asserimus de converso saniorem ad mentem Liberio ante synodum Ariminensem, confirmari possunt testimonio DD. Tillemont et Fleury. « Le Pape Libère, inquit Tillem. était « tombé comme les autres en 357, et Vincent « de Capoue dès 353; ils avaient commencé à

« se relever de leur chute, puisqu'on assure « qu'ils ne prirent aucune part au crime du « concile de Rimini. » Tom. 6 Hist. eccles., de Arianis art. 103. » Le Pape Libère et Vincent « de Capoue, ait Abbas de Fleury, refusèrent « constamment de souscrire la formule de « Rimini, et par là ils réparèrent la faute qu'ils « avaient faite quelques années auparavant. » Ibid. tom. 3, lib. 14, n. 24. Si fortè objiceretur, reprobatam à Liberio Ariminensem formulam non videri ante mortem Constantii imperatoris, respondeo, si formulam illam expresso ejus nomine non condemnaverit ante mortem Constantii, id œconomiæ causâ factum esse, ne sævienti persecutioni novam subjiceret facem, augereturque cadentium miserè numerus; at publicâ fidei Nicenæ professione, et cum sanctissimis ejusdem fidei communione, testatum fecisse, quantùm à præstando vel specie tenùs Arianis partibus patrocinio abhorreret.

2° Synodi Ariminensis tempore approbatum fuisse à majori episcoporum numero Arianum dogma, haud nisi fallaciter jactari potest, quamvis concessum foret à catholicâ fide totam defecisse Ariminensem synodum : adjungatur, si volueris, licet immeritò, totum ferè concilium Seleuciense; recenseantur simul Ariani episcopi qui non potuerint illis interesse synodis, ad quas votis omnibus aspirarent : at conferatur numerus ille cum episcoporum multitudine, qui tum ante, tum post Ariminense concilium, per totum disseminarentur orbem, statim perspicietur, quàm præter cætera, numero vincerentur catholicis ab episcopis, sectatores arianæ doctrinæ episcopi. Donatistas, objectâ ipsis episcoporum multitudine qui S. Stephano adhæserant, sic premebat S. August., l. 3 contra Cresconium : « Si omninò « jam credendum sit quinquaginta episcopis « Orientalium id esse visum quod septuaginta « Afris, vel aliquantò etiam pluribus, contra « tot millia episcoporum quibus hic error in « toto orbe displicuit, cur non potiùs ipsos « paucos Orientales suum judicium correxisse « dicamus, non ut loqueris rescidisse?» Decretoriam hanc assertionem infirmare qui conati sunt, illam esse intelligendam finxerunt de episcoporum omnium serie, qui ab ætate S. Cypriani ad ætatem usque S. Augustini, improbaverint rebaptizantium errorem : ergo ad revincendos ducto ex catholicitate argumento Donatistas, S. Augustinus contulisset cum illorum duntaxat episcoporum rebaptizantium numero, qui S. Cypriano fuerint coætanei, seriem omnem adversantium episcoporum qui ab eâ ætate ad annum usque 406 numerarentur, quo quidem anno citatus mox liber exaratus est, quid iniquum magis et ineptum, tantoque indignius doctore cogitari possit? Qui tale paraverint effugium, videant utrùm aptare illud valeant istis quoque S. Augustini verbis de ordinatoribus Cæciliani : « Millia quippe colle« garum transmarina restabant, ubi apparebat « eos judicari posse, qui videbantur Afros, vel « Numidas collegas, habere suspectos. » Epist. 43 novæ edit. Nonne hoc verbo, *restabant*, perspicuum est loqui S. Augustinum de episcopis qui degerent eodem tempore, anno scilicet 312, quo habebatur Carthagine synodus : nec tamen de orbis universi loquebatur episcopis, ut ex illis vocibus, *millia collegarum transmarina*, promptum est colligi. Adduci pariter posset id quod objectabat Donatistis, epist. ad Emeritum : » Cur ergo vos, Donatistæ, tam « temerariâ atque sacrilegâ diremptione, præci« distis à communione innumerabilium Eccle« siarum Orientalium? » Epist. 87 novæ edit.

His consideratis quæ confidenter asseruit sanctus Augustinus, videbitur nihil esse cur quidquam detrahatur testimonio Dalmatii Archimandritæ, imperatorem Theodosium sic alloquentis, animum ut illius contra Nestorianam hæresim obfirmaret : *Sex milliane episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?* Id observatum est annis post synodum Ariminensem septuaginta, quo temporis intervallo, licet auctus intelligatur sedium episcopalium numerus, concipitur tamen quàm ingens fuerit ætate illius synodi episcoporum multitudo. Quorum causæ interest ut abjiciatur hoc testimonium, illi respondent, nihili pendendum, tum quia reconditus ab annis quadraginta et octo, intra monasterii septa Dalmatius, episcoporum qui christiano in orbe versarentur, cognovisse numerum non potuerit, tum quia ejusdem verba, si ad litteram usurparentur, consequens foret, neminem extitisse, tùm, cùm prolata sunt, Nestorii discipulum et asseclam : sex milliane episcoporum, inquit, mavis, *an unum hominem, eumque impium?* Quæ hic opponuntur levis admodùm sunt momenti : quâ enim de causâ fidem non mereatur vir gravitate morum, et pietate insignis, quem maximo in honore habuerit Theodosius imperator? cujus testimonium commendatur in rescripto episcoporum Constantinopoli tunc degentium : tum qui eâdem à synodo laudatur tanquàm afflatus prophetiæ Spiritu? At quo-

modò potuerit orbis christiani episcoporum nôsse numerum ? Id potuit tum famâ publicâ, tum hominum peritorum consortio, aut etiam libris evolvendis in quibus referebatur. Numquid lustrari provincias, regnaque peragrari necesse est, ut comperiatur, quot in Galliâ, quot in Italiâ, quot in Hispaniâ, sedes numerentur episcopales ? aut numquid oculis, auribus, aut mente capti sunt omnes qui monasteria incoluerint ? Quod autem additur, verba Dalmatii, si ad litteram usurpentur, indè consequi, suis à partibus solum stetisse Nestorium, quis non videat illis Dalmatii verbis, *ad unum hominem, eumque impium*, significari duntaxat, hæresis quæ tunc æstuabat auctorem fuisse solum Nestorium, eumdemque caput et causam turbarum quibus universalis commovebatur Ecclesia ? Nongintas septuaginta sedes episcopales quarum sive in conciliis, sive apud sanctos Patres aliosque scriptores sex priorum Ecclesiæ seculorum expressa habeatur mentio, recenset in Geographiâ sacrâ Carolus à sancto Paulo, Abricensium episcopus ; quot verò extiterint, quarum explicata notitia translatis ad nostram usque ætatem scriptis consignata non sit ? Hinc in voces istas erumpit mox appellatus auctor : « Stellas cœli enumerare « si pro impossibili habetur, multò magis sedes « episcopales universi orbis ecclesiastici, quippe « quæ longè plures numero ; idcircò si has « recensendo, nonnullas amiserimus, ne ex- « probres, lector benevole, nec etiam mireris. » Ex his omnibus dijudicari facilè potest qualis fuerit episcoporum, qui apud Ariminum Seleuciamque convenerint, numerus, si comparetur cum episcoporum multitudine qui universum per orbem illis erant dispersi temporibus. Cùm jam ostenderimus à summo pontifice approbatam non fuisse Ariminensem synodum, retentamque constanter à notoriè majori episcoporum numero catholicam fidem, nihil nobis opus hìc expendere, utrùm ab eâ desciverint necne Patres Ariminenses : sit tamen, ad complementum et causæ nostræ uberius incrementum,

PROPOSITIO III. — *Ab hæresi Arianâ immunes fuerunt Patres Ariminensis synodi.*

Hæreticæ non subscripserunt formulæ, nec reticendâ voce *consubstantiale*, hæresis notam subierunt : hæc duo breviter explicanda sunt : 1° Hæreticæ non subscripserunt formulæ : errorem non præ se ferebat spectato naturali verborum sensu, illa quæ ipsis oblata est formula : refertur à S. Athanasio lib. de Synodis ; in eâque hæc leguntur : « Credimus « in unum et solum, et verum Deum, Patrem « omnipotentem, conditorem opificemque om- « nium : et in unigenitum Filium Dei, ante « omnia secula et initia, et ante omne tempus « quod in intellectum cadere potest, existen- « tem, et ante omnem comprehensibilem sub- « stantiam, natum impatibiliter ex Deo, per « quem et secula perfecta et omnia facta sunt, « natum unigenitum solum ex solo Patre, « Deum de Deo, similem Patri suo qui ipsum « genuit, cujus secundùm Scripturas genera- « tionem nemo novit nisi solus qui eum genuit, « Pater : hunc scimus Dei unigenitum Filium, « nutu paterno advenisse è cœlis ad demolienda « peccata, genitum ex Mariâ Virgine, » etc. Illis in vocibus quidnam exhibeatur heterodoxi ? Perversâ Valentis et Ursacii voluntate, personali utique et verbis extrinsecâ, non transfunditur hæresis in illam formulam ; in eâ, *unigenitus Dei Filius* dicitur Jesus Christus : ergo naturâ Filius Dei : plures enim per adoptionem filios habet Deus : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus.* Christus dicitur *ante omnia secula et initia genitus ;* si careat initio, ergo æternus est : asseritur *per eum facta esse omnia ;* ergo pollet creandi potestate, quæ cùm sit infinita, communicatà creaturæ non fuisset : dicitur solus ex solo Patre natus : si duntaxat propter inhabitantem charitatem, quot subindè nactus esset filiationis consortes ? Prædicatur *Deus de Deo*, simpliciter et sine restrictione vocatus Deus : ergo eâdem ratione quâ Pater : ergo verus et substantiâ Deus : similis asseveratur Patri, qui *ipsum genuit :* orta ex generatione similitudo importat naturæ similitudinem ; ergo una et individua cùm sit natura divina, necesse est ut qui naturâ similis est Patri Deo, idem sit unus cum Patre Deus.

Prædictâ quidem in formulâ omittitur vox *consubstantiale ;* sed retundendæ Arianorum perfidiæ discutiendisque eorumdem cavillationibus, quantumvis opportuna sit et idonea, haud tamen per se absolutè necessaria est enuntiandæ catholicæ fidei : aliis ante Nicænam synodum verbis efficaciter et aptè declarata fuit Christi divinitas : imò Antiochensi in concilio contra Paulum Samosatensem celebrato rejectum est verbum illud *Omousion*, quo abutebantur Sabelliani : ita referunt S. Athanasius, lib. de Synodis, num. 45 ; S. Hilarius pariter lib. de Synodis, num. 86. Multos qui vocem

illam detrectabant, non Ariomanitas habuerunt, sed fratres, eamdem cum universali Ecclesiâ profitentes fidem. Hinc sedulò adnotabat S. Hieronymus, non esse cum abnegatione fidei necessariò conjunctam omissionem verbi *Omousion* : « Non erat, inquit, cura episcopis (Ari- « minensibus) de vocabulo, cùm sensus esset « in tuto. » Dialogo contra Luciferianos. Hinc ad communionem laicam illos esse dejiciendos contendenti, et de illorum judicibus conquerenti Lucifero Calaritano respondebat : « Cur « damnâssent eos qui Ariani non erant ? Cur « Ecclesiam scinderent in concordiâ fidei « permanentem? Cur denique benè credentes « obstinatione suâ facerent Arianos? » Dialogo contra Luciferianos. Graves hìc recenseri possent theologi et controversistæ qui ab omni hæreseos crimine indubitanter eximant illam cui Patres Ariminenses subscripserant, formulam; illos inter eminent Cardinalis du Perron, Tractatu cui titulus : Réplique aux Ministres, touchant leur vocation, page 24; Baronius ad annum 359; hùc advocari possent testimonia D. Tillemont, tom. 6, pag. 640; Natalis Alexandri Dissert. 32 in seculum quartum : sagacissimi Pélisson, Réflexions sur les différends de Religion, sect. 13, etc. In eo solo synodi Ariminensis culpam reponit ipse Jansenius, « quòd improbitas illa versipellis « (Arianorum) non ita Ariminensi professione, « quemadmodùm Nicænâ, constricta fuerat, « atque ita non satis prudenter cum Arianis « Catholicos se simulantibus, communione « Catholici se sociaverant. Hinc est quòd pos- « tea de tali fraude gemuerunt. » Spongia notarum, cap. 76.

Propositio IV. — *Temporibus Ariminensem synodum subsecutis, prolapsum esse in Arianam hæresim majorem episcoporum numerum, meum est commentum.*

Plura suppetunt propositionis hujus argumenta : duobus annis, videlicet 360 et 361, continetur maximus Arianismi progressus, propter flagrantissimam Constantii imperatoris persecutionem, (cujus post mortem quæ contigit 3 novemb. ann. 361, mutata est rerum facies :) Ariminensi quidem formulæ quæ diversas in plagas imperii missa est, propositâ subscriptionem detrectantibus exilii pœnâ, multi subscripserunt episcopi : multò tamen et notoriè majorem episcoporum numerum, Nicænam fidem constanter professos fuisse constat, furente licet persecutionis tempestate : namque 1° qui oblatæ ab Arianis formulæ in synodo Ariminensi subscripserant, illos nullâ ferè interpositâ morâ resipuisse, suamque revocâsse subscriptionem, clarè testantur, S. Ambrosius : « Inflexam, inquit, statim revoca- « vêre sententiam; » S. Hieronymus : « Pauci, « ut se natura hominum habet, errorem pro « concilio defensavêre. » Dialogo adversùs Luciferianos. Damasus summus Pontifex : « Sed « in ipso exordio, ab iisdem ipsis qui hoc apud « Ariminum retractare cogebantur, emendatum « hactenùs est, ut subreptum sibi aliâ disputa- « tione faterentur. » Apud l'Abb., tom. 2 Concil. colum. 892. 2° Apud occidentales episcopos qui Ariminum non convenerant prævaluisse, nullo fœdatam fuco Nicænam fidem, ecclesiasticis constat annalibus : testatur, cujus expressa verba retulimus, Damasus, neque Romanum pontificem, neque Vincentium, *neque aliis*, hujusmodi *statutis* (Ariminensibus) *consensum aliquem commodâsse*. De Italiâ idem declarat S. Ambrosius : « Italia « tentata aliquandò, mutata nunquàm. » Lib. 2 de Fide, cap. ult. Liberius summus Pontifex epist. 13 ad Orientales, cùm de illis loquitur episcopis, qui vel fallacibus inescati illecebris, vel coacti, ceciderant, eos duntaxat designat qui Ariminum convenerant : quod verò asserit Ariminensem in synodum confluxisse omnes Occidentales episcopos, id ad summum ita exponendum est, ut convenerint per deputatos quibus insidiosæ formulæ adstipulatis non consenserunt : quantùm verò Patribus Ariminensibus numero etiam præstarent Occidentales, qui Ariminum non accesserunt, episcopi, supra demonstratum est. Fictitios Arianæ hæresis triumphos Constantio imperatori sic exprobravit Lucifer Calaritanus, ann. 360. « Tua novella prædicatio et recens religio sub « prætextu fidei blasphemia in perniciem sa- « lutis tuæ per te prolata, non solùm adhuc « limitem Romanum peragrare non valuit, et « utique te satis agente, sed et ubi radices « agere tentaverat, aruit, recedentibus scilicet « omnibus Dei famulis à te, atque paucis tuis, « quos lolium esse super frumentum semina- « tos Dominus prædixerit, tecum manenti- « bus. » Lib. cui titulus : *Moriendum esse pro Filio Dei*.

Anno circiter 363, S. Athanasius epist. ad Jovinianum imperatorem, post recensitas speciatim plurimas Ecclesias Nicænæ fidei palam addictissimas, hæc subjungit : « Neque nos « latet, piissime imperator, quòd tametsi pauci « sint, qui huic fidei derogent, eos tamen, cùm

« universus orbis catholicam fidem sequatur, « et ipsi jam pridem Arianâ hæresi infecti « fuerint, et nunc acerbissimè pietati obsis- « tant, eos tamen præjudicium afferre non « posse. » Epist. ad Jovinianum de Fide. Hoc in testimonium S. Athanasii sic disserit illustrissimus Bossuetius : « Voilà l'état où était « l'Eglise sous l'empereur Jovien, un peu après « la mort de Constance, afin qu'on ne s'imagine « pas que ce dernier prince, pour avoir été « défenseur des Ariens, ait pu réduire l'Eglise « à un petit nombre par ses persécutions : au « contraire, poursuit Athanase, tout l'univers « embrasse la foi catholique, et il n'y a qu'un « très petit nombre qui la combatte. C'est « ainsi que l'ancienne foi, et la foi des Pères, « s'était non seulement conservée, mais encore « répandue partout. » Documento primo pastorali adversùs Protestantes, num 30. Jam de doctrinâ, quam exardescente maximâ Constantii persecutione *Orientales tenuerint episcopi*, superest inquirendum. Id etiam colligi potest ex eâdem epist. S. Athanasii. Enumeratis ut diximus, plurimis speciatim Ecclesiis Ariana dogmata detestantibus, subjicit : « Itidem « quotquot nobis vicinæ sunt, nec non Orientis « Ecclesiæ, paucis admodùm exceptis, quæ « Arianicæ opinionis sunt : omnium enim « istorum, et adhuc longinquiorum animos « experimentis cognovimus, et scripta habe- « mus. » Tum ex ejusdem doctoris apologiâ de Fugâ ; tum celebratâ ab eo, anno scilicet 362, synodo quam sanctorum et confessorum conventum vocat D. Tillemont, tom. 8, art. 85, in S. Athanasium, intelligitur multos fuisse in Ægypto et Lybiâ episcopos, qui propter Nicænæ fidei defensionem, Arianorum furore ablegati fuêre : neque etiam fingi potest, serviisse tempori, si paucos exceperis, Achaiæ et Macedoniæ episcopos : de quo vid. epist. 24 S. Basilii, tum epist. S. Athanasii ad Ruffinianum.

Omissâ testimoniorum prolixâ nimiùm discussione, sic res tota summatim transigi potest: dictitant adversarii Arianæ hæresi assentatos esse in Oriente 500 episcopos : hanc in assertionem venditant inprimis aliquod S. Basilii testimonium, in quo agitur de solâ Eustathii depositione, S. Basilii Epist. 42. Esto tamen prolapsos esse toto in Oriente 500 episcopos, numquid numero illo adæquari possit multitudo episcoporum Occidentalium, Nicænæ constanter adhærentium fidei, intra limites Romani imperii, tum episcoporum Ecclesiarum quæ Romanæ ditioni non subjacebant ; namque in Indiâ, Iberiâ, Æthiopiâ, magnâ Armeniâ, ipsâ in Scythiâ et Sarmatiâ, quibus temporibus maximè grassabatur Arianismus, viguisse catholicam fidem, certis probatum est argumentis quæ sigillatim exponenda curavit D. Corgne, Tractatu de Synodo Ariminensi. Nervos intendant, qui de paucitate suâ gratulari sibi videantur, nullo unquàm monumento efficient, ut aliquando in docendis populis erraverit, vel seorsim à summo pontifice, vel, (quod ad convellendam assertionem nostram necessum foret), episcoporum major notoriè numerus, summo adunatus pontifici. Etsi quæ hactenùs adduximus proposito nostro planè sufficiant, unum tamen silentio præterire non possumus, quo certè vel uno disturbantur omnes impugnantium molitiones : non S. Augustinum, non S. Hieronymum, non S. Cyrillum Hierosolymitanum, non S. Pacianum, et alios, latebat quo fuerit statu Ecclesia, dùm principatum tenuit Arianorum patronus, imperator Constantius : nec minùs securè tamen, debellandis hæreticis, perpetuam catholicitatem opposuêre tanquàm distinctam Ecclesiæ notam ac eminentem proprietatem ; hoc præ cæteris S. Augustinus adornavit confirmavitque argumentum, ex lege, ex Prophetis, ex Psalmis, ex Evangelio, ex Actis apostolicis, præsertim lib. de Unitate Ecclesiæ. Persuasum igitur habuerunt invicti illi catholicæ fidei defensores nec prosperis Arianismi temporibus, nec aliàs, majorem Ecclesiæ partem deficere ab illâ ullo modo potuisse.

Solvuntur objecta quæ spectant ad impugnandam Patrum Ariminensis synodi orthodoxiam.

Objic. 1° : Suo ipsorum judicio condemnantur Patres Ariminensis synodi : oblatam ab Arianis quibusdam episcopis formulam, tanquàm hæreticam abjecerant ; Nicænæ fidei illam adversari signanter edixerant ; Valentem et Ursacium unanimi consensu deposuerant : at conversis in transversa mentibus, formulæ quam reprobaverant subscripserunt, imò et pejori, nimirùm formulæ apud Nicænam in *Thraciâ* propositæ, in eoque ab illâ discrepanti, quæ priori loco Ariminensibus Patribus oblata fuerat, quòd in hâc dicebatur Filius Dei Patri *similis secundùm omnia* in illâ autem non erant additæ illæ voces, *secundùm omnia*. Refertur hæc formula apud Theodoret. lib. 2 Hist. p. 21. Neque ad elevandam hanc difficultatem prætendi possunt Ursatii et Valentis anathe-

mata, quasi illis explanatus ante subscriptionem Patrum Ariminensium jam fuisset prædictæ sensus formulæ : namque certum est illis anathematibus præviam fuisse subscriptionem; restiterant viginti duntaxat, quorum agmen ducebant Phœbadius Agennensis et Servatius Tungrensis episcopus, qui vel ipsi tandem cesserunt, cùm sese paratos dixerint Ursatius.

Valens ad formulæ adjiciendum quidquid subscriptionem refugientibus placuerit. Prætermissam fuisse vocem *consubstantialis*, quæ habebatur velut tessera catholicæ fidei, nonne id sufficienti argumento est commodati Arianismo suffragii?

Resp. : Oblatam sibi initio formulam reprobaverunt confestim Patres Ariminenses, non tanquàm in semetipsâ, sed in mente Arianorum hæreticam, eamque reverà hæresis labe non contaminari, pluribus jam demonstratum est; ab eâ substantialiter non differt formula cui subscripserunt : ista quidem, similem Deo Patri licet dicat Filium Dei, caret his vocibus, *secundùm omnia ;* verùm cætera complectitur quibus unigenito Filio Dei invictè asseritur divinitas : non igitur propter subscriptionem suam Patres Ariminenses possunt Arianæ hæresis insimulari. Dolos tamen præcavere debuerant sub formulâ delitescentes, quam primarii impiæ fraudis architecti instanter obtulerant : prævidere potuerunt quam inde causæ suæ commendationem advocarent Ariani, quibus se communione jungebant : quot inde christiano in populo suborirentur offensiones! quamvis enim absque voce *consubstantialis* retineri potuerit Nicæna fides, hanc tamen reticere vocem postulantibus et instigantibus Arianis, quos ipsam constaret abradi voluisse, non œconomiæ causâ, ut à quibusdam factitatum est illâ ætate, Catholicis, sed hæresis tuendæ gratiâ, cui omnem præcludebat elabendi viam: id certè arguebat Patres Ariminenses et à priori tum descivisse constantiâ, et defensioni catholici dogmatis, honori Ecclesiæ, populorum præsidio longè minùs quàm oportuerit, consulendum curavisse, meritòque passim judicatos esse severâ dignos animadversione. At licet graviter culpandi, non sine tamen rationum aliquâ specie, subscripserunt oblatæ sibi formulæ : verebantur scilicet, *cùm superficies expositionis*, ut ait S. Hieronymus, nihil jam sacrilegum præ se ferret, ne conciliandæ unitati et paci obstare contumaciter viderentur : id enim, inquit S. doctor, « omnibus bonis curæ fuerat ut « Oriens atque Occidens communionis sibi « vinculo necterentur. » Dialogo adversùs Lucifer. Verebantur etiam ne si diutiùs obsisterent, « quidam à pietate longè alienissimi Ec- « clesias corrumperent : idcircò, maluerunt « vi cedere, et onus ferre, quàm populos per- « dere. » Ita S. Athanasius, epist. ad Ruffinianum. Haud quidem ignorabant pravâ mente Arianos contendere, ut à vocabulo *consubstantialis* abstineretur : putaverunt nihilominùs posse illud tunc temporis innoxiè omitti, ne si firmiùs in eo vindicando perstaretur, multi inde ansam arriperent hæresis obstinatiùs retinendæ, aut deserendæ catholicæ fidei. Potuisse autem intactâ fide illud præteriri vocabulum, consule, præter illa quæ jam deprompsimus, adnotationes doctissimi Petavii in Epiphanium, et eruditissimi pariter Thomassini dissertationem quintam de conciliis. Itaque sibi in mentem induxerunt Patres Ariminenses licere sibi, ad avertenda quæ ingravescere videbantur Ecclesiæ damna, subscribere formulæ ab hæresi Arianâ, verbis candidè intellectis alienæ, atque sic priorem, mutatis rerum adjunctis, emollire agendi rationem.

Inst. : Gravissimi possunt compellari testes, qui ab omni hæreseos labe excusatos haberi Patres Ariminenses minimè patiuntur, quos inter ipse S. Hieronymus : « Tum, inquit, *usiæ* « nomen abolitum est; tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est ; ingemuit totus orbis, « et Arianum se esse miratus est. » Dialogo adversùs Luciferianos. Dixerat idem S. doctor: « Nomine unitatis et fidei infidelitas scripta est, « ut nunc agnoscitur. » Liberius summus pontifex epist. 11 ad Orientales : « Omnes illi ferè « episcopi qui Arimini convenerant, quique « vel fallacibus inescati illecebris, vel vi com- « pulsi, à fide tùm quidem desciverant, nunc « tamen ad sanam mentem reversi, » etc.

S. Ambrosius, in caput 6 Lucæ : « Nonne « tibi videtur his dicere, qui dudùm in Arimi- « nensi concilio perfidæ prævaricationis auc- « tores, dùm imperatoris gratiam sequuntur, « Dei gratiam perdiderunt? »

S. Augustinus : « Sic multitudinibus perschis- « mata et hæreses pereuntibus subvenire consue- « vit (dispensatio ecclesiastica), hoc displicuit « Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis « atque sanandis, qui veneno perierant Ariano. »

Resp. 1° : Idoneam explanandis quæ objecta sunt testimoniis, adnotationem doctissimi patris Thomassini præmittere juvat. Auctores inter ecclesiasticos, sunt qui Patres Ariminenses omni Arianæ hæresis suspicione libera-

verint ; sunt qui eosdem hujusce prævaricationis reos fecerint : nec tamen aliis alios conflictari existimandum est : « Etenim, inquit « Thomassinus, si sententiam animi, si fidei « medullam, si sensum episcoporum Ariminen- « sium introspicias, omnia hæc catholici dog- « matis tenacissima semper fuêre ; si speciem « rerum extimam (non genuinum formulæ « sensum), si fucum ab Arianis factum, si « rumores ab illis sparsos, si communionem « exteriùs initam, arianum hìc omnibus vene- « num superfusum est. » Dissert. 5 de Conciliis, num. 8.

Hinc defectionem à fide qui videntur Ariminensibus episcopis affingere, « communionem « pro fide accipiunt, reique non veritatem, sed « speciem ab Arianis jactatam prosequuntur. » Ibid.

Resp. 2° ad singula : Cùm dixit S. Hieronymus : « Tunc *usiæ* nomen abolitum est ; tunc « fidei damnatio conclamata est, » id unum significatum voluit, gratulatos sibi esse palam Arianos, quasi oblitteratum esset nomen substantiæ, et finibus imperii exterminata fides : id patet ex proximè antecedentibus : « Cica- « trix, inquit, malè obducta, incocto purè di- « rumpitur : cœperunt postea Valens et Ursa- « tius, cæterique eorum nequitiæ socii, egre- « gii videlicet Christi sacerdotes, palmas suas « jactare, dicentes, se filium non creaturam « negâsse, sed similem cæteris creaturis : tunc « *usiæ* nomen abolitum est, » etc.

Et verò quâ ratione asseverare potuisset S. Hieronymus, proscriptam esse à Patribus Ariminensibus Nicænam fidem, cùm eodem in dialogo unde excerpta sunt citata verba, vindicandam ex professo suscipiat eorum orthodoxiam ? De ipsorum enim judicibus sic loquitur ; « Cur damnâssemt eos qui Ariani non « erant ? Cur Ecclesiam scinderent ? » etc. Et alia quæ supra attulimus. Tum idem postquàm narravit, Alexandrinà in synodo constitutum esse, ut pœnitentes Ecclesiæ sociarentur, hæ· subjicit : « Non quòd episcopi possent esse, qu « hæretici fuerant, sed quòd constaret eos qu « reciperentur hæreticos non fuisse. »

Illud autem ejusdem S. doctoris pronuntiatum : « Ingemuit orbis, et miratus est se esse « Arianum ; » mox exponetur, ubi de exaggerato episcoporum numero Arianis implicatorum partibus.

Quòd autem asserat Liberius Patres Ariminenses à fide descivisse ; S. Hilarius, prævaricatos esse à verâ fide ; S. Ambrosius, perfidæ prævaricationis auctores fuisse ; S. Augustinus, Ariano periisse veneno, ad hæc omnia illam oportet accommodari, quam protulimus P. Thomassini adnotationem, atque ita sunt intelligenda ut referantur ad mentes Arianis irretitas improvidè fraudibus, ad animi debilitatam miseriis constantiam, nec satis fortiter ac generosè defensam Religionis causam.

Objicies 2° : Approbârunt Patres Ariminenses jactatum istud anathema : « Si quis creaturam filium Dei dixerit, ut sunt cæteræ, creaturæ, anathema sit. » Quo quidem indicatur, antecellere filium Dei cæteris creaturis, neque ideò tamen ab illis naturâ esse disjunctum : ac reipsà datâ occasione conclamârunt Ursacius et Valens, se filium non creaturam negâsse, sed similem cæteris creaturis.

Resp. : Veritati congruit in seipsó, illud objectum anathema, quamvis imperfectum, nec satis idoneum præcavendis hæreticorum argutiis ; creatum esse filium Dei profitebantur Ariani, et quamvis cæteras ab eo superari dotibus donisque gratiæ, creaturas agnoscerent, cæteris tamen ipsum creaturis, naturâ et origine similem effutiebant ; prædicto igitur anathemate proscribebatur error præcipuus Arianismi : eâ tamen quâ expressum fuit, ratione, ansam potuisset cavillationi præbere, separatim ab aliis anathematibus spectatum ; at consideratis antecedentibus et consequentibus, determinatur perspicuè illius significatio, atque tollitur omnis quæ obtendi posset æquivocatio ; sic enim se habet, ut de aliis taceamus, quod proximè antecedit, anathema : vibratur in eum qui filium Dei non dixerit æternum cum Patre. Filio tribuitur, quæ Patri, æternitas : tùm in anathemate, illud quod objicitur, proximè subsequente, sic legere est : « Si quis dixerit, de nullis extan- « tibus, filium, et non de Deo patre, anathema « sit. » Quid clarius, quid significantius, ad eximendum à conditione et numero creaturarum filium Dei ? Nonne id proprium est cuilibet creaturæ ut è nihilo, ad nutum Dei, prodierit ? Deinde filium Dei non esse ex nihilo eductum ita declaratur, ut de Deo patre illum esse fatendum sit, certè non tanquàm opus, sed tanquàm verè genitus, alioquin quoad originem nihil ipsi adscriberetur, quo vulgaribus ipsis creaturis antecelleret.

Non aliter Ursatius et Valens anno 348, hæretico Ario anathema se dicere professi sunt, quàm asserendo, Filium Dei ex nihilo non esse, Epist. Ursatii et Valentis ad Julium Pa-

pam apud S. Athanas. apologiâ contra Arianos. Hinc observat S. Athanasius tali assertione idem enuntiari ac si diceretur filium Dei ex substantiâ patris, seu patri consubstantialem.

Et certè ingeminatis dùm suffragantur plaudentès anathematibus Patres Ariminenses, eâ mente ut à filio Dei avertatur quidquid ideam creaturæ possit ingerere, quis putaverit voluisse illos profiteri, Filium Dei creaturis esse annumerandum? hinc detectâ Arianorum fraude, tam acerbè conquesti sunt, « contestantes corpus Domini, et quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali in suâ fide suspicatos: putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesiâ Dei, » etc., S. Hieron. Dialogo contra Luciferianos.

Inst.: De objecto anathemate idem sentiendum quod censebat Sulpitius Severus, Hist. sacræ lib. 2: « His verbis, inquit, quibus similis esse cæteris creaturis filius negabatur, creatura tamen potior tantùm cæteris pronuntiabatur. »

Eâdem ratione declarat S. Ambrosius creaturam in Ariminensi synodo dictum esse filium Dei.

Resp.: Hoc in utroque testimonio respicitur non ad naturalem anathematis sensum, sed ad eam significationem quam effinxerant malignè Ariani, et unde sibi palmas decerpere contenderent. Hæc responsio ex dictis manifestè sequitur, nec in eâ explicandâ necesse est etiamnùm immorari.

Solvuntur objecta ad episcoporum numerum spectantia, qui sese ad Arianorum partes adjunxerint

Objicies 1°: Hùc referri possunt, quæ ad hunc locum exponenda remisimus, verba S. Hieronymi: « Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est. » (Dialogo adversùs Lucif.)

Resp.: Quemdam hæc eadem obtrudentem sic compellat ipse Jansenius Yprensis episcopus: « Quod verò adjicis mundum tunc gemuisse, et miratum se Arianum factum, mirari profectò et indignari, ac detestari me facit pessimam fidem, quâ in allegandis auctoribus uteris, nihil curans eruditorum judicium, dummodò ineruditis ad paucos menses abutaris. » Tum optimè solvit decantatum illud toties, totiesque attritum argumentum. (Notarum spongia 76.)

Nec solùm facili negotio solvi potest, sed et in adversarios contorqueri: non enim assèrit S. Hieronymus ingemuisse totum orbem, quòd fuerit Arianus, verùm quòd haberetur Arianus, seu quòd suæ consortem hæresis illum evasisse jactarent Ariani: numquid enim dolere posset arreptæ doctrinæ, quam hausisse, et adhuc retinere se tanquàm divinum dogma, profiteretur? An ingemiscunt sectæ suæ addicti Protestantes, quòd à Romanâ defecerint Ecclesiâ? O utinam saperent ac novissima providerent!

Objicies 2°: Teste S. Hilario Pictaviensi, absque Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte, Asianæ decem provinciæ, intra quas consisto, inquit, verè Deum nesciunt.

Resp.: Refellebat olim S. Augustinus Vincentium Donatistam eo abutentem testimonio: « Hilarii libros, inquit, mihi opponis, uti neges « Ecclesiam crescentem in omnibus gentibus, « usque in finem seculi, quam Deus contra « incredulitatem vestram, cum juratione promisit. » Hilarius ergo, addit S. Augustinus, in decursu disputationis, « decem provinciarum Arianarum aut zizania, non triticum « arguebat, aut etiam ipsum triticum, quod « defectu quodam periclitabatur. » Illæ porrò provinciæ, ut scitè observat D. Tournely, erant exigua portio Ecclesiæ Orientalis, nec nisi tertiam partem patriarchatûs Constantinopolitani posteà constituerunt; constat autem ex testimoniis S. Athanasii et Luciferi Calaritani, plerosque episcopos aliarum Orientis regionum fuisse tunc temporis orthodoxos, quod et ipse Hilarius innuit, cùm agendi rationem et clementiam episcoporum Orientalium erga lapsos approbat. Adde S. Hilarium loqui non de totis decem Arianis provinciis, sed de majori illarum parte.

Objicies 3°: S. Augustinus cùm dixisset obscurari aliquando Ecclesiam, et tanquàm obnubilari multitudine scandalorum, postea subjicit: « Qui tunc firmissimi fuerunt, et verba « insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem « in comparatione cæterorum. » Epist. ad Vincentium Rogatistam. — Resp.: Loquitur S. Augustinus de strenuis catholicæ fidei defensoribus, quos paucos appellat, institutâ comparatione cum aliis qui versabantur in decem provinciis Asiæ episcopis, quorum tamen etiam ipsi quidam, referente S. Augustino, pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant.

Objicies 4°: S. Gregorius Nazianzenus plerosque episcoporum declarat, circumjectâ impietatis hamo, atque manante latiùs perse-

cutionis impetu, in Arianismi societatem abstractos fuisse : « Si perpaucos, inquit, exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem restiterunt..., omnes tempori obsecuti sunt; hoc tantùm discriminis inter illos fuit quòd alii citiùs, alii tardiùs in eam fraudem inciderunt, atque alii impietatis duces antistitesque se præbuerunt, alii autem in secundo ordine locati sunt, nempe vel timore perculsi, vel quæstu atque utilitate subacti, vel blanditiis inescati, vel ignorantiâ circumventi atque circumscripti. » Oratione 21.

Resp. : Non de orbe catholico, sed quibusdam tantùm Asiæ provinciis mentionem facit S. Gregorius Nazianzenus : id monstratur ipsâ orationis serie : quæ enim mox relata sunt, excitatam atque promotam à Georgio persecutionis procellam respiciunt; quam sic enarrat S. Gregorius. « At Georgius, nomine jam ipsius impetum propellente, Ægyptum incursionibus vastat, atque impietatis robore Syriam populatur : orientis etiam, quantùm potest, arripit ægros et infirmos quotidiè, quemadmodùm torrentes, ea simul quæ volvuntur, assumens, ac leviores aut ignaviores adoriens. » Paucis deinde interjectis, hunc in modum prosequitur : « Hujus potentiæ opus, concilium illud fuit, quod Seleuciæ primùm, ubi fanum est sanctæ et egregiæ virgini Theclæ, deinde in hâc amplissimâ civitate coactum est. » Denique ponderanda sunt hæc verba : « Ea res per multos à nobis invictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversi acti sunt, atque cum illis, utroque nomine improbis consenserunt : ac si non flammæ, fumi certè particeps fuerunt. » Sermonem igitur habet S. Gregorius de illis in quibus versabatur regionibus, idemque illi obtigit, quod solet iis contingere qui scandalis et stragibus circumfusi perinde loquuntur, ac si ubique terrarum mala ista dominarentur : « Habent etiam Scripturæ canonicæ, inquit ipse, hunc arguendi morem, ut tanquàm omnibus dicatur, et ad quosdam verbum perveniat. » Epist. 48. Cùm præ livore et odio de fructibus prædicationis Christi conquererentur Judæi, rem ita amplificabant : *Mundus totus post eum abiit,* Joann. cap. 12, v. 19. Exaggerandi rationem sancto Gregorio Nazianzeno haud inusitatam fuisse, appositis in promptu est exemplis demonstrare. Haud secùs enarrat sævam quam Ecclesiæ intulit persecutionem imperator Valens, ac si eo principe Cæsaream adventante, solus superstes fuisset veritatis defensor S. Basilius. « Ut verò, inquit, peragratis omnibus oppidis, ad hanc firmam et inoffensam Ecclesiarum matrem se contulit, ut vitalem quoque illum veritatis igniculum, qui solus reliquus erat, extingueret, tum primùm malum se consilium iniisse sensit. » Orat. 20. Oratione 32 habitâ in præsentiâ 150 episcoporum, cùm esset ab Ecclesiâ discessurus, imperatoribusque ac civitati valedixisset, exclamavit : Vale, Oriens et Occidens, *pro quibus et à quibus oppugnamur* : nec tamen nisi à quibusdam Ægypti et Maceloniæ episcopis oppugnabatur, qui ipsius ad sedem Constantinopolitanam promotioni acriter repugnarent.

Solvitur objectio desumpta ex facto Honorii.

Objicies : Dogmaticæ habeantur necesse est Honorii summi pontificis genuinæ ad Sergium epistolæ : interrogatus de fide à tribus Patriarchis, Sergio scilicet Constantinopolitano, Cyro Alexandrino, Sophronio Hierosolymitano, respondet, determinat, præscribit, tum quæ animo tenenda, tum quæ agenda, vel à quibus abstinendum esse judicaverit : nec obstat quòd in litteris Honorii, nulla synodi priùs habitæ, nulla vibrati aut intentati anathematis mentio injiciatur : « Synodi quidem habitæ, ut observat doctissimus Bossuetius, nulla mentio, sicut neque in Cœlestini ad Cyrillum, neque in Leonis ad Flavianum, neque in Innocentii ad synodos Africanos respondentis, epistolis, neque in aliis multis quas nihilò seciùs, pro veris Apostolicæ sedis decretis habeamus; nullus certè anathematismus : quid tum? Nullus in apostolico Hierosolymitano decreto, Act. Apost. cap. 15, nullus in Sophronii epistolâ, quam tamen ipse synodicam vocat, nullus in permultis sedis Apostolicæ decretalibus, etiam de fide editis. » (Defens. declarat. Cleri Gallicani parte secundâ, lib. 12, cap. 22.) At Monothelitarum hæresi memoratis suis in epistolis, dignitatis immemor et officii haud obscurè assentatur Honorius, neque veretur velut sigillum auctoritatis eidem apponere : *Unam,* inquit, *voluntatem fatenur Domini nostri Jesu Christi.* En disertis verbis capitale dogma Monothelismi : neque erroris labem amoliuntur, quæ Honorius ipse subjungit : *Quia ab eo assumpta est nostra natura, non culpa,* quasi id unum significatum voluerit, nullam inesse Christo ad peccatum

propensionem, nullam divinæ legi repugnantem voluntatem. Allegata ratio illa pariter adhibebatur à Monothelitarum principibus, ut velamen obtenderent nefando quem disseminabant, errori ; ita Sergius in suâ ipsum ad Honorium epistolâ quæ relata est actione duodecimâ synodi sextæ : rationum inter momenta, quibus revocatum se profitetur ab asserendis Christo duabus operationibus, illud subjungit, quòd « indè consequens sit prædicare duas « voluntates, contrarietatem circa invicem ha- « bentes, tanquàm Deo quidem Verbo, salu- « tem volente impleri per passionem, humani- « tate verò ejus obsistente ejus voluntati, et « proindè duo volentes contraria inducantur. » Secundâ autem in epistolâ quàm ad Sergium rescripsit Honorius, non dubitavit proditor ille fidei pontifex inter ineptias amandare catholicam de duabus in Christo operationibus confessionem : « Unius autem, ait, operationis « vel duarum esse vel fuisse Dominum media- « torem, sentire vel promere, satis ineptum « est. » His verbis non prohibetur duntaxat, ne appellentur duæ in Christo appellationes : non ab illis vocibus abstineri jubetur solummodò, sed ipse illarum sensus, ipsa quam enuntiant irridetur et opprobrio vertitur apostolica doctrina, quam idem novellam adinventionem nuncupat. An orthodoxa duci potest talis œconomia? « Pari jure, inquit « Bossuetius, Leo Magnus, duæne an una in « Christo natura esset, dissimulare, aut utrum- « que ineptum pronuntiare potuisset, ac tam « fœdâ pactione, cum Eutyche et Dioscoro fo- « vere? » (Defens. declarat. Cleri Gallic. parte secundâ, lib. 3, cap. 23.)

Quem tutiorem epistolarum Honorii invocare interpretem possimus quàm generalem sextam synodum, quæ illas, cùm accuratè expenderit, « alienas declarat ab apostolicis « dogmatibus, et à definitionibus sanctorum « conciliorum, et cunctorum probabilium Pa- « trum : sequi verò falsas doctrinas hæretico- « rum. » Ita statuit synodus actione 13. Hinc ut celeberrimos Monothelismi duces, ita Honorium anathemate percellit actione 16 : « Theo- « doro hæretico anathema : Sergio hæretico « anathema : Cyro hæretico anathema : Hono- « rio hæretico anathema : Pyrrho hæretico « anathema. » Vocem autem *hæretico* in sensum minimè proprium ac naturalem, velle detorqueri, cùm de Honorio agitur, qui hominibus planè hæreticus accensetur à synodo œcumenicâ hoc non esset seriò disserere, sed conciliorum dogmaticis decretis illudere. Porrò per totum Orientem, vulgatæ sunt quas commemoravimus Honorii epistolæ, iisdemque consenserunt Orientales episcopi, tacitè annuentibus, seu non reclamantibus Occidentalibus; ergo.

Resp.: Dissimulatam à nobis vel attenuatam objectionem nemo conqueretur : ea priusquàm excutiatur, reposita ante oculos habeatur assertio, quam exponendam confirmandamque curavimus. Contendimus errorem cadere non posse in decretum dogmaticum sanctæ sedis, à majori notoriè episcoporum numero comprobatum : oporteret igitur ad hanc elevandam refellendamque propositionem, certa proferri argumenta quibus evinceretur, 1° habendas esse indicatas Honorii Epistolas, tanquàm decretum dogmaticum universis Ecclesiis propositum ut indefectibilem credendi regulam ; 2° ad illud quod prætenditur decretum, accessisse consensum majoris eminenter ac indubitanter partis episcoporum : 3° hæresi Monothelitarum reipsà imbutas esse illas quæ objiciuntur Honorii epistolas : tria hæc et singula nisi probentur, unoque ex istis deficiente, causâ cadunt adversarii : hanc utrùm obtineant, attentè jam investigandum est.

1° Habendas esse pro decreto dogmatico, universis proposito Ecclesiis instar credendi regulæ Honorii epistolas, nedùm persuaderi meritò possit, gravibus id confutatur argumentis ; epistolâ namque ad Sergium primâ, postquàm confessus est « unum esse operatorem « divinitatis et humanitatis Christum, » sic pergit : « Utrùm autem propter opera divinitatis « et humanitatis, una aut geminæ operationes « debeant dici vel intelligi, ad nos ista perti- « nere non debent, relinquentes grammaticis, « qui solent parvulis exquisita derivando no- « mina venditare. » Numquid decernere de divinis dogmatibus, eaque orbi christiano ad credendum proponere, grammaticorum proprium est munus et officium? Deinde propositâ de quæstione judicare noluit Honorius : « Ad « nos ista, inquit, pertinere non debent, relin- « quentes grammaticis. » Ubinam igitur tum apparet summi pontificis judicium, ad omnes Ecclesias derivandum?

Adjiciatur etiam mens, ad hæc verba epist. 2 Honorii ad Sergium : « Cæterùm quantùm « ad dogma ecclesiasticum pertinet, quæ tene- « re vel prædicare debemus, propter simplici- « tatem hominum et amputandas inextricabiles « quæstionum ambages, sicut superiùs diximus,

« non unam vel duas operationes in mediatore « Dei et hominum definire, sed utrasque na- « turas in uno Christo unitate naturali copula- « tas cum alterius communione operantes at- « que operatrices confiteri debemus. » (Tom. 6 Concil. p. 968, 969.) Quâ verisimilitudine affirmari queat voluisse Honorium, definitionem edere dogmaticam commissumque sibi gregem edocere, utrùm unam vel duas operationes in Christo agnoscere oporteat, cùm fixum sibi animo ratumque esse profiteretur, ab omni abstinere definitione?

At, inquies, interrogatus fuerat de fide à tribus patriarchis; quid inde? Ex ipsius patet epistolis eumdem existimavisse, interrogationem illam revocari ad solam de meris vocibus concertationem: « Scripta fraternitatis vestræ, « inquit, ad Sergium rescribendo, suscepimus, « per quæ contentiones quasdam, et novas « vocum quæstiones, novimus introductas per « Sophronium quemdam tum monachum, nunc « verò ex auditu, Hierosolymitanæ urbis con- « stitutum, adversùs fratrem nostrum Cyrum, « antistitem. (Tom. 6 conc. p. 928.) » Præterea utramque Honorii epistolam vel leviter perlustrantibus perspectum est, instanter illum hortari aut etiam præstituere, ut nec una, nec duæ dicantur operationes in Christo; in illis prohibendis vocibus vertitur ejus litterarum summa: quod certè discrepat à decreto quod vel probabiliter haberi possit dogmaticum. Si quid igitur inter scribendum protulerit orthodoxæ contrarium doctrinæ (quod quidem infra expendetur) id certè non tanquàm *doctrinalem* et quasi ex altâ Petri sede manantem definitionem proferri voluit, sed privatâ mente imprudenter effudit, neque in responsis quidquam aliud habuit propositum, nihilque aliud præscripsit, quàm ut tum una, tum duæ tacerentur operationes in Christo, quod quidem ad œconomiam quamdam malè conceptam exitiosamque spectat; verùm definitionem proferre dogmaticam, nedùm sibi constituerit, hanc esse omittendam, remque nondùm esse satis examinatam et explanatam distinctè declarat: « Non oportet, inquit, hæc ad dogmata eccle- « siastica retorquere, quæ neque synodales « apices super hoc examinantes, neque aucto- « ritates canonicæ visæ sunt explanâsse, vel « unam vel duas energias aliquis præsumat « Christi Dei prædicare, quas neque evangeli- « cæ, neque apostolicæ litteræ, neque synoda- « lis examinatio super his habita, visæ sunt « terminâsse. » (Epist. 1 Honorii ad Sergium.)

2° Tametsi dogmaticam definitionem edere voluisset Honorius (quod abillius animo penitùs alienum fuisse ostendimus), probandum esset insuper, illam fuisse à majori notoriè episcoporum numero comprobatam: missus à Sophronio patriarchâ Hierosolymitano, Monothelismi strenuo impugnatore, ad sedem apostolicam Stephanus Dorensis episcopus, istud de Orientali testatur Ecclesiâ (tom. 6 Conc., p. 104): « Considerans supplicationes omnium « penè habitantium orientalem tractum reve- « rendissimorum episcoporum et christiano- « rum populorum, consonanter prædicto beatæ « memoriæ Sophronio ad hoc me invitantium... « hùc properavi. » Ergo Nestorianismo repugnabant omnes penè Orientales. Ab anno 633 quo datæ sunt Honorii ad Sergium epistolæ, usque ad annum 639 quo promulgata est Heraclii imperatoris Ecthesis seu expositio, quâ præcipiebat, tum ab unâ, tum à duabus in Christo appellandis operationibus abstineri, haud progressa est Monothelitarum hæresis, inhærentibus avitæ fidei constanter episcopis: statim verò atque prodiit illa quæ Monothelismo impensè favebat ecthesis, commota est atque indignata civitas Constantinopolitana: id refert Joannes IV epist. ad Constantinum Heraclii filium: paulò antè dixerat iisdem in litteris: « Orthodoxi Patres qui in toto mundo « claruerunt, sicut utrasque naturas, ita et vo- « luntates ac operationes Christi docere con- « cordi prædicatione monstrantur. » (Tom. 5 conc. p. 1762.) A reprobandâ Monothelitarum hæresi non destitisse Orientalem Ecclesiam, asserebat anno 649 Martinus I, transmittendo synodi Lateranensis acta ad Constantem imperatorem Heraclii nepotem, cujus formulam *Typum* nuncupatam, silentium de Christi voluntatibus et operationibus indicentem, in illâ proscripserat synodo: « Quocirca, inquit, om- « nium ferè piorum sacerdotum et populorum « contra eos (Monothelitas) clamores Aposto- « lica sedes accipiens, orantium atque obstan- « tium, ne usque in finem catholicam Eccle- « siam ab ipsis in periculum adductam negli- « gamus. » (Tom. 6 Conc. p. 7.) Orientalium fidei, nec minùs evidens, nec minùs faustum perhibuit testimonium venerandus Abbas Maximus: « Quæ « hos (Monothelitas), inquit, non rogavit Eccle- « sia? Quis pius et orthodoxus non supplicavit « antistes cessare illos à propriâ hæresi. » (Ibid.) Tum quibusdam interpositis, hæc addit: « Nonne « Oriens totus et Occidens lacrymas, lamenta, « obsecrationes, deprecationes, ex æquo tam

« Deo per orationes, quàm his per litteras of-
« ferebant? » (Tom. 5 Concil. 1767.) Dogmaticum igitur ac erroneum decretum si emiserit Honorius, neque expresso, neque tacito consensu suffragata est illi Orientalis Ecclesia. Jam videamus, utrùm tali decreto consenserint Occidentales episcopi.

Antequàm à Joanne IV profligaretur Ecthesis Heraclii, innotuisse occidentalibus regionibus litteras Honorii ad Sergium, nemo prodidit memoriæ : easdem quas Sergius reconditas servaverat Pyrrhus, ejus successor in Constantinopolitanâ sede, misit in Occidentem, ut per illas, si fieri posset, suæ accerseret auctoritatem hæresi : at eò statim atque pervenerunt, concitati sunt in Pyrrhum patriarcham animi, ægrè admodùm ferentes, quòd eos vellet Monothelitarum in errorem pertrahere, illamque Honorii suffragio confovere : legatur epist. Joannis IV ad Constantin., imperatorem Heraclii filium : « Quantùm enim, « inquit, ex diversis suggestionibus quæ ad « nos catervatim venerunt, quin imò et ex « ipso quoque auditu didicimus, omnes occiden- « tales partes scandalizatæ turbantur fratre « nostro Pyrrho patriarchâ per litteras suas « hùc et illùc transmissas, nova quædam et « præter fidei regulam prædicante, et ad pro- « prium sensum quasi sanctæ memoriæ Hono- « rium, Papam decessorem nostrum attrahere « festinante quod à mente catholici patris erat « penitùs alienum. » Tom. 5 Concil., pag. 1759. Ergo vel ante id temporis ignotæ fuerant episcopis occidentalibus epistolæ Honorii, vel saltem ab illis, si Monothelismi veneno infectas easdem suspicarentur, comprobandis longè aberant. Hanc eorum mentem testatam maximè facit concors illud fidei studium, quo quidem inflammati consenserunt in reprobandam Ecthesim Heraclii, teste eodem quem appellavimus Joanne IV : « Omnes, ait, qui in occiden- « talibus partibus hoc audierunt, (scilicet « juberi ut Ecthesi subscriberetur) sed et po- « puli qui sunt regiæ vestræ urbis, cognitâ « prædictæ chartæ concinnatione, corde per- « culsi sunt. » Ibid. p. 1762. Idem paulò post asseruit Theodorus Papa epist. primâ synodicâ ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum: « Prædictam chartam, inquit (Ecth.), quæ « contra orthodoxam fidem, et Chalcedonense « concilium sophisticè probatur exposita, « cunctis viribus irritam esse deliberamus, et « vinculo anathematis refutatam, atque ut à « nobis, et ab omnibus orthodoxis episcopis « abominatam respuimus. » Ibid. p. 1780. Affectum eumdem in apostolicam fidem exhi buerunt contra Typum Constantis imperatoris, quem jam à Theodoro Papâ damnatum proscripsit Martinus in concilio Lateranensi : ergo nonnisi per calumniam accusari possent Occidentales episcopi, quasi patrocinati essent, aut annuerint Monothelitarum hæresi. Hinc de ipsis Honorii epistolis dixit Bossuetius : « Eæ « ad Orientales scriptæ, inter Occidentales, « vix quidem aut certè tenui admodùm famâ « pervulgatæ sunt, ubi Monothelitæ tum vel « pauci, vel nulli erant. » Defens. declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 12, cap. 25.

3° Reliquum esset ut expenderetur num errore Monothelismi inficiantur prædictæ Honorii epistolæ ; verùm ab eâ quæstione temperandum eò loci nobis videtur : cùm jam clarè expeditum sit quod ad propositum nostrum pertineat : namque suis in litteris si gravibus, ut asseritur, momentis, catholicam fidem retinuerit Honorius, immeritò illæ nobis opponerentur : si autem ab hæresi Monothelitarum nequaquàm excusari posse videantur, duplici nihilominùs de causâ elevatur et spontè corruit allata objectio : 1° Luce clariùs demonstratum est nullum fuisse ab Honorio de unâ aut duabus Christo adscribendis operationibus efformatum universisque propositum Ecclesiis dogmaticum decretum, imò iterùm atque iterùm ipsum declaravisse ab hujusmodi quæstione dirimendâ prorsùs sibi esse abstinendum. 2° Etiamsi dogmaticum simul et erroneum suis in epistolis edidisset decretum Honorius, evidenter quoque ostendimus, nullo modo dici posse ab Orientali aut Occidentali approbatum illud esse Ecclesiâ : quâ ratione igitur ex facto Honorii probabiliter inferri possit, errori esse obnoxium decretum à Romano sancitum pontifice, universis tanquàm credendi regulam propositum Ecclesiis, atque à majori notoriè episcoporum numero approbatum ? Haud abs re videtur disceptationem de facto Honorii, appositâ Cardinalis de Byssi observatione absolvere : nimirùm inveniri theologos qui litteras Honorii contendant esse dogmaticas (quod quidem si intelligatur sensu proprio et à nobis exposito, manifestè falsum est), alios autem qui errore Monothelitarum illas implicari existimaverint : et nullum inter Catholicos reperire est, qui docuerint hæc duo simul conjuncta, nempe, et epistolas illas vim obtinuisse decreti dogmatici, et majoris episcoporum partis suffragio fuisse munitas, tametsi

haberentur veneno contaminatæ Monothelismi.

CAPUT IV.

DE TACITO EPISCOPORUM CONSENSU.

Episcoporum doctrinam aliquam approbantium aut reprobantium duplex distinguitur consensus; solemnis unus, et alter tacitus : *solemnis* ille appellatur, qui mandatis episcoporum, synodorum decretis, aliisve juridicis monumentis vel publicis actis declaratur ; *tacitus* vocatur ille quo prolatæ à summo pontifice, aut ab aliquâ synodo definitioni, adhærere censeantur episcopi, licet ab eâ expressè approbandâ, alii aliis de causis abstineant. Quos hìc revincere animus est, ex illis multi à consensu non solemni vim approbationis eximendam esse, haud videntur contendere, modò factis et inolescente usu palam approbatio illa innotuerit : ut puta si approbatæ in definitione propositiones inserantur catechismis, personent cum plausu in scholis, debitisque plectantur pœnis, qui contradixerint. Probandum suscipimus vim consensûs et approbationis obtinere posse ipsum episcoporum silentium, imminente nimirùm catholicæ periculo fidei : ut illa magni momenti quæstio ad eam quæ caput est speciem statim revocetur, asserimus, definitionem dogmaticam à Romanâ profectam sede, ad universas directam Ecclesias, sufficienterque propositam, censeri ab episcopis approbatam hoc ipso quòd non reclamaverint; eamdem itaque pro irreformabili Ecclesiæ decreto esse habendam.

Probatur 1° : Fieri non potest ut adducto verum in discrimen deposito fidei, et fidelibus impendente proximo errandi periculo, non reclamet ordo episcopalis; tum enim Ecclesia docens desineret esse *columna et firmamentum veritatis ;* adversùs Ecclesiam prævalere possent torpentibus metu vel inertiâ pastoribus, inferorum portæ : tum verò manifestum in discrimen adduceretur fidei depositum, ac fidelibus impenderet proximum combibendi periculum erroris, cùm prolato à sede Apostolicâ, quod absit, erroneo decreto sufficienterque proposito, tacerent episcopi, nec commissos greges curarent à venenatis pascuis avertere : neque enim ut obrepat et progrediatur spiritus erroris, necesse est, conspiratione ut expressâ ipsum promoveant pastores Ecclesiis regendis præpositi ; indormientibus operariis quid prohiberet seminari in agro patris familiâs zizania? Id muneris in se recipiunt hostes fidei, ut modò non obstent qui invigilare et obsistere pro viribus debeant, novitatis commenta, quàcumque possint, diffundant; at immemor non est promissionum Christus, nec summâ quæ sibi in cœlo et in terris data est, destitutus potentiâ, ut patiatur tam exitioso sopore illos corripi, quos divinæ constituit custodes revelationis. Dùm enim sic alloquebatur Apostolos : *Euntes docete omnes gentes,* etc. *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* non pollicitus est duntaxat sese Apostolis eorumque hæredibus adfuturum, ut rectè doceant quamdiù docebunt, sed etiam ut doceant, quoties eorum documentis opus erit ad incolumitatem fidei ; tam latè patet promissum Spiritûs sancti subsidium, quàm officium docendi necessarium : ut approbando errore, ita deserendâ veritate crearetur à pastoribus maxima pernicies Ecclesiæ, quæ sine verâ et externâ fidei professione, sine pastorali quo propulsetur error, ministerio vigere aut consistere nunquàm potest ; hinc appositè dictum à S. Augustino : « Ecclesia Dei quæ sunt contra « fidem vel bonam vitam nec approbat, nec « tacet, nec facit. » Epist. 55 ad Januarium, aliàs 119. 2° In moralibus, cooperari censentur non solùm *positivæ*, ut aiunt, mali incumbentis causæ, seu qui facto aut verbo in illud efficaciter influunt, sed et quicumque operam ad prohibendum et amovendum damnum conferre possint ac debeant, nec tamen obsistant: quin autem teneantur episcopi, grassante errore, et periculum importante fidei, impendere operam et obstare quantùm valeant, dubitari non potest : hùc advocandum est effatum illud Felicis III, tanquàm axioma in jure consecratum : « Error cui non resistitur, ap« probatur, et veritas cùm non defensatur, op« primitur. » Eumdem in sensum ad episcopos Galliæ scripsit S. Cœlestinus : « Timeo, inquit, « ne connivere sit hoc tacere; in talibus cau« sis, non caret suspicione taciturnitas, quia « occurreret veritas, si falsitas displiceret : me« ritò namque causa nos respicit, si silentio « faveamus errori. » Meritò itaque et prudenter persuasum habebunt fideles, ab illis qui taceant episcopis, approbari decretum, quod à summo emissum pontifice, universis de more propositum sit Ecclesiis ; eidemque interiùs et exteriùs obsequentur, cùm suis teneantur adunari pastoribus, doctrinam respuere ab illis reprobatam, tum doctrinam suscipere, quam ab eisdem susceptam esse crediderint; eam itaque amplectendo si aberrent, nonne ipsum in Christum refunderetur error, qui tanquàm semetip-

sum audiri præcepit quos gubernandæ præposuerit Ecclesiæ?

3° Summam ille Christo irrogaret injuriam, qui jactaret, eum esse ab eo præstitutum in condendâ Ecclesiâ suâ ordinem, ut necessitate fideles constringantur, vel impingendi in errorem verbo Dei contrarium, vel de suis episcopis pravè ac nefariè judicandi; alterutrum necesse est consequi, positis adversariorum principiis: fac enim editum esse à summo pontifice decretum à fide alienum, idemque orbi catholico pontificiâ auctoritate propositum; fac etiam, tacere episcopos elapso licet explorandæ veritati necessario ac prorsus sufficiente tempore: tum si judicent fideles ideò tacere ordinem episcopalem quia decreto consentiat, necesse est ut ad errandum inclinentur, ne suos duces ac pastores deserant; si verò judicent improbari quidem ab ordine episcopali illud decretum quamtumvis non reclamet, aut eumdem de inquirendâ veritate non laborare: nonne à charitate et æquitate tam sinistrum judicium abhorreat? Notum est illud juris pronuntiatum: *Nemo præsumitur malus nisi probetur.* Id maximè locum obtinet ubi de præpositis judicarent subditi: ut quid ergo in tam gravi negotio, episcopos à suo munere et officio deficere, arbitrarentur ac decernerent populi? 4° Propter primatum, habendus est, et jure quidem divino, catholicæ communionis centrum Romanus pontifex: dogma istud illi non inficiantur, quos hìc impugnamus: Romanam ad sedem necesse est, ut latiùs exponetur, confluere omnes Ecclesias: ad eamdem ex omnibus orbis partibus referuntur perpetuâ traditione, spectantia divinam ad fidem communemque disciplinam negotia: « In fideï quæstionibus, præci-« puas summi pontificis esse partes, ejusque « decreta ad omnes et singulas ecclesias perti-« nere, » profitentur præsules Gallicani, ipsâmet declaratione ann. 1682. Talibus in causis vim legis obtinere judicia illius, pro certissimo tenendum est, quamdiù Ecclesiæ universalis auctoritate emendata aut rescissa non fuerint: ideòque si fortè, quod absit, decretum à summo pontifice emitteretur sanæ dissentaneum doctrinæ, reclamaret utique inaccessa errori, aut iniquæ assentationi Ecclesia, providente Deo, ad avertendam periclitantis ruinam aut labem fidei: ergo non patitur Ecclesiæ constitutio, ut apostolicæ doctrinæ adversetur decretum prolatum à Romano pontifice, ab episcoporum parte approbatum, cæteris obmutescentibus: eòque advocandum est probatissimum illud Bossuetii pronuntiatum: « Quocumque « modo fiat, ut Ecclesia consentiat, transacta « planè res est: neque fieri potest unquàm, ut « Ecclesia Spiritu veritatis instructa, non re-« pugnet errori. » Defens. declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 3, cap. 2.

5° Factis authenticis quibus declaratur Ecclesiæ sensus, ostenditur, eorum qui taceant episcoporum silentio, approbata censeri jure ac meritò, judicia quæ ab aliis cum Romano pontifice consentientibus episcopis expressè confirmantur; in exemplum afferri potest celeberrima quæ prodiit adversùs Pelagianam hæresim definitio, sub pontificatu Innocentii I: « Jam de hâc causâ, inquit S. Augustinus, duo « *concilia* (nempe Milevitanum et Carthagi-« nense) missa sunt ad sedem Apostolicam: « inde etiam rescripta venerunt. Causa finita « est: utinam aliquando finiatur error! » Serm. 131, aliàs 2, de Verbis Apostoli. Arbitratur ergo S. Augustinus, et securè pronuntiat, irreformabilem habendam esse latam ab Africanis episcopis contra Pelagianismum sententiam dogmaticam, à summo pontifice confirmatam, cæteris per orbem non reclamantibus Ecclesiæ præsulibus. Quin et istam Pelagianæ hæresis condemnationem ita commemorat ipsemet Quesnellus, ut episcoporum silentio vim illam attribuat, quam propugnandam suscepimus: hæc ejus verba ponderentur: « Le reste des Eglises « du monde s'étant contenté de voir entrer en « lice les Africains et les Gaulois, et d'attendre « ce que le Saint-Siége jugerait de leur diffé-« rend, leur silence, quand il n'y aurait rien de « plus, doit tenir lieu d'un consentement géné-« ral, lequel, joint au jugement du Saint-Siége, « forme une décision qu'il n'est pas permis « de ne pas suivre. » Tradition de l'Eglise Romaine, tom. 3, p. 330. Fatentur ultrò illi, quos adversantes nobis dolemus, innixum esse auctoritate cui reluctari nefas, tum judicium quo profligata est hæresis Molinosi, tum etiam decretum quo proscriptus est error illustrissimi de Fenelon: quorum tamen judiciorum vacillaret imò et corrueret auctoritas, nisi episcoporum silentio adscribenda sit vis illa quam asserimus, significandæ eorumdem approbationis. Idem statuendum de judiciis quibus ab Innocentio XI et Alexandro VII multæ proscriptæ sunt laxioris ethicæ propositiones.

6° Propositæ à Romanâ sede fidelibus dogmaticæ definitioni, episcoporum pars consensu

expresso adhæreat, cæteris eo numero tacentibus qui referre censeatur ordinem episcopalem, quid obstabit quominùs irreformabile habeatur illud decretum ? Accommodatum est ad captum populorum positum illud in silentio episcoporum approbationis genus : non eruditione, non sagaci ingenio opus est ut divulgatâ constitutione pontificiâ dignoscatur utrùm obsistat necne episcopalis ordo : nec ferè diuturniori opus est temporis intervallo ad tacitum, quàm ad expressum comperiendum consensum : quòd autem tum pontificis de quo agitur decreto consentire censeantur episcopi, dùm silent, id probè ac facilè intelligere possunt ipsimet illitterati, cùm animis omnium insideat, aut spontè illabatur axioma illud Felicis III axioma, *error cui non resistitur* (ab illis præsertim quibus concreditum est fidei depositum) *approbatur*. De illo effato præstat audire quid tradiderit illustriss. Bossuetius : « Quod inquit, à Felice III, in causâ fidei primò « pronuntiatum, deinde in iisdem causis ab « ejus successoribus, et ab omnibus doctoribus « magno consensu frequentatum est. » Defens. declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 1, cap. 1. Eumdem in sensum dictum est à Petro Aurelio (Abbate Sancyrano) : « Consentiunt, « dùm publicè laboranti atque oppressæ veritati « non succurrunt qui debent, et qui ad hoc « potissimùm in Ecclesiæ tribunalibus collocati « sunt : ergo cùm quiescunt probant, cùm patiuntur decernunt, cùm tacent clamant. » Idem quibusdam interpositis, adjicit : « Hæresum plerarumque damnationes non semper « expressâ et præscriptâ Ecclesiæ totius consensione firmatas atque auctoritate fuisse ostendimus. » Effutientibus igitur nonnullis hanc esse mentem cleri Gallic., ut ad conciliandum apostolicis constitutionibus absolutum obsequium, expressa requiratur corporis episcoporum approbatio, haud mirum est propulsatam esse ab undecim partim archiepiscopis, partim episcopis, et cardinali Noalio calumniam istam, nomine generalium cleri comitiorum anni 1705, ab iisdemque declaratum, « nullam ex condi« tionibus necessariis ad obligandam totam « Ecclesiam deesse constitutionibus adversùs « Jansenium, Baium et Molinosum latis. »

Refelluntur objecta. — Objicies 1° : Quamvis à summo pontifice fidelibus proposita esset heterodoxa quædam doctrina, ejusque decreto palam adhæresceret pars non exigua episcoporum, aliis præter paucos, tacentibus, non idcircò jaceret atque intabesceret veritas : hæc enim paucorum illorum reclamatione et constantiâ sustentari posset, atque in tuto collocari : invictâ eorum fortitudine, et invictis quæ congererent auctoritatis rationumque momentis, contineretur intra fidei limites populus christianus, temperaretque saltem ab interno et absoluto obsequio, donec offusæ pastorum mentibus tenebræ fugarentur, irradiante, præjudiciis antea et cupiditatibus obrutâ veritate.

Resp. : Ecclesiæ pastorum consensioni et unioni alligatam voluit Christus infallibilitatem : hanc autem consensionem si avertere aut dirimere censeatur paucorum dissidentium resistentia, ergo pendebit donum illud inerrantiæ à paucorum consensu vel dissensu, quos errori esse obnoxios nemo unquàm ausus est inficiari : ergo quidquid agendum decernant, aut credendum definiant partim expressè, partim tacitè, consentientes capiti suo episcopi talia nutabunt decreta, modò pugnaciter quidam ea vellicare nitantur, se ipsos quidam amantes, elati, superbi, de quibus dixit Apostolus : *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*, 2 ad Tim. c. 3. Pelagianæ hæresi deditos esse noverat S. Augustinus 17 episcopos, nec minùs fidenter, post confirmata Romæ duo Africana concilia, quibus assentiebant silentio suo, dispersi per orbem episcopi, scribebat : *Causa finita est*, nec ullam aliam profitebatur offerri Pelagianis salutis viam, nisi ut competenti parerent et ineluctabili judicio. Auctoritate dijudicari et componi exortas de fide controversias, cùm Christo Domino placuerit, ut invictè demonstratum est, cæcutiat necesse est, qui non perpexerit, episcoporum potiùs multitudini summo adunatæ pontifici, quàm paucis discolis, quos auctoritate evidenter superat, obsequendum esse et adhærendum ?

Objic. 2° : Esto factis enuntiari possit tacitus episcoporum consensus, ut puta, si dogmaticum cui assentiantur judicium, publicis admisceatur institutionibus ; si pœnas luant qui vel illud redarguere, vel saltem debitum eidem obsequium denegare audeant, at silentium per se solum, non exhibet certam sinceræ assensionis notam : tacendi enim plures obversari possunt causæ, etiamsi decretum aliquod circumferatur à Romanâ prolatum sede, quod ab evangelicâ veritate abludat : tacere enim possunt episcopi œconomiæ causâ, ne periculosè diversis innotescant regionibus, ignota illis feliciter errorum quæ damnata sint figmenta; tacere possunt præ metu à tribunalibus inquisitionis incusso; tacere possunt ex

assentatione et augendæ studio fortunæ ; vel etiam quia nonnullis commoveantur dubiis quæ suam antequàm aperiant mentem, excutere maturiùs voluerint : silentium quoque inducere potest præjudicata pontificiæ infallibilitatis opinio. Quid igitur certi erui possit oblatis tot causis tacendi à vero consensu disjunctis ?

Resp. : Pluribus ostensum est argumentis nullâ unquàm de causâ posse contingere, ut imminente proximo apostolicæ fidei periculo, et vocatâ in illius abjiciendæ discrimen societate fidelium, ordo episcopalis non occurrat errori ; tale autem periculum, tale discrimen manifestè immineret tacentibus tunc episcopis : ergo neque œconomiæ obtentu, neque cupiditatis illecebrâ aut ambitionis impulsu, aut ullo adversi casûs timore, nec ipsâ pontificiæ infallibilitatis opinione fieri potest ut periclitanti et laboranti desint aliquando fidei : tum enim promissionibus suis deesset ipse Christus, qui non *conditionatè*, sed *absolutè* pollicitus est nunquàm eventurum, ut contra Ecclesiam prævaleat error, et sic abrumpatur apostolicæ fidei professio. Sicut nullâ unquàm ratione ad profitendum errorem inflecti potest, Romano præsertim conjunctum pontifici, corpus pastorale, ita nec à veritatis in periculum adductæ præsidio et defensione avocari : ut enim si doceatur error, ita si deseratur veritas, perinde dispereat necesse est fidei depositum, pariterque infringantur oracula quæ *absque restrictione* temporis aut impedimenti spondent Ecclesiæ invictam perpetuamque tutelam et securitatem : quis autem futurum negaverit ut impenderet gravissimum et Ecclesiæ damnum, et divinæ revelationis thesauro dispendium, si quando episcoporum alii cum suo capite errori expressè assentirent, et interpositâ auctoritate suâ velificarentur ; aliis quasi lethali detinerentur veterno, veritatem funesto prementibus silentio ? Varias effingere si liceret excusationes quibus à reclamando dimoverentur, ingruente fidei periculo episcopi, tum sanæ osores doctrinæ, alii alias comminiscerentur ad excutiendum palam, quod animo detrectaverint, jugum obsequii ; nec ulla ferè de Religione controversia posset componi dispersæ auctoritate Ecclesiæ. Quod postulatur in objectione, ut factis declaretur episcoporum illorum consensus qui Romani pontificis decretum aliquod *solemniter* non acceptaverint, abundè jam probatum est, ipsorum consensum vel solo posse sufficienter innotescere silentio : accedit etiam, quòd eorumdem multi prudenter vereantur, ne *solemni* acceptatione notos facerent quibusdam in regionibus errores, quos ibi satius sit penitùs ignorari.

Objicies 3° : Juris ipsius adversatur principiis vis illa quæ silentio quandoque adscribitur significandi consensûs et suffragii : en juris probata regula : « Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur. » Graves à clero Gallicano inustæ sunt notæ duabus propositionibus, quæ in causis ad Religionem pertinentibus, vim prædictam declarandæ approbationis tribuunt episcoporum silentio. Propositio 130, inter damnatas à nostris præsulibus anno 1700, hæc est : « Opinio debet « censeri probabilis, dùm non constet rejectam « esse à sede Apostolicâ, tanquàm improbabilem. » Propositio 121 : « Non sunt scandalosæ aut erroneæ propositiones, quas Ecclesia « non corrigit. » A clero Gallicano sic duo illa perstringuntur placita : « Hæ propositiones quatenùs silentium et tolerantiam, pro « Ecclesiæ vel sedis Apostolicæ approbatione « statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ ; patrocinantes pessimis opinionibus, quæ identidem obtruduntur, atque « ad evangelicam veritatem iniquis præjudiciis « opprimendam, viam parant. » Ergo approbationis loco haberi non posset episcoporum silentium, emergentibus de doctrinâ controversiis, quin et saluti animarum et veritatis incolumitati, exitiosa ut plurimum procrearentur inde pericula.

Resp. : Juris inter principia, ut legere est : *Is qui tacet non fatetur*, ita statuitur ex adverso : *Qui tacet consentire videtur*. Specie tenùs, non reipsà inter se repugnant duæ istæ juris regulæ : optimè cohærent, modò ut par est, de diversis intelligantur rerum adjunctis, seu diversâ ratione : *Qui tacet non fatetur* : quandò ut loquatur, nec impellitur officio, nec aliunde suâ referre meritò judicaverit : at *qui tacet consentire videtur*, quando ut reclamet, postulat vel injunctum illi munus, ac rei ipsius approbandæ vel improbandæ natura. Duabus in propositionibus, censurâ cleri Gallicani profligatis, agebatur de libro junioris seu moderni auctoris, cujus doctrinam enuntiabant tamdiù esse probabilem, quamdiù non constaret, eam esse rejectam à sede Apostolicâ, tanquàm improbabilem : id patet ex propositionis inter damnatas vigesimæ expressis verbis : « Si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet opinio censeri probabilis dùm

« non constet rejectam esse à sede Apostolicâ « tanquàm improbabilem. » Ex eo quòd non teneatur Ecclesia, ut reipsà non tenetur, ullâ necessitate decernendi, de junioris ac moderni auctoris alicujus opinionibus, vel quibusdam quæstionibus inter theologos controversis, quæ publicum scandalum et periculum fidei proximum non pariant, an indè consequitur, officio reclamandi non fore obstrictos episcopos, si ab Apostolicâ sede prolatum omnibusque propositum Ecclesiis decretum, regulis fidei repugnaret? Nonne, ut asseruimus, tunc deficeret à propriâ suâ constitutione Ecclesia? Nonne corrueret necessarium ipsi docendi ministerium, atque frustraretur, in quam totum illud incumbit Christi Domini promissio? Idem statuendum, si particularibus à synodis condita quæ ad fidem, moresve pertineant decreta, Romani confirmentur auctoritate pontificis, episcoporumque alii expressum exhibeant consensum, aliis non reclamantibus : hujusce assertionis insignia subministrant argumenta, tum Africanæ duæ synodi quibus proscriptus est Pelagianismus, à sancto Augustino commemoratæ, tùm Arausicanum concilium secundum : synodorum illarum exemplo manifestè perspectum est quid valeat tacitus ex silentio episcoporum illatus consensus.

Appendix,

DE PROVINCIALIBUS AD COMPONENDAS DE FIDE AC MORIBUS CONTROVERSIAS, SYNODIS.

Opportunas atque perutiles pertractandis ejusmodi causis provinciales synodos, ultrò confitemur, optandumque ut ad instaurandam efficaciùs disciplinam ecclesiasticam, promovendumque defendendæ fidei studium, frequentiùs illæ haberentur : at non posse aliter exeri dispersæ infallibilitatem Ecclesiæ, quàm celebrandis per orbem catholicum provincialibus conciliis, id tandem anxiâ mente excogitatum fuit, ut immota eludantur decreta, quibus error omnem in partem versatilis obruitur.

Multis refelli possunt talis commenti auctores ac patroni : 1° constanter insistendum tutâ in arce jam assignatâ : absolutis nempe et omni restrictione vacuis Christi promissionibus, munitur ac vallatur Ecclesia : judiciis illius ita est obsequendum, ut si quæ conditio in eis desiderari videatur, eam conditionem tum credatur non fuisse necessariam, ideòque potuisse prætermitti, absque ullo promissæ infallibilitatis detrimento. 2° Demonstratum est positam esse in episcoporum consensione et cum suo capite, Romano pontifice conjunctione, illam quæ probata sit omnibus Catholicis, vim et efficaciam dogmatici decreti : invicta est, quocumque modo exeratur, illa consensio et conjunctio : id multifariè inculcatum commendatumque est ab illustriss. Bossuetio, « semel, inquit, constituto hoc certo dogmate, « vim illam ineluctabilem unitate et consensione constare, id quoque valere, quocumque modo se illa consensio declaraverit, sive « concilia congregentur, sive non congregentur. » Defens. declar. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 14, cap. 1. 3° Damnata cùm fuisset Pelagiana hæresis, nullo extra Africam habito concilio, ita conquerebantur teste sancto Augustino Pelagiani : « Simplicibus « episcopis sine congregatione synodi in locis « suis sedentibus extorta subscriptio est. » Quid ad hanc propulsandam querelam respondet S. doctor? Summa ejus responsionis quam integram retulimus, hæc est, plurimas fuisse absque synodis proscriptas, compressasque hæreses. Hoc idem testantur annales Ecclesiæ : « Sexcentæ quippe hæreses ante Nicænam synodum, ut refert doctissimus Thomassinus, exortæ oppressæque sunt, aut « particularibus synodis, aut solâ Ecclesiarum « sine synodis consensione. » Tum pergit : « Consule Eusebium, lib. 3, cap. 26, 27, 28, « 29; Menandrum, Ebionem cum gregalibus « suis perspicies proscriptos, citra synodos, « solâ apostolicæ fidei in Ecclesiis conscientiâ : et lib. 4, adversùs Saturnini et Basilidis « aliorumque in dies pullulantium impietatem, « nullæ coalescunt synodi; sed Ecclesiæ per « universum orbem, instar clarissimorum siderum fulgent, et viget in omne genus hominum fides Christi. » Neque solùm historica Thomassinus indicat monumenta, quæ protritas absque synodis hæreses fuisse quàm multas testificantur; quibus rationibus potuerint ita condemnari, disertè subjicit : « Universum « enim, inquit, ex Scripturarum Patrumque « concentu liquidissimum est Ecclesiæ ipsi « desponsatam, oppignoratamque esse à Christo « fidei veritatem inconcussam, sive illa in synodos confluat, sive per epistolas consultet, « sive silentio antiquitatis et traditionis retentissimo novitates diluat; nec enim ante synodos errat Ecclesia, et in synodis canit palinodiam : neque si prohibeantur synodi « hostili vi aliquâ, in errorem unquàm dilabetur columna veritatis : nec synodus tantùm,

« sed Ecclesia ipsa ante synodos et sine syno-
« dis, in nomine Christi congregata est (prop-
« ter unitatem et consensionem), et in medio
« suî habet Christum, et Spiritûs sancti ora-
« culum. » Thomass. dissert. quartâ de Conci-liis. 4° Rariores et penè nulli, nisi provecto secundo seculo coacti memorantur episcoporum conventus : nec ulla in historicis appellatur synodus, quæ habitas in causâ Montanistarum ann. circiter 18 synodos præcesserit. Vide Thomassinum citato loco, et Tillemondum, tom. 2 Hist. Eccles., pag. 460. A Nicæno primùm concilio, deinde ab Antiocheno et Africanis præscriptum est, ut unoquoque anno bis haberentur synodi provinciales : quantùm sapienti illi præscripto derogatum sit ; quàm penè exoleverit synodorum illarum celebratio ; quot illi passim apponantur impedimenta, et quo infelici exitu, nimiùm constat : at inde colligitur quàm deplorata foret Ecclesiæ universalis, fluxisque imposita fundamentis ipsius inerrantia, sî exercere illam non valeret, nisi haberentur synodi variis in orbis catholici provinciis. 5° Quæcumque attulimus argumenta quibus ostendatur qualem vim obtinere possit tacitus episcoporum consensus, eisdem quoque evincitur, ad irreformabilem Ecclesiæ judiciorum auctoritatem, non semper requiri provinciales, sicut nec generales synodos, quamvis, ut liquet, istis illæ multò extiterint frequentiores.

Objicies : Arduæ non rarò exsurgunt controversiæ, quarum perspicua et à præjudicatis expedita opinionibus definitio comparari non possit, nisi congrediantur episcopi, et quæ custodienda susceperunt sanæ doctrinæ promptuaria, sedulò sollicitent, si minùs generale in concilium, provinciales saltem in synodos coacti : id genus deliberationum postulat ratio disceptandarum litium ; hinc in concilio generali quinto hæc leguntur : « Certò constituto « quod in omnibus disceptationibus, cùm pro-« ponuntur quæ ex utrâque parte discutienda « sunt, veritatis lumen tenebras expellit men-« dacii : nec enim potest in communibus de « fide disceptationibus aliter veritas manife-« stari, cùm unusquisque proximi adjutorio « indiget. »

Resp. : Similem prorsùs objectionem multis confutavimus argumentis, negandâ et refellendâ concilii generalis confictâ necessitate ad dirimendas difficiles quascumque explicatu et solutu de Religione controversias. hortamur, ut hæc, si vacat, attentè relegantur : unum duntaxat et alterum tantummodò adjiciemus : habitâ ratione jactati ab adversariis placiti, vacillabit, nec certam faciet fidem decretorum quæ à sede Apostolicâ dispersam ad Ecclesiam derivata sint, auctoritas, nisi majori saltem in parte provinciarum orbis catholici, celebrentur concilia : ergo nutabunt sedis Apostolicæ de quinque famosis propositionibus decreta, quibus absque synodis provincialibus consenserunt tot disseminati per orbem episcopi : ergo ab Ecclesiæ judiciis eximenda erit definitio, quâ proscriptæ sunt extractæ propositiones ex libro cui titulus : Maximes des Saints ; ad hanc enim suscipiendam et comprobandam, nullæ extra Galliam habitæ sunt provinciales synodi. Quod verò attinet ad synodi quintæ generalis citatam declarationem, loquebantur illius concilii Patres de quatuor prioribus conciliis œcumenicis, de quibus ante objectata verba dixerant : « Sancti Patres qui per tem-« pora in sanctis quatuor conciliis convene-« runt, antiquis exemplis utentes, communiter « de exortis hæresibus et constitutionibus « disposuerunt. » Porrò quatuor in illis conciliis agebatur de dogmatibus apud omnes Catholicos receptis et publicâ fidei professione consecratis : nimirùm de Verbi et Spiritûs sancti divinitate, de personæ in Christo unitate, de duabus in eodem distinctis naturis : quæ doctrinæ christianæ fundamenta constanti traditione haberentur. Talibus igitur exemplis, si valeret objectio, probatum esset non posse ullam absque synodis, quantùmcumque apertam, et catholicâ fidei professione jam perpetuò consignatam doctrinam dijudicari. Quod penitùs absonum.

CAPUT V.

UTRUM ET QUOMODO EX CONSUETUDINE ET TRADITIONE PRACTICA CERTO COLLIGI POSSIT QUÆ SIT ECCLESIÆ, TENENDA DOCTRINA.

Hâc in tractandâ quæstione, tria præstare constitutum nobis est, quorum vel solâ expositione innotescet maxima utilitas : 1° quædam præmittemus adnotanda, certaque principia, ex quibus tota vis pendet et intelligentia propositæ disceptationis : 2° ponendis ex principiis derivabitur, suisque auctoritatis rationisque momentis munietur fundamentalis assertio : 3° necessariis inde consecutionibus astruentur, seu confirmabuntur, doctrinæ quædam capita, quorum nonnulla quibusdam, catholicæ licet addictis communioni, parùm firma immeritò videantur.

Adnotanda et principia quæ ad explanandum controversiæ statum, assertionisque jacienda fundamenta pertineant.

Aliæ sunt consuetudines, seu traditiones practicæ, quæ licet utiles meritò habeantur, et cum pietate congruant, simplicis tamen *convenientiæ* limitibus continentur : ideò mutari vel aboleri, aliisque possunt utilitate et opportunitate, aut æqualibus aut præstantioribus compensari : apta hujusmodi plura suppetunt exempla in tractatu de Perpetuitate fidei, tom. 1, lib. 10, cap. 7. Sic prioribus Ecclesiæ seculis, in conspectu omnium non proponebatur augustissimum Eucharistiæ sacramentum : illius postea palam oculis subjiciendi inolevit mos et inveteravit : manibus olim illud sacram ad mensam excipiebant fideles, nudis quidem viri, obtectis velo, feminæ : nunc laicis ne tam venerandum sacramentum contrectent manu, interdictum est : idem sub utrâque specie sumere solebant : statutum est deinde sacro ut in convivio, unâ reficerentur sub specie : laudabiles in semetipsis habentur sub diversâ ratione, rectisque consonantes institutis, diversæ illæ consuetudines, seu traditiones practicæ, quibus alias, si opus foret, in promptu est annumerari : divino licet jure non sint præstitutæ, quamdiù tamen vigent, illis est obtemperandum. Verùm aliæ sunt consuetudines, quæ cùm sint necessariæ divinamque ad institutionem referendæ, neque repudiari possunt, neque contrariam in partem inflecti : tales sunt quæ cum dogmate ita sunt devinctæ, ut ab illo divelli nequeant : hoc in genere consuetudinem seu practicarum traditionum, versatur proposita quæstio : hùc spectat consuetudo administrandi infantibus baptismi, abstinendi ab iterando, quamvis ab hæreticis collatum fuerit, regenerationis illo sacramento, etc.

Jam quædam hic spontè occurrunt habenda semper ob oculos principia : primum : « Quæ « sunt contra fidem aut bonos mores, Ecclesia « nec facit, nec tacet, nec approbat : » ex sanctitate, et infallibilitate Ecclesiæ, commissâque illi divinitùs custodiâ sacri evangelicæ doctrinæ depositi, consequitur necessariò verissimum illud effatum S. Augustini. Secundum suppeditat idem S. doctor arctissimè cum priori conjunctum, scilicet : « Quod universa « frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit « disputare, insolentissimæ insaniæ est. » Quis nisi projectâ correptus temeritate audeat, de auctoritate, sapientiâ, aut veritatis studio contendere cum ipsâmet universali Ecclesiâ? Tertium : Regente Spiritu sancto fieri nunquàm potest, ut disseminatæ catholicum per orbem Ecclesiæ consentiant in consuetudinem consectandam, quæ erroneâ inficiatur doctrinâ : eò sanè revocari potest usurpatum istud à Tertulliano præscriptionis caput ; ecquid verisimile est ut « tot ac tantæ Ecclesiæ in unam « fidem erraverint? » de Præscript. capite 28. Quartum : « Temporis quodlibet spatium « afficit Ecclesiæ indefectibilitas, et eidem con« cessum inerrantiæ donum : » ad singulas durationis illius partes referuntur celeberrimæ, quibus ipsa tota innititur, Christi Domini promissiones : hinc statim atque compertum est, aliquam approbari ab Ecclesiâ consuetudinem, cum dogmate indivulsè conjunctam, discussione jam opus non est : hoc ipso enim indubitanter innotescit, consuetudinem illam nunquàm potuisse ab Ecclesiâ reprobari, eamdemque ab Apostolis et ab ipso Spiritu deductam, qui veritatem omnem doceat.

His prælibatis adnotationibus et principiis, ultrò consequitur generalis hæc propositio : *Ex consuetudine seu traditione practicâ, notoriâ, firmiter et apertè cum dogmate connexâ, quam universa moraliter Ecclesia censeatur approbare, certò colligitur tenenda doctrina.* Probatur ex primo principio : *Ecclesia,* ut dictum est, *quæ sunt contra fidem aut bonos mores, nec tacet, nec facit, nec approbat.* Quò recideret illud nullâ unquàm delendum oblivione pronuntiatum, si posset Ecclesia præceptione aut suffragio, fovere, obfirmare, ac veluti consecrare, erroneâ infestam doctrinâ consuetudinem? Vel enim cognoscere non posset, consuetudinis illius necessariam cum errore connexionem, vel minimè laboraret de vindicandâ et servandâ doctrinæ aut morum integritate : hoc utrumque quantùm ab Ecclesiæ constitutione et proprietatibus abhorreat, nemo diffitebitur, qui jam illi inimicitias non indixerit. Ex secundo principio : *Quod universa frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Fac autem pro concesso haberi, posse Ecclesiam id amplecti ac promovere consuetudinum genus, quod perniciosi erroris veneno fidelium mentes inficiat, numquid illi insaniæ forent arguendi, qui tum dubitarent saltem, utrùm incunctanter suscipienda et firmiter retinenda foret omnis agendi ratio, quam ipsa frequentaret Ecclesia? Ex tertio principio : *Verisimile non est unam ut in*

doctrinam verbo Dei adversantem conspirent diversæ per orbem Ecclesiæ : hoc enim tum à diversâ hominum indole, et sentiendi ratione, tum maximè à promisso Ecclesiæ Spiritûs sancti præsidio alienum est : ergo invalescere non potest in diversis illis Ecclesiis conjuncta cum erroneo dogmate consuetudo ; ergo nec universali in Ecclesiâ, cùm eisdem ut ex partibus evidenter coalescat : « Tot et tantæ Ecclesiæ, aiebat Tertullianus, una est illa, ab « Apostolis prima ex quâ omnes : » hinc idem Tertullianus ad Ecclesiarum consensionem provocabat, illarum præsertim quæ matrices vocabantur : sicque statuebat « omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis matricibus et « originalibus fidei conspiret, veritati deputandam. » Lib. de Præscript. cap. 10. Eamdem præscriptionis viam ineundam duxerunt SS. Irenæus, Augustinus, etc. Ex quarto principio : *Ad ætatem omnem Ecclesiæ referenda est ipsius indefectibilitas et inerrantia.* Illud cùm ad ejus constitutionem, ut probatum est, pertineat, nullo potest temporis intervallo dissipari, aut intercidere : eamdem obtinet ac semper obtinuit auctoritatem ac infallibilitatem episcopalis ordo, quam sibi ut pastores Ecclesiæ vindicârunt Apostoli : atqui orthodoxus nemo futurum fuisse putaverit, ut approbarent consuetudinem Apostoli, quæ revelatæ doctrinæ repugnaret : tali ergo consuetudini nunquàm potest Ecclesia suffragari. De consuetudinum quarumdam robore consulatur S. Augustinus, lib. 1 de Baptismo contra Donatistas, cap. 1 ; Enchiridii ad Laurentium cap. 109 ; de Peccato originali contra Pelagium et Cœlestium lib. 2, cap. 40 ; de Nuptiis et Concupiscentiâ ad Valerianum lib. 1, cap. 20 ; lib. contra Cresconium cap. 33.

Hactenùs ostendimus tenendam esse consuetudinem à dogmate indivulsam, cui indulgere et assentiri meritò censeatur Ecclesia : verùm ad hanc dignoscendam Ecclesiæ approbationem hæc plurimùm adjuvabunt : si nempe vituperatione digni vulgò habeantur, qui inductam consuetudinem insectari et lacessere audeant : si offensionem fidelium incurrant, qui ab eâ resilire non vereantur : si tanquàm agendi certa fixaque regula proponi soleat in Ecclesiæ regimine : talibus indiciis, ipsâque naturâ, progressu ac robore consuetudinis arduum non est, quid Ecclesia sentiat, quid præcipiat, secernere et assequi.

Exponuntur probatæ assertionis quædam speciatim consectaria.

Extra limites instituti excurrere si fortè videamur, dùm sigillatim excutiemus quæ illis objectantur consectariis, attendatur haud aliter posse illa opportuniùs vindicari, quàm si cum prædictis immotisque principiis accuratè conferantur.

CONSECTARIUM PRIMUM. — *Rebaptizantibus meritò S. Stephanus contrariam opposuit consuetudinem, tanquàm regulam quam sequi constanter oporteat.*

Prob. : De sacramento agebatur ad comparandam salutem prorsùs necessario : frequentissimè occurrebant qui baptizati apud hæreticos discederent ab eorum societate, catholicæ appetentes communionem Ecclesiæ : nôsse magni intererat, imò et semper oportuit, utrùm valeret indelebilemque imprimeret characterem, collatus ab hæreticæ societatis ministro baptismus. Ergo nec Apostolos neque ordinem episcopalem latere unquàm potuit, utrùm ab iterando hujusmodi baptismate, modò debitâ materiâ legitimâque formâ fuerit administratum, abstinendum sit : prohibenti itaque illius iterationem consuetudini, de quâ ante Agrippinum, unum ex prædecessoribus S. Cypriani, nulla invenitur dissensio, adhærebat universalis Ecclesia, nec tacere aut dissimulare potuisset, si talis consuetudo apostolicæ refragaretur traditioni. Hinc tantoperè vim illius inconcussamque auctoritatem commendat S. Augustinus. « Nondùm erat, inquit, diligenter illa baptismi quæstio pertractata, sed « tamen saluberrimam consuetudinem tenebat « Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et « hæreticis corrigere quod pravum est, non « iterare quod datum est : sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. quam « consuetudinem credo ex apostolicâ traditione « venientem, sicut multa quæ non inveniuntur « in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et « commendata creduntur. » Lib. 2 de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. Alia similia excerpere facilè est ex diversis S. Augustini elucubratis contra Donatistas operibus.

Dices : Tali consuetudine si omnes obligarentur, quâ ratione S. Cypriano religiosus totâ in Ecclesiâ cultus impenditur ? — Resp. : Hâc

de quæstione recurrunt quæ supra adhibuimus solvendis argutiis quibus impugnatur dispersæ infallibilitas Ecclesiæ : adjiciemus nonnulla diluendæ objectioni etiam propiora. Immunem fuisse tum ab hæresis, tum à schismatis labe S. Cyprianum ambigi non potest. Consuetudinis quæ ipsi opponebatur, vim, originem ac per orbem catholicum propagationem, satis compertam non habuit : nec ullo Ecclesiæ decreto dogmatico declaratus fuerat valor administrati ab hæreticis baptismi; quantùm autem à schismate abhorreret S. Cyprianus, patefaciunt tum liber quem de Unitate Ecclesiæ exaravit, tum epistolæ ipsæ quibus sententiam suam quàm acerrimè defendit totaque ejus agendi ratio, ut revincendis qui auctoritate illius S. Martyris tueri se conabantur, Donatistis, demonstrabat S. Augustinus. Gravem nihilominùs mortalemque incurrisset culpam contemnendâ et reprobandâ gravis profectò momenti consuetudine, quam ipsis objiciebat S. Stephanus, nisi bona quædam ipsi opitularetur fides, quæ ex ardenti quem præ se ferebat veritatis et unitatis amore, colligitur. Lethalem quidem incurrisset culpam, cujus naturam redarguendo erroris Rebaptizantium auctore sic expressit Vincentius Lirinensis Commonit. c. 9 : « Agrippinus Carthaginensis « episcopus, primus omnium mortalium, con« tra divinum canonem, contra universalis « Ecclesiæ regulam, contra consensum omnium « consacerdotum, contra mores ac instituta « majorum, rebaptizando censebat. Quæ præ« sumptio tantùm mali invexit, ut non so« lùm hæreticis omnibus formam sacrilegii, « sed etiam quibusdam Catholicis occasionem « præbuerit erroris. » Specie fallentibus rationum momentis detentus abstractusque S. Cyprianus, non satis attendit ad præjudicatæ quam induerat opinionis indolem pravaque consectaria : quid mirandum magis videatur, consuetudinis quâ urgebatur vim ac proprietates, non ut par est, habuisse perspectas S. Cyprianum, quàm ipsum arbitratum esse, non valere ministratum ab hæreticis baptisma, quia Spiritu sancto carerent, cùm tamen collati à peccatoribus catholicâ in Ecclesiâ baptismi valorem agnosceret ? quâ igitur consequentiâ sibi persuadere potuit iterandum esse hæreticorum baptisma? « Quod non rectè fieri, « inquit S. Augustinus, tanto viro nimirùm « propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia « et humilitas et charitas in custodiendâ Ec« clesiæ pace patesceret, eâque retinendâ « et humilitate et charitate, ad martyrii coro« nam meruit pervenire : ut si qua in ejus « lucidam mentem, ex humanâ conditione « nebula irrepserat, gloriosâ serenitate ful« gentis sanguinis fugaretur. » Lib. 1 de Baptismo contra Donatistas, c. 18.

Instabis : Testificante S. Augustino, nove« rat (Cyprianus) quantam sacramenti profun« ditatem tunc omnis Ecclesia variâ disputatio« ne versabat, liberumque faciebat quærendi « arbitrium ut examinata veritas panderetur. » Ibid. lib. 3, cap. 3. Ergo quâ innitebatur S. Stephanus consuetudo, nullam illa obligandæ conscientiæ vim per se ipsam obtinebat. — Resp. : Nullam si per se attulerit obsequendi necessitatem memorata consuetudo, ut quid eam improbantis S. Cypriani apologiam tantâ curâ contexendam curavit S. Augustinus ? ut quid eamdem consuetudinem tanto studio, tanquàm saluberrimam atque fideliter retinendam defendit ? Noverat procul dubio quanti eam servari ad salutis interesset negotium : « Quid sit autem perniciosius, inquit, utrùm « omninò non baptizari, an rebaptizari, judi« care difficile est. » Ibid. lib. 2, cap. 14. Noverat consuetudinem hanc tenuisse ipso S. Cypriani tempore Ecclesiam : « Consuetudinis « robore, inquit, tenebatur orbis terrarum, et « hæc sola opponebatur inducere volentibus « novitatem. » Lib. 1 contra Donatistas, c. 9. Cùm igitur à gravi peccato excusatum habuit S. Cyprianum, non ipsâ consuetudinis quam vindicabat naturâ, excusationem hanc innixam esse voluit, sed aliis quæ adduximus, momentis, instruendam putavit. Quod verò ait non satis tunc pertractatam fuisse et elucidatam quæstionem de baptismo hæreticorum, id non eâ mente asseruit, ut incertam ac dubiam tum fuisse illius consuetudinis auctoritatem indicaret, sed ut innueret nondùm satis fuisse expensa atque discussa consuetudinis ejusdem fundamenta, ad synodum usque plenariam, sive Arelatensem, sive Nicænam, cujus edito ac promulgato decreto, fuerunt dissipatæ, quæ Catholicorum multorum mentibus insidebant tenebræ, obfirmata, cui obstiterant, consuetudo, ejus in aperto collocata principia, et catholica cui inhærebat, veritas sic proposita, ut inter hæreticos postea deputarentur, qui professione hæresis irritari baptisma contenderent : hinc factum est quod sic enuntiat Vincentius Lirinensis : « O mira conversio ! « auctores ejusdem opinionis, Catholici, con« sectatores, hæretici judicantur : absolvuntur

» magistri : condemnantur discipuli, » Commonit. 1, c. 11.

Consectarium II. — *Matrimonium à duobus contractum infidelibus dissolvitur, cùm unus ex his, christianam amplexus fidem, secundas celebrat nuptias, altero vel cohabitare abnuente, vel non sine creatoris injuriâ parato commorari.*

Prob. : Manat istud consectarium ex principiis antea positis, assignatisque conditionibus ad consuetudinem et praxim quæ doctrinæ cum ipsâ conjunctæ veritatem certò indicare valeat.

1° Publica et notoria est praxis, de quâ nunc agitur : palam est diversis temporibus alia contraxisse matrimonia conversos christianam ad fidem multos infideles, viventibus licet uxoribus, quæ cohabitationem, vel quamlibet recusarent, vel nisi Religioni bonisve moribus infensam sponderent : hæc facta testari inprimis possent addicti infidelium regionibus operarii evangelici, quibus in pertractando causarum illo genere dirigendis, opportunas præstituerunt regulas Pius V et Gregorius XIII : eamdem praxim testificantur responsiones Congregationis de propagandâ fide, et Apostolicæ sedis ad postulata episcoporum et missionariorum; vide Benedicti XIV, de Synodo diœcesanâ, lib. 6, c. 4 : hinc Benedictus XIV de initis ab infideli converso secundis nuptiis, asseveranter sic loquitur : « Certum est infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem à Christo Domino « concesso, et per Apostolum Paulum, 1 ad « Corinth. c. 7, promulgato dissolvi, cùm con« jugum alter, » etc. Exponit deinde quandonam dirimatur. 2° Cum dogmate praxis commemorata arctissimè conjungitur : hæc enim si vim obtineat meritòque retinenda sit, confiteri necesse est dissolvi posse contractum in infidelitate matrimonium quamvis consummatum : quæ quidem assertio ad doctrinam evidentissimè pertinet. 3° Eadem praxis et consuetudo si veritate haut innixa foret, honestis manifestè adversaretur moribus, Religionisque christianæ sanctitati insigniter detraheret : adulterina foveret confirmaretque conjugia, dùm scilicet prioris matrimonii permanente vinculo, aliud attentarent conversi ad Christianismum infideles. 4° Praxim illam et consuetudinem certò approbat ipsamet Ecclesia : in eam comprobandam consentiunt omnes illi summi pontifices quorum hâc de re suppetunt responsa : conspirant canonistæ ac theologi, quantùmcumque varias, ubi diversimodè opinari liceat, sequantur opiniones, nec ullæ repugnant in orbe catholico Ecclesiæ.

Tam latè patentem et indubitatum illum consensum, cui refragari nefas, sic referunt Bellarminus : « Conjugum infidelium solvi posse « etiam quoad vinculum matrimonium, si alter « conjugum convertatur, et alter nolit ei cohabi« tare sine injuriâ creatoris, extra controversiam « est ex doctrinâ beati Pauli, si infidelis discedit, « discedat, et ex doctrinâ Ecclesiæ, » de Sacramento matrimonii, cap. 12. Estius : « Quòd « fideli non tantùm licitum sit dimittere con« jugem, cum quo sine Religionis injuriâ co« habitare nequit, verùm etiam eo dimisso « vivente aliud matrimonium contrahere, con« stans est theologorum et canonistarum do« ctrina, qui in eâ re secuti sunt sacros ca« nones et totius Ecclesiæ traditionem et « praxim. » In lib. 4 Sententiarum, dist. 37, p. 7. Gonetus, eâdem de assertione, « certa est, « inquit, et ab omnibus theologis admittitur. » De Matrimonio, disput. 5, § 1. Alii possent ejusdem consensûs testes appellari. Cùm igitur constet hanc in Ecclesiâ pervulgatam esse doctrinam, ab eâdemque, in praxi receptam et approbatam, nonne hìc omninò adhiberi potest ac debet relatum supra et demonstratum illud S. Augustini effatum : « Ecclesia quæ « sunt contra fidem aut bonos mores, nec fa« cit, nec tacet, nec approbat? »

Objic. 1° : Revelati alicujus dogmatis veritas extundi nequit ex consuetudine et praxi, quæ nec scripto nec traditio verbo Dei innititur, imò quæ probabiliùs utrique, tum ipsi juri naturali repugnare meritò videatur : talis autem est consuetudo et praxis quæ venditatur ad asserendam dissolubilitatem matrimonii in infidelitate contracti.

1° Non ei aspirat verbum Dei scriptum : illis in verbis Apostoli, quæ ad hanc asserendam vulgò adducuntur : *Si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Vox *discedit*, non perfectum, seu per vinculi conjugalis solutionem, discessum significat, sed imperfectum tantummodò, seu qui pertineat ad torum et cohabitationem, ut patet exhis quæ præmiserat Apostolus, præcipiens mulierem fidelem à viro fideli non discedere : *Quòd si*, inquit, *discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Immunitas autem à servitute, quam indulget converso

christianam ad Religionem infideli, in eo duntaxat posita est, ut ille officia conjugalia præstare non teneatur uxori adhuc infideli quæ vel omnem, vel pacificam cum eo societatem refugiat. Neque solùm caret Scripturarum subsidio prædicta consuetudo et praxis, verùm etiam nonnisi repugnante Scripturâ obrepere et latiùs radices agere potuit : quò enim spectant generalia hæc testimonia? *Quod Deus conjunxit, homo non separet,* Matth. c. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam mœchatur, et qui dimissam duxerit, mœchatur,* ibid. *Mulier alligata est legi* (matrimonii jam contracti) *quanto tempore vir ejus vivit,* 1 ad Corinth. c. 7. 2° Traditio si consulatur, ostentabit quidem summos aliquot pontifices, qui jactatam consuetudinem et praxim tenendam esse judicaverint ; sed quis ignoret consulentibus quandoque respondisse pontifices, quæ sibi probabiliora, licet adhuc incerta, viderentur, aliosque aliis non admodùm rarò talibus in responsis adversari : sic auctoritate pontificiâ dissolvi posse matrimonium *ratum* arbitrati sunt Martinus V et Eugenius IV (teste S. Antonino), Paulus V, Pius IV, Gregorius XIII; negaverunt autem Nicolaus I, Innocentius III et VIII, Alexander III, Paulus IV et Adrianus VI : hinc rogatus simili in matrimonio Francisci Montmorarii et Joannæ Halluinæ Pienneæ, Paulus IV convocatisque sapientissimis Cardinalibus, unà cum archiepiscopo Consentino, et episcopo Antoniello, sic inter cætera ipsos affatus est : « Ne, quæso, vos teneant prædecessorum meorum facta et exempla : quæ eatenùs sequi « volo, quatenùs Scripturæ auctoritas, et theologorum rationes vos ad illud agendum adducent. » De his vide Ethicam amoris lib. 8, parte 2, de Sacramento matrimonii, cap. 23 et 24. Deinde si investiganda suscipiatur traditionis illius origo, quæ posse dirimi contractum et consummatum in infidelitate matrimonium suadere videatur, nulla ejus deprehendere est vestigia ultra ætatem Innocentii III : illa tamen, cùm si vera sit, à jure divino manare debeat, aut nulla est, aut eam oportet esse perpetuam. 3° Eadem de quâ disserimus consuetudo et praxis, juri naturali, cui derogare nequeat, minimè congruit : « Cùm enim, « ait S. Thomas, proles sit commune bonum « viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuò manere indivisam, secundùm legis « naturæ dictamen, et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ. » Naturalem hanc indissolubilitatem indicat non obscurè divina hæc sententia : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.* Et verò si consummatum posset dissolvi matrimonium, quot prolis sustentationi et institutioni immînerent detrimenta! nonne etiam incerta quandoque foret ea quæ ex priori suscepta esset matrimonio? dignosci nimirùm ipsius origo non posset, înito, ut rarò non contingeret, altero non multò post prioris consummationem, matrimonio.

Resp. : Cùm certa sint quæ posuimus principia, certaque derivata inde consecutio, expugnari nequeunt, nisi certis pariter argumentis, quæ proinde rationabile omne dubium excludant, et potiori etiam jure, omnem veram probabilitatem : quapropter elevandis ac refellendis quæ objecta sunt, planè sufficeret probabilis duntaxat responsio. Jam ad singula : 1° quidquid obloquantur nonnulli, non deserenda quam sequuntur theologi et canonistæ, interpretatio verborum illorum Apostoli : *Si infidelis discedit, discedat ; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Immunitas hæc à servitute intelligi non debet de separatione *quoad torum duntaxat et cohabitationem :* etsi enim ageretur de duobus conjugibus baptismate initiatis, sponte discedente altero et injustè aut in creatoris contumeliam alterum compellere pertinaciter adnitente, iste non teneretur tori et cohabitationis officio : ergo si liberetur hoc uno conversus infidelis, discedente, aut sine injuriâ creatoris, cohabitare nolente infideli conjuge, nullum quod attinet ad conjugalem servitutem, concessum fuerit privilegium infideli baptizato : quæ interpretatio repugnat verbis ac menti Apostoli. Præterea, ut disserit Gonetus, cùm locutus est S. Paulus de christianâ muliere, parante discessum à conjuge pariter christiano, subjungit præcepisse Dominum eam, *si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari,* 1 ad Corinth. cap. 7. Nihil autem simile denuntiat commemorando conjugis infidelis discessum : quin potiùs absolutè dicit ac indefinitè : *Si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Ibid. Propositio autem indefinita, in dogmatibus, æquivalet universali, atque ideò significat, nulli prorsùs servituti, neque videlicet quoad torum et cohabitationem, neque quoad vinculum conjugale, subjectum remanere, discedente infideli, fidelem conjugem. Denique nisi contractum in infidelitate matrimonium dirimi posset, cohabitationem aut omnimo-

dam, aut à contumeliâ creatoris alienam renuente infideli conjuge, quomodò à servitute quam respicit Apostolus, eximeretur fidelis conjux? Quandoque enim non posset, etiam si vellet, revocare ad se discedentem, et in infidelitate pertinacem uxorem : quandoque accersere ipsam non liceret ejusque frui consortio, nempe si nollet à blasphemiis, quibus assueta foret abstinere : sicque teneretur vel invitus ac immeritus, omni usu conjugii, conjugalique consuetudine carere : quò ergo evaderet illa quam disertis verbis declaravit Apostolus, immunitas seu libertas à servitute, quam Dominus concesserit, ne deterreantur à subeundo christianæ Religionis jugo infideles, si uno conjugum discedente, alter cogatur cœlibem vitam agere, quæ sæpiùs, nedùm fuerit ad eam vocatus ac propensus, ipsam polygamiam æstuante libidine hactenùs consectatus est.

2° Traditioni consonat prædicta consuetudo et praxis quæ spectat ad secundas conversi infidelis celebratas vivente altero adhuc infideli conjuge nuptias; inter cæteros Innocentius III, cap. *Quanto*, de Divortiis, postquàm sic præfatus est : « Si enim alter infidelium « conjugum ad fidem catholicam convertatur, « altero vel nullo modo, vel non sine blasphe- « miâ divini numinis, vel ut eum pertrahat ad « mortale peccatum ei cohabitare volente, qui « relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota « transibit, » statim subjicit : « Et in hoc casu « intelligimus quod ait Apostolus : *Si infidelis « discedit, discedat; frater enim vel soror, non est « servituti subjectus in hujusmodi.* » Neque putandum est hunc in modum, ante Innocentii III tempora non fuisse intellectum Apostoli testimonium : nam præterquàm quod expositionem hanc, eique annexam doctrinam summus ille pontifex non protulerit tanquàm infrequentem ac recens invectam, eamdem fuisse à S. Ambrosio adhibitam demonstrant sancti hujus doctoris verba : « Quidam putant « omne conjugium à Deo (approbante) esse, « maximè quia scriptum est: *Quæ Deus conjunxit « homo non separet :* ergo si omne conjugium à « Deo est, omne conjugium non debet solvi. « (Hoc est, omne conjugium foret indissolubi- « le.) Et quomodò Apostolus dixit : Quòd *si « infidelis discedit, discedat,* in quo et mirabili- « ter noluit apud Christianos causam residere « divortii, et ostendit non à Deo omne conju- « gium : neque enim Christianæ gentilibus, « Dei judicio, copulantur, cùm lex prohibeat. » (Expositio Evangelii secundùm Lucam, lib. 8, cap. 2.) Ex verbis Apostoli, *si infidelis discedit, discedat,* colligit non esse indissolubile omne connubium S. Ambrosius : quæ conclusio nulla foret nisi posset contractum in infidelitate matrimonium aliquando dirimi. S. Chrysostomus : « Quid est autem, inquit, *si in-* « *fidelis discedit*, aut separatur? Ut si jubet te « sacrificare, aut esse sociam impietatis prop- « ter matrimonium, aut recedere, melius est « ut divellatur matrimonium quàm pietas. » (S. Chrysost. in Epist. ad Corinth. cap. 7.) Manifestè voluit S. Chrysostomus, verbis Apostoli significatum, eam mulierem posse quærere solutionem initi cum infideli viro, qui contenderet eam in cultum idolorum adducere matrimonii. Idem sentire Theophilactum et Œcumenium cùm dixisset Estius, incunctanter subjicit : « Quibus adde Latinos, Glosso- « graphum, Lombardum, Aquinatem, Lira- « num, Carthusianum ac cæteros posteriores, « quorum sententiam vel ipsa praxis fidelium « ab Ecclesiâ probata, satis superque confir- « mat. » (Comment. in Epist. ad Corinth. cap. 7.) Appositè Estius animadvertendum curavit (id quod supra ostendimus), Ecclesiæ approbatione munitam esse consuetudinem et praxim ab ipso vindicatam : quæ consuetudo et praxis cum dogmate, ut etiam adnotavimus, arctissimè conjuncta est, eademque si veritati repugnaret, perpetuis indulgeret, ac patrocinaretur adulteriis : errorem igitur morumque corruptelam approbaret Ecclesia, quod ipsius cum immotâ sanctitate ac perpetuâ infallibilitate quomodò possit cohærere et conciliari? Revocentur in mentem quatuor certissima, quæ in medium attulimus tanquàm totius assertionis positæ fundamenta. Quod objicitur, respondisse aliquando quæ sibi probabiliora viderentur, licet adhuc incerta, summos pontifices, aliosque aliis nonnunquàm respondendo dissentire, ut de dissolvendo pontificiâ auctoritate *rato* matrimonio, adnotatio illa infringere non potest ea quæ prompsimus argumenta, evincendæ gratiâ dissolubilitatis matrimonii in infidelitate contracti : hoc de capite controversiæ, unâ mente, uno ore consenserunt summi, quorum extant hâc de quæstione responsa, pontifices : constat quoque inter theologos et canonistas ; universalisque vel tacendo decerneret Ecclesia.

3° Allatæ verborum Apostoli interpretationi, et adductæ traditioni non adversantur objecta ex Scripturis testimonia. Cùm dixit Christus :

Quod Deus conjunxit, homo non separet, prohibuit ne propriâ hominis voluntate attentetur solutio matrimonii : dùm autem in casu memorato, vinculum rumpitur conjugale à duobus susceptum infidelibus, non humanâ sed divinâ voluntate, in gratiam Religionis rumpitur : nec eâ responsione incidimus in petitionem principii, cùm aliunde jam probatum sit, talibus in rerum adjunctis, illud posse Deo ita ordinante dissolvi, ac reipsà proposito in casu dirimi. Cùm Salvator hominum sic statuit : *Quicumque dimiserit uxorem suam,exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur,* præterquàm quod loquebatur de matrimonio à duobus fidelibus, duobus nempe Judæis contracto, ex illis verbis concluditur duntaxat non adulterio, multòque minùs aliis quas prætendebant, causis Pharisæi, dirimi conjugium; et casus ille plurimùm, ut patet, discrepat à solutione contracti in infidelitate matrimonii, qualem exposuimus. De muliere nuptâ cùm pronuntiat Apostolus, vivente viro eam esse alligatam legi, et addit : *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro,* declarat quidem generatim non posse nisi mortuo viro mulierem conjugium inire cum altero : at generales illæ propositiones non omnem excludunt exceptionem; non absolutam enuntiant universalitatem, quando idonea suppetunt restrictionis argumenta, et maximè quando ab eo ipso qui generale pronuntiatum ediderit, indicatur exceptio, qualis re ipsâ ut probatum est, commemoratur à S. Paulo Epist. 1 ad Corinth. cap. 7.

4° Non officiunt quæ obtenduntur ex ipso jure naturali. Supremo enim et universali dominio Dei subjacet matrimonium, atque ex eodem pendet tum in suâ origine, tum in suâ perseverantiâ dominium illud quod sibi in se ipsos invicem transtulerint conjuges : illud ergo Deus irritum facere potest quando et quomodò voluerit, cùm hominum voluntates magis quàm ipsimet habeat in suâ potestate; dùm autem novo fidelis conversi matrimonio abrumpitur prioris vinculum conjugii, non propriè, sed impropriè dispensat Deus à jure naturali : non tam legislatoris, quàm supremi Domini tunc utitur auctoritate : tùm enim subtrahit materiam obligationis, quâ obstringuntur mutuò conjuges : eâque sublatâ, necesse est dissolvi conjugale vinculum. Varia nimirùm inter capita juris naturalis, alia sunt quorum materia dominio Dei subjecta est : sic potuit Ægyptiis vasorum proprietatem adimere quæ ab illis mutuati fuerant Israelitæ, quos sic fecerit immunes à restituendo : *Domini est terra et plenitudo ejus.* At sunt juris naturalis alia placita quorum in materiam cadere non possit nec subtractio, nec mutatio, ideòque in illis ne quidem impropriè locus est dispensationi : sic à præcepto naturali blasphemiam vetante, dispensare nullo modo potest ipse Deus, propterea quòd nec umbræ quidem transmutationis obnoxia est summa Dei perfectio, quam lacessit blasphemia. Ex his principiis facilè colligitur Deum posse matrimonii in infidelitate contracti vinculum solvere, ubi solutionem opportunam judicaverit. Nequicquam objicerentur, quæ conceptæ vel jam natæ proli, ex priori matrimonio susceptæ, oriri possent incommoda ex secundis nuptiis vivente ineundis altero conjuge adhuc infideli : non ex ipsâmet naturâ secundi hujus connubii derivantur : possuntque ut plurimùm præcaveri : nonne eadem ferè emergere potuerunt occasione libelli repudii quem in veteri lege permiserat Deus, et quo, ut fert probatissima sententia, solvebatur vinculum conjugale ?

Objicies 2° quædam SS. Ambrosii et Augustini testimonia, qui appellatam consuetudinem et praxim, si eorum temporibus vigeret, cùm ignorare non potuerint, ea scriptis ediderunt, quibus evincitur, aut eam ipsos latuisse, aut ab eisdem fuisse improbatam : interprete S. Ambrosio, « Apostolus negavit legis esse « divinæ, ut conjugium qualecumque solva- « tur; nec ipse præcipit, nec dedit deserenti « auctoritatem, sed culpam abstulit destitu- « to. » In Evangel. secundùm Lucam, lib. 8, num. 8.

Idem de quo Apostolus, matrimonium, nunquàm posse viventibus adhuc viro et muliere dissolvi, tam clarè tradidit S. Augustinus, alium ut in sensum nequeant probabiliter inflecti : allato Apostoli isto testimonio : *Si quis frater uxorem habet infidelem,* etc., viri aut uxoris discessionem, etiam quando licita foret, non expedire præfatus, sic pergit : « Propter « quodlibet tamen fornicationis genus sive « carnis, sive spiritûs, ubi et infidelitas intelli- « gitur, et dimisso viro non licet alteri nubere, « et dimissâ uxore, non licet alteram ducere, « quoniam Dominus, nullâ exceptione factâ, « dixit : Si uxor dimiserit virum suum et alteri « nupserit, mœchatur, et omnis qui dimittit « uxorem suam et ducit alteram, mœchatur. » Lib. 1 de adulterinis Conjugiis, cap. 25.

Resp. ad testimonium S. Ambrosii : Ut

ritè percipiatur, referenda sunt, quæ proximè antecedunt : post adducta hæc verba Geneseos : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ,* hæc subjicit S. doctor : « Ostendit autem hic « locus, quæ propter fragilitatem humanam « scripta sunt, non à Deo scripta, id est, non « præcepta à Deo, unde et Apostolus : *Præci-* « *pio,* inquit, *non ego, sed Dominus, uxorem à viro* « *non discedere :* et infra : *Cæteris,* inquit, *ego* « *dico, non Dominus :* Si quis frater infidelem « habet uxorem et relinquit eam ; itaque ubi « est impar conjugium, lex Dei non est, et « addidit : *Quòd si infidelis discedit, discedat :* « idem Apostolus negavit legis esse divinæ, ut « conjugium qualecumque solvatur, » etc. Hæc verba si invicem conferantur, mutuam sibi lucem afferunt, et intelligitur hoc unum voluisse S. Ambrosium, nullam extare in Scripturis divinam legem quæ præscripserit, ab infideli converso novum iniri, dimissâ priori uxore, matrimonium, nec ipsum Apostolum separationem illam præcipere, aut directè approbare, sed ipsam positis quas assignavimus, conditionibus concedere, permittere, atque inculpatam declarare : quamvis autem de illâ præstandâ neque Dei, neque Apostoli occurrat sacris in litteris præceptum, nonnisi tamen afflante Spiritu sancto ductus Apostolus, hanc immunem à culpâ (refugiente cohabitationem pacificam altero conjuge), pronuntiat : atque novi quod tunc contrahitur matrimonii vinculum solvit Deus, qui pro supremo suo dominio solvere solus potest. Hæc est sincera objecti testimonii expositio : cæterùm posse aliquando dirimi contractum in infidelitate matrimonium affirmat expressè S. Ambrosius cujus verba supra deprompsimus. — Resp. ad testimonium S. Augustini : Illud potest intelligi de fornicatione sive corporali, sive spirituali, quæ contracto jam matrimonio supervenerit : nec nostræ officit assertioni. Non hæc commentitia est interpretatio : namque 1° apud S. Matthæum vox *fornicatio* idem significat quod adulterium, cui certè locus non est nisi jam inito matrimonio : cùm igitur ad idem tempus censeatur referre S. Augustinus, tum corporalem, tum spiritualem fornicationem, ad quam obiter infidelitatem revocat, consequens est eum loqui de fornicatione spirituali quæ contractum ad matrimonium accesserit. 2° In libris de adulterino Conjugio, in hoc incumbit S. Augustinus, ut Pollentium refellat, qui comminiscebatur licere quidem, quamvis non expediat, mulieri virum propter fornicationem dimittenti, nuptias inire cum altero : hìc agebatur de fornicatione quæ contracto jam matrimonio obtigerit, seu de adulterio. Ad id autem tempus, ut observavimus, revocat etiam S. Augustinus spiritualem, cujus mentionem injicit, fornicationem.

Instabis : S. Augustinus eâdem de infidelitate loquitur, de quâ S. Paulus, prævià igitur matrimonio : consule lib. 1 de adulterino Conjugio, num. 20 et 22 : attamen eodem S. Augustino interprete, dimissi conjuges, « in « alia conjugia cùm ceciderint viventibus eis à « quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colli- « gati difficillimè resolvuntur. » Adulterino nexu si colligantur dimissi infideles qui ad alteras convolant nuptias, novo igitur quod conversus ad fidem christianam infidelis contraxerit matrimonio, prius non dissolvi potuit conjugale vinculum.

Resp. : Non negamus in libris de adulterino Conjugio, locutum etiam fuisse S. Augustinum de antecedente conjugium infidelitate : quod autem asserit, valdè timendum esse ne dimissi conjuges infideles, adulterinis devinciantur nexibus, id non arguit absolutam et omnimodam indissolubilitatem matrimonii in infidelitate contracti : concessa est in gratiam christianæ fidei facultas talis dissolvendi matrimonii : nec potest dimissa mulier infidelis alterum appetere conjugium, nisi alteram jam duxerit uxorem vir ad Christum conversus et baptizatus : qui verò dimittuntur infideles expectare non solent, donec novum contraxerint matrimonium conjuges illi à quibus dimissi fuerint, aut quos ultrò deseruerint, et idcircò, ut adnotat S. Augustinus, adulterinis colligantur nexibus. Ipsis in libris de adulterino Conjugio, quædam obversantur, quæ innuunt non inficiari S. Augustinum, posse aliquandò dirimi matrimonium in infidelitate contractum : v. g., lib. 1, num. 6, Pollentium sic alloquitur : « Hoc interest quòd nos, quando conjuges « ambo christiani sunt, mulieri si à viro forni- « cante discesserit, dicimus non licere alteri « nubere, à viro autem non fornicante, non « licere omninò discedere : tu verò dicis, si « mulier à viro non fornicante discesserit, non « licere alteri nubere, propter præceptum ; si « autem à fornicante discesserit, non ei expe- « dire nubere propter opprobrium. » Animadvértatur apposita hæc à sancto doctore clausula : *Quando conjuges ambo christiani sunt,* mulieri si à viro fornicante discesserit, non licere

alteri nubere; quâ de causâ talem judicaverit inferendam distinctionem, si indiscriminatim prohibeatur qualecumque matrimonium post celebratas jam nuptias, sive à duobus christianis contractum, sive à duobus infidelibus, quorum unus postea christianæ Religioni nomen dederit?

Objicies 3ª : Inferri non potest Ecclesiæ doctrina ex consuetudine seu praxi, multis implexâ dubitationibus : movetur controversia de temporis momento quo rescindatur fœdus connubii : sunt qui existiment interpellato conjuge infideli, eoque aut expressè abnuente legitimè cohabitare cum fideli, aut intra terminum sibi in interpellatione præfixum nihil respondente, dissolutum statim censeri vinculum conjugii, quo erant ambo constricti : hanc refert distinctè opinionem Benedictus XIV ; alii quibus consentit, arbitrantur, tùm primùm dirimi, cùm conjux conversus alteras nuptias contrahit (de Synodo diœcesanâ, lib. 6, cap. 4); dubitatur etiam utrùm longinquas in regiones si abierit infidelis conjux, aut ita lateat ut interpellari non possit, converso liceat interpellatione omissâ, inire alterum connubium : affirmant plerique, teste Benedicto XIV; alii ex adverso, necessariam putant dispensationem sedis Apostolicæ, « cujus est declarare, in « quibusnam circumstantiis desinat obligare « præceptum divinum, quo prædicta interpel- « latio ante rescisionem matrimonii videtur « injuncta. » (De Synodo diœcesanâ lib. 6, cap. 4.) Testatur Benedictus XIV, posteriori huic sententiæ sacram concilii congregationem adhæsisse anno 1722 : « Cujus judicio, inquit, « nos omnia subjecimus rationum momenta « quæ à dissidentibus inter se doctoribus, in « utramque partem afferuntur. Tum et addit : « Nec sedes Apostolica difficilem se præbet « eam petentibus dispensationem quam urgens « causa suadeat concedendam. » (Ibid.)

Resp. : Quod caput est ejus quæ hìc versatur quæstio, de illo convenit inter omnes Ecclesias, nempe tùm saltem dirimi contractum in infidelitate matrimonium, cùm infideli aut omnem, aut pacificam detrectante cohabitationem, conversus aliud conjux contrahit connubium : quot in theologiâ quæstiones adnascuntur, varias in partes agitatæ, dùm de eo in quod potissimùm intenditur, viget integra consensio? Sic necessariam esse gratiam ad singulos pietatis actus, Deumque posse quò voluerit, hominum inclinare voluntates, in confesso est apud Catholicos : at quomodò suam exerat gratia efficaciam? notum est quot diversa circumferantur systemata, quo animorum æstu decertatum sit. Longè dissitas in regiones si abierit conjux infidelis, aut sic latitet ut interpellari nequeat : tum impetratâ sedis Apostolicæ dispensatione, si conversus nubat alteri, nihil prohibet quominùs novo isto connubio dissolvatur prius : hujus enim dirimendi facultas conversis suppeditatur infidelibus, ne, ut supra diximus, christianam capessentes fidem, adigantur vel inviti ad cœlibatum : quod quidem necessariò contingeret, longinquas in regiones profecto conjuge infideli, aut sese, interpellationi, per affectatam subducente fugam; neque reipsà quoad præsens institutum ac propositum finem, discrepat ille casus ab eo qui probatâ in assertione positus est.

Hactenùs ex praxi seu consuetudine ostendimus posse dirimi matrimonium in infidelitate contractum : ad propulsandum magis ac magis ab eâ consuetudine novitatis suspicionem, argumentis quæ adduximus alia quædam possumus adnectere : consuetudo et praxis ut obtineat auctoritatem, necesse non est suppetere nobis expressa de illius vetustate testimonia quæ singulis prodierint seculis : hæc maximè in rebus practicis orali possunt traditione compensari : fieri potuit certam ut aliquam praxim, scriptis consignari, haud ita frequenter postulaverint rerum adjuncta, aut scriptorum scopus et institutum; compertum est aliunde plurima eaque ritè, exarata, opera excidisse, hominum vel temporis injuriâ. Verùm his omissis quæ profectò aspernanda, aut prætereunda non videantur, certum est vicinioribus ævo apostolico temporibus, quibus certatim affluebant christianam ad Religionem infideles, sæpissimè inter illos, uxores aut viros pacificam renuentes cohabitationem, præbuisse occasionem discessionis; utrùm autem juri divino consentiret, utrùmve repugnaret, fidelem conjugem, novas tunc vivente infideli quærere nuptias, non latuit Ecclesiam, neque ad mentem Apostoli neglexit attendere, ne videlicet perpetua in adulteria conversi infideles conjicerentur; si intellexerit hanc esse doctrinam ab Apostolo traditam, ut à cohabitatione duntaxat, ac toro abstineret fidelis, quantamlibet eidem, aut ipsi creatori, injuriam irrogaret infidelis, quomodò passa est Ecclesia, contrariam subire, grassari, ac prævalere consuetudinem? quomodò passus fuerit ipse Christus Ecclesiæ sponsus, conspirâsse eum

dem in errorem theologos et canonistas, summos pontifices, quantâcumque sanctitate ac eruditione præcelluerint, illudque contagii omnes invasisse, atque contaminâsse Ecclesias?

CONSECTARIUM III. — *Minister confirmationis extraordinarius simplex est sacerdos.*

Quæstionem hanc more suo eruditè et accuratè tractavit Benedictus XIV (de Synodo diœcesanâ, lib. 7, cap. 7 et seq.) Ipsiusmet verbis quantùm instituti ratio postulabit utemur, accersitis aliundè quæ apta etiam et opportuna videantur.

Gravis olim inter doctores exarsit controversia, an ex speciali delegatione summi pontificis, possit simplex sacerdos, saltem chrismate ab episcopo jam consecrato, sacramentum Confirmationis administrare ; negabant multi notæ non infimæ theologi, inter quos Robertus Cardinalis Pullus, Adrianus, Durandus, quibus adhæserunt Estius, Sambovius, Duhamel, l'Herminier. Attamen, inquit Benedictus XIV, « non videtur posse ampliùs in « controversiam et dubitationem revocari, » (ibid. num. 4,) et iterùm paulò post, « non vi- « detur hodiè fas esse potestatem de quâ olim « disceptabatur, summo pontifici abjudicare. » (Ibidem.) Dixerat Sotus distinctione septimâ quæstione unicâ, artic. 11 : « Non est dubi- « tandum, quin simplex sacerdos ex commis- « sione Papæ possit sacramentum Confirmatio- « nis exhibere : et qui de hoc jam modò « hæsitaret, ecclesiasticis sanctionibus adver- « saretur. » Talibus reverà innititur sanctionibus, vimque legis obtinuit prædicta consuetudo et praxis; quando enim opportunum id factu judicaverint summi pontifices, committere presbyteros non dubitant qui baptizatis conferant sacramentum Confirmationis. Calaritanis presbyteris facultatem hanc quam illis denegaverat concessit S. Gregorius Magnus, hæc ad Januarium Calaritanum episcopum scribens : « Pervenit quoque ad nos, quos- « dam scandalizatos fuisse, quòd presbyteros « chrismate tangere in fronte eos qui baptizati « sunt, prohibuimus ; et nos quidem secundùm « usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omninò hâc de re aliqui contristantur, ubi « episcopi desunt, ut presbyteri etiam in fron- « tibus baptizatos tangere debeant, concedi- « mus. » Neque concessio ista, meram ad cæremoniam pertinet ei similem, quæ fit in vertice baptizati, sed ad unctionem verè confirmatoriam : eam nempe Calaritanis presbyteris elargitur facultatem S. Gregorius, quam epistolâ 9 denegaverat; in hâc autem, de sacramento Confirmationis sermonem fuisse, non obscurè significatur : solius enim cæremoniæ abolendæ, tantam curam et sollicitudinem non gessisset; deinde, si de merâ cæremoniâ tunc ageretur, illius usum non limitâsset S. Gregorius ad solum tempus quo episcopus abesset : epistolam summi illius pontificis sanè respexit Eugenius IV dùm hæc edidit : « Legitur tamen « aliquando per sedis Apostolicæ dispensatio- « nem, ex rationabili et urgenti admodùm causâ, « simplicem sacerdotem chrismate per episco- « pum confecto hoc administrâsse Confirma- « tionis sacramentum. » Quod privilegium dedit Calaritanis presbyteris S. Gregorius Magnus, idem plures posteriores pontifices aliis presbyteris sunt elargiti : refert siquidem Lucius Wadingus, in annalibus Minorum, tom. 11, ad annum 1444 et 1447, et tom. 16, ad annum 1521 et 1522, nonnullos fratres minores hoc privilegio donatos fuisse à Nicolao IV, Joanne XXII, Urbano V, Eugenio IV, Leone X atque Adriano VI, cujus diploma in cœnobio Franciscanorum Hispali asservari, idem Wadingus asserit; ex quo colligitur Adrianum ad Petri sedem evectum, è sententiâ recessisse, quam antea docuerat. Narrat pariter Arcudius Concord. lib. 2, cap. 16, se accepisse à patre Ludovico Fonsecâ Societatis Jesu, paucis quibusdam ejusdem societatis religiosis à sede Apostolicâ indultum ut Christianos Brasiliæ, sacro chrismate inungerent; eamdem facultatem, abbati montis Cassini concessit Sixtus V, confirmavitque Benedictus XIII in suâ constitutione octavâ post concilium Romanum.

Confirmationis similiter sacramentum chrismate quod episcopus consecraverit, conferre permisit custodi Terræ sanctæ ordinis Minorum Clemens XI. « Hæc aliaque ejusdem generis « exempla, inquit Benedictus XIV, ibid. num. « 6, nos congessimus, in quâdam causâ Ame- « ricanâ, sacræ congregationis concilio, qui « tum eramus à secretis, propositâ, die 13 Julii « ann. 1722, tom. 2 Thesauri resolut. pag. « 187, eademque repetita fuêre à bonæ me- « moriæ cardinali Lanfredino, idem munus « obeunte, in aliâ causâ Americanâ, eidem « congregationi propositâ die 24 Januarii « ann. 1733, tom. 6 Thesauri, pag. 14 ; eve- « ctique ad Petri cathedram, etiam nos potes- « tatem fecimus patri custodi et guardino « sancti sepulcri D. N. Jesu Christi ordinis Mi-

« norum de observantiâ, idem conferendi sa-
« cramentum confirmationis, in locis Terræ
« sanctæ, in quibus actu non degunt episcopi
« Latini, et quoad fideles græci ritûs, ubi desit
« episcopus catholicus, qui in propriâ resideat
« diœcesi, aut ubi istius ibidem residentis ac-
« cesserit consensus, uti habetur in nostrâ con-
« stitutione 10, et aliâ constitut. 87, § 14,
« nostri Bullarii, p. 28 et pag. 94. » A tempore Benedicti XIV concessam esse missionariis à sede Apostolicâ facultatem administrandæ Confirmationis, nobis relatum est. Haud leve ad asserendum impertiendi illius privilegii potestatem argumentum exhibet in causâ Græcorum Florentina synodus : cùm enim Græci inter undecim quæstiones sibi à Latinis post unionem propositas, ad hanc quoque jussi sint respondere : « Quare episcopi non inungunt
« sacro chrismate, sed sacerdotes, cùm hoc
« pontificibus sit datum, » (tom. 9, collect. Harduinæ, colum. 430) plenè quoad hanc quæstionem per Mytilinensem præsulem Latinis satisfecisse, ex eâdem historiâ colligimus, in quâ post undecim illas quæstiones habetur : « Hæc à Latinis objecta, Mytilinensis canoni-
« cè omnia legitimèque dissolvit, præter duo
« de quibus papa significavit imperatori, cur
« scilicet matrimonia dirimantur, et patriar-
« cha non eligatur. » Disertius autem ejusdem rei testimonium perhibet Gregorius protosyncellus qui eidem concilio interfuit, tanquàm legatus patriarchæ Alexandrini, et postea creatus est patriarcha Constantinopolitanus : is quippe scribens adversùs epistolam Marci Ephesini ait : « Verùm Latini etiam nostros
« consignabant, et Chrismatos appellabant;...,
« in nostrâ unione nihil habuerunt quod nobis
« objicerent, sed cùm essemus orthodoxi, ha-
« biti sumus ab orthodoxis, orthodoxi. »

Ex omnibus illis factis eumdem in scopum collineantibus concluditur certam esse ac notoriam, eamque ab Ecclesiâ tacito saltem consensu approbatam, praxim concedendæ simplicibus sacerdotibus, ubi animarum salus id exigere videretur, facultatis administrandi Confirmationis sacramenti : eam quoque praxim manifestum est cum dogmate colligari : utrùm enim simplex presbyter valeat ex delegatione sacramentum illud conferre, id procul dubio ad quæstionem verè dogmaticam pertinet. Hanc tamen neque à concilio Florentino, neque à Tridentino esse definitam confitemur, quidquid contradicant Dominicus Soto, Gregorius à Valentiâ et Baronius : etsi enim in concilio Florentino, seu Eugenii ad Armenos decreto dicatur : « Confirmationis ordinarius minister
« est episcopus ; » etsi hoc idem à synodo Tridentinâ, adhibito anathemate declaratum sit, non inde sequitur pariter definiri simplicem sacerdotem extraordinarium esse illius sacramenti ministrum : sic enim locuti sunt Patres utriusque synodi, eò quòd quæstionem inter doctores controversam expresso decreto dijudicare nollent : suam itaque declarationem temperârunt, ut neque affirmanti neque neganti sententiæ notam inurerent ; episcopum esse Confirmationis ordinarium seu ex officio ministrum definierunt atque sanxerunt : utrùm autem ex delegatione illud sacramentum administrare possit simplex sacerdos, à definitione abstinuerunt, quamvis sententiæ affirmanti (quæ aliunde solidè confirmatur, aliisque auctoritatis momentis, quæ indicavimus, aucta est, et validissimè munita) haud leve suppeditaverint argumentum.

Solvuntur objecta.

Objic. 1° : Nullius roboris habenda est praxis, quæ cùm innixa dicatur summorum pontificum constitutionibus, ab illis tamen expressè reprobata est : sic Nicolaus I, vix exorto Photiniano schismate, cùm audivisset Græcos presbyteros, auctoritate et persuasionibus Photii, sacramentum Confirmationis in Bulgariâ conferre aggressos esse, misit illùc Paulum Populoniensem, et Formosùm Portuensem, episcopos, qui omnes Bulgaros à prædictis presbyteris inaniter confirmatos, iterùm sacro chrismate signarent, quod constat tum ex epistolâ Photii ad omnes episcopos Orientales, ubi de hoc facto acerbè conqueritur, tum ex epistolâ metropolitani Smyrnensis ad Manuelem Patricium (tom. 5 Collect. Harduinæ, colum. 1114), testanturque Patres octavæ synodi in epistolâ suâ synodali ad Adrianum II, ac ipsemet Nicolaus I, epist. ad Hincmarum (Vide Baronium, ad ann. 857, num. 50). Adhuc apertiùs præfatam consuetudinem damnavit Innocentius III in cap. *Quanto* 4, de Consuetudine ; ad Lucium vicarium suum Constantinopoli constitutum, ita scripsit : « Per-
« venit ad audientiam nostram, quòd quidam
« simplices sacerdotes apud Constantinopolim
« ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere,
« quæ Apostolorum tempore fuerunt solis
« pontificibus reservata, ut est sacramentum
« Confirmationis..... conferre ad excusandam
« excusationem in peccatis, solam consuetu-

« dinem prætendentes, » etc. Hæc autem Innocentii III decretalis, confirmata videtur ab Innocentio IV, qui de pluribus interrogatus quæstionibus inter archiepiscopum Nicosiensem ejusque suffraganeos Latinos ex unâ parte, atque episcopos Græcos regni Cypri, ex aliâ subortis, hæc ad Ottonem cardinalem Tusculanum, Apostolicæ sedis legatum, inter alia scripsit : « Soli autem episcopi signent chris- « mate in frontibus baptizatos, quia hujus « unctio non debet nisi per episcopos exhi- « beri. » (Collect. Hard. tom. 7, colum. 364.)

Resp. ad hæc argumenta : Nihil satius duximus quàm responsa Benedicti XIV exscribere : cujus ad tractatum de Synodo diœcesanâ simpliciter remitteremus, tot si manibus, quot optandum esset, tereretur eximium illud opus.

Nicolaus iterùm Bulgaros consignari voluit, tùm quia Confirmationem receperant à sacerdotibus, qui Photii errore imbuti, eam contulerant quasi jure ordinario, existimantes nimirùm potestatem sacramenti illius conferendi, et episcopis et presbyteris, pari jure competere : tum quia eidem sacerdotes delegati fuerant à Photii mœcho et invasore, uti loquebantur apostolici legati, hoc est, pseudopatriarchâ, cui propterea patriarchæ jura non conveniebant : tùm denique et præcipuè, quia Bulgaria pertinebat ad patriarchatum Occidentalem, quod pluribus ostendit Christianus Lupus, tom. 2, pag. 1404 et seq., atque ideò delegatio de quâ est sermo, à Romano pontifice Orientalibus presbyteris, expressè, sive tacitè facta, Bulgaros sacerdotes nequaquàm complectebatur. Quod verò spectat ad Innocentii III decretalem, ea solos respicit sacerdotes Latinos : etenim, cùm tunc temporis urbs Constantinopolitana subjecta esset imperio Francorum, ejusque patriarcha esset Venetus, ex Francis et Venetis incolis magnâ ex parte conflabatur : cùm igitur audivisset Innocentius sacerdotes Latinos inibi degentes, Græcorum ritus adoptâsse, Græcorumque more Confirmationem ausos conferre, hunc Latinorum abusum compescuit scribens ad Lucium : « Volentes igitur hæc et alia quæ oculos divi- « næ majestatis offendunt, de agro Dominico « extirpare, dispositioni tuæ per apostolica « scripta mandamus, quatenùs omnibus Lati- « nis presbyteris apud Constantinopolim « constitutis districtè prohibeas ne talia « de cætero, suâ temeritate præsumant. » Ita quippe habet integra decretalis apud Baluzium, tom. I epist. Innocentii III. p. 480, et Gonzales : sed quia in compilatione decretalium, quæ in scholis et foro viget, omissum est verbum illud, *Latinis*, hinc auctores ansam contrarium asserendi acceperunt, Innocentium scilicet pronuntiâsse irritam confirmationem à sacerdotibus ipsis Græcis collatam, sicut scitè animadvertunt Morinus dissert. 22, et Van-Espen Juris ecclesiastici parte 2, tit. 3, num. 4. Denique Innocentius IV viribus carere voluit Confirmationem administratam à simplici sacerdote, sed unicè quoad regnum Cypri, in quo prævalere incœperat ritus Latinus, ob multitudinem Latinorum antistitum ibidem degentium : ut enim idem ritus per totum regnum propagaretur, et foret perpetuus, necessarium duxit Innocentius IV revocare delegationem à Romanis pontificibus tacitè saltem factam sacerdotibus Græcis in Cypro commorantibus, conferendi sacramentum chrismatis.

Quid igitur generatim sentiendum de administratâ confirmatione à Græcis sacerdotibus?— Resp. eam locis in quibus non est à sede Apostolicâ expressè improbata, habendam esse pro validâ, ob tacitum saltem privilegium ab illâ venerandâ sede illis concessum, cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia et tolerantia Romanorum pontificum, qui prædictum morem Græcorum scientes, non contradixerunt, nec illum damnârunt : hùc etiam pertinent quæ de Florentinâ synodo illâ in causâ Græcorum supra retulimus. Cùm autem præsumptio cedat cognitæ veritati, reputanda est irrita Confirmatio in locis in quibus administrandi illius sacramenti facultatem constat esse ademptam à sede Apostolicâ, Græcis alteriusve orientalis ritûs sacerdotibus, tametsi forent Catholici ; at præter sacerdotes Bulgaros, quibus illam abstulit Nicolaus I, et sacerdotes Cypri, quos eâdem orbavit Innocentius IV, certum est à Clemente XIV severè interdictum etiam esse presbyteris Italo-græcis, ne baptizatos chrismate consignare audeant, cujus decretum à Benedicto XIV confirmatum est, ejus Bullarii constitutione 57, tom. 1, pag. 167.

Objic. 2° : Cùm olim, ut supra dictum est, de facultate delegandi ad Confirmationis sacramentum conferendum, presbyteri, acerrimè disputatum sit, eaque tunc à multis fuerit repudiata theologis et canonistis, imò et à nonnullis recentioribus, eruditione insignibus, liberè adhuc permittenda est scholarum discep-

tationi, ut nemo qui ipsam impugnaverit, ullâ dignus reprehensione videatur. — Resp. : Ipsa inter dogmata quæ labentibus seculis expressâ Ecclesiæ definitione sancita sunt, non pauca reperire est, de quibus diuturnæ olim et ancipites agitatæ sunt controversiæ, sed quæ studiosiùs discussa, suisque impensiùs librata momentis, relata sunt ad sacrum revelatæ doctrinæ depositum : quale est, v. g., quod spectat ad originem animarum, utrùm nempe singula quibus unirentur, corpora, ætate præcesserint animæ? Prolato Ecclesiæ decreto conquieverunt lites apud Catholicos, et captivatæ mentes in debitum tantæ auctoritati obsequium. Plurimùm olim disceptatum est de potestate delegandi urgente occasione, ad Confirmationem conferendam, presbyteri : nondùm ullo Ecclesiæ universalis decreto potestas illa declarata est : neque hæreseos crimen incurrerunt, aut etiamnum incurrunt qui eam negaverint : attamen decursu temporum, ita fuit, obsecundantibus præsertim summis pontificibus, patefacta et confirmata, ut quemadmodùm à Benedicto XIV adnotatum observavimus, eam inficiari jam nefas esse videatur.

Instabis : Baptizatos confirmandi potestas vel derivaretur ab ordine et charactere, vel ad jurisdictionis aliquod genus revocanda est : si dicatur ad ordinem seu characterem pertinere, non illa poterit mandari simplici presbytero, sicut nec diacono potestas offerendi Eucharistiæ sacrificii : non imprimitur, non augetur character nisi ordinationis sacramento : non delegatione sedis Apostolicæ : si autem ad jurisdictionis aliquod genus referatur prædicta potestas, ergo episcopus electus, at nondùm consecratus, validè Confirmationis sacramentum conferre poterit, cùm ante consecrationem obtineri queat jurisdictio : ergo etiam non modò simplici sacerdoti, sed diacono et simplici clerico commissum si fuerit illud ministerium, valebit hæc delegatio : potest enim simplicibus clericis jurisdictio conferri : denique nulla erit Confirmatio, quam episcopus impartiri fidelibus sibi non subditis voluerit.

Resp. : Istis argumentis, quæ propositam consuetudinem et praxim radicitùs elevare videantur, solutionem subministrat Bellarminus : utilitate redimetur prolixitas afferendi textûs : « Respondeo, inquit eminentissimus « ille cardinalis, confirmare, esse actum ordinis, et eum ordinem esse etiam in presbyteris, « saltem inchoatum et imperfectum. Observandum est enim characterem episcopalem, sive « sit alius à presbyterali, sive etiam extensior « et major, esse potestatem absolutam, perfectam et independentem conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis : et ideò « non solùm posse episcopum, sine aliâ dispensatione, confirmare et ordinare, sed etiam « non posse impediri ab ullâ superiori potestate, quin reverà sacramenta ista conferat si « velit, licet peccet si id faciat prohibente « summo pontifice : characterem autem presbyteralem, esse quidem potestatem absolutam, perfectam et independentem quoad « sacramenta Baptismi et Eucharistiæ : esse « autem potestatem inchoatam, imperfectam, « et dependentem à voluntate superioris, quoad « sacramentum Confirmationis : quocirca nisi « perficiatur per dispensationem ea potestas, « presbyter confirmando nihil ageret : at si « perficiatur, jam ex ipso suo charactere confirmabit : id quod mirum minùs videbitur, si « cogitemus characterem non esse physicam « aliquam potestatem, quæ physicè aliquid « operetur : tunc enim difficile esset intelligere « quomodò posset perfici per dispensationem « pontificiam, se esse signum divini alicujus « pacti, quo Deus concurrit ad effectum sacramentalem producendum cum eo qui habet « characterem, et non cum aliis : facile enim « est intelligere unum characterem pacti absoluti, alium autem esse signum pacti conditionati. » Lib. 2 de Confirmatione, cap. 12. Hùc accedit quod adnotavit hâc de quæstione Arcudius, presbyteralem scilicet ordinis et characteris facultatem quoad sacramenta Confirmationis et Pœnitentiæ in eo distingui quòd illa quoad Pœnitentiam, à voluntate superioris pendeat, velut ab auctoritate quæ jurisdictionem conferat aut compleat; quoad verò Confirmationem, voluntas superioris sese habeat veluti conditio sine quâ non : eò ferè modo quo calefactio pendet ab approximatione ad ignem.

Proposita ut absolvatur controversia, quæritur utrùm à solo pontifice, et non ab episcopis, facultate conferendi Confirmationis sacramenti donari possint simplices sacerdotes. — Resp. : Haud levia suppetunt argumenta quibus impulsi nonnulli existimârunt cuilibet episcopo facultatem competere simplicis presbyteri ad illud administrandum sacramentum delegandi : ita Cardinalis Pallavicinus, Christianus Lupus Thomassinus, Van Espen, Juenin, etc. Eorum sententiæ patrocinari maximè

videntur concilium Toletanum primum, celebratum anno 400, cui Patres undeviginti subscripserunt, Collect. Harduin. tom. 1, colum. 989; concilium Arausicanum anno 441, et Epaonense ann. 517. Ibid. colum. 1783, et tom. 2, colum. 1049. Quid illorum ad auctoritatem et testimonia reponatur, legi potest apud Benedictum XIV de Synodo diœcesanâ lib. 7, cap. 8. Cæterùm, inquit ille præstantissimus ecclesiasticæ disciplinæ et doctrinæ peritiâ pontifex, « quidquid sit de hâc difficili et valdè « implexâ controversiâ, omnibus in confesso est, « irritam nunc fore Confirmationem à simplici « presbytero Latino, ex solâ episcopi delega- « tione collatam, quia sedes Apostolica id juris « sibi unicè reservavit : quam quidem reserva- « tionem, non tantùm à consuetudine in totâ « Ecclesiâ Latinâ jamdiù receptâ tacitè indu- « ctam arbitramur, sicut opinantur Juenin et « Tournely de sacramento Confirmationis, « quæst. 3, art. 2, sed jam ante nonum secu- « lum expressè factam colligimus ex Flodoardo « lib. 3 Hist. Ecclesiæ Rhemensis cap. 17, » etc. Hujusce reservationis fundamentum sic explanat summus idem pontifex : « Positâ reserva- « tione de quâ est sermo, à summo pontifice « sibi factâ, nec licitè nec validè potest episco- « pus Latinus illâ uti : nam quamvis confirmare « sit actus ordinis episcopalis, cujus firmitas et « validitas à pontificis nutu non pendet, dele- « gare tamen simplici presbytero potestatem « exercendi hujusmodi actum, potiùs ad ju- « risdictionem quàm ad ordinem pertinet : « episcoporum jurisdictio sive sit immediatè à « Christo Domino, sive à summo pontifice, ita « semper huic subest, ut consentientibus omni- « bus Catholicis, ejusdem auctoritate et im- « perio limitari, atque ex legitimâ causâ omninò « auferri possit. » De Synodo diœc., lib. 4, cap. 8, num. 7. Hinc priusquàm catholicam ad communionem, Consolatorem Armenum Patriarcham adscisceret Clemens VI, sciscitatus est inter alia, utrùm crederet, « quòd solum « per Romanum pontificem, plenitudinem po- « testatis habentem, possit dispensatio sacra- « menti Confirmationis, presbyteris qui non « sunt episcopi, committi? » Percontatus est etiam ab eodem utrùm crederet « quòd chri- « smati (seu confirmati), per quoscumque sa- « cerdotes qui non sunt episcopi, neque à « Romano pontifice, super hoc commissionem, « seu concessionem aliquam receperunt, iterùm « per episcopum, vel episcopos sint chri- « smandi? » Ibid. Notandum : Ex condescensu concedit Apostolica sedes, ut valeat collatum apud Græcos à simplici presbytero sacramentum Confirmationis ; id quidem indulget, ne constituto ad roborandos fideles subsidio careant, qui schismati, nullo modo, vel saltem non *formaliter*, seu malâ, ut aiunt, fide, adhæserint.

CAPUT VI.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ CONGREGATÆ.

Utrùm in definiendis fidei morumque controversiis errare possint concilia generalia.

Explanari distinctè non potest proposita quæstio, quin clarè innotescant, quæ ad constituendum generale concilium requiruntur. Oportet 1° legitimâ ut auctoritate convocetur, hoc est, à summo pontifice, aut approbante summo pontifice, ad quem jure ordinario id muneris pertinet : casus autem incidere potest quo synodus generalis convocetur aliâ quàm Romani pontificis auctoritate, ut puta cùm incertus ac dubius est propter implicatum schisma, pontifex, aut si ingruerit necessitas pontificis de supremâ sede, propter exitiosos, pertinacesque errores, deturbandi. Oportet 2° ut vocentur ad synodum omnes catholicæ communionis episcopi : hæc si omitteretur generalis convocatio, universalis haud sufficienter repræsentaretur Ecclesia; at necesse non est convocari episcopos à corpore et communione Ecclesiæ disjunctos : orbati sunt jure ferendi de rebus ad fidem spectantibus judicii, nec ad veram Ecclesiam repræsentandam illi requiruntur, qui ejus nec pastoribus, nec vulgaribus ipsis membris annumerantur. 3° Ad concilium verè œcumenicum quamvis orthodoxi omnes vocari debeant episcopi, nec tamen omnes (quod fieri vix unquàm possit), nec majorem illorum partem necesse est ad illud accedere, sicuti nec ad generalia nationis alicujus comitia opus est convenire majorem eorum numerum, qui jus habeant suffragii : satis est ut diversis ex nationibus et regnis, eo numero conveniant, quo prudenter existimentur dispersam per orbem Ecclesiam referre. 4° Necesse est ut concilio præsideat per se vel per legatos summus pontifex, nisi, ut indicavimus, vel dubio, vel auctoritate abdicato pontifice, id fieri nequeat. 5° Si terroribus incussis contingat, ut quasi inviti et coacti decernant ac pronuntient episcopi, jam non reputantur Ecclesiæ universalis personam sustinere, ac veluti procuratione moveri.

His prælibatis quæ ad subministrandam con

cilii generalis notitiam sufficiant, quædam etiam præmittenda videntur quæ ad illius infallibilitatem propriùs spectant. 1° Generalem in synodum si conveniret pars notoriè major episcoporum, de illius infallibilitate nulla jam quæstio movenda nobis foret, cùm ostenderimus, majori notoriè parti episcoporum, non posse infallibilitatem abjudicari. 2° Synodi generalis decreta, si jam approbata fuissent ab episcopis per orbem catholicum disseminatis, de illius inerrantiâ disceptare superfluum quoque duceretur, cùm universalis Ecclesiæ tum dispersæ, tum congregatæ munirentur auctoritate. 3° Fieri quandoque potest ut generalis concilii œcumenicitas, vulgo præsertim fidelium, remotâ omni legitimâ dubitatione non innotescat, nisi priùs cognitâ disseminatæ Ecclesiæ in eo approbando certâ consensione. Non ideò tamen ad illius œcumenicitatem præire necesse est expressam hanc dispersæ Ecclesiæ approbationem : hoc ipso enim quo adhibitæ sint prædictæ conditiones, infallibilitate pollet, nec eâ potest defraudari : ad istam autem prærogativam, si expectanda esset dispersæ Ecclesiæ approbatio, jam à synodo particulari vix differret generalis synodus : particularis enim, licet se ipsâ fallibilis, ab errore immunis habetur et habenda est, hanc si Ecclesia universalis approbaverit. 4° Observatu dignum est, neque per vim, neque per fraudem, nec aliis quibuscumque molitionibus fieri posse, ut errorem amplectatur, aut errorem foveat universalis Ecclesia : ut enim adversùs eam nunquàm ullomodò prævaleant portæ inferi, providebit, ut sæpè jam dictum est, Christus Dominus, cujus promissa, ipso etiam transeunte cœlo et terrâ, non præteribunt. At contingere potest, ut convocatione œcumenicum concilium, deinde lenocinante cupiditate aut sæviente metu, excidat à suâ œcumenicitate : quâ sublatâ errori aut addicatur, aut indulgeat, et pravo sic desinant fine, quæ recto sint inchoata principio : oblivisci nunquàm oportet ad generale et irreformabile concilium, necessum esse ut œcumenicum sit *convocatione celebratione et exitu.*

Conclusio. — *Infallibile est generale concilium in his quæ ad fidem moresve pertinent.*

Argumentum primum. — Concilium generale universalem repræsentat Ecclesiam ; ergo infallibiliter judicat et pronuntiat. Argumentationem hanc evolvere præstat, et suis confirmare momentis.

Generali quidem concilio universalem Ecclesiam repræsentari, vel solâ constat expositione conditionum, quas ad illud constituendum conspirare oporteat : annuente, probante, imò et jubente convocatum est Ecclesiâ : convocanti enim dùm annuit pontifici, jubet eidem obtemperari. Ad synodum invitantur omnes catholici orbis episcopi : mandatur ipsis eorumque judicio committitur propria Religionis et Ecclesiæ causa : Ecclesiæ denique nomine, jure licet divino, hoc est, ut judices ordinarii divinitùs constituti, decernunt, definiunt, reluctantibus canonicas infligunt pœnas : sibique denegari reputat Ecclesia, quod illis detrahitur obsequium : generalibus certè in comitiis, quibus aliqua censeatur natio repræsentari, vis nulla major nationis illius repræsentandæ expromitur, aut exigi potest. At ex eo quòd universalem repræsentet Ecclesiam concilium generale, consequitur necessariò, illius judiciis infallibiliter dirimi spectantes ad fidem moresque controversias ; tum enim Ecclesiæ universalis, cujus infallibilitas demonstrata est, auctoritate sic induuntur coacti in synodum episcopi, ut ore ipsorum loqui, traditamque sibi ab Apostolis doctrinam reserare, credendamque proponere censeatur. Hinc in Ecclesiâ catholicâ semper quasi summum nefas prohibitum est, ne unquàm appellaretur à dogmaticis concilii generalis definitionibus : hinc etiam et à suâ communione, et ab æternâ salute alienos semper habuit, quicumque recusaverint in decretis synodi generalis, cognitæ ut generalis, acquiescere.

Argumentum II. — Conficitur illud ex istis Christi verbis : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* Matth. cap. 18, v. 20. Ut inde colligatur œcumenici infallibilitas concilii, hæc duo planè sufficiunt : Primum, ut meritò credatur congregatum in nomine Christi ; secundum, ut ideò infallibilitatis donum vindicare sibi possit ac debeat : hæc duo certissima sunt.

1° Congregantur in nomine Christi generalis præsules synodi ; congregantur enim sollicitante ac promovente Ecclesiâ universali, quam Spiritus sanctus non deserit. Concilium illud et indicitur et habetur ad propulsandum intentatum fidei incolumitati, aut morum integritati periculum adjuvatur votis atque orationibus Ecclesiæ universalis, cujus quidem acceptissimæ Deo columbæ gemitus, pro ipsius exaudiuntur reverentiâ, quidquid sit de pravis,

qui fortè quorumdam episcoporum animo illabantur, affectibus. 2° Hoc ipso quo constat congregatos esse in nomine Christi, generalis episcopos synodi, metuendum non est, *ne quamdiù* ita congregati sunt, credendum aliquid præstituant quod fidei, bonisve adversetur moribus : verbis enim illis Christi salvatoris : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* apertè significatur, ita congregatis adesse Christum Dei sapientiam atque virtutem, ut scopum sibi propositum, ac divinæ consentaneum ordinationi obtineant : cùm igitur eò pertineat et collimet generalis synodi convocatio et celebratio, ut illibatum servetur fidei depositum, conformandisque consulatur christiani moribus populi, nullus relinquitur dubitandi locus quin ab errore, atque evangelicæ doctrinæ omni depravatione, dimoveatur, assistente ac specialiter adjuvante Christo.

Ex Bellarmino quædam hùc afferri possunt ad illustrandam et evolvendam expositionem relati mox testimonii, maximè accommodata : « Dixerat antea Dominus, de homine incorrigibili : *Dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* At ne quis Ecclesiam, sive congregationem prælatorum contemnendam putaret, adjunxit continuò : *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo,* etc.; et ne quis dubitaret de assistentiâ Dei, quando episcopi congregati aliquem damnant vel absolvunt, subjungit : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum :* quorum verborum hæc sententia est : Si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent semper quod petunt à Deo, nimirùm sapientiam et lumen quod sufficit ad cognoscenda ea quæ ipsis necessaria sunt, quantò magis episcopi omnes congregati in nomine meo semper obtinebunt quod justè petunt, id est, sapientiam et lumen ad judicanda ea quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent! » Inconcussæ traditioni consonat adducta interpretatio ; ut enim prosequitur doctissimus idem Cardinalis : « Ita hunc locum exponit, et hoc argumento utitur concilium Chalcedonense epist. ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis ejusdem concilii : item sexta synodus actione decimâ septimâ; Toletanum tertium, non procul ab initio; item Innocentius papa apud Gratianum, distinct. 20, canone *De quibus;* Cœlestinus in Epist. ad Ephesinum concilium I, et Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, circa principium. »

Nonnullis ut occurratur obloquentibus, abs re non erit animadvertere, synodum inter particularem et generalem, hoc discriminis inter alia intercedere, quòd synodum sive provincialem, sive nationalem, coactam esse in nomine Christi, non tantâ constet certitudine, quantâ synodum ipsam generalem : ideòque particularibus synodis non tribuitur infallibilitatis privilegium, quamvis (ut id obiter dicamus) non multas, si præsertim cum innumeris quæ habitæ sunt, conferantur, invenire sit quæ contrarium ullum sanæ doctrinæ decretum ediderint.

Argumentum III. — Deducitur ex cap. 15 Actor. Apostolorum : Contendentibus quibusdam Judæis, necessariam esse ad salutis negotium, imperatam in lege Moysis circumcisionem, convenerunt Apostoli et seniores, atque factâ magnâ disquisitione, hanc in synodo Hierosolymitanâ, de quâ jam multa suo loco diximus, protulêre sententiam : *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, præter hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.* Erant Apostoli spiritu veritatis omnes afflati : erant quoque pastores Ecclesiæ, quorum princeps et caput Petrus : si tanquàm Spiritu sancto inspirati litem agitatam componere voluissent, synodo illis opus non fuisset : Apostolorum unusquisque causam divinâ auctoritate definire infallibiliter potuisset : at pastorum Ecclesiæ partes agere voluerunt, formamque synodorum futuris ipsorum hæredibus præscribere : licet enim, ut observatum est à Patribus concilii Constantinop. II, collatione octavâ : « Sancti Spiritûs gratia et circa singulos Apostolos abundavit, ut non indigerent alieno concilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquàm communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis, unusquisque sua dicta confirmaverint. » Hierosolymitano itaque in concilio primus sententiam dixit S. Petrus, deinde S. Jacobus, tanquàm ipse etiam controversiarum judex : propositæ definitioni consenserunt judicando alii Apostoli et præsules : communibusque suffragiis sancita est ista, quæ donum infallibilitatis perspicuè exhibet, sententia : *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.*

ARGUMENTUM IV. — Desumitur à constanti traditione, receptâque tum apud ipsas generales synodos, tum apud summos pontifices occultissimosque Patres persuasione. In relatione synodi *Chalcedonensis ad sanctissimum Papam Romanæ Ecclesiæ, Leonem* : « Super cœlestem « sponsum inter nos conversantem nos cernere « putabamus : si enim ubi sunt duo aut tres « congregati in nomine Christi, ibi se in medio « eorum fore perhibuit, quantam circa quin- « gentos viginti sacerdotes peculiaritatem po- « tuit demonstrare, qui et patriæ et labori, suæ « confessionis notitiam prætulerunt? » Idem Christi testimonium eumdem in finem adhibuerunt Patres concilii II Constantinop. generalis V, coll. octavâ, tom. 5 Concil., pag. 563. S. Cœlestinus summus pontifex, Epist. ad Patres Ephesini concilii : « Non potest veritas men- « tiri, inquit, cujus in Evangelio ista sententia « est : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in « nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum ;* « quod cùm ita sit, si nec huic tam brevi nu- « mero Spiritus Sanctus deest, quantò magis « eum nunc interesse credimus, quando in « unum convenit tanta turba sanctorum! » Concil. tom. 3, pag. 614. S. Leo, epist. 93, aliàs 63, ad Theodoretum, c. 1 : « Quæ Dominus « nostro priùs ministerio definierat, universæ « fraternitatis irretractabili firmavit assensu : « ut verè à se prodiisse ostenderet, quod priùs « à primâ omnium sede formatum, totius chri- « stiani orbis judicium recepisset, ut in hoc « quoque, capiti membra concordent. » Vigilius Papa, Epist. ad episcopos Galliæ : « Ne- « cesse est, quoties in nomine Domini, ejus « famuli ad tractanda quæ sunt ipsi placita, « colliguntur, Sancti Spiritûs non deesse præ- « sentiam : ita enim Christi Dei nomine et « Salvatoris nostri mandata nos instruunt, qui- « bus ait Matth. c. 18 : *Ubi fuerint duo vel tres*, « etc. » S. Gregorius Magnus ad Joannem episcopum Constantinopolitanum, celeberrimum illud edidit effatum, de concilio Nicæno, Constantin. I, Ephesino et Chalcedonensi : « Si- « cut Evangelii quatuor libros, sic quatuor con- « cilia venerari me fateor. » Adhæsionis tam absolutæ rationem hanc subjicit : « Quia dùm « universali sunt consensu constituta, se et non « illa destruit, quisquis præsumit aut solvere « quos religant, aut ligare quos solvunt : quis- « quis ergo aliud sapit, anathema sit. » Lib. 1, Epist. 25, aliàs 24. Conciliorum generalium infallibilitati haud minùs suffragatur S. Ambrosius : ea vocavit « hæreditaria signacula, « nullius temeritate violanda. » Lib. 3 de Fide, cap. 15. S. Augustinus, lib. 1 de Baptismo, cap. 7 : « Quæstionis hujus obscuritas, inquit, « de validitate baptismatis ab hæreticis admi- « nistrati, prioribus Ecclesiæ temporibus, ante « schisma Donati, magnos viros et magnâ cha- « ritate præditos Patres episcopos ita inter se « compulit salvâ pace disceptare atque fluctua- « re, ut diù conciliorum in suis quibusque re- « gionibus diversa statuta nutaverint, donec « plenario totius orbis concilio, quod saluber- « rimè sentiebatur, etiam remotis dubitationi- « bus firmaretur. »

Alia sponte occurrunt id genus testimonia polemicos apud scriptores de conciliis : at silentio præterire non possumus insigne concilii Senonensis ann. 1528 decretum, quod gravissimis asserit rationum momentis : « Cùm cer- « ta sit, inquit, et infallibilis Ecclesiæ regula, « nec aliquando invisibilitatis prætextu tandem « eludi queat, ea profectò sacris generalibus « conciliis auctoritas denegari non potest, quæ « proximè universalem repræsentant Eccle- « siam : his enim conciliis si ea decernendi « quæ ad sinceritatem fidei et extirpationem « hæresum, Ecclesiæ reformationem et morum « integritatem pertinent, potestas adimatur, « nihil certum, nihil stabile futurum est, nihil « denique quo hæreticus ab orthodoxo possit « internosci, cùm ille frequenter tum impen- « dio loquacior, tum pervicacior, pluribus licet « perperàm intellectis Scripturarum testimo- « niis, glorietur : nec erat quo veterum quo- « rumdam hæreticorum retunderentur insul- « tus, nisi ecclesiastici proceres, Apostolorum « exemplo, concilia celebrâssent, quibus Sancti « Spiritûs auctoritatem ferocientibus illis et « rerum humanarum scientiâ tumentibus op- « ponerent, quo fit, ut si conciliorum au- « ctoritati sub hâc temporum calamitate tan- « tillùm depereat, protinùs velut ab inferis su- « scitandæ sint, damnatæ omnes hæreses. »

Advocato Christi testimonio sic eadem disserit synodus : « Quòd si ubi duo vel tres in « nomine Domini congregantur (licet sibi ipsi « relicti falli possint), continuò tamen in medio « eorum sit Dominus, quantò magis ubi sum- « mus pontifex, cæterique primores Ecclesiæ « conveniunt! » Ex dictis colligitur, indubitatâ traditione constare, absolutum conciliis generalibus deberi obsequium ; non posse unquàm illa sine lethali temeritate violari ; subjacere verendo anathemati, quicumque illis obtrectaverit ; irretractabili assensu firmari quæ de fide

moribusque definierint, eorumque decretis dubitationem omnem depelli : eludi non possunt consecutiones illæ, nisi dicatur, quod à ratione et à verisimili abhorret, ignoratum perpetuò fuisse in Ecclesiâ et ab Ecclesiâ quæ sit constitutio, qualis sit auctoritas primarii et summi illius tribunalis ad quod deferuntur, quando id factu necessarium, vel opportunum duxerit, graviora Religionis negotia, solemni simul et ultimo terminanda judicio.

Solvuntur objecta.

Opposuêre interdùm Protestantes generalibus conciliis, non solùm generalia quædam concilia, sed particulares quasdam synodos, imò et nonnulla quæ semper reprobata sunt à Catholicis, conventicula. Ea duntaxat perstringemus, quæ expositionem aliquam, seu dilucidationem postulare videantur. Mirum sanè, repertos esse qui effutirent pugnantia locutos esse, ipsos in Hierosolymitanâ synodo Apostolos, cùm et negarent ad cæremonias ritusque legis Mosaicæ adigendos esse gentiles, et eosdem tamen juberent à *suffocato et sanguine* abstinere ; eâ moderatione utendum sibi putaverunt Apostoli, tum ut faciliùs Judæos ad legis evangelicæ professionem adducerent, tum ut à paganismi superstitionibus neophitas faciliùs averterent : « Suffocatis, inquit Origenes, nobis interdicitur, quia sanguis ex eis non « est excretus, cujus exhalatione dicunt pasci « dæmones, ne vescamur cibo dæmonum, et « ne fortè simul nobiscum edant dæmones, si « suffocatum edamus ; quod autem de suffocato « dictum est, satis indicat, cur à sanguine abstineatur. » Lib. 8 contra Celsum. Cæterùm à suffocato et sanguine conversi deterrebantur gentiles apostolico duntaxat præcepto, non vi legis Mosaicæ, quæ et tunc erat abrogata, et quâ, tum etiam dùm vigebat, gentiles non tenebantur. Expendendo Arianismi facto, satis ostendimus concilium Nicænum, generale primum, consecrandâ voce, ὁμοούσιος, *consubstantialis*, non adversari synodo Antiochenæ anno 272, quæ vocem illam improbaverat : hanc enim repudiavit ea synodus, ad convellendam Pauli Samosatensis hunc in modum ratiocinantis argumentationem : « Si Christus non ex « homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri, atque hinc necesse est tres esse « substantias : unam priorem, duas verò ex illâ « procedentes. » Prædictam autem vocem veluti quamdam fidei tesseram adhibuerunt Patres Nicæni, ut expressiùs significaretur, eamdem esse Patris æterni, ejusque Filii unigeniti naturam et substantiam : ita nodum hunc planè dissolvit S. Athanasius lib. de Synodo Ariminensi et Seleuciensi. Ad ea jam deveniendum quæ aliquantò plus difficultatis præ se ferre videantur.

Objiciès 1° : Quintam synodum, quæ tria celeberrima condemnavit capitula, recenseri debere inter œcumenica concilia, extra dubium est : hanc habuerunt œcumenicam quæ post eam celebratæ sunt synodi ; approbata fuit à Vigilio Romano pontifice, et ejusdem successoribus, Pelagio II, Leone II, Martino I, atque inprimis Gregorio Magno, qui quatuor prioribus conciliis eam annumeravit, quæ sicut quatuor Evangelii libros colere se profiteretur ac venerari; hanc tamen generalem quintam synodum, quamvis forent ex Italiâ, tum ex Galliâ, et maximè ex Hispaniâ, qui diù abjecissent, illi tamen ab unitate Ecclesiæ neque præcisi aut alieni existimati sunt.

Resp. 1° : Tali argumento nedùm deteratur ac imminuatur conciliorum generalium auctoritas, imò inde magis ipsa confirmatur atque extollitur : qui enim synodum quintam agnoscere pro œcumenicâ renuebant, eâ ratione impellebantur, quòd pertimescerent, ne quid Chalcedonensi detrahere synodo viderentur, quam œcumenicam habebant, et acerrimè tuebantur ; errore itaque facti, non juris, synodum quintam repudiabant, hanc ideò non reputantes conciliis accensendam œcumenicis, quia cum alterâ cujus œcumenicitatem, ideòque infallibilitatem prædicabant, illam cohærere non posse præjudicarent : hinc Pelagius epistolâ 14 encyclicâ ad omnes Ecclesias, studet inanem illam suspicionem penitùs explodere : « Et possemus quidem, inquit, totius « causæ rationes ad sedandos rumores homi« num, divinâ nobis cooperante misericordiâ, « fiducialiter explicare : nihilque contra fidem « Patrum, contraque quatuor synodorum firmitatem, ullatenùs esse tentatum, lucidissimis probationibus demonstrare. »

Exortura dissensionum semina, quasi præviderant ipsi Patres quintæ synodi ; profitentur enim collatione tertiâ, « se per omnia et in « omnibus sequi et suscipere sanctas quatuor « priores synodos, » Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam et Chalcedonensem; declarationem eamdem octavâ et ultimâ collatione iterandam curaverunt.

Resp. 2° : Œconomiæ causâ dissimulârunt Romani pontifices, ne si quid severiùs exige-

rent, luctuosum in schisma conjicerent ingentem Christianorum multitudinem Romanæ Ecclesiæ communioni adhærentium ; eorum sedandas esse mentes rebus magis ac magis in dies enucleandis, haud incassùm speraverunt: illam secuti sunt S. Augustini prudentissimam admonitionem, Epist. 63 : « Non asperè, quan-« tùm existimo, non duriter, non modo impe-« rioso ista tolluntur : magis docendo, quàm « jubendo ; magis movendo quàm minando ; sic « enim agendum est cum multitudine peccan-« tium ; severitas autem exercenda est in « peccata paucorum. »

Verùm indulgentiâ ita usi sunt summi pontifices, ut veritatis causam non prodiderint, nec quidquam debitæ concilio quinto venerationi adimendum judicaverint ; hinc epist. ad Constantium Mediolanensem S. Gregorius Magnus, etsi remissione et veniâ utendum esse fatcatur, et œconomico silentio, eâdem tamen epistolâ declarat, si quis episcopus juraret non à se damnata esse tria capitula, eum ab universâ Ecclesiâ dimoveri. Vide dissertationem 19 Thomassini in quintam synodum.

Objicies 2° : Œcumenicitatem concilii Lateranensis quinti multa suadent ; ad illud vocati sunt ex orbe toto christiano episcopi ; synodo præfuerunt Julius II, Romanus pontifex, ipsiusque successor Leo X ; adfuêre cardinales 18, patriarchæ duo, episcopi 114, aliique plures inferiores prælati ; adfuêre per suos legatos Maximilianus imperator, reges Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Lusitaniæ, duces et marchiones Venetiæ, Mediolani, Mantuæ, Brandeburgensis, Montisferati ; nihilque ad adscribendam synodo V Lateranensi generalis rationem concilii, desiderari potuit : hâc autem in synodo sess. 11 definitur, « solum Romanum pontificem, tan-« quàm super omnia concilia auctoritatem ha-« bentem, conciliorum indicendorum, transfe-« rendorum ac dissolvendorum plenum jus et « potestatem habere, nedùm ex sacræ Scrip-« turæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, « ac aliorum Romanorum pontificum, sed pro-« priâ etiam eorumdem conciliorum confessione « manifestè constat. » Hanc verò superioritatem, seu in ipsa concilia generalia summam auctoritatem reprobaverat expressè, duobus decretis, ut notum est, synodus Constantiensis : ergo pugnare inter se possunt generales synodi. Eâdem cum synodo Constantiensi quomodò conciliari possit Florentini concilii decretum, quo definitur, pontifici Romano, « in beato « Petro pascendi et regendi ac gubernandi uni-« versalem Ecclesiam a Domino Jesu-Christo « plenam potestatem traditam esse ? » — Resp. : Pertractandi quæ ad concilii generalis in ipsum Romanum pontificem, auctoritatem pertineant, proprius offeretur locus, ubi referemus, ac illæsâ quæ sedi Apostolicæ debetur veneratione, vindicabimus quatuor propositiones assertas à clero Gallicano in comitiis anni 1682. Nunc satis erit solutiones promere quibus concilia conciliis non repugnare ostendatur.

Hoc unum voluerunt Patres concilii Florentini, Romano pontifici traditam esse in beato Petro plenitudinem et universalitatem potestatis quæ ad omnes et singulas Ecclesias extenditur ; eo planè sensu quo Martinus V in concilio Constantiensi, cùm Wiclefi retulisset istum articulum : « Non est de necessitate sa-« lutis credere Romanam Ecclesiam esse supre-« mam inter alias Ecclesias, » discriminatim ita pronuntiavit : « Error est, si per Romanam « Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, « aut concilium generale, aut pro quanto nega-« ret primatum summi pontificis super alias « Ecclesias particulares. » « Ad concilium Late-« ranense V, quod multò expressiùs loquitur « quàm Florentinum, inquit Duvallius ipse, « variæ sunt responsiones. Quidam enim aiunt « non fuisse propriè et verè generale, cùm ei « vix centum episcopi interfuerint ; alii dicunt « etiamsi concilium absolutè fuisset generale, « quod adhuc propter episcoporum paucitatem « relinquitur incertum, tamen rem ipsam ut « decretum fidei catholicæ non definivit : nulla « enim in verbis concilii nota apparet, ex quâ « fidei definitionem colligamus : nam nec ana-« thema pronuntiat in eos qui contra sentirent, « nec dicit se hoc expressè aut propriè defi-« nire, aut esse de necessitate salutis, vel quid « simile ex quo definitio colligatur. » Tractatu de supremâ pontificis auctoritate, parte quartâ.

Ad illas Duvallii adnotationes, adjungemus duntaxat contractam hanc Bossuetii responsionem : postquàm dixit, Gallicanæ Ecclesiæ non admodùm stabilem videri, sicut nec Bellarmino ipsi visa est Lateranensis concilii V auctoritatem, decretum illius hunc in modum interpretatur : « Jam quòd in Lateranensi sy-« nodo dicitur Romanum pontificem supra om-« nia concilia potestatem habere, primùm qui-« dem vidimus, non definiendo, sed narrando « esse positum, quod Constantiensibus eâ de « re definitionibus prævalere non potest ; tum « ex tenore verborum, eò referendum esse, ut « pontifex concilia indicere, transferre, ac

« dissolvere valeat, quod nec ad quæstionem « nostram, nec ad ea quæ tuemur decreta Cons- « tantiensia pertinere sæpè ostendimus. » Defens. Declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 10, cap. 18.

De sententiâ depositionis latâ in Fridericum II imperatorem, ab Innocentio IV, in concilio Lugdunensi I, anno 1245, disserendum nobis erit, asserendâ principum secularium in temporalibus independentiâ ; idcircò satius videtur eam nunc quæstionem prætermittere, quàm leviùs attingere. De cæteris autem quæ hìc non prosequimur, eò quòd vel solutu obvia, vel ad nostrum non referantur institutum, aliosque ad tractatus pertineant, consule, si libuerit, Bellarminum lib. de conciliorum auctoritate cap. 8; Tournely de Ecclesiâ, tom. 1, pag. 394 et seq.

Objic. 3° : Epist. S. Gregorii Nazianzeni ad Procopium, hæc leguntur : « Ego, si vera « scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem « episcoporum conventum fugiam; quoniam « nullius concilii finem lætum et faustum vidi, « nec quòd depulsionem malorum potiùs quàm « accessionem et incrementum habuerit. » Longè ergo aberat S. Gregorius Nazianzenus ab attribuendâ conciliis ipsis generalibus assistentiâ Spiritûs sancti, quâ sublatâ elabatur necesse est infallibilitatis donum. — Resp. : Allato testimonio plurimùm abutuntur Lutherus et Calvinus, eorumque sectatores : sed 1° S. Gregorius loquitur duntaxat de conciliis sui temporis, de conciliis quæ viderat ; at laudibus extollit Nicænam synodum generalem primam. « In sancto concilio Nicææ habito, « inquit oratione in laudem magni Basilii, « atque illo trecentorum, et duodevigenti lec- « tissimorum virorum numero, quos Spiritus « sanctus in unum collegerat, quantùm in ipso « fuit, morbum (Arianam pestem) compres- « sit. » 2° Habitâ etiam ratione conciliorum sui temporis, vel non attendit nisi ad particulares quasdam synodos, vel si respiciat ipsum quoque Constantinopolitanum concilium, generale secundum, cui post mortem S. Meletii præfuerat, non in eo redarguit nisi contentiones ac dissidia quorumdam episcoporum, quæ illum ad abdicandum episcopale munus compulerant ; ad illas dissensiones alludere S. doctorem declaratur verbis, quæ objectâ in Epist. subjiciuntur : « Pertinaces, inquit, con- « tentiones, et dominandi cupiditates... ne « ullis quidem verbis explicari queant. » At quod spectat ad confirmandam fidem, retundendasque hæreses, nusquàm subindicavit, felici caruisse exitu generalem secundam synodum, cujus pars egregia fuerat, et in quâ Macedoniani qui Spiritui sancto bellum indixerant, proscripti, atque anathemate, ad fide catholicæ præsidium ac decus, feliciter perculsi sunt.

Objicies 4° : S. Augustinus de Baptismo contra Donatistas, cap. 3, testatur « non so- « lùm ipsa concilia quæ per singulas regiones « vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum « auctoritati quæ fiunt ex universo orbe chris- « tiano, sine ullis ambagibus cedere, ve- « rùm et ipsa plenaria, sæpè priora, posterio- « ribus emendari, cùm aliquo rerum experi- « mento aperitur quod clausum erat, et « cognoscitur quod latebat. » Ergo infallibilitate nec ipsa prædita sunt concilia generalia, cùm emendationi et mutationi subjaceant. — Resp. : Non eò collineat illa S. Augustini adnotatio, ut in fide ac moribus allucinari possint generales ipsæ synodi, quarum aliunde, ut ex probationibus nostris colligitur, haud ambiguè prædicat inerrantiam ; quis sanâ mente putaverit, conciliis universalibus voluisse S. Augustinum firmam auctoritatem abrogare ipsis in operibus contra Donatistas elucubratis, cùm non aliâ magis ratione illos à rebaptizatione deterreat, quàm quòd à plenarii concilii eam proscribentis auctoritate recederent? pro viribus enim adnititur ut evincat, disceptandæ illorum causæ locum relinqui nullum, postea quàm *ad concilii plenarii auctoritatem roburque perducta est.*

Sed, ut observat doctissimus Thomassinus, de ejusmodi causis disserit S. Augustinus, quæ ita in conciliis quibuslibet definiuntur, ut si nova comperiantur quæ priùs latuerant, experimenta rerum, seu argumenta et instrumenta, convincendis sceleribus idonea, tunc necesse sit renovari judicium et in contrarium fortassis reflecti sententiam. Ita S. Augustinus epist. 250, Cæciliano anathema vel post mortem inferendum profitetur, si fortè vera esse comperirentur imputata ipsi crimina, tametsi ille et Romano et Arelatensi concilio absolutus fuisset ; dogmaticis autem in decretis condendis concilia diriguntur verbo Dei scripto vel tradito, non supervenientibus *novis rerum experimentis,* quæ ad facta duntaxat personalia revocantur.

Inst. 1° : Citato in capite lib. de Baptismo, sermonem de ipsâ doctrinâ instituebat S. Augustinus : Donatistas redarguit Catholicis obji-

cientes, *Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani concilium;* canonicam asserit Scripturam suis ita terminis contineri, ut de illâ omninò dubitari, et disceptari non possit, *utrùm verum, vel utrùm rectum sit, quidquid in eâ scriptum esse constiterit.* At ipsa plenaria concilia sæpè rerum experimentis putat emendari; haud sibi cohæreret, neque proposito congrueret talis argumentatio, nisi dogmaticas etiam complecteretur controversias. — Resp. cum Honorato Tournely, ad institutum S. Augustini satis fuisse demonstrare non tantùm privatos episcopos, sed et concilia quæ per singulas regiones et provincias habentur, imò et plenaria posse errare, quamvis in diverso planè genere; concilia nempe particularia, non tantùm in factis, sed etiam in fide, plenaria verò in factis duntaxat personalibus; gradatim enim veluti progreditur S. doctor, servatis, ut aiunt, servandis, nec adæquandis concilio generali particularibus synodis. Scitè jam responderat illustriss. Bossuetius, Defens. Declarat. Cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 13, cap. 18, nihil prohibere quominùs occasione fidei, S. Augustinus « de conciliorum « decretis universim tractet, atque ab uno « casu transeat ad alios quibus priora concilia « etiam plenaria à posterioribus emendari « possint; agebat enim adversùs Donatistas « universæ Ecclesiæ contemptores, qui proinde « conciliorum auctoritatem, non illâ à Christo « Ecclesiæ universali factâ promissione, sed « humano more æstimabant, quâ quidem in- « tentione, sufficit ut probet Donatistis, ante- « riùs habitum Cypriani concilium objicienti- « bus, posteriora concilia anterioribus meritò « anteponi, iis certè casibus, in quibus esse « possit emendationi locus. » Præterea, cùm S. Augustinus declarat *concilia ipsa plenaria sæpè priora posterioribus emendari*, commemorat quod factum fuerit, etiam ante tempus, quo loquitur; quæ verò S. Augustinum antecesserant generales synodi, Nicæna et Constantinopolitana prima, numquid igitur dogmaticum ullum decretum Nicæni concilii fuerat emendatum à synodo Constantinopolitanâ generali? Deinde, cùm mortuus sit S. Augustinus anno 430, ac proinde antequàm celebraretur Ephesina synodus œcumenica tertia, quæ habita est anno 431, nullum aliud generale concilium, præter Nicænum primum, potuisset ab alio generali, nempe Constantinopolitano primo, ante S. doctoris mortem emendari; quò igitur pertineat, quam adhibet vox illa *sæpè*, nisi per plenarias synodos, non œcumenicas tantùm, et universalis Ecclesiæ, sed plenarias Africæ, eo tamen discrimine, quòd in quæstionibus ad fidem aut mores spectantibus, nec emendationi, nec mutationi obnoxium sit ullum concilium œcumenicum, quamvis in factis *personalibus* et particularibus non dogmaticis, seu in factis quæ *rerum experimentis* possint explorari, ipsum errare queat et emendari à posterioribus conciliis. Consule Thomassini dissertationem 19, in synodum V œcumenicam.

Inst. 2° : Lib. 2 contra Maximinum Arianum, cap. 14, S. Augustinus ita constituit disputandi rationem, quasi hæreticum illum fateatur auctoritate concilii Nicæni primi generalis non teneri: « Nec ego, inquit, Nicænum, « nec tu debes Ariminense, tanquàm præjudi- « caturus, proferre concilium; nec ego hujus « auctoritate, nec tu illius detineris. » — Resp. : Alienatam prorsùs à synodo Nicænâ cùm videret Maximini mentem S. Augustinus, auctoritatem advocat Scripturarum, quo quidem ex divino armamentario, aptissima quoque errori confodiendo tela deprompturum sese meritò confideret; aliud est procul dubio seponere ad tempus concilii alicujus licet œcumenici et infallibilis auctoritatem; aliud verò concedere, hanc posse licitè vel negari, vel in dubitationem adduci; duplex in Ecclesiâ suppetit via hæreticos debellandi, auctoritatis scilicet et discussionis; hanc dùm usurpant catholicæ defensores fidei, non idcircò excusatos volunt pertinaces conciliorum etiam generalium auctoritatis contemptores, verùm ad frangendam eorum contumaciam, aliam pro rerum adjunctis tentant viam quæ ipsis feliciorem exitum spondere, utcumque videatur.

Objicies 5° : Synodo generali si concedatur absoluta et continua Spiritûs sancti assistentia, jam non differrent à Scripturis sacris dogmatica conciliorum generalium decreta; idcircò enim dicuntur Spiritu sancto afflati scriptores sacri, quia ejus lumine et impulsu indesinenter diriguntur; omnibus tamen etiam Catholicis confitentibus, plurimùm discriminis intercedit sententias inter Scripturæ sacræ et definitiones concilii generalis. — Resp. : Ex alibi assertis desumi potest solutio hujusce argumenti, adeò inter se connexæ sunt, quas edisseruimus quæstiones; hic tamen paulò latiùs excutiendum; ad rationem canonicæ Scripturæ non sufficit simplex Spiritûs sancti

assistentia : nempe, ut rectè observat D. d'Argentré, Element. Theologicis, cap. 4, « Scripturæ sacræ veræ simul et divinæ sint, necesse est; atqui licet auxilium istud Spiritûs Dei præsentis ac dirigentis omninò sufficiat ad astruendam sacrorum librorum veritatem (neque enim aberrare potest auctor quem Spiritus, veritas præsens adjuvat et regit), non tamen sufficere unquàm potest, ut libri iidem sint divini, ac censeantur continere verbum Dei; nam verbum Dei debet esse à Deo prolatum et dictatum; atqui solâ Spiritûs divini præsentiâ non efficitur, ut prolatum sit et dictatum à Deo verbum illud, quod ex hypothesi non à Deo afflatum, sed humano ingenio conceptum est, ac proinde origine suâ humanum, quantùmcumque sit aliunde, propter auxilii divini præsentiam verum ac certum, nullique prorsùs errori obnoxium. »

Hoc ut penitiùs intelligatur, tria sunt accuratè secernenda, revelatio, inspiratio, assistentia; revelatio est ignotæ antea veritatis facta divinitùs manifestatio : v. g., revelatum est, ex Virgine nasciturum Emmanuel, seu Christum Messiam ; inspiratio est motus quidam insolitus, et incitatio interior, quâ quis impellitur et applicatur ad scribendum et agendum, illæsâ quidem libertate, sic tamen ut habeatur *tanquàm calamus scribæ velociter scribentis*. Specialis assistentia nihil est aliud quàm auxilium peculiare quo adjuvat et providet Spiritus Dei, ne quibus illud conceditur, deflectant à tenendâ, proponendâque veritate. « Peculiare istud auxilium, inquit d'Argentré, à communibus gratiæ auxiliis in hoc potissimùm differt, quòd hæc pios auctores quibus conceduntur, ab errore immunes non reddunt, at illud ab omni prorsùs errore servet, nec certè ab ipsâ Christi per Spiritum suum præsentiâ discrepat, quam Christus, Matth. cap. 28, Ecclesiæ promisit *usque ad consummationem seculi.* » Quantùm autem à verbo Dei differat idem illud præsidium, indicari potest familiari istâ comparatione : quod exaravit discipulus, neque dictante aut suggerente magistro, neque manum ipsius tenente, id propriè non habetur magistri eloquium, licet efficaciter invigilantis, ne quid pravi obrepat in scriptionem discipuli. Porrò ad rationem canonicæ Scripturæ non sufficit specialis hæc assistentia : necessariò requiritur inspiratio, sive divinus afflatus, qui auctoris sacri mentem vividiùs illuminet, ac voluntatem quasi propiùs afficiat, et distincto magis impulsu adhibeat, ut scribantur, quæ Deus mandari literis voluerit. Hinc dicitur ab Apostolo, 2 ad Timoth. cap. 3, v. 16 : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum;* hinc legitur secundâ Petri, cap. 1, 21 : *Spiritu sancto inspirati* (φερόμενοι), *locuti sunt sancti Dei homines.* Quod verò ad revelationem propriè dictam attineat, multa sunt in Scripturis, quæ absque revelatione hujusmodi innotescere non potuerint. Talia sunt mysterium S. Trinitatis, incarnatio Verbi divini, ejusdem in cruce immolatio, institutio sacramentorum, etc.

Et dictis facilè concipitur discrimen quod intercedit canonicas inter Scripturas, et synodorum generalium decreta; universalibus ipsis in conciliis nulla suppeditatur nova revelatio quæ ad publicum fidei depositum pertineat; neque talis ulla hominibus unquàm collata est ab ætate Apostolorum : verbum quidem Dei scriptum vel traditum interpretantur, evolvunt, elucidant, atque ab alienis vindicant expositionibus generales præsertim synodi ; nec tamen eorum definitiones sunt, aut esse putantur ipsum Dei verbum; aliud est enim afflante Spiritu sancto loqui, aliud eo assistente revelatam veritatem dignoscere atque infallibili judicio declarare ; quin et ipsa hæc assistentia non tam latè patet in Patribus concilii generalis quàm in canonicis scriptoribus; synodos enim generales quibusdam in rebus ad fidei negotium et incolumitatem non spectantibus, ut puta personalibus plurimis in factis aberrare posse, in confesso est apud omnes Catholicos.

Objicies 6° : Conciliis ipsis generalibus non sic adesse Spiritum sanctum, erroneis ut definitionibus sint omninò impervia, ex eo colligitur, quòd sicut cæteri hominum conventus imbuantur sæpè malesuadis cogitationibus, obstinatis nonnunquàm collidantur inter se contentionibus, aut metu aliquando inducantur ad erroris cui damnando destinarentur, approbationem et patrocinium ; hæc autem cum divinâ et absolutâ infallibilitatis promissione, quo pacto cohæreant? — Resp. : Largitur quidem Deus auxilia gratiæ, et quidem potissimùm congregatis ipsius nomine ad fidei defensionem pastoribus, quorum ope et abigere præjudicata, et cupiditatibus imperare valeant; in eo maximè exeritur summa Dei et sapientia et potestas, ut ex ipsis hominum depravatis affectibus eliciat quandoque admirandum propositi sui exitum; alia inter exem-

pla quæ mentem subeunt, illud æternâ dignum recordatione, quòd ex ipsâ Judæorum obcæcante malitiâ, indomitâque contumaciâ, optatam generis humani redemptionem eduxerit; ita potest generalibus in conciliis, quæcumque primâ fronte videantur erroris semina; fomentaque comparari, eò tandem animos arcanâ præsidii subministratione adducere, ut obicibus ruptis, quasi lux dissilientibus nebulis effulgeat veritas, incorruptaque permaneat.

Fieri quidem potest ut incusso timore sic dejiciantur convocati generalem ad synodum episcopi, ut in transversum acti, commissam sibi causam fidei miserabiliter deserant; ideò diximus inerrantiâ pollere concilium, quamdiù universalem repræsentat Ecclesiam, sed hanc repræsentare tum desinit, et œcumenicitate destituitur, cùm timoris impulsu graviter perculsi deficiunt à legitimè incœptis episcopi; tunc enim suam illis causam demandare non censetur Ecclesia, sicut nec humanis in contractibus et negotiis, mandantis munere jam ille non fungitur, qui metu correptus contrariam in partem declinaverit. Ingruente autem notorio metu, aut malo intentato jam ingravescente, si, quod avertat Deus, optimus! resiliret à defensione fidei, et errori assentaretur generalis convocatione synodus, haud idcircò dissiparetur et insuperabili careret præsidio catholica fides; universalis etenim reclamaret Ecclesia, et obstaret immutabili subnixa promisso, ne quid detrimenti sacrum illud depositum pateretur, cujus à patrocinio nullâ unquàm ratione potest divelli.

Objicies 7° : Nihil prodest adscripta conciliis generalibus infallibilitas, nisi certò illorum possit innotescere fidelibus œcumenicitas; quali autem modo extundi valeat certa illa de quocumque concilio œcumenico notitia? 1° Utrùm ad conciliandam synodo generali absolutam, indivulsamque fidem, oporteat synodum esse à summo pontifice confirmatam? hâc de quæstione litigant inter se catholici theologi; 2° compertum esse deberet coactos in concilium episcopos, adhibuisse necessariam in investigandâ veritate diligentiam, exploratis, quantùm postulat rei gravitas, Scripturis et traditionibus; 3° quin etiam opus est cognitu, qui judices putantur divinitùs constituti, illos et verè fuisse baptizatos, et episcopali insignitos charactere; at quo argumenti genere constare possit de variis illis conditionibus? — Resp. : De concilii alicujus œcumenicitate posse nobis constare, 1° fide humanâ historicâ, quæ rationabilem omnem dubitationem repellat; qui enim synodo præsentes adfuerint, cernere potuerunt utrùm in eamdem confluxerint, quæ ad legitimam requirantur synodum, ejusque deinde œcumenicitatem testatam facere absentibus, magisque ac magis promulgatam prodere memoriæ, transvehendis seras etiam ad ætates monumentis; quare, inquit Bellarminus de conciliorum Auctoritate, lib. 2, cap. 9, « quemadmodùm fuisse quondam consulem « Ciceronem, Julium Cæsarem dictatorem, « Octavianum cum Antonio prælio navali de- « certâsse, et alia id genus, etsi ex fide humanâ « pendeant, tamen adeò certa sunt, ut eviden- « tiam quamdam habere videantur, sic etiam « concilia Ecclesiæ, quæ nos legitima fuisse « dicimus, tot habent testimonia omnium æta- « tum, ut nihil dubitationis in animis nostris « relinquant, quominùs credamus, talia fuisse, « qualia dicuntur. » 2° De conciliorum œcumenicitate certissimè et potissimùm constare potest Ecclesiæ universalis consensione et approbatione subsequente; hanc enim œcumenicitatem ignorare nequit disseminata totum per orbem Ecclesia, neque habere pro œcumenico concilium cui hunc ad finem necessaria desideraretur aliqua conditio.

Ut verò sigillatim diluamus tria quæ objectata sunt, sic reponimus, ad primum : Ubi disseretur de quatuor celeberrimis Cleri Gallicani propositionibus, ostendetur auctoritatem suam non mutuari à Romano pontifice synodum generalem, quamvis et illud convocare, et ei præesse, ad eum ut caput Ecclesiæ pertineat; nobis nunc non in dissidia theologorum catholicorum expendenda, sed in asserendum dogma catholicum unicè intentis, omninò satis est negari non posse, infallibilem habendam esse generalem synodum, saltem modò adjuncta sit Romani pontificis approbatio.

Ad secundum : Fatemur ipsis in generalibus conciliis adhibendam esse idoneam enucleandis dirimendisque controversiis diligentiam; ipsâ in synodo Hierosolymitanâ, in quam convenerant Apostoli et presbyteri, *facta est*, ut ait S. Lucas, solvendæ causâ propositæ de legalibus quæstionis, *magna conquisitio;* Nicænâ in synodo, ut Rufinus tradit, per singulos dies agitabatur conventus, nec nisi post diutinum multumque tractatum profligatus est Arianismus; neque enim existimandum est torpentibus desidiâ et oscitantibus Patribus Spiritum sanctum specialiter assistere; at saltem, quando ab universali Ecclesiâ acceptatum est, et inter

œcumenica computatum aliquod concilium, ambigere non licet, quin impensa in illo fuerit necessaria et sufficiens componendis ac finiendis quæ delatæ fuerint controversiis diligentia et conquisitio; id Christi ex promissionibus indubitanter sequitur : ut enim fert verè etsi minùs latinè prolatum axioma : *Qui dat finem, dat consequentia ad finem.* « Quòd si Deus, ait « optimè Melchior Canus, in sequentem annum « frugum abundantiam polliceretur, ecquid « stultius esse posset, quàm dubitare anne homines semina terræ mandaturi sint? Certè si « severint, metent; si non severint, non metent; « sed ex Dei pollicitatione colligimus, non solùm proprias cœli conversiones, quibus omnia quæ terra gignit, uberiora proveniunt, « sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam; non enim frugum abundantia illa « promissa, nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. » De Auctoritate concil. lib. 5, cap. 5. Æternam profectò vitam si cuiquam Deus promitteret ac sponderet, nonne efficacis illi conferret auxilia gratiæ, quibus beatam illam vitam assequeretur? *Videlicet quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit,* ad Rom. 8.

Ad tertium, resp. cum Bellarmino ibid. l. 2, c. 9, « non esse necessarium ut sciamus episcopos, qui ad concilium conveniunt, habere « veram fidem et veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium; nam « etiamsi summus pontifex, quod fieri non « posse credimus, et omnes episcopi, qui ad « aliquod generale concilium à summo pontifice convocantur, essent corde hæretici, et « solâ externâ professione catholici, nec verè « accepissent sacri ordinis invisibilem character, sed nudam impositionem manuum, tamen certi sumus Deum nunquàm permissurum, ut ejusmodi concilium in decretis suis « formandis erraret; assistit enim concilio « Spiritus sanctus, non tam propter ipsum « concilium, quàm propter Ecclesiam universam, quæ divino præcepto tenetur episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. » Verùm quæ disponit omnia suaviter, providentia non sineret, ut in concilium quod ab universâ crederetur legitimum Ecclesiâ, convenirent episcopi, aut omnes, aut majori numero non legitimi, aut non interiùs catholici, qui proinde repugnante propriâ sententiâ, decretum conderent omnibus Ecclesiis tanquàm credendi normam proponendum.

Objicies 8° : Conciliis œcumenicis annumeratur synodus Constantiensis, quæ tamen ab erroris maximè perniciosi crimine non potest eximi; ipsa enim datam hæreticis publicam fidem violari licitum esse docuit, et facto confirmavit; en solemne illud decretum : « Præsens sancta synodus ex quovis salvo conductu « per imperatorem, reges, et alios seculi principes, hæreticis vel de hæresi diffamatis, « putantes eosdem sic à suis erroribus revocare, quocumque vinculo se astrinxerint, « concesso, nullum fidei catholicæ, vel jurisdictioni ecclesiasticæ præjudicium generari, « vel impedimentum præstari posse seu debere « declarat, quominùs dicto salvo conductu non « obstante, liceat judici competenti et ecclesiastico, de hujusmodi personarum erroribus « inquirere, et aliàs contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantùm justitia « suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu « confisi ad locum venerint judicii, aliàs non « venturi; nec sic promittentem, cùm fecerit « quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse « obligatum. » Illud si vigeret decretum, hæreticis ad concilium generale accedentibus, datus à religioso principe salvus conductus, nedùm præstaret postulatam securitatem, laqueus potiùs illis evaderet atque pereundi occasio; in jus enim vocarentur, condemnarentur, traderentur seculari brachio, et plecterentur, perinde ac si nullus interpositus fuisset salvus conductus; nonne in publicæ fidei summum detrimentum illuderetur tunc miseris, qui cavillationem hanc si prævidissent, haud se in apertum conjecissent capitis periculum? hoc certè quale sibi immineret, si Joannes Hus fuisset suspicatus, Constantiam non venisset, rationem suæ redditurus fidei; litteras obtinuerat à Sigismundo imperatore, quibus ipsi permittebatur per loca quælibet ditionis imperatoriæ, *omni prorsùs impedimento remoto stare, morari, et redire liberè :* ea procul dubio securitatis promissio spectabat maximè ad tempus quo Constantiæ moraretur, cùm ad hæc præcipuè temporis adjuncta eam requirendam curavisset; attamen illâ in civitate, juridica de illo habita est quæstio; damnatus, interrogatus, et seculari traditus brachio, vivus combustus est; quò tandem abiit concessa ipsi *manendi et redeundi* libera facultas? — Resp. : Nullum redolet errorem, quod prolatum est à concilio Constantiensi de salvo conductu decretum; hoc uno totum innititur principio quod æquitati et rationi apertè con-

sonat : ex duabus scilicet potestatibus suo in ordine supremis, nulliusque imperio subjectis, unam prohibere non posse, quin suis altera, cùm id opportunum judicaverit, defungatur muniis, propositumque sibi scopum assequi contendat; cùm igitur potestas Ecclesiæ in spiritualibus (quod quidem hìc non vocatur in controversiam), minimè pendeat à secularis principis potestate, meritò declaravit synodus generalis Constantiensis, non eò usque valere concessum à seculari principe salvum conductum ut per illum, *fidei catholicæ vel jurisdictioni ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari possit ac debeat; nec sic promittentem, cùm fecerit quod in ipso est* (ut reipsà fecit imperator Sigismundus) *ex hoc in aliquo remanere obligatum :* princeps enim spondere non potuit, quod ejus prætergrederetur potestatem, neque auctoritatem minimè sibi subditam constringere.

Inst. 1° : Nisi vergeret in frangendam publicam fidem decretum synodi Constantiensis, non ipsi derogatum expressè fuisset in salvo conductu, quem Bohemis præbuit concilium Basileense, neque in illo quem Germanis Augustanæ præsertim confessionis suppeditavit concilium Tridentinum, cujus hæc verba referre satis sit : « Insuper omni fraude et dolo « exclusis verâ et bonâ fide promittit ipsam « synodum nullam vel manifestè vel occultè « occasionem quæsituram, aut aliquâ auctori- « tate, potentiâ, jure vel statuto, privilegio « legum vel canonum, aut quorumcumque « conciliorum præsertim Constantiensis et « Senensis, quâcumque formâ verborum ex- « pressâ in aliquod hujus fidei publicæ et ple- « nissimæ assecurationis, ac publicæ et liberæ « audientiæ ipsis per ipsam synodum concessæ, « præjudicium quovis modo usuram, aut « quemquam uti permissuram ; quibus hâc in « parte pro hâc vice derogat. » Totam hujusce salvi conductûs formam reperire est post sessionem 18 concil. Trident. — Resp. : Hæc derogatio nullius erroris aut criminis arguit synodum Constantiensem; si enim erravisse hanc synodum, et iniquè statuisse, judicavisset concilium Tridentinum, ut quid declarâsset illius sese decreto derogare velle *hâc vice?* numquid synodi Tridentinæ Patres reservatam sibi voluissent facultatem, eodem cui derogabant decreto, aliàs utendi, quamtùmvis iniquum foret, ac publicæ fidei contrarium? Præterea in salvo conductu quem subministrandum curaverunt, profitentur pariter sese nihil ex ullo jure, vel statuto, privilegio legum, vel canonum, aut quorumcumque conciliorum decerpturos esse, quod securitati, qualem Protestantibus offerebant, præjudicium afferre posset; num etiam juribus, statutis, legibus et canonibus quos indicant generatim, putaverunt fidem publicam labefactari?

Derogandi decreto concilii Constantiensis, hæc illis fuit causa, quòd, ut querelis suspicionibusque omnem aditum efficaciùs præcluderent, amplissimum voluerint suppeditare Protestantibus salvum conductum, solitoque jure latiùs patentem; atque idcircò nominatim derogare decreto sessionis 19 concilii Constantiensis, quo salvi conductûs tabulæ per imperatorem, reges et alios seculi principes, hæreticis hominibus, vel de hæresi suspectis concessæ, ita restringebantur, ut iis non obstantibus, ecclesiastici judices de illorum erroribus quæstionem habere, et in eos ex canonum ac legum severitate agere possent, et animadvertere; quapropter hæc inter alia, Tridentini Patres apposuerunt : « Illo etiam « addito, ut religionis prætextu, aut delictorum « circa eam commissorum (à Protestantibus), « aut committendorum minimè puniantur, « impertitur, ac omninò concedit (Tridentina « synodus). » Deinde subjicitur : « Ut quan- « documque ipsis libuerit, aut majorum suo- « rum mandato et assensu ad propria reverti « optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox « absque ullâ renitentiâ et occasione, aut « morâ, salvis rebus eorum, et suorum pariter « honore et prorsùs vice versâ, possint juxta « beneplacitum liberè et securè redire. » Haud absimilia statuit synodus Basileensis, ad sedandos et alliciendos Bohemorum animos.

Inst. 2° : Concilii Constantiensis stante decreto, flocci penderentur, nihilque juvarent solitâ formâ concessi hæreticis omnes salvi conductus; quid reipsà præstarent? Si enim accedentes ad synodos hæretici parati essent earum statutis obsequi, jam salvo conductu non indigerent; non esset timendum ne sæviret concilium in homines errorem suum verè abjicientes et condemnantes; si autem, ut solet, veniant dogmata sua non repudiaturi, sed pro aris et focis tenaciter defensuri, quænam ipsis sors imminet, si valeat synodi Constantiensis disciplina? Anathemate primùm percellentur; seculari deinde judici tradentur legum severitatem experturi. — Resp. : Hoc unum declaravit, ut diximus, synodus Constantiensis, quod certissimum est, nec ignorare potuit Joannes

Hus, potestati principum non subjacere in spiritualibus Ecclesiam, neque igitur salvo conductu quem concederent subducendos esse hæreticos ecclesiasticæ jurisdictioni secundùm canones exercendæ ; hinc de salvo conductu quem Joanni Hus dederat Sigismundus imperator, scribebat Joannes Cochlæus l. 2 Historiæ Hussitarum : « Concilium à justitiæ complemento, in tam manifesto animarum et religionis periculo, prohibere non debuit, nec ullo jure potuit ; » nec etiam voluit religiosus ille princeps : namque, ut ibidem testatur Cochlæus, « fecit quantùm debuit aut decuit; « sæpè ab ipso Joanne Hus petiit, ut submitteret se concilii judicio; ut hæreses abjuraret; « ut nolit pertinaciter sæpè damnatos asserere « articulos; atque etiam prædixit, ni desisteret « ab eâ pertinaciâ, fore ut concilium suo in « ipsum jure usurum esset, juxta censuram « sacrorum canonum; quinimò in faciem ei « dixit, se concilio promisisse, si ipse pertinaciter articulos erroneos assereret, quòd « nullum hæreticum vellet manu tenere, imò « mallet per sese et solus pertinacem hæreticum comburere quàm defendere. » In Historiâ quam auctor Hussita inscribere non dubitavit : *Historia sanctissimi martyris Joannis Hus,* sic Patres Constantienses alloquitur imperator : « Multa, eaque gravissima, Joannis Hus « crimina audivistis, non solùm firmis testimoniis probata, verùm etiam ab ipso confessa; « ex quibus singula, meo judicio, mortis supplicio digna essent; nisi igitur recantet illa « omnia, ego censeo ut ignis supplicio afficiatur. » Quid ergo securitatis volvit salvo conductu Sigismundus Joanni asserere? ut contra violentiam *facti* præstaretur tutus et incolumis ; ut iter susceptum conficere, *transire, stare, morari, et redire liberè,* ipsi liceret, quantùm sinerent quam teneret agendi ratio (Joannes Hus) et canonica in hæreticos jura; per salvum conductum jure communi nihil aliud tribuitur quàm securitas contra vim, salvâ semper justitiâ, et juris legumque executione; unde, ut ritè observat Natalis Alexander, ex imperiali præscripto, hæc est dandi salvi conductûs aut fidei publicæ formula apud Saxones, ut refert Premus, jurisconsultus hæreticus : « Damus tibi fidem publicam, cau« sam dicendi in judicio contra vim, non tamen « contra juris executionem. » Quæst. 7 de Securitate.

Nec absimilis formula Spirentium teste Minsingero, partium etiam hæreticarum jurisconsulto, observatione 82 judicii imperialis Cameræ : « Quando, inquit, datur alicui securi« tas vel salvus conductus, tunc intelligitur « solùm de violentiâ quæ de facto contra jus « infertur. »

Inst. 3° : Fidem publicam facto saltem violavit synodus Constantiensis : nam indictâ causâ detrudi in carcerem voluit Joannem Hus; inde mali labes : habitâ quæstione prodiit decretoria sententia quâ judici seculari, hoc est, supplicio capitis addictus est; hinc nobilium Bohemorum acerbæ querelæ, tum in Schedulâ concilio oblatâ die 14 maii anni 1415, tum in Epist. ad Sigismundum imperatorem : « Cùm « Joannes Hus, inquiunt, confisus regiæ tuæ « majestatis litteris, ad Constantiam profectus « esset, quemadmodùm ex constanti famâ ac« cepimus, captus est cum his litteris publicæ « fidei ; neque hoc tantùm, sed in carcerem « conjectus, neque auditus, neque convictus, « contra leges et tuæ majestatis litteras; quod « factum et apud nos, et alibi eo modo innotuit, ut et principes et barones, pauperes et « divites, mirati sint sanctissimum illum patrem tam turpiter contra legum auctoritatem « et constitutionem, contra veritatem et litteras regiæ tuæ majestatis peccare potuisse. » — Resp. : Hoc primum adnotatu dignum, epistolas scripsisse ad amicos è carcere Joannem Hus, multa recensuisse in quibus sibi à concilio et deputatis injuriam fieri causabatur; at de violatâ per synodum, salvi conductûs publicâ fide, ne verbum quidem ullum habuit; quod certè silentio non præteriisset, majorem ut sacræ synodo invidiam conciliaret. Novis se obstrinxerat delictis Joannes Hus : sacris operari non destiterat, quamvis excommunicatus, idque palàm in Ecclesiæ contemptum : narrat quidem D. l'Enfant non hunc sacris operatum essè nisi post solutam à Joanne XXIII excommunicationem; verùm idem ipse D. l'Enfant, Hist. conc. Constant. p. 545, incertam esse fatetur hanc solutionem anathematis, quia factum istud non legitur nisi in hominis Hussitæ Epistolâ; fatetur quoque ille historicus, Joannem Hus doctrinam suam liberè tradidisse tum in colloquiis, tum scriptis in operibus (ibid.). Præterea in fugam se dederat iste hæresiarcha contra imperatoris mandata, qui ipsum coram sacrâ synodo Constantiensi respondere, et ejus stare judicio jusserat, et contra pacta contestationesque ab ipsomet publicè affixas, quàcumque transierat; exciderat itaque à salvi conductûs privilegio. Fugam illam dissimulat D. l'Enfant,

pag. 545, dùm sic loquitur : *Quel crime commit Jean Hus? il se tient clos et couvert dans sa maison, et il n'en sort que pour obéir aux cardinaux.* Verùm fugam illam quam parabat Joannes Hus, ne errores suos revocare cogeretur, et ut in Bohemiam redux hæresim impunè prædicare pergeret, disertè testificatur Ulricus Reichenthal, civis Constantiensis, in Historiâ concilii quam Teutonico sermone accuratissimè scripsit ; refert Joannem Hus in hospitio suo sæpè celebrâsse missam, accurrente ad eam populo : « Quod, inquit, ubi per episcopum « Constantiensem, velut ordinarium loci, ei « tanquàm excommunicato inhiberetur, ipse « verò nihilominùs celebraret ; episcopus verò « populo, missæ ejus interesse prohiberet, « Hus cœpit de fugâ circumspectare; itaque « dominicâ *Oculi,* quæ tertia est in quadragesimâ, ubi celebrâsset missam manè, accepit « panem et vasculum vini, seque abscondit in « curru domini Henrici Latzembok, qui eo die « educendus erat in rus pro apportandis stra« minibus, arenâ et fœno, peracto prandio ; « cùm igitur in prandio non compareret, nec « quisquam sciret ubinam esset, Latzembok « adiit consulem civitatis, conquestusque de « fugâ Joannis Hus, petiit mox claudi portas « urbis, equitesque et pedites instruî, qui illum « persequerentur fugientem ; his ita paratis, « repertus est in curru latitans Hus; at ille « oblatam ratus evadendi occasionem, ex equo « cui jubente Latzembok, impositus fuerat, « *desiliens, proripuit sese in circumstantem Bo« hemorum multitudinem, quem apparitores papæ « et cardinalium comprehendentes,* qui deaura« tos præferunt baculos, in palatium abduxe« runt. » Ex his patet meritò respondisse Cochlæum, lib. 2 Hist. Hussitarum, quod nobiles quidam Bohemi expostulârunt, id magis libertati militari, quàm justitiæ aut disciplinæ ecclesiasticæ tribuendum : aut enim ignorârunt, aut dissimulârunt Joannis fugam et mentis obstinationem.

Inst. 4° : De synodo Constantiensi asperè conqueritur ipse Sigismundus, satisque significat, salvi conductûs à se ipso concessi, non eam quam debuerant, rationem habuisse Patres concilii; quantùm inde stomacharetur, ostendit datis ad barones regni Bohemiæ litteris. Apud Cochlæum, lib. 4 Hist. Hussit., sic deplorat de sorte Joannis Hus : « Deus novit « quòd tanto dolore fuimus attriti propter ca« sum suum, quod etiam verbo benè exprimi « non posset : sed etiam omnes Bohemi, qui « tunc temporis nobis aderant, benè perpen« derunt quomodò nostram sollicitudinem pro « ipso interposuimus ; quòd pluries furore « permoti, de concilio eximus, quòusque no« bis intimaverunt dicentes : Si noluerimus « admittere quòd justitia prosequatur in con« cilio, quid tunc in hoc loco facere debeant? « sic cogitavimus, quòd hâc in parte jam nihil « facere poteramus ; neque etiam licuit nobis « ulteriùs pro hoc negotio loqui, quia exinde « concilium totaliter fuisset dissolutum. » Deinde quæ tanta fuisset Joannis Hus contumacia? Quàm docilem se præberet, ex his verbis colligi potest : « Reverendissimi Patres, « jam sæpè dixi me liberè hùc venisse, non ut « obstinatè quidquam defenderem, sed si quâ « in re minùs rectè sentirem, æquo animo « paterer me doceri : rogo igitur ut sit mihi « locus ampliùs meam sententiam declarandi, « cujus nisi certas et efficaces rationes attu« lero, libenter in vestram informationem, « ita ut postulatis, concedam. » Tum magnâ voce cùm quidam dixisset : *Videte quàm callidè loquatur; informationem dicit, non correctionem, aut definitionem : Imò,* inquit, *ut vultis, sive informationem, aut definitionem : testor enim Deum, me nihil nisi ex animo loqui.* Opere cui titulus : *Hist. sanctissimi martyris Joannis Hus.*

Resp. : Fieri potuit ut veritus ne prospero exitu careret salvus suus conductus, imperator Sigismundus, doleret conjectum fuisse in carcerem Joannem Hus, atque indignatione statim commotus, contenderit ut in libertatem ille vindicaretur, mitiusque experiretur judicium ; at postea convictus, sui nec esse officii, nec suæ potestatis, ut prohiberet ne contra pertinacem hæreticum id statueret synodus generalis, quod æquitati et religionis defensioni expedire pro rerum adjunctis arbitraretur, hæresiarcham sic ipse ad plenum impellebat obsequium : « Nos quidem tuis erroribus et per« tinaciæ nunquàm patrocinabimur : imò nos « hisce manibus ignem tibi parabimus potiùs « quàm ut eâ quâ hactenùs, pertinacitate uti « patiamur ; nostrum itaque est consilium ut « ipsius concilii judicio stare velis. » In actis ipsius hæresiarchæ, ab auctore Hussitâ conscriptis.

Quod attinet ad illam subjectionis et obsequii pollicitationem quam ostentabat Joannes Hus, nemo est paulisper in ecclesiasticæ historiæ versatus notitiâ, quem lateat hoc esse apud hæreticos solemne, ut ovium induti pelle, luporum tamen indolem non exuant ; atque spe

cie tenùs promptos se ad obsequendum ita sese declinandæ condemnationis causâ exhibeant, ut tamen à susceptis erroribus non resiliant, eosdemque defendant, proposito vitæ ipso discrimine. Qualis autem fuerit Joannis Hus in nefariis suis dogmatibus retinendis pertinacia, non ambiguè indicatur, vel ipsis quæ jam retulimus Sigismundi testimoniis, quibus alia si opus foret, promptum esset adjici.

Inst. denique : Hieronymo de Pragâ salvum conductum dederat concilium ipsum Constantiense; damnatus tamen propter relapsum, traditusque seculari judici, atque ignis affectus est supplicio. — Resp. : Oblatus quidem est Hieronymo de Pragâ Constantiensibus à Patribus, qui hæreticum illum in jus vocaverant, salvus conductus, sed his enuntiatus verbis, quæ omnem malæ fidei suspicionem depellerent : « A violentiâ, inquiunt, justitiâ semper « salvâ, omnem salvum conductum nostrum, « quantùm in nobis est, et fides exigit ortho- « doxa, præsentium tenore offerimus, et etiam « pleniùs assignamus; certificantes, quòd sive « in dicto termino appareas, sive non, nihilo- « minùs contra te per ipsum sacrum concilium, « vel ejus commissarios, vel commissarium, « lapso termino supra dicto procedetur, tuâ « contumaciâ in aliquo non obstante. » Concil. sess. 6.

Hæresim suam convictus abjuravit Hieronymus de Pragâ, sed reversus ad vomitum, coram synodo generali professus est, « quòd « sententiæ damnationis Joannis Wiclef et « Joannis Hus iniquè consenserat, illam sen- « tentiam approbando mentitus fuerat; et « confessionem, approbationem et professio- « nem suas super illorum damnatione revoca- « bat nunc et in æternum, asserens se in li- « bris Joannis Wiclef et Joannis Hus nullam « unquàm hæresim vel errorem legisse. » Eumdem in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiavit, declaravit, atque damnavit sancta synodus, ac seculari tradidit potestati, cujus sententiâ extremo mulctatus est supplicio.

Ipso salvi conductûs tenore patet noluisse ita obligatam se synodum, ut à quæstione de illius hæretici erroribus habendâ, aut prætereundâ viâ justitiæ abstineret. Accedit quòd arripiendâ fugâ, privilegio salvi conductûs, se ipse abdicaverit.

Quæres utrùm ad fidem pertinere censeantur quæcumque à Patribus œcumenici concilii de doctrinâ et moribus exposita et declarata sint.—Resp. cum Melchiore Cano (de Auctorit. concil. lib. 5, cap. 5) : « Quæ in conciliorum « decretis vel explicandi gratiâ inducuntur, ut « objectioni respondeatur, vel etiam obiter et « in transcursu præter institutum præcipuum, « de quo erat potissimùm controversia, ea non « pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catho- « licæ fidei judicia, quamvis magni sint pon- « deris ac momenti. » Quibus autem regulis discerni queant, quæ fide catholicâ credi oporteat, istæ suppetunt quas ab appellato mox theologo mutuamur. Prima, et ea quidem manifesta, si contrarium asserentes hæretici habeantur. Altera nota est, cùm in hanc formam decernit synodus : *Si quis hanc doctrinam teneat anathema sit.* Tertia, si quidquam expressè et propriè dicatur credendum esse, aut tanquàm dogma fidei catholicæ suscipiendum; aliave certo decreto adhibeantur verba quæ eumdem referant sensum.

ANNOTATIO EDITORUM.

Libet hìc adjicere circa decreta conciliorum generalium de fide luculentas sanè annotationes depromptas ex clarissimo auctore de La Hogue in suo de Ecclesiâ tractatu, ad calcem capitis 5 : « Exordiemur, inquit, his Bossuetii verbis : « Non Catholici docent, quæcumque « in conciliis gesta sint, ea ad Ecclesiæ fidem « pertinere; sed eo loco habent illa tantùm « quæ *decreto edito*, fidelibus omnibus *credenda* « ac *tenenda* proponuntur. Quod et Melchior « Canus copiosè docet, et Catholici omnes uno « ore confitentur. Cujus rei ratio est, quòd id « sufficiat ut verba Christi firma stent de « æternâ ecclesiasticorum dogmatum firmitate. « Nec proinde labat Ecclesiæ fides, si ea quæ « extra fidem decreta sunt, haud pari aucto- « ritate consistunt. Atque certum omninò « multa in conciliis, *sine expressâ deliberatione* « *ac determinatione*, esse dicta gestaque, qui- « bus adstringi se Catholici omnes uno ore « negant. Multa etiam decreta sunt, *quæ non* « *pertineant ad invariabilem fidei regulam*, sed « sint accommodata temporibus atque nego- « tiis. » Ita illustr. auctor in suâ Defensione Declarationis, etc., edit. 1745, parte 1, lib. 3, c. 1. Paucissima hæc verba gravida sunt principiis, quibus ea solventur quæ vulgò objiciuntur adversùs inerrantiam conciliorum generalium.

« Ut autem certo ordine progrediamur in tam momentosâ quæstione, dicimus juxta mentem illustriorum theologorum, Melchioris Cani,

Bellarmini, Veronii, Bossuetii, Turnelii, etc., in conciliis etiam generalibus tria sedulò esse distinguenda, 1° res quæ aguntur; 2° modum quo aguntur, et 3° strictum tenorem decretorum quæ à Patribus concilii fuerant edita. »

1° Quoad res : « Objectum debet esse *definibile de fide*, inquit Veronius in suâ Regulâ fidei, c. 1, § 4, n. 8... Itaque doctrinæ legum aut philosophiæ studia spectantes, non sunt definibiles de fide. » Ibi autem citat Bellarminum, qui lib. 4 de Romano Pontifice, c. 51, concedit errâsse Joannem XXII, cùm docuit non posse separari usum à dominio in rebus usu consumptibilibus, sed non *in re fidei*, inquit; hæc enim quæstio non pertinebat ad fidem.

« Ita ad invariabilem fidem ea non pertinent, quæ juxta Melchiorem Canum jam citatum, *non pendent à scientiâ, sed à prudentiâ*, vel quæ, ut dicit Bossuetius, sunt *temporibus* atque *negotiis* accommodata. Hoc solo principio id solvitur quod objici posset ex conciliis Lateranensi I et IV, ex utroque Lugdunensi et Viennensi, ob illorum decreta circa sacras Cruce signatorum expeditiones. Nimirùm sive illæ expeditiones justæ fuerint, sive non, quod non expendimus, nihil ex illis decretis inferri potest adversùs privilegium inerrantiæ quod Catholici in conciliis generalibus agnoscunt. Equidem œcumenica concilia in generali morum doctrinâ errare nequeunt, ac proinde decernere licitum esse sine causâ justâ bellum suscipere, sed quæ ab illis emitti possunt decreta, ad promovendum aliquod particulare bellum, necessariò revocantur ad illam speciem rerum quæ non pertinent ad *scientiam*, sed ad *prudentiam*, vel quæ sunt *temporibus et negotiis accommodatæ*, sicque sunt prorsùs extra argumentum doctrinæ. Et reverà, nedùm his decretis teneantur Catholici credere justum esse hoc vel illud bellum adversùs infideles susceptum, semper licitum fuit theologis in varias abire sententias; quod quidem supponit Catholicorum animis altiùs infixum manere, illud negotium ex eis non esse, de quibus Ecclesia infallibiliter decernit.

« Occasione datâ, duo de his sacris expeditionibus annotabimus. 1° Moshemius Lutheranus, in secundâ suæ Historiæ ecclesiasticæ sectione, c. 1, n. 8, evidentioribus argumentis probat, falsò admodùm illas summorum pontificum ambitioni attribui. 2° Merè historicè referemus quid senserit Bossuetius de justitiâ illarum expeditionum adversùs Mahumetanos et Turcas. Cardinalis Perronius, in oratione habitâ anno 1614, coram generalibus regni comitiis, dixerat, « justa defendi non posse sacra « bella adversùs Turcas, nec meliori jure susce« pta quàm si infidelis princeps jus aliquod « in Christianorum provincias sibi vindicaret. » Huic Perronii censuræ sic respondet Bossuetius : « Illud perpendere noluit Perronius, « Mahumetanos ac Turcas, ex quo extiterunt « hostilem animum atque inexpiabile bellum « professos adversùs christianas provincias, « meritò ut perpetuos hostes atque invasores « haberi, qui etiam, ubi pacem se fovere simu« lant, nihil nisi bella cogitant, idque ex ipsis « impiæ legis placitis, nullâ cum Christianis pace « tutâ, nullo fido fœdere, nullo unquàm benefi« cio, nisi *Cyclopico*, ut extremi pereant quibus « interim pepercisse videantur. Quo ergo jure « quis dubitet justa Christianorum inter se ad« versùs communem hostem fœdera? » Defens Declar. parte 1, l. 4, c. 15, p. 357.

« 2° De modo quo res in conciliis generalibus geri debeant, cum aliis theologis requirit Bellarminus, l. 2 de Conc. c. 19, *ut fiant conciliariter*, id est, more aliorum conciliorum. Porrò omnium exemplar est Hierosolymitanum, Act. 15. Quomodò autem ibi tractata fuit ab ipsis Apostolis quæstio *legalium*? Ex utrâque parte missi sunt ad concilium qui de hâc controversiâ inter se disceptarent, ut ostendunt ista Scripturæ verba, v. 2 : *Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis;...* et ex v. 7, *in concilio, magna fuit conquisitio*. Jam verò his edocemur, inquit Turnelius, t. 1 de Ecclesiâ, pag. 384, « 1° neminem « esse à concilio excludendum qui audiri vo« luerit...; 2° magnam esse debere suffragiorum « libertatem; 3° non aliâ conditione episcopis « in concilio generali congregatis adesse Chri« stum, assistentiâ et ope singulari Spiritûs « sancti, quàm si adhibeant humana et ordina« ria media industriæ, studii, collationis, dis« putationis, ad veritatem detegendam, illu« strandam et confirmandam. Deus scilicet, qui « omnia *suaviter disponit* ac moderatur, viâ « supernaturali apertâ et manifestâ hìc non « agit, sed occultâ Spiritûs subministratione; « unde episcopos permittit omnibus infirmitatis « humanæ periculis esse obnoxios, metûs sci« licet, ambitionis, avaritiæ, cupiditatis, etc. « Neque unquàm promisit Christus se à conci« liis hujusmodi pericula semper propulsatu« rum, quasi humanitatem omnem exuant epi« scopi, eo ipso quo congregentur in conciliis;

« sed hoc unum promisit, se ipsis adfuturum, « *quoties in nomine suo congregarentur,* hoc est, « servatâ suffragiorum libertate, et adhibitâ hu- « manâ industriâ et diligentiâ, veritatem sedulò « inquirerent. » Ex manifestâ illarum regularum infractione, statim rejectæ fuerunt tum Ariminensis synodus, an. 359, tum Ephesina, an. 449, quæ appellari meruit *Latrocinium Ephesinum.*

« Observandum est in concilio etiam generali, res quasdam *conciliariter* tractari posse, alias verò non ita. Id admittunt omnes theologi. Vide Bellarminum, l. 2 de Conc. c. 19, ubi loquitur de concilio Constantiensi.

« 3° Ut aliquid à concilio generali definitum habeatur tanquàm de fide, sedulò attendendus est *tenor decreti;* non enim sufficit rem esse in argumento fidei *definibilem*, et tractatam fuisse *conciliariter*, sed requiritur ut à Patribus concilii, *certo et firmo decreto*, tanquàm de fide credendâ toti Ecclesiæ proponatur. Ita omnes theologi. 1° Audiatur Melchior Canus, de Locis Theologicis, l. 5, cap. 5, quæst. 4. « Summo- « rum pontificum conciliorumque doctrina si « toti Ecclesiæ proponatur, si cum obligatione « etiam credendi proponatur, tum verò de fidei « causâ judicium est. Sed animadvertendum « est diligentiùs, et quæ natura rerum sit de « quibus judicium est, *et quæ verborum pro-* « *prietas et pondus.* Nimirùm ecclesiasticæ doc- « trinæ quam amplecti etiam tenemur, non idem « est gradus, nec omnia judiciorum decreta « eodem loco habenda sunt. Nonne igitur, di- « xerit quis, erit aliqua nota, quâ conciliorum « judicia de fide internosci queant? Erit planè. « Prima, et ea quidem manifesta, si contrarium « asserentes *pro hæreticis* judicentur.... Altera « nota est cùm in hanc formam synodus de- « creta præscribit : *Si quis hoc aut illud censue-* « *rit, anathema sit....* Tertia est si in eos qui « contradixerint excommunicationis sententia « *ipso jure* feratur... Quarta si quicquam ex- « pressè et propriè à fidelibus firmiter creden- « dum, aut tanquàm dogma catholicæ fidei « accipiendum dicatur, vel aliis similibus ver- « bis aliquid esse Evangelio doctrinæve Apos- « tolorum contrarium ; dicatur, inquam, *non* « *ex opinione*, sed *certo et firmo decreto*.... Porrò « autem quæ in conciliorum vel pontificum « decretis, vel explicandi gratiâ inducuntur, « vel ut objectioni respondeatur, vel etiam « *obiter* et in transcursu, præter institutum « præcipuum de quo erat potissimùm contro- « versia, *ea non pertinent ad fidem*, hoc est, non « sunt catholicæ fidei judicia. » Prolatis quibusdam de singulis rebus exemplis, sic concludit celeberrimus ille theologus : « Hâc in re « operæ pretium me theologis facturum exis- « timo, probando non omnia quæ etiam *absolutè et simpliciter* in conciliis affirmantur, « fidei decreta esse. »

« 2° Reverà, præter decreta canonibus emissa, « alia sunt de fide quæ à conciliis credenda « proponuntur, scilicet in capitibus : Sed id « colligitur, inquit Vasquesius, ex fine cujus- « que sessionis, antequàm canones ponantur ; « et ubi hæc aut similia leguntur immediatè « post capita et ante canones, ut in Triden- « tino, sess. 13, c. 8 : *Placuit S. synodo hos* « *canones subjungere, ut omnes, jam agnitâ* « *catholicâ doctrinâ, intelligant quoque quæ ab* « *illis hæreses caveri vitarique debeant.* Ratio « hujus rei est, inquit Veronius, quia tam « in capitibus quàm in canonibus propositiones « Ecclesiæ, *quid credendum, quid damnandum*, « continentur. » (Vid. Regulam fidei, c. 1. § 4, n. 5.)

« Id porrò observandum cum eodem Vas- « quesio, ibidem, aliquando Ecclesiam suam « definitionem confirmare testimoniis, ex « quibus aliqua non efficaciter eam probant. « Tamen quando Patres in concilio dicunt, ex « hoc aut illo loco hanc aut illam veritatem « Ecclesiam collegisse et colligere, quis, obse- « cro, fundamentum illud infirmum et incer- « tum esse dicere audeat?

Ex his sic colligit Veronius, ibidem : » Gene- « raliter dicimus eorum quæ continentur in « capitibus id solum et totum esse de fide quod « definitur ; seu, ut loquuntur juristæ, *solum* « *dispositum arresti*, seu contenti in capite aut « canone, est de fide ; *motivum* verò *arresti*, « seu ejus probationes, non sunt de fide. Ratio « est quia primum solum proponitur creden- « dum et propriè definitur, non autem motivum « seu probatio. Hinc plurima continentur in « conciliis etiam universalibus quæ non sunt « de fide, scilicet, quod in eo est *obiter* dic- « tum, multò minùs quod in sessionibus à « variis prælatis, dùm sententias dicunt, pro- « latum ; multò adhuc minùs quæ à doctori- « bus in discussionem rei definiendæ præmit- « tuntur aut allegantur. Ratio generalis est, « quia nihil horum definitur ab Ecclesiâ. »

« 3° Ab his principiis non discedit Bellarmi- « nus. Nimirùm, l. 2 de Conc. c. 17, dicit con- « cilium Lateranense V, sub Leone X, œcume- « nicum fuisse, et disertè atque ex professo

« docuisse, *pontificem esse supra omnia concilia.* « Sed addit: Cùm autem dubium sit an hoc con- « cilium rem istam definierit propriè, *ut de-* « *cretum catholicâ fide tenendum*, ideò non sunt « *propriè hæretici* qui contrarium sentiunt, « sed à *temeritate magnâ* excusari non possunt. » Hìc locus non est expendendi istam Bellarmini censuram, quam severè improbat ipse Veronius, ibidem, n, 2. Sed manifestum est, juxta Bellarminum, strictiùs ponderanda esse definitionum verba, ut determinetur an *certo firmoque decreto* aliquid tanquàm de fide credendum ab Ecclesiâ proponatur.

« Inquient fortè adversarii, his omnibus annotationibus de decretis conciliorum, in incerto poni ipsas definitiones quæ sunt de fide, ac proinde ipsam Ecclesiæ auctoritatem subverti; verùm quàm vana sit hæc objectio, sic paucis demonstramus : Quæcumque sit de permultis articulis catholicarum scholarum libertas, quæ supradictis annotationibus fundatur, eadem est omnium Catholicorum in universo orbe fidei professio; ergo non obstantibus illis annotationibus, agnoscuntur et certa atque indubitata manent decreta fidei. Id unum colligere est, quod sæpiùs inculcat Bossuetius in suo Variationum opere, tyrannicam non esse auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, illamque *certo ac firmo decreto* ab omnibus tenendo non definire, nisi quod necessarium est ad servandum fidei depositum.

« Ubi primùm cogitavimus de colligendis variis annotationibus circa Ecclesiæ decreta, breviter dicere mens nobis erat; sed ex gravitate argumenti prolixiùs illud tractare coacti fuimus, et, ut manifestum est, non ex privato nostro sensu, cùm omnia principia ipsis illustriorum theologorum verbis proferantur. Istud existimavimus maximæ utilitatis fore, tum quòd in sequentibus Quæstionibus ad illas annotationes non semel remittemus, tum quòd inde pateat quantùm in controversiis de fide, et præsertim cum Protestantibus, curare debeat theologus, ne temerè aliquid dicat supremâ Ecclesiæ auctoritate definitum *tanquàm de fide*, aut ultra limites quos Christus posuit ejus infallibilitatem extendat; unde magnum causæ catholicæ detrimentum afferretur. »

CAPUT VII.—An solos ad episcopos pertineat in causis fidei, judicandi potestas, et ea quidem infallibilis?

Sunt qui existiment, divino jure sic inter fidei judices referri presbyteros, ut eorum semotâ auctoritate ac *definitivo* suffragio, habeantur irrita episcoporum dogmatica decreta : sunt verò alii qui, licet presbyteris divinâ institutione concessum et impositum arbitrentur munus ferendi de ipsis dogmatibus judicii, confiteantur tamen, eos non esse *necessarios* judices : hoc est, illo etiamsi non fungerentur munere, fore nihilominùs ut valeant episcoporum judicia : quæ sententia longè, ut patet, à priori discrepat.

Propositæ mox quæstioni altera subjicitur quam disjungi non oporteat : esto, inquiunt nonnulli, in dirimendis fidei controversiis, judicis auctoritas simplicibus non adscribatur sacerdotibus, at illos ab episcopis priùs consuli omninò necesse est, quàm dogmaticum ullum edatur decretum : eaque si omissa fuerit consultatio, inerrantiæ dono in judiciis episcopalibus præripitur locus. Quid de his omnibus quæ exposita sunt, sentiendum sit, sequentibus aperietur assertionibus.

Assertio prima.— *In causis fidei solis episcopis (quo nomine inprimis intelligitur summus pontifex) jure divino competit auctoritas judicandi.*

Argumentum primum. —*Ex Scripturis.*

Christianâ in Ecclesiâ controversias de fide ac moribus dijudicandi potestatem, soli divino jure obtinent illi quos solos eâ donatos Christus ipse voluerit : hanc enim auctoritatem quæ ad animarum salutem, et Ecclesiæ, quæ Christi regnum est, regimen maximè pertinet, jam ostendimus, et per se constat non ab alio quàm ab ipso derivari; ut autem liquidò dignoscatur quos respiciat divina illius auctoritatis institutio, præstat oculis subjicere ultimos quinque Evangelii secundùm Matthæum versiculos : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus; et videntes eum, adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus, locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ : euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

Verbis illis auctoritatem judicandi in causis fidei et morum significari, eamque infallibilem, satis ostendimus, tum etiam collatam hanc esse apostolis, corumque successoribus. Nunc ad probandum aggredimur solis eam fuisse à Christo datam apostolis corumque successori-

bus, nec in illorum propriè successoribus numerandos esse alios quàm episcopos : quo posito pronum erit colligere episcopis quidem, sed non presbyteris, seu sacerdotibus secundi ordinis, vindicandam esse ex jure divino potestatem dijudicandi ac definiendi causas fidei.

1° Solis quidem Apostolis, eorumque successoribus contulit Christus prædictam auctoritatem : fac enim, ut aliquot placet interpretibus, quingentos adfuisse tùm *fratres*, cùm Christus memoratum edîdit oraculum : certè quingentis illis fratribus quos inter aderant nullum provecti ad gradum seu ordinem fideles, haud illam impertitus est potestatem : solos eâ conferendâ allocutum esse Apostolos ipso apertè declaratur verborum contextu : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem*, etc. *Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas*, etc. Idem, si opus foret, confirmari potest scriptorum veterum peritissimorumque testimonio ; inter cæteros ita Tertullianus : « Duodecim præci- « puos lateri suo adlegerat, destinatos nationi « magistros : itaque uno eorum decusso, reli- « quos undecim, digrediens ad Patrem post re- « surrectionem jussit ire, et docere nationes « intingendas in Patrem et in Filium, et in Spi- « ritum sanctum. » De Præscript. cap. 20. Eumdem in sensum S. Cyprianus : « Dominus post « resurrectionem mittens Apostolos, mandat et « dicit : Data est mihi omnis potestas, » etc. Epist. 25. Idem tradunt S. Athanasius, S. Hilarius ; eo ipso quo Christus determinavit expresso numero quibus illam daret, quam constituebat auctoritatem, excluduntur cæteri quos eâ impertiendâ non appellavit, neque designavit ; eaque excludendi ratio maximè tùm attenditur, cùm agitur de potestate quæ ex debito non rependitur, atque pendet à mero impertientis beneplacito : solis igitur Apostolis eorumque successoribus dedit Christus necessariam secandis atque resolvendis de Religione litibus potestatem.

Diximus, *eorumque successoribus;* neque enim, ut alibi adnotavimus, interitura cum apostolis erat Ecclesia; nec in ipsis exitum suum omnem habere potuit promissio ista Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Hinc appositè S. Augustinus : « Nec Dominus illis « tantùm Apostolis quibus se vivum etiam post « resurrectionem dignatus est ostendere, sed et « nobis, etc. ; nam illis loquebatur, et nos signi- « ficabat cùm diceret : *Ecce ego vobiscum omni-* « *bus diebus*, etc. ; numquid illi futuri erant « usque ad consummationem seculi ? » Enarratione in psal. 48, sermone 1. 2° Apostolorum propriè successores, solos esse episcopos, non est ambigendum : solo in ordine episcopali assignârunt veteres etiam Ecclesiæ defensores seriem illam pastorum qui Apostolorum locum obtinerent, vicemque gererent. Propositâ illâ successione episcopali, hæreticos novitatis ac desertæ fidei arguebat S. Irenæus : « Habemus, « inquit, annumerare eos qui ab Apostolis ins- « tituti sunt episcopi, qui nihil tale docuerunt, « neque cognoverunt quale ab his deliratur. » Lib. 3 adversùs hæreses, cap. 3. Eâdem ratione revincebat hæreses Tertullianus quæ se auderent interserere ætati apostolicæ : « Evolvant, « inquit, ordinem episcoporum suorum, ita per « successiones ab episcopo decurrrentem, ut « primus ille episcopus aliquem ex Apos- « tolis vel apostolicis viris, qui tamen cum « apostolis perseveraverit (quales nempe Ti- « motheus, Titus, Polycarpus, Ignatius), habue- « rit auctorem et antecessorem. » De Præscrip. c. 32. S. Cyprianus, auctoritatis et doctrinæ successionem pertinere ad episcopos egregiè testatur his verbis : « Per temporum et suc- « cessionum vices episcoporum ordinatio, et « Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super « episcopos constituatur, et omnis actus Eccle- « siæ per eosdem præpositos gubernetur. » Quod sanè dici non potuit nisi de successoribus apostolorum quos Ecclesiæ fundamenta (salvo Petri, de quo postea, primatu) vocabat Apostolus. Hinc meritò « sacrosancta synodus (Tri- « dentina) declarat præter cæteros ecclesiasti- « cos gradus, episcopos qui in Apostolorum « gradus successerunt ad hierarchicum ordi- « nem præcipuè pertinere. »

ARGUMENTUM II. — *Ex monumentis indubitatæ traditionis.*

1° In conciliis generalibus sedere tanquàm judices si datum divinitùs sit presbyteris, iniquum foret sacris illis commemorandis cœtibus nullam haberi presbyterorum rationem, illosque omninò prætermittere, quasi in judicum partes nullo modo vocatos : attamen solis attribuuntur episcopis synodi generales ; non alii quàm episcopi, ex quibus coalescant, appellantur ab ipsis generalibus conciliis, quantocumque numero versarentur presbyteri in locis in quibus celebrata sunt. Sic à concilio generali secundo, seu Constantinopolitano primo, symbolum Nicænæ synodi nuncupatur « fides Patrum trecentorum decem et octo qui

« apud Nicæam Bithyniæ convenerunt. » Eodem modo indicatur illud symbolum ab Ephesini concilii Patribus : « Seipsos iidem vocant « ducentorum et decem sanctorum episcopo- « rum synodum. » De concilio Chalcedonensi cùm loquuntur ejusdem synodi Patres, solos recensent episcopos, eosque appellant quingentos viginti sacerdotes. Hanc denominandi rationem secuti sunt Patres concilii sexti generalis, in commemorandis quinque priorum synodorum generalium judicibus.

Inane quærit diverticulum qui dixerit eam ob causam solis adscripta fuisse episcopis concilia, quia inter judices dignitate et auctoritate emineant, tùm etiam quia longius esset cunctos qui adfuissent, recenseri presbyteros.

Facilè obstrui potest duplex illud effugium : singulos si appellari oporteret, nimiùm fortè aliquando provehenda foret enumeratio : at eos summatim, non sigillatim commemorare, id certè et brevi conficeretur, et majorem decretis conciliorum afferret auctoritatem. Eminent quidem ordinis præstantiâ episcopi; at inter judices fidei, divino jure si cooptati essent presbyteri, ad eos ut ad episcopos pertineret infallibilitatis activæ promissio : ab illis sicut ab episcopis, vim obligandi desumerent conciliorum decreta : tùm in synodis, quando numero vincerent episcopos, nihil subesset causæ, cur eorum quoque non prævaleret sententia : eorum igitur nullam in computandis conciliorum ipsorum generalium judicibus, mentionem saltem generatim injicere ; id porrò nonne rationi repugnaret ac justitiæ?

2° Non solùm convocandis qui jure divino dicant sententiam in synodo, prætermittuntur presbyteri, sed et verbis expressis testificatur probatissima traditio, non alios supremo illo jure constitutos esse fidei judices quàm episcopos. De Arianis ad opprimendum S. Athanasium laicos advocare et incitare non veritis, ita conquerebantur Alexandrinæ synodi Patres, qui centum circiter aderant. « Si enim sibi « duntaxat, utpote episcopis, judicium per- « misissent, quid opus comite et militibus? » (Apud S. Athanas. Apologiâ contra Arianos, tom. 1.) Declarat octava synodus generalis non alios ex præscripto canonum ad synodum vocari quàm episcopos : « Nusquàm sacri cano- « nes, inquit, ut ad synodos principes seculares « cogantur, sed soli episcopi. » At judices si forent cum episcopis presbyteri, cur et ipsi non vocarentur ad synodos, cùm jure ubique recepto vocari judices omnes oporteat ad eas quibus præfecti sunt, dijudicandas causas.

Recentioribus quoque temporibus asseruerunt synodi, non alios quàm episcopos habere in conciliis jure proprio et ordinario vocem deliberativam, seu judicandi potestatem : cæteras inter sic decernit synodus Burdigalensis, anni 1624 : « Sacro approbante concilio, de- « cretis ultimi concilii inhærentes, opinionem « quorumdam qui ausi sunt asserere præter « episcopos, quosdam etiam alios habere vo- « cem decisivam in concilio provinciali, ut « erroneam judicamus. »

Judicandi potestate carere presbyteros jam pronuntiaverat, anno scilicet 1583, aliud concilium Burdigalense. Eodemque anno Rhemense, anno autem 1563, in concilio Cameracensi, declaravit reverendissimus archiepiscopus (ejusdem præses), « ex concilio etiam « jurisperitorum, sibi et episcopis suis com- « provincialibus duntaxat competere in sta- « tuendis hujusmodi decretis definitivam et « decisivam, capitulis autem cathedralibus et « reverendis dominis abbatibus, aliisque reli- « giosorum ordinibus concedi vocem consul- « tativam. »

Ecclesiæ Romanæ Ecclesiarum matris ac magistræ traditionibus apprimè consonat Gallicanarum illa synodorum doctrina : unde synodo Rhotomagensi consulenti de iis ad quos pertineret jus ferendi in conciliis suffragii, respondit Gregorius XIII, abbates commendatarios, capitulorum deputatos, « vocem dun- « taxat consultativam habere; episcoporum « procuratores posse, si concilio provin- « ciali placuerit, et decisivam habere. » Aliorum anteriorumque summorum pontificum pronuntiata referuntur apud D. l'Advocat, tractatu de Conciliis, et apud D. Corgne, lib. cui titulus : Mémoire dogmatique, etc.

Ordinationis formam universo in orbe catholico probatam, ac proinde ut publicam, ita et certissimam sentiendi regulam complectitur Pontificale Romanum ; ex ipsius autem præscripto in ordinatione episcopi, conversus ad ordinandum consecrator ait : « Episcopum « oportet judicare, interpretari, consecrare, « ordinare, offerre, baptizare et confirmare. » Sed in ordinatione presbyteri, dicit tantummodò : « Sacerdotem oportet offerre, benedi- « cere, præesse, prædicare et baptizare. » Quâ de causâ si judices fidei haberentur sacerdotes, recensendis sacerdotum officiis ac mu-

neribus, neque illo in loco, neque in alio Pontificalis occurreret ulla mentio tantæ prærogativæ? Quo pacto contigit ut ordinandis presbyteris, silentio prætermissa fuerit, licet ubi de conferendo episcopatu regendæ destinato Ecclesiæ, tam accuratè, tam expressè memoretur?

De hâc eâdem auctoritate Clerus Gallicanus, solemnibus suis in comitiis, oblatâ occasione mentem suam spontè ac dilucidè aperuit. In comitiis anni 1615, his Ludovicum XIII affatur vocibus : « Il n'appartient qu'aux évêques et « aux docteurs par eux députés, de juger « des livres de théologie. » In comitiis anni 1655, tùm in comitiis anni 1681 definitum est, judicandi de fidei ac morum doctrinâ, non ad presbyteros, sed solos ad episcopos jus et auctoritatem pertinere. In actis verbalibus anni 1700, inter alia hæc maximè observatu digna leguntur : postquàm retulit comitiorum præses, quibusnam in rerum adjunctis clerus Gallicanus *vocem deliberativam,* presbyteris procuratoribus provinciarum suarum constitutis concesserit, sic prosequitur : « Qu'il « croyait que toute la compagnie conviendrait « que MM. les députés du second ordre n'ont « par eux-mêmes aucun pouvoir de décider sur « les matières de doctrine et de morale, et « qu'ils ne le pourraient prétendre qu'en vertu « des procurations de leurs provinces. » Tùm iisdem in actibus verbalibus hæc subjiciuntur. « L'assemblée ayant entendu la proposition de « monseigneur le président, a résolu que les- « dits sieurs députés du second ordre n'auront « point, dans la présente assemblée, voix déli- « bérative, mais seulement consultative. »

Hìc subjungi operæ pretium est quæ anno 1717 exposuêre 28 episcopi in scripto quod duci Aurelianensi administro regni obtulerunt : « L'Église est humble dans les pénitents; elle « souffre dans les martyrs; elle médite dans « les solitaires; elle écoute dans les peuples; « mais elle ne décide et ne juge que dans les « évêques. » In altero autem scripto quod eidem principi exhibuerunt, sic loquuntur : « Il n'est « pas permis de douter que les évêques ne « soient les seuls juges en matière de foi; que « c'est un droit qu'ils ont reçu du Saint-Es- « prit. »

Opportuno in catalogo quem subministravit D. l'Advocat, appellantur in assertionis nostræ patrocinium versatissimi in ecclesiasticis annalibus historici, peritissimi omnium ordinum controversistæ ac theologi : citatos inter auctores, nominandos curavit tanquàm adversariis minimè suspectos, « Baium in epist. ad Sa- « blonium, operum Baii parte 2, p. 8; Sancy- « ranum (seu Petrum Aurelium) adversùs « Spongiam, p. 91; Arnaldum in notis ad S. « Leonem, p. 895, tom. 2, colum. primâ; Jue- « nium, tom. 1 Institut. theologicarum, dis- « sert. 4, art. 2, q. 3; Catechismum Monte- « peliensem, tom. 2 edit. anni 1710, pag. « 488. »

Hìc aptari posset quod, referente Cicerone, dicere solebat quidam judex, cùm datis testibus alii tamen citarentur : « Aut hoc te- « stium satis est, aut nescio quid satis sit. »

ARGUMENTUM III. — *Ex consectariis adversantis doctrinæ, rationibusque theologicis.*

1° Presbyteros si Christus constituerit judices fidei, nec legitimè nec validè haberi potuerunt concilia, quibus in cogendis ordo ille judicum prætermissus fuerit : ergo è synodorum œcumenicarum catalogo expungi deberent vel illa priorum ætatum concilia, quæ ipsi venerantur Protestantes : illis enim indicendis et cogendis sacris cœtibus nulla est habita ratio sacerdotalis ordinis. Prioribus illis in synodis generalibus, si procuratores excipias absentium episcoporum, personam judicum non sustinuêre presbyteri.

Nec leviter observandum est ultimâ in synodo generali, nempe Tridentinâ, ipsis episcoporum procuratoribus, si paucos exceperis, archiepiscoporum scilicet electorum, et Salisburgensis archiepiscopi, denegatam esse vocem quæ dicitur *dèliberativa*, ideòque recusata est, ut plures per seipsos in synodum convenirent episcopi, quorum in eâ augeri numerum magnoperè intererat, majorem ut apud Protestantes haberet venerationem. Insigne illud factum qui attenderit, ille procul dubio fatebitur, longè abfuisse Tridentini concilii Patres ab existimando, inter fidei judices adscitos esse divinâ institutione presbyteros.

2° Præter generales synodos, veteres et quidem celeberrimæ, appellari possunt, in quibus, quantùmlibet, ut inter judices sederent, presbyteros provocaret controversiarum quæ tum fervebant, natura seu gravitas, nulli tamen eorum judicandi munere defuncti sunt : tales fuerunt habitæ de celebrandi paschatis tempore, quas Eusebius vocat episcoporum conventus et concilia. Tales fuerunt Africanæ synodi *de rebaptizatione*, sancto promovente

Cypriano; Antiochenæ annis 268 et 270, contra Paulum Samosatenum; Eliberitana, quarto seculo; Arelatensis, anno 314; Laodicæna, anno 366 vel 367; Gangrensis eodem seculo.

3° In conciliorum collectionibus, præter illa quibus soli subscripserint episcopi, adstantibus licet plurimis presbyteris, quale fuit Hispalense (Séville), adstante religiosissimo clericorum cœtu, obversantur alia multa quibus subscribentes presbyteri, subscribendi modo multùm differunt ab episcopis : v. g., anno 448, particulari synodo ad proscribendum Eutychen ejusque dogmata celebratæ, sic ab episcopis subscriptum est : « Flavianus episcopus Constantinopol. definiens, seu judicans, « subscripsi. » Sic autem à presbyteris : « Andreas presbyter et archimandrita, subscripsi « in depositione Eutychetis. » Tom. 4 Conc. Hanc in synodum hæc adnotavit Natalis Alexander : « Subscripserunt, inquit, episcopi triginta duo, abbates verò viginti tres : sed notandus est longè diversus subscribendi modus « episcoporum et abbatum : illi enim subscripserunt hâc formulâ : Basilius N. episcopus, judicans subscripsi. » Hi verò sic : « N. presbyter « et archimandrita, subscripsi in depositione « Eutychetis : quo ex discrimine colligitur « episcopos adesse comitiis ut judices, abbates « verò ut honorificos spectatores : illos sententiam dicere, istos sententiæ ab episcopo latæ « assensum præbere. » Haud prætereundum videtur quod S. Bernardus presbyter et abbas, de quodam novatore scripsit ad Innocentium II : « Dicebam, inquit, scripta ejus sufficere ad « accusandum eum, nec meâ referre, sed « episcoporum, quorum esset ministerii de dog« matibus judicare. » Epist. 189.

4° Obruendis judicum auctoritate hæresibus, non presbyterorum, at episcoporum judicia constanter opposuerunt synodi ac SS. Patres; his, v. g., compellat monitis Nestorium synodus Alexandrina : « Sentias autem et doceas quæ « nos universi sive per Orientem, sive per Oc« cidentem episcopi et magistri, præsulesque « populorum credimus et docemus. »

Legatur epistola concilii Ephesini ad imperatores Theodosium et Valentinianum : « Per« absurdum est, inquit, ducentorum et decem « sanctorum episcoporum numero, et per « ipsos reliquus totus orbis consentit, triginta « tantùm numero sese opponere. » Tomo 3. Eamdem hæreticos reprimendi rationem secuti sunt SS. Athanasius, Basilius, Augustinus et alii quorum passim occurrunt testimonia, cùm ad orthodoxa dogmata, judiciorum auctoritate muniendâ animum intenderunt. Eâdem mente tradit S. Cyprianus, « hæreses inde obortas « esse, quòd episcopi contemnantur, et frustra « sibi blandiri eos qui, pacem cum episcopis « non habentes, obrepunt, et latenter apud « quosdam communicare se credunt. » Epist. 69.

5° Judicandi in causis fidei auctoritatem si Christus presbyteris contulerit, vel eam episcopis et illis conjunctim et indivisè, vel separatè et divisim suppeditavit; si conjunctim et indivisè, hoc est, si unâ et individuâ judicandi potestate donaverit tum episcopos, tum presbyteros, æqualis erunt auctoritatis jure divino utrique in dirimendis fidei controversiis : unum eodem jure constituunt judicum ordinem, quantùmcumque aliunde antecellant episcopi : ergo generalibus in conciliis quocumque numero affluant presbyteri, voce deliberativâ non magis quàm episcopi poterunt defraudari; ergo episcopos si vincant numero, auctoritate quoque judicii eosdem superabunt : presbyterorumque sententiæ tùm erit inhærendum, dissentiant quantùmlibet episcopi; hinc in definiendum aliquod dogma quamvis conspirarent omnes omninò tam dispersi quàm congregati episcopi, irreformabilis haberi non posset definitio, si decreto illorum vel æqualis duntaxat presbyterorum numerus obstiterit : quod facillimè potest contingere, cùm tanta sit eorum præ episcopis multitudo; ergo, etc.

Si autem dicatur episcopis et presbyteris separatè et divisim datam esse à Christo Domino judicandi auctoritatem, 1° ubinam revelatum est hanc aliis præter Apostolos, et quidem seorsim ab Apostolis fuisse subministratam? Legitur quidem apud S. Lucam, designatos esse à Domino 72, quos misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo ipse erat venturus, cap. 10. At de potestate judicandi in causis fidei, ne ullum verbum : ubi autem hanc enuntiat Christus, Apostolos, et eos quidem solos, ut ostendimus, alloquitur. 2° Si separatim ac divisim, fidei judices, eosque pariter infallibiles constituerit Dominus episcopos et presbyteros, ergo statim atque constiterit prolatum esse ab ordine episcopali decretum aliquod dogmaticum, continuò erit illud suscipiendum, ipsique tum exteriùs, tum interiùs, etiam ante obsequendum est, quàm compertum sit quid de illo judicent presbyteri, hoc ipso certissimè erraturi, quo irreformabile decretum reprobare aut labefacere attentarent. 3° Auc-

toritas illa dijudicandi fidei controversias quæ adscriberetur presbyteris, quo pacto valeret absolutum imperare atque obtinere obsequium, nisi indubitatis niteretur momentis? Nam dubiæ auctoritati indubitanter credere nemo sanæ mentis jusserit; an verò indubitata censeri potest illa judicandi auctoritas, quam et ordo episcopalis commentitiam arbitratur, et sibi concessam inficiatur eorum longè maxima pars quibus fingitur esse vindicandam, tot aliunde impugnatam auctoritatis rationumque momentis, ut non nisi ad eludenda Ecclesiæ dogmatica ipsa decreta, conflctam illam esse, pro certo tenendum sit, ac manifestè appareat?

Solvuntur objecta.

Objic. 1°: Ipso jure divino et instituti sunt parochi, et eisdem competit munus ac potestas docendi; ergo ex eâ potestate si colligatur judices fidei constitutos esse divinitùs episcopos, idem quoque colligi pronum est saltem de parochis.

Resp.: Non ex quocumque docendi munere et potestate colligimus, episcopis collatam esse à Christo necessariam dijudicandis fidei controversiis auctoritatem; divino illos jure hâc auctoritate donatos esse, ex eo conficitur quòd ut successores Apostolorum et in pascendo grege dominico electi principes, acceperint à Christo docendi potestatem speciali perpetuæ infallibilitatis promissione communitam, quâ nascentes aut redivivos errores profligare, congruentibus hæreticos pœnis coercere, salvum et integrum ab imminentibus periculis præstare valeant commissum sibi apostolicæ fidei depositum.

Verbis ut Bossuetii utamur depromptis ex celeberrimâ quam habuit oratione ad clerum Gallicanum de unitate fidei: « C'est dans le « Saint-Siége principalement, et le corps épis- « copal uni à son chef, qu'il faut chercher et « trouver le dépôt sacré de la doctrine ecclé- « siastique, confié aux évêques par les Apô- « tres. » Quo ex principio illud consequitur, quod idem observat præstantissimus ille defensor Ecclesiæ, lib. 2 Variationum cap. 15, in causis fidei genuinos esse judices episcopos, ad eosque solos definitionem jure divino pertinere.

Absit tamen ut parochis adjudicare velimus profectam à jure divino institutionem: at eodem jure (nec abnuunt), subjiciuntur episcopis, sicut septuaginta discipuli Apostolis; disponente quidem Christo, erudiendis destinantur populis, at missionem seu institutionem canonicam mutuentur oportet ab episcopis, doctrinamque tradant quæ primariis ab illis approbata sit et manaverit pastoribus. Haud suspicari licet ab orthodoxâ unquàm fide defecturam esse sacerdotum secundi ordinis maximam aut etiam majorem notoriè partem: tum enim nimium in periculum errandi conjiceretur fidelium societas, illorum solita documentis imbui: ad solos nihilominùs episcopos, ut probatum est, refertur *activæ* infallibilitatis divina promissio, neque in fidei placitis, ac fideli christianarum institutionum ministerio consistet ordo sacerdotalis, nisi quatenùs episcoporum decretis et institutis constanter inhæreat.

Eò falluntur adversarii, quòd non satis advertant quantùm differat à judicis auctoritate jus ac munus docendi, quale exercetur à sacerdotibus secundi ordinis; docent parochi, docent etiam alii qui ad prædicandum approbati sint presbyteri; nec ideò tamen munere defunguntur judicis; tribunali carent, in quo sententias dicere valeant; *coercitivâ* carent auctoritate quâ delinquentibus obstinatis debitas possint irrogare pœnas: at ipsâmet potestate *legislativâ* pollent, et quidem divino jure episcopi, ut suo loco speciatim demonstrabitur: potest ordo episcopalis in causis fidei et condere decreta quibus universæ debeant obsequium Ecclesiæ, et adhibere anathemata quibus universo in orbe constringantur, qui pertinaciter restiterint: nec mirum, cùm Ecclesiæ gubernandæ præpositi sint à Spiritu sancto episcopi; hæc est igitur summa divinæ ordinationis: Ecclesiæ Dei regendæ præposuit Apostolos; tantæ administrationis muneri adjunxit dirimendarum de religione controversiarum potestatem, et eam quidem infallibilem; in episcopos tanquàm in Apostolorum hæredes transmittendam statuit plenitudinem hanc potestatis, immortali necessariam Ecclesiæ; comprobatam ab episcopis, et irreformabili determinatam judicio doctrinam, sacerdotes secundi ordinis, ipsimet parochi in plebes sibi commissas fideliter transfundendam accipiunt ac trajiciunt; sic viget *totum corpus* (Christi morale) *compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem, in mensuram uniuscujusque membri, augmentum faciens in ædificationem suî in charitate*, ad Ephes. cap. 4, v. 16.

Objic. 2°: Habetur tanquàm insigne conciliorum exemplar synodus Hierosolymitana de

quâ in actis Apostolorum : illâ autem in synodo, judicum partes egisse ipsos presbyteros demonstratur vel solâ et obviâ gestorum expositione : exorta fuerat contentio de adigendis ad legalem circumcisionem, ipsis qui ex gentibus crediderant : *Statutum est ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem super hâc quæstione*, Act. Apost. cap. 15, v. 2. Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc, v. 6; in epistolâ synodicâ quæ missa est Antiochiam hæc leguntur : *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ et Syriæ*, v. 23, *visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis*, etc., v. 28 et 29; cùm autem versaretur in Syriâ et Ciliciâ Paulus, præcipiebat *custodire præcepta Apostolorum et seniorum*, v. 41. Eumdem Apostolum, iidem qui synodo Hierosolymitanæ interfuerant Apostoli, sic alloquuntur, anno à celebratione concilii septimo : *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus judicantes ut abstineant se ab idolis, immolato*, etc. Act. Apost. cap. 21, v. 25. *Seniorum* nomine idem significari quod *presbyterorum*, notissimum est. Præterea nemo dubitat, quin suffragii *definitivi*, Barnabas, Silas, et Judas septuaginta inter discipulos, nec proinde in episcopis numerati.

Resp. 1° : Ex his omnibus si concludendum esset, jure divino, quod violari nefas, competere simplicibus presbyteris, in causis fidei, auctoritatem judicum, quâ ratione jus illud, vicinis etiam ævo apostolico temporibus aut ignorari potuisset ab universâ Ecclesiâ, aut ab eâdem toties proculcari? Revocentur ad mentem quæ retulimus tum de variis conciliis particularibus, habitis de tempore celebrandi paschatis, de rebaptizatione, etc., tum de prioribus ipsis generalibus synodis, quæ certè noluissent dejici ex gradu presbyteros, ac nobilissimo jure destitui, quod et ipsis Christus contulisset, et religiosè agnovissent Apostoli.

2° Hanc esse simplicibus sacerdotibus asserendam judicandi auctoritatem, firmâ nullâ concluditur argumentatione ex actis Hierosolymitanæ synodi, nisi saltem ostendatur, et quidem excussâ omni dubitatione, verbo *seniores*, seu *presbyteri*, in objectis Scripturæ testimoniis significari sacerdotes ad episcopatum non provectos; id verò, nedum remotâ omni ambiguitate adstruatur, ostendi potest voce illâ, *seniores, presbyteri*, in scripturis novi Testamenti, ut simplices sacerdotes, ita et ipsos designari episcopos; tùm etiam in Actibus Apostolorum ubi agitur de Hierosolymitanâ synodo, voce illâ intelligi posse (quod solvendæ objectioni satis est) imò et intelligendos esse sacerdotes episcopali dignitate præditos.

Nomine quidem isto, *seniores, seu presbyteri*, novo in Testamento nuncupatos esse non solùm simplices sacerdotes, verùm etiam episcopos, pluribus evincitur obviis testimoniis; 1 ad Timoth. cap. 4, v. 14 : *Noli*, inquit Apostolus, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri*, hoc est, senatûs Ecclesiæ seu episcoporum, neque enim episcopum ordinâssent simplices presbyteri. Ad Titum cap. 1, v. 5 : *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros*. Hoc nomine à S. Paulo episcopos appellari, ipso patet contextu, unde v. 7 : *Oportet enim*, inquit, *episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*, etc. Apud antiquissimos Patres, nomen, *seniores*, seu, *presbyteri*, episcopis etiam adscribitur; ita SS. Clemens Romanus, Polycarpus, Irenæus; ita Papias, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, etc.; quin et ipsos summos pontifices, prædicto vocabulo nuncupat S. Irenæus : sic enim loquitur epist. ad Victorem Papam : « Presbyteri ante Soterum, qui Eccle-« siæ cui tu jam præes, præficiebantur, » etc.

Hoc ipso autem quo prioribus Ecclesiæ temporibus, commune fuerit tum episcopis, tum ordine ac dignitate inferioribus sacerdotibus, nihil vetat quominùs verè censeantur episcopi *seniores* illi qui Hierosolymitanâ in synodo judicâsse dicuntur cum Apostolis; licet enim adhibeatur commune pluribus nomen, non idcircò omnibus qui appellantur hoc nomine, munus idem imponitur et officium : postulat usitata et æquissima interpretandi ratio, ut ad eos restringatur, munus de quo agitur et officium, ad quos certò pertinere aliunde constiterit, et ad quos reipsâ nominis exponendi significatio determinatur ex ipsis rerum adjunctis atque ex subjectâ, ut aiunt, materiâ. Jam verò et Scripturæ et illibatæ traditionis, quæ deprompsimus argumentis constat, munere et officio judicandi de causis fidei, certissimè jure divino defungi episcopos; nec affirmari posse, eodem jure sedisse Hierosolymitanâ in synodo tanquàm judices fidei, simplices presbyteros, nisi vel gravissimæ adversùs sacerdotalem ordinem, injustitiæ, vel propriæ suæ constitutionis, essentialisque sui regiminis ignorantiæ

aut oblivionis insimuletur ac redarguatur universalis ipsa Ecclesia; ne igitur tanta Ecclesiæ cui perpetuò adest Christus, inuratur injuria, nonne dicendum foret, si judicandi munus, simplices presbyteros prædictâ obiisse in synodo, putandum sit, hanc illis tùm impertitos fuisse auctoritatem Apostolos concesso ad tempus privilegio, quod expedire censuerint ad instaurandam faciliùs ac citiùs laborantem concordiam?

Haud abs re erit advertere, Hierosolymitanæ temporibus synodi, paucos in Ecclesiâ versatos esse sacerdotes qui episcopalem ad gradum non essent promoti : namque, ut observat doctissimus Petavius : « Cùm Religio christiana « progressionem in dies faceret, perque civitates « et populos propagaretur increbrescente multitudine, opus fuit paratam esse copiam epi« scoporum, qui ad urbes et provincias christiano « partas nomini, cum potestate mitterentur, ut « ea quæ ab solis episcopis administrabantur, « præstare possent : cujusmodi sunt clerico« rum ordinatio per manuum impositionem, « confirmationis sacramentum, et alia quædam « quæ simplices presbyteri non attingebant. »

Quod objicitur in septuaginta discipulis habitos fuisse Barnabam, Judam et Silam, nec proinde episcopali insignitos dignitate, negamus eam consequentiam : nihil enim obstat quin ex septuaginta discipulis aliqui ad episcopatum evecti fuerint, eâ maximè de causâ, quòd sicut adnotantem audivimus Petavium, multiplicatâ continuò Christianorum gente, opus esset ministrorum copiâ, qui munia inire possent, quæ sunt episcoporum propria.

Cæterùm Barnabam fuisse episcopum evincitur Actuum Apost. cap. 13, in quo dicitur Saulo et Barnabæ impositas esse manus ad opus ad quod assumpserat eos Spiritus sanctus : ergo ut Paulus, ita et Barnabas episcopus; quin et ante finem seculi quinti colebatur tanquàm Apostolus.

In utrâque Ecclesiâ, Latinâ scilicet et Græcâ, colitur quoque Silas tanquàm Apostolus : idem verò, et Judas, cui cognomen Barsabas, Act. cap. 15, dicuntur *primi in fratribus*, sive, ut legitur primigenio in textu, *præpositi*, quos placuit Apostolis mitti Antiochiam : Ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, quod ad episcopos potiùs quàm ad simplices sacerdotes referri potest.

Inst. : Qui seniores vocantur in agitatâ de legalibus controversiâ, erant presbyteri urbis Hierosolymitanæ : dicitur enim Paulum et Barnabam et quosdam alios ascendisse *ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem*, Act. Apost. cap. 15, v. 2. Ergo vel inter simplices sacerdotes collocentur oportet illi presbyteri, vel asserendum plures fuisse urbis Jerosolymæ, cui jam præerat Jacobus Apostolus, episcopos : quod à disciplinâ ecclesiasticâ plurimùm alienum est.

Resp. : Aliud est seniores illos versatos fuisse Hierosolymis, aliud fuisse Hierosolymitanæ civitatis presbyteros; vigilanti utique verbo usus est S. Lucas in Actis Apostolorum, ad utrumque secernendum : in objecto enim mox testimonio dicuntur ascendisse Paulum et Barnabam *ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem*, non dicitur ad presbyteros Jerusalem seu Jerosolymitanæ urbis. Idem observare licet Act. cap. 16, v. 4. Paulus et Timotheus dicuntur civitatibus per quas transirent, dogmata tradidisse quæ erant *decreta ab Apostolis et senioribus qui erant Jerosolymis*. Notanda sunt hæc verba, *qui erant Jerosolymis;* ibi aderant quemadmodùm aderant Apostoli : seniores autem illos contendimus totidem fuisse episcopos : cùm enim alii nulli judices in definiendâ quæstione de legalibus memorentur præter Apostolos et seniores, si seniores illi excludantur ab episcoporum numero, nulli cùm Apostolis convenissent in synodum episcopi, ad quam tantoperè ipsos compellebat et debita Apostolis reverentia, et gravitas dijudicandi quod universæ intererat Ecclesiæ, negotii : ad hæc adjice quæ hâc de voce, *seniores*, supra exposuimus.

Inst. iterùm : Actuum cap. 20, qui versu 17, *majores natu Ecclesiæ*, seu presbyteri, iidem dicuntur advocati ab Epheso cujus episcopus erat Timotheus, et qui tùm Mileti videtur adfuisse : *à Mileto autem mittens Ephesum* (Paulus), *vocavit majores natu Ecclesiæ*, v. 17 : at quis putaverit presbyteros, totidem fuisse cum Timotheo urbis Ephesinæ episcopos ? nonne videatur potiùs eos omnes simplicibus annumerandos sacerdotibus? Alios saltem ex illis in simplicium sacerdotum, alios in episcoporum ordinem referri necesse est, ut placuit Theodoreto, SS. Chrysostomo, Hieronymo, et remotiori ætate S. Irenæo sic loquenti : « Pau« lus in Mileto convocatis episcopis et presby« teris, qui erant ab Epheso et reliquis civitati« bus. » Lib. 3 adversùs hæreses, cap. 14. Illos tamen omnes seniores sic alloquebatur Apostolus : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. cap. 20. Regendæ autem Ecclesiæ

officio ac muneri adjunctam esse judicandi potestatem nemo negaverit : ergo et eâ prædîti sunt cum episcopis simplices sacerdotes.

Id confirmari potest illis verbis Domini Apostolos alloquentis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos..... accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*, Joann. cap. 20, v. 23, etc. Judicandi potestatem complectuntur illa verba : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Ergo et in ejus consortium vocantur simplices sacerdotes, sicut et potestatis remittendi peccata facti sunt participes.

Resp. : Sunt qui existiment commune quidem fuisse episcopis ac simplicibus sacerdotibus nomen *presbyteri*, non verò nomen *episcopi;* ita Nicolius, tract. cui titulus : Les Prétendus Réformés convaincus de schisme, chap. 10. Hinc arbitrantur ad solos spectare episcopos hanc Apostoli admonitionem : *Attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Huic illius testimonii interpretationi favet concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 4, neque ex eâ consequitur, plures extitisse simul Ephesinæ episcopos Ecclesiæ ; sed plures Ephesum Asiæ metropolim tum convenisse episcopos, aut inde à vicinis advocatos civitatibus : quod quidem declaratur ipso quod objicitur, S. Irenæi testimonio. Sunt verò theologi, quos inter Carolus Witasse, Tract. de Ordine, quæst. 1, cap. 1, assert. 4, qui post S. Chrysostomum, Theodoretum, Theophilactum, et episcopis et presbyteris inditum fuisse censeant nomen *episcopi,* quanquàm dignitate et auctoritate episcopos antecellere certò crediderint : quemadmodùm parem inter se honoris ac potestatis gradum non obtinent, quicumque magistratûs nomine donantur, neque omnes quos Christi ministros appellaveris.

Priorem si interpretationem sequaris, quam tenuerunt S. Epiphanius et alii, fatearis oportet adducto in textu regimen Ecclesiæ solis illis attribui, qui apud nos episcopi nuncupantur. Expositionem alteram si anteposueris, pronum est ut asseveres ipsos qui episcopatum non attigerint, sacerdotes, administrandæ Ecclesiæ præpositos esse à Spiritu sancto ; hâc in sententiâ, (quæ probanda nobis minimè videatur) respondendum est non eamdem tamen in regendâ Ecclesiâ auctoritatem esse adscribendam episcopis et simplicibus presbyteris, sed illis principalem ac primariam, his verò secundariam, et *subordinatam;* porrò in gravioris momenti negotiis et maximè in causis fidei, ad principales judices pertinere *divino* jure *definitionum suffragium;* rem ita se habere in Ecclesiæ regimine, solosque propriè episcopos fuisse à Christo Domino constitutos fidei judices, evictum est omni argumentorum genere.

Verbis illis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* alloquitur Christus Apostolos, quos præcellenti auctoritate muniendos curavit ad prædicandum omni creaturæ Evangelium, omniaque novæ legis conferenda sacramenta. Istis autem verbis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc., administrandi sacramenti pœnitentiæ potestatem contulit iisdem quidem Apostolis, verùm quatenùs etiam sacerdotibus, sicut perpetuâ traditione, tum universalis Ecclesiæ praxi et declaratione compertum est; unde in Ecclesiâ pœnitentiæ sacramentum conferre possunt quicumque præter sacerdotalem characterem, approbationem ac jurisdictionem ordinariam aut delegatam ad hoc munus obtinuerint.

Objic. 3° : Annales Ecclesiæ quisquis lustraverit, fatebitur sedisse in conciliis tanquàm fidei judices cum episcopis presbyteros; tulisse cum iisdem *definitivum suffragium,* synodorum decreta subscriptione suâ confirmavisse; epistolas synodicas eorum quoque nomine christianum per orbem disseminatas ; quin et ab illis, cùm adesse conciliis non poterant, deputatos esse qui vicem ipsorum gererent. Hæc patent conciliorum collectiones l'Abbæi et Harduini evolventibus, nec possunt ad *consultativam*, ut aiunt, vocem detorqueri, nam vel priorum inter conciliorum generalium præsides recensentur presbyteri. Concilio Nicæno præfuerunt cum Osio Cordubensi episcopo Vitus et Vincentius presbyteri ; Ephesino cum S. Cyrillo Alexandrino, Arcadio et Projecto episcopis, Philippus presbyter ; Chalcedonensi cum Paschasio et Lucentio episcopis, presbyter Bonifacius. Numquid à judicum officio et munere excluderentur, qui ut præsides primas in synodis partes agerent? Nihil subest causæ cur presbyteris, episcoporum absentium procuratoribus, aut aliis negata censeatur vox *deliberativa,* quos refertur judicâsse ac more episcoporum subscripsisse. Hæc autem causas religionis dijudicandi vera potestas, licet quoad exercitium, auctoritati pastorum principum subdita, non ab alio fonte quàm divinâ institutione profluxit : conjungitur enim cum speciali sancti Spiritûs præsidio quod pollicitus est

Christus, quodque ab Ecclesiæ non pendet concessione et arbitratu. Nôrunt omnes quantùm in synodis Pisanâ, Constantiensi et Basileensi valuerit auctoritas presbyterorum.

Resp. : Probari haud satis est multis in conciliis partes omnes judicum explevisse presbyteros : probandum insuper incumbit hoc illos munere et officio functos esse divino adminiculante jure : id verò probari non posse declarant quæ congessimus ad assertionem nostram argumenta, quibus hæc addere juvat. Tridentinâ in synodo diu disceptatum fuit utrùm Cassinensibus tribus abbatibus definitivum concederetur suffragium : ac tandem suadente cardinali Montano statutum est, ut concors trium illorum abbatum sententia *pro uno haberetur suffragio*. Plerisque in synodis septimum usque ad seculum coactis, nulla injicitur mentio subscriptionis presbyterorum ; à pristinis quidem temporibus invaluit consuetudo concedendæ procuratoribus episcoporum *vocis deliberativæ;* sed illam cùm ut deputati ab episcopis haberent, minimè consequitur divino instituto ac proprio veluti jure eos esse in fidei judicibus positos aut ponendos.

Quod objicitur, ad concilia missos esse ab ipsis presbyteris procuratores, id rarissimè contigit, nec nisi recentioribus invectum ætatibus : non id igitur argumento est institutionis divinæ et suâpte naturâ perpetuæ, maximè cùm procurationes illas admittere aut repudiare in episcoporum potestate positum sit, ut inter cætera in concilio Rothomagensi anno 1583 et comitiis cleri Gallicani ann. 1700 declaratum est. Ex eo quòd dixerint nonnunquàm in synodis presbyteri, sese earumdem confirmare decreta, præter quàm quòd id confirmandi genus ad simplicem consensum et adhæsionem per se revocari queat, sicut dicitur firmatum esse à diaconis subscribentibus habitum sub Gregorio III Romanum concilium, hoc unum ex tali confirmatione ad summum colligi potest, celebratas nimirùm fuisse synodos, in quibus tanquàm judices sese gesserint presbyteri: talia autem munia illos obiisse, tanquàm *necessarios*, *divinitùsque* constitutos judices, nullo modo conficitur. Nec ad istud impugnandum adjuvant quæ referuntur de presbyteris qui conciliis Pisano, Constantiensi et Basileensi interfuerunt : ut ab hoc ultimo exordiamur, constat, ut animadvertit D. l'Advocat, in eâ motam non fuisse de suffragii definitivi attributione controversiam, nisi sessionibus 34 et 35, quibus, œcumenicitate ipsius jam dilapsâ Eugenium IV pontificali dignitate exuere attentavit.

De concilio Constantiensi dùm verba facit Gersonius, quædam ille interposuit obscura et ambigua, unde patrocinium accersere conantur adversarii : at ne tempus conteratur in eorum explicatione, de quibus adiri potest D. Corgne, Mémoire dogmatique, pag. 227 et seq., ea si explanari non possent, dicendum foret oppositam omninò sententiam apertè doctorem illum amplexum esse scripto cui titulus : Conclusiones quædam sub quibusdam articulis ponendæ, sub finem sermonis de Purificatione Mariæ Virginis : « Ad episcopos, inquit, spe-« ctat de jure divino, et quibusdam de piâ con-« suetudine legitimè præscriptâ, propositionem « aliquam hæreticare, hoc est, hæreticam de-« cernere vel determinare, neque doctrinali-« ter, sicut doctores theologiæ possunt, sed « etiam judicialiter. »

Hâc in controversiâ majorem præ se fert auctoritatem cardinalis Cameracensis (d'Ailli) cujus verba objectioni solvendæ idonea, non piget exscribere : « Distinguendum, inquit, « de agendis in concilio, quia vel ipsa essent « quæ solùm pertinerent ad fidem catholicam, « sacramenta et purè spiritualia ecclesiastica, « de quibus antiquitùs inter sanctos Patres, in « conciliis generalibus agebatur, in quo casu « sæpè loquuntur jura canonica, et de iis in « præsenti nihil statuitur; vel illa essent per « tinentia ad exterminationem præsentis schis « matis, et unionis, et pacis integræ procu-« randæ. »

Quoad ultima hæc duntaxat capita vocem *deliberativam,* seu, ut ait, *determinationem conclusivam,* presbyteris, quin et ipsis principibus secularibus, eorumque legatis arbitratur esse tribuendam, Concil. tom. 12. At certè non jure divino; neque enim putavit, spiritualibus in causis, quamvis meram pertinerent ad disciplinam, auctoritatem judicandi ipsis secularibus principibus esse divinitùs collatam.

Pisanâ ex synodo cùm nihil depromatur quòd principiis jam positis expediri facilè nequeat, ab ulteriori expositione supersedebimus. De illâ, si placuerit, consule D. l'Advocat, tractatu de Conciliis, et D. Corgne, *Mémoire dogmatique.*

Ad pleniorem propositæ quæstionis intelligentiam atque elucidationem, quædam hic adjicienda duximus : cont ndant licet nonnulli judicum propriè munus nunquàm ullos obiisse presbyteros in causis fidei, neque ultra præsti-

tutos consultoribus limites potuisse, concedente licet Ecclesiâ, procedere, contrariam tamen ultrò fatemur tenendam esse sententiam, obvioque et naturali sensu intelligenda esse, quæ ad concessionem illius muneris pertinent testimonia : quâ autem ratione potuerit illud communicare et impertiri Ecclesia, quod non aliunde quàm à Spiritu sancto accipi posse videatur? Sunt qui existiment, dùm ordinantur sacerdotes, eos inchoatam et quasi radicalem recipere dijudicandi causas ipsas fidei, potestatem, quæ tamen ab illis adhiberi nequeat, nisi concedente quibus voluerit Ecclesiâ, eo ferè modo, quo acceptâ per sacramentum ordinis potestate remittendi peccata, opus habent nihilominùs approbatione et jurisdictione ordinariâ vel delegatâ ; at in ordinatione quidem sacerdotum, sic eos alloquitur episcopus : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* verùm de potestate judicandi ne unum quidem emittitur verbum: aliam itaque putamus ineundam esse viam hujusce quæstionis explicandæ, nec ita implicatum esse hunc nodum, ut nisi secando solvi non possit.

Ad obeundum judicandi munus requiritur potestas jurisdictionis : hanc subministrare valet Ecclesia, non solùm ubi agitur de informandâ disciplinâ, verùm etiam ubi de perpendendis, dirimendisque causis fidei; sed illam potestatem qui sic adepti fuerint, non idcircò evadunt judices *ordinarii ac necessarii* in controversiis quæ ad religionem pertinent : non ideò efficiuntur membra corporis illius à Christo constituti, cui custodiendum speciatim mandaverit depositum fidei, et Ecclesiæ administrationem adjunctâ infallibilitatis perpetuâ et absolutâ promissione. Itaque donati qualicumque privilegio simplices presbyteri, nunquàm de causis Religionis eâdem auctoritate judicant, eodemque jure, quibus episcopi, Apostolorum successores et hæredes.

Verùm, inquies, dùm inter judices fidei cooptantur aliquo in concilio generali, nonne tunc cum episcopis supremum constituunt Ecclesiæ universalis tribunal, idemque infallibile, cùm ipsam suâpte naturâ repræsentet? Ergo necesse est ut ex episcopis simul et presbyteris tunc coalescat infallibilis Deo providente conventus : quod fieri non potest nisi divinæ institutionis virtute, quæ cùm ad episcopos, tùm etiam ad presbyteros judiciorum tunc consortes individuâ subministratione pertineat.

Resp. : Cùm dixeris tum ex episcopis, tum ex presbyteris, cùm *definitivi* suffragii jure donantur in synodo generali; constare supremum et infallibile tribunal Ecclesiæ, sic intelligenda est hæc propositio, ut ad illud constituendum tribunal, repræsentandamque Ecclesiam, id conferre censeantur presbyteri quod præstare possunt utentes derivato ab ipsâ Ecclesiâ privilegio ; deliberant, judicant, decernunt sive quæ ad disciplinam, sive quæ ad ipsam spectant doctrinam ; nec ideò tùm assurgunt aut assurgere possunt ad episcoporum gradum et ordinem ; non id auctoritatis atque juris assequuntur quod episcopalem characterem, divinâ institutione postulat; nec haberi possunt fidei judices necessarii, et à Christo componendis de religione controversiis destinati. Quapropter soli episcopi perfectè et *proprio jure* universalem Ecclesiam judicantem repræsentant, seu pastorale illud corpus, cui ut diebus omnibus adesset, speciali promissione Dominus sese distinctè obstrinxit; solis ergo ex episcopis, qualescumque illis alii adjungantur judices, supremum constat Ecclesiæ tribunal, quâ parte necesse est *ad exercendam infallibilitatem Ecclesiæ promissam ;* nec ab aliorum judiciis vis illa decretorum repetenda est, quæ internum et absolutum exigere et imperare valeat obsequium.

Obj. 4° : Olim, *communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur*. Hæc sunt verba S. Hieronymi in cap. primum epist. ad Titum; ita etiam S. Cyprianus epist. 71 ad Quintum. Hinc ab auctore Constitutionum apostolicarum c. 28, presbyteri dicuntur *synedrium et senatus Ecclesiæ*. Hinc appellant eos episcopi *confratres suos, consacerdotes, cooperatores, collegas,* assessores. Hinc Magnesianos sic hortatur S. Ignatius Martyr : « In concordiâ studete « omnia operari præsidente episcopo in loco Dei, « et presbyteris in loco consessionis Apostolo- « rum. » Tanta est in regendâ Ecclesiâ, hierarchiæ in muneribus, episcopis cum presbyteris communitas, ut exclamare non dubitaverit S. Hieronymus : « Quid facit exceptâ ordinatione « episcopus, quod non facit presbyter? » Ecclesiæ igitur constitutioni et vulgatæ traditioni renituntur, qui presbyteros à ministerio dijudicandi cum episcopis æquo jure controversias fidei, ablegatos voluerint.

Resp. : Inoleverat quidem saluberrimus ille usus, ut Ecclesiæ, communi consilio ab episcopis et presbyteris gubernarentur ; nec ideò unquàm catholicâ in Ecclesiâ creditum est,

eadem prorsùs omnia episcoporum munia, simplicibus quoque sacerdotibus, voluisse Christum esse communia; non adscripta presbyteris administratio sacramenti ordinationis, non attributum confirmandi baptizatos ordinarium ministerium; non assignata potestas episcopos deponendi; non lege ullâ divinâ præstituitur illa, quæ quondam vigebat, communis simplicibus sacerdotibus cum episcopis, quasi pari curâ et sollicitudine, Ecclesiam administrandi ratio et consuetudo. Haud igitur illa argumento est, divino jure communem fuisse episcopis et presbyteris potestatem ferendi judicii in definiendis fidei controversiis: quinimò probavimus rarò admodùm prioribus Ecclesiæ seculis, si procuratores episcoporum excipias, adscitos esse presbyteros ab episcopis inter judices fidei.

Civitatis quidem clericos congregavit S. Alexander Alexandriæ episcopus, ut Arii sociorumque ejus depositioni suffragarentur. Sed nudam simplicemque adhæsionem illud invehebat suffragium, ut significat ipse sanctus ille pontifex: « Decet enim, inquit, vos quæ à me « scripta sunt scire, et unumquemque, ea « quasi à se exarata essent, corde retinere. » Epist. S. Alexandri apud Cotellerium in caput 28 Constitutionum apostolicarum. »

Plus afferre momenti licet videantur decantata toties à Protestantibus ista S. Hieronymi verba: « Quid facit exceptâ ordinatione epi- « scopus, quod non facit sacerdos? » attamen ejusmodi effata liquet non esse absque ullâ restrictione exponenda: sicut cùm generatim dicitur sede vacante episcopali devolutam esse exceptâ ordinatione ad Ecclesiæ cathedralis capitulum, omnem episcopi auctoritatem; facilè perspicitur pronuntiatum illud S. Hieronymi spectare ad communia et quotidiana ministerii ecclesiastici munera; solamque si videatur ordinationem excipere, id factum est, quia et in omnium conspectu ea præ se fert aliquid, quod magis emineat, et aliarum superiorum habeatur pignus argumentumque functionum, utpote quæ ut ipsa innituntur charactere episcopali divinitùs impresso.

S. Hieronymi de præstanti episcoporum dignitate et auctoritate sententiam quæ non adeò difficiles habet explicatus, latè et accuratè evolvendam curaverunt doctissimi plures controversistæ in tractatu de Ordinis Sacramento; nec quid sentiat dubitaverint, qui hæc ejus verba ponderare velint scribentis ad Evagrium: « Ut sciamus traditiones apostolicas « sumptas de veteri Testamento; quod Aaron « et filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, « hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi « vindicent in Ecclesiâ. »

Quod verò speciatim attinet ad illam quam nunc attendimus, judicandi potestatem in causis fidei, hanc esse episcoporum propriam, non obscurè, neque perfunctoriè indicavit idem ille S. doctor; debellandis enim suffragiorum auctoritate hæreticis, nunquàm presbyterorum, at episcoporum, inprimisque summi pontificis adhibet auctoritatem tanquàm firmum et inexpugnabile munimentum; v. g., religiosum aspernanti cultum imaginum Vigilantio, impudentissimum ut os obturaret: « Malè ergo, « inquit, facit Romanus episcopus, qui super « mortuorum hominum Petri et Pauli, secun- « dùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem « pulvisculum, offert Deo sacrificia; et non « solùm unius urbis, sed totius orbis errant « episcopi, qui ingrediuntur basilicas mor- « tuorum, » tractatu contra Vigilantium.

De Origenis defensoribus sic loquitur in Apologiâ contra Rufinum lib. 1: « Non valet « apud eos super Origenis damnatione episco- « porum auctoritas, quem putant à Martyre « prædicatum; quid facient epistolæ Theo- « phili? Quid Papæ Anastasii, in toto orbe « hæreticum persequentes? »

Fidei genuinos divinitùsque constitutos judices si arbitraretur presbyteros, tantam profectò suffragantium nubem silentio non præteriisset, eòque minùs tacuisset, quòd extollendis presbyterorum muneribus impensè tuduerit.

Demùm quæ pertinent ad venerandum presbyterorum senatum episcopo assidentium de quo loquitur, adjuvabant episcopos tanquàm filii parentem, fideles ministri pontificem, sapientes ac periti consultores principem: cùm ergo vocarentur *cooperatores, consacerdotes, collegæ episcoporum,* talibus quidem honorificis nominibus commendabatur inclyta dignitas, assiduumque sacerdotum in muniis ecclesiasticis, populorumque regimine studium: at quantâcumque necessitudine laborumque subsidio adunarentur episcopis, nec ordine et gradu nec auctoritate pares se illis putabant: imò quò magis eos sibi velut sociandos curabat episcopus, eò minùs arrogabant sibi, quâ divino ex præscripto antecellit, potestatem.

Alia nonnulla exponuntnr quæ faciliùs diluuntur objecta.

Rationum quædam obtruduntur momenta, quæ confutatione distinctâ cùm vix egeant, levi perstringentur calamo.

Objicies 1° : Inquiunt adversarii : Non solis ex episcopis, verùm etiam ex presbyteris coalescit universalis quæ *docens* vocatur Ecclesia: ergo non potest, quantùm oporteat repræsentari, nisi convocentur ad synodum, partesque judicum agant presbyteri quibus etiam traditum est docendi ministerium.

Resp. : Sacerdotali quidem ordini commissum est docendi munus, impositumque officium ; sed, quemadmodùm adnotavimus, exponendo quod ex Christi Domini verbis protulimus, argumento, auctoritatem dicis, non habet adjunctam quæcumque docendi potestas et officium; non tam latè patet in presbyteris potestas illa quàm in episcopis; constituente Christo, tradere judicando, definiendo, et sanciendo, doctrinam, possunt episcopi, quâ ipsi deinde presbyteri commissos sibi populos imbuere alii ex proprio munere, alii ex delegatione studeant. Præterea cùm solos episcopos habuerit semper Ecclesia, tanquàm ordinarios et necessarios in causis fidei, judices, non alii ex necessitate et divinâ institutione requiruntur ad repræsentandam, ut par est, in conciliis, docentem Ecclesiam.

Objicies 2° : Christianâ doctrinâ funditùs eruditi, opem navabunt quandoque necessariam in conciliis multi presbyteri ; præstò erunt episcopis, ad superanda quæ veritatis investigationi officiunt, impedimenta; obstabunt strenuè, ne contra Petri Apostoli præceptionem *dominantes* esse velint *in cleris ;* aut quod in Pharisæis arguebat Dominus, onera imponant quæ gestare non valeant subditorum humeri.

Resp. : Prædicetur quantùmlibet illorum omnium presbyterorum qui synodis interessent, sagacitas et eruditio, hanc possent exerere, solam licet consultorum personam sustinerent, neque inde consequens, ipsis etiam inconsultis nihil posse episcopali judicio definiri ac determinari : abjectè et iniquè sentiret de episcopali ordine, qui effutiret non posse constitutam ex solis episcopis synodum ea callere quibus opus habent ad rectè congruenterque judicandum. Ne plura congeramus, maneat altâ mente repositum, eruditionis et doctrinæ affluente copiâ afferri posse nominis commendationem, non judicis auctoritatem : an sapere vel in civilibus viderentur, qui juris peritiam prætendentes, hoc uno confidentes nomine, sedere forensibus auderent in tribunalibus ?

Ad id verò quod objicitur necessum esse jure quasi naturali, ut judicum personâ induantur presbyteri, ad cohibendas prælatorum cupiditates, et præcludenda erroris incitamenta; id objectare quid est aliud quàm præpositos gregis obsequio et veneratione prosequendos protervè lacessere et insectari ? Id unum respondere satis est, omnia Christum prævidisse, omnia posse, eumque sese Apostolis, illorumque successoribus affuturum usque ad consummationem seculi, absolutè esse pollicitum.

Objicies 3° : Cùm offerendi potestate sacrificii, quo nihil in religione præstantius, simplices polleant sacerdotes, cur et judicis auctoritate non valeant ? — Resp. : Ex eo quòd et episcopis et presbyteris datum sit tremendum offerre sacrificium, non sequitur æquales esse utrosque auctoritate et jurisdictione; ergo neque concessam utrisque judicandi potestatem; ex uno licet nobiliori non concluditur necessariò alterum, dispari ac diverso si posita sint in genere. Denique in his quæ pendent à liberis Dei decretis, non humanis ratiociniis, sed revelatione duce investigandum, quid statuerit, idque non scrutandum, sed religiosè tenendum; quis enim consiliarius illi fuerit, et quis ei audeat dicere : Quare ita fecisti ?

Superest ut incurrentes nonnullæ expediantur de illâ judicandi auctoritate quæstiones.

Quæres 1° : Utrùm vocem *deliberativam* habeant omnes episcopi? Quæstio illa instituitur, tum de episcopis qui dicuntur *in partibus,* tum etiam de hæreticis aut schismaticis. — Resp. : Ratio dubitandi nulla est, utrùm jure ipso divino, voce deliberativâ gaudeant illi episcopi *in partibus,* qui sese contulerint ad infidelium regiones, eorum ut allaborent conversioni, cùm et apostolicis incumbant muniis, et incidere queant tempora, quibus expediat et oporteat, quasdam ab illis discuti ac dirimi de doctrinâ controversias.

Verùm de episcopis in partibus qui adducendis christianam ad religionem infidelibus nihil impendunt operæ, dissentiunt inter se theologi : gravissimi negant auctores, jus illos habere completum et expeditum ferendi judicii, aut in conciliis particularibus, aut in ipsis

generalibus synodis : eâ potissimùm ducuntur ratione, quia et subditis et jurisdictionis exercitio careant illi episcopi; quod tamen exercitium ad judicis obeunda munia omninò requiritur : de hâc opinione, quam nec discutere, nec determinare nostrum esse videatur, consule D. l'Advocat, tract. de Conciliis. Quod spectat ad episcopos hæreticos vel schismaticos, si pertinaciter et apertè hæresis vel schismatis crimine sint implicati, exciderunt à jure sedendi inter judices fidei : ratio enim, et praxis Ecclesiæ non sinunt, judicandi illos fungi munere in causis religionis, qui notoriè ipsius aut aversantur et repudiant doctrinam, aut dogmata licet retinentes, ipsius tamen aspernantur auctoritatem, jugumque detrectant, ab ecclesiasticâ idcircò communione extorres. Nec tamen notoriis hæreticis aut schismaticis præcluditur conciliorum aditus, imò ad ea invitantur, ut emicante venerandis illis in cœtibus auctoritatis face, exuberante sacræ eruditionis copiâ, tum aspirante et adjuvante quod ibi pleniùs effunditur, cœlestis auxilio gratiæ, meliorem ad frugem sese recipiant, et quam deseruerunt, Ecclesiæ institutis aures et animum feliciter accommodent.

Quæres 2° : In quo posita sit illa vox deliberativa, quam presbyteris, quibus et quando voluerit, concessit Ecclesia? — Resp. : Verè tum judicant ipsis in causis fidei, non eâdem tamen auctoritate quâ episcopi : hinc si fortè generali in synodo dissiderent ab episcopis, illi qui judicibus annumerarentur presbyteri, eosque excederent numero, nec ideò auctoritate vincerent, imò ipsorum tenerentur decretis acquiescere; nam præterquàm quòd ad episcopalem ordinem pertineat divinum infallibilitatis in docendo promissum, nec unquàm voluerunt, nec potuerunt suâ se abdicare auctoritate, aut eam deprimere, quando quibusdam simplicibus sacerdotibus deliberativam vocem concesserunt.

Quæres 3° : Quibusnam presbyteris jure ecclesiastico vel consuetudine subministretur ferendi potestas definitivi suffragii? — Resp. : Conceditur, nemine diffitente, presbyteris Ecclesiæ Romanæ cardinalibus; conceditur in Oriente certis quibusdam ministris, curiam patriarchalem, instar cardinalium constituentibus; conceditur perpetuâ Ecclesiæ praxi, episcoporum absentium deputatis, et Ecclesiarum, vacante episcopali sede, procuratoribus. Donantur quoque privilegio suffragii definitivi abbates, non illi qui quidem dicuntur *commendatarii*, sed abbates regulares, si jurisdictionem habeant quasi episcopalem; prædictum autem privilegium, duodecimum ante seculum non obtinebant. Præter mox appellatos presbyteros, aliis quoque pro arbitrio et prudentiâ episcoporum potest memoratum privilegium suppeditari.

Quæres 4° : An diaconis etiam conferri possit? — Resp. Potest : ac reipsà nonnunquàm concessum est diaconis absentium deputatis episcoporum; fatendum est nihilominùs, ut scitè observat D. l'Advocat, sacris canonibus postea sancitum fuisse, ut episcopi non diaconos, sed presbyteros in suî locum ad concilia mitterent : at eâ sanctione, seu abrogatione, non detrahitur praxi et consuetudini quâ tribuitur vox deliberativa diaconis tum cardinalibus, tum illis qui dicuntur Græcâ in Ecclesiâ patriarchales.

Assertio II. — *A presbyterorum etiam ut consultorum sententiâ et assensu, neque vim suam obligandi hauriunt, neque necessariò pendent dogmatica episcoporum decreta.*

Assertionem istam qui vellicant, eò spectant maximè, ut quæ sibi non arrideant episcoporum decreta, illis possent opponere presbyterorum qui eadem improbaverint, resistentiam; fiduciâ quàm inani deludantur, non vident : nullâ enim ætate contigit, neque contingere patietur sponsus Ecclesiæ Christus, presbyterorum ut pars maxima, aut notoriè major obluctetur dogmatico ulli decreto, quod à summo editum pontifice, comprobaverit major notoriè pars episcoporum. Hoc præfati, quo ritè considerato, adversantium frangi statim ac dissipari conatus intelligere est, jam afferenda sunt propositionis nostræ argumenta : ac primùm quidem consecutione perspicuâ manat ex indubitatis quæ posita sunt principiis.

Assertum est ac probatum, absolutâ et immutabili promissione spopondisse Christum, sese Apostolis, eorumque successoribus episcopis adfuturum jugiter ad consummationem usque seculi : ostendimus, quotiescumque dogmaticum eorumdem apostolici hæredum ministerii propositum fuerit decretum, rem esse transactam, nec ullius unquàm obtendi posse conditionis defectum, quo sincerum et integrum legitimè amoveatur obsequium : graviter igitur errant qui putaverint, non esse priùs assentiendum quàm expendatur, utrùm ab ordine episcopali consulti fuerint presbyteri, eorum-

que accesserit approbatio. Etverò, ut adhærendum sit dogmaticis pontificis episcoporumque definitionibus, si perpendere priùs oporteat, num consulendos presbyteros, eorumque accersendum curaverint consensum, eâdem ratione explorandum erit sedulò, an sanæ peritos amantesque doctrinæ consuluerint; an quantùm necesse fuerit, intentisque in veritatem animis, illas omnes servatas esse conditiones, certò ac palam constare deberet, cùm tali ex notitiâ et persuasione penderet Germanæ professio fidei, et coagmentatio Ecclesiæ: quis autem nisi spontè obcæcatus non perspiciat, inaccessam tùm fore populis christianis dignoscendæ viam veritatis, atque commentitiâ illâ in hypothesi nullam erroris præcavendi rationem eisdem offerri, nisi plenam temeritatis, arrogantiæ et periculi discussionem? Assertum ac probatum est, prolatæ à summo pontifice definitioni, cui expressè pars notabilis episcoporum suffragantur cæteris tacentibus, tacitum hunc perinde ac expressum valere consensum ad illius confirmationem stabilitatemque decreti: quam vim ac energiam enuntiat in hunc modum disertissimus d'Aguesseau: « Le consentement exprès ou tacite « imprime à une décision vénérable par elle-« même, le sacré caractère d'un dogme de foi. » (Oratione habitâ occasione brevis apostolici, quo proscriptus est liber cui titulus: Maximes des saints.) Atqui non concilii celebrationem, non convocationem presbyterorum, eorumque consultationes postulat tacita hæc approbatio. Assertum ac probatum est solos ad episcopos pertinere potestatem ac jus dirimendi controversias; episcopis addictam fuisse, alloquente Apostolos Christo Domino, activæ promissionem infallibilitatis; ab episcopis sive per orbem dispersis, sive congregatis, mutuari oportere pastores cæteros catholicæ opes doctrinæ, quas pro munere suo, instituendis valeant populis largiri.

Quo igitur pacto conditionis suæ obliti presbyteri, auderent munitam episcoporum consensione definitionem perstringere, novumque ad examen revocare, quasi suo vellent judicio, suos obligare judices? Veteribus consignatam monumentis evolve traditionem, nusquàm invenies à catholicis hominibus, eo nomine repudiata concilii alicujus decreta, quòd episcopi presbyteros suos, tanquàm *necessarios* consultores non advocaverint; talis intercessionis ne ullum quidem deprehendetur judicium.

Haud inficiamur intricatis in quæstionibus oportere ut consultatione utantur episcopi: quò enim gravioris momenti discutienda occurrunt negotia, eò maturiùs tractanda sunt; at contendimus, 1° cùm in adhibendis quæ investigandæ veritati necessaria sunt, deficere non possit ordo judicum indefectibilis et infallibilis, ad obterendos errores à Christo institutus, statim atque innotescit dijudicatam ab ordine episcopali, propositamque fidelibus aliquam doctrinam, confitendum est ac firmissimè tenendum, editæ ac sancitæ definitioni, nihil defuisse consultationis, alteriusve conditionis ex divino præscripto requisitæ.

2° Ubi consultatione indigent ad ritè judicandum ac definiendum episcopi, propriè dictâ non astringuntur necessitate, ut suæ unusquisque diœceseos percontetur et consulat presbyterium. (Id tamen quod quantùm licet, maximè congruat.) Nonne fieri potest, nec rarò contigit, quibusdam ut in regionibus obscurata sit, ac penè ex animis ejecta dogmatis alicujus vera traditio? Sic olim in Africæ regionibus, cùm negaretur valere collatum ab hæreticis baptisma, episcopo quid tum profuisset à suo ibi presbyterio consilium exquirere? Ubi consulendum est, potest episcopus adsciscere in consilium selectos quos noverit ac probatiores presbyteros, quibus utatur indagandâ tum particularis suæ Ecclesiæ, tum Ecclesiæ universalis traditione et doctrinâ, eosque privatis, si voluerit, interrogare ac percontari colloquiis, antequàm convocatum adeat concilium. Deinde nonne possunt in conciliis, mutuis sese adjuvare consultationibus episcopi, atque ex inexhausto Ecclesiæ thesauro ea depromere quæ fidem alere et sustentare valeant? Denique admissâ quæ fingitur consulendi in causis fidei dijudicandis, presbyterii absolutâ necessitate, quot, ut indicavimus, improbarentur concilia quæ laudem mereantur, plenamque fidem! Quot nutarent, jactarenturque ludibrio dogmatica decreta, quibus honorem et obsequium detrectari nefas est!

Hoc erat Constantinopoli in more positum, ut quos in eâ civitate detinerent episcopos sua vel Ecclesiæ negotia, illi cùm opportunum esse arbitrarentur, convenirent, emergentes ut ipsas de Religione controversias dirimerent; hâc de consuetudine testimonium perhibuit Anatolius patriarcha Constantinopolitanus: porrò qui tum versabantur principe in civitate episcopi, suum quisque presbyterium non consulebant, de fidei negotiis, quæ in illis tractarentur ex-

temporaneis synodis. Talibus in conciliis proscripta est hæresis Messalianorum, tum et ipsa Eutychianorum, antequàm Chalcedonensi obtereretur concilio. Habita est Alexandriæ synodus in quâ statutum est quid de trinâ aut unâ hypostasi, quid de dispensatione carnis nostri Salvatoris credendum sit. Certè consiliarios tunc non habuerunt suis è diœcesibus accersitos presbyteros episcopi illâ in synodo, velut inopinatè congregati, reduces ab exilio in quod ab imperatore Constantio ablegati fuerant. Epist. S. Athanas. ad Antiochenses, inscriptâ Eusebio Luciferio, Asterio, etc. Profligatum est Arausicano in concilio secundo semipelagianum dogma, ab episcopis qui ad dedicationem basilicæ convenerant, neque errorem hunc eo in conventu percellere antea statuerant : an illius eò infirmata sit celeberrimæ synodi auctoritas, quòd prolatam ab ejusdem episcopis definitionem non anteverterant presbyterorum consilia?

Numquid, ut multa prætereamus, convocatum est consultationis causâ, singularum provinciarum ac diœcesum presbyterium, ad conciliandam latis v. g. contra Baium, Jansenium, Molinosum decretis auctoritatem? Idemne fuit collectum ad reprobandas extractas propositiones ex libro cui titulus : *Maximes des saints?*

Huicce igitur palmari principio, semper inhærendum, quod quidem non vetustate minùs quàm veritate consecratum est : nempè, ut in causis fidei decretoriam ferre sententiam episcoporum est, ita et discernere ac dijudicare, quid propositum hunc ad finem comparandum sequi et præstare, Deo præcipiente oporteat; tum etiam, ut in iis quæ credenda proponunt christianæ societati, aberrare nequeunt, ita neque id prætermittere, quod talibus in judiciis ad veritatem comperiendam necessariò requiratur.

Objicies 1° : Clerum consulebant olim episcopi in omnibus saltem gravioris momenti negotiis : hinc illud effatum S. Cypriani : « Nec « enim inconsulto clero factum censeri potest, « quod ad satisfaciendum optatis ejus, et desi« derium ejus explendum, confectum est. » Eâ consulendi presbyteros necessitate voluit Christus arctiùs conjungi, cum secundi ordinis sacerdotibus episcopos, communique consensu, ideòque efficaciùs ad regendam Ecclesiam Dei incumbere; hinc Romanam apud Ecclesiam antiquæ ac prorsùs tenendæ traditionis constantiorem servatricem, non habentur ut absoluta summorum pontificum, atque prolata, ut aiunt, ex cathedrâ decreta, nisi priùs consultum fuerit, quo vetus repræsentatur Romanæ clerus Ecclesiæ, collegium cardinalium.

Resp. : Fatemur, ubi agebatur de proscribendis erroribus, consultum fuisse ab episcopis, cùm rerum adjuncta sinerent, suum presbyterium; nec ea, si rei substantiam potiùs quàm modum attendas, exolevit saluberrima consuetudo; hinc meritò dictum est ab illustrissimo Suessionum episcopo, documenti pastoralis tertii art. 5 : « Les évêques consultaient au« trefois leur clergé. Cela est vrai, et ils le « font encore, et ils le feraient encore plus, si « la plupart des ecclésiastiques ne vivaient au« jourd'hui dans une indépendance que les « premiers siècles ne connaissaient point : « mais après tout, cette consultation n'est ni « une condition essentielle, dont le défaut « annulle la décision des évêques, ni une mar« que sûre par laquelle on doive juger de sa « validité. »

Quod ut penitùs intelligatur, hæc summatim præ oculis habenda sunt : cùm fidei judices Christus Dominus constitueret, voluit profectò ut non temerè, sed prudenter judicarent : at sigillatim non determinavit ac præstituit vias quibus assequendum ad scopum insistere debeant; verùm id præstat inprimis facta illis absoluta inerrantiæ promissio, ut nihil admittere, nihilque possint omittere, quo, vel admisso vel prætermisso ab instituendis catholicam ad fidem gregibus sibi commissis absterreantur. Tum si quid aliquando omiserint quod humana videatur exigere prudentia, pro certo tenendum est, id saltem tunc temporis non ita fuisse necessarium, ut à Christo Salvatore suam nunquàm deserente Ecclesiam, sapienter compensatum non sit.

Quod autem objicitur de necessitate consulendi priùs collegii cardinalium, quàm dogmaticum edatur à summo pontifice decretum, receptam esse fatemur, perutilem ac providam illam consuetudinem, dogmaticis ut parandis constitutionibus cardinalium expetat consilium; at inde pendere necessariò illarum vim et auctoritatem, nihil est quod convincere valeat; unde enim desumeretur ista necessitas quæ divino sit adscribenda juri? An ex ipsâ cardinalatûs dignitate et præstantiâ? Sed divinæ eam non esse institutionis, in confesso est apud omnes. An ex eo repetenda est prædicta necessitas, quòd veterem censeatur Romanæ clerum Ecclesiæ, insigne cardinalium

referre collegium? At presbyterium suum ut unusquisque consuleret episcopus, divinâ nullâ lege sancitum esse ostendimus, neque peculiaris eo in genere imposita est lex summo pontifici : præterea observatu superfluum non est, cardinalium cœtu non totum constitui Romanæ clerum Ecclesiæ, neque solis constare presbyteris illustrissimum illum cœtum, sed episcopis etiam et diaconis : triplex est enim, ut notum est, ordo cardinalium.

Objicies 2° : Secularibus in tribunalibus, non priùs dicunt sententiam præpositi judices, quàm auditi fuerint advocati, testes, regiarum causarum patroni; advocatorum, testium, regisque regum causis patrocinantium personam sustinent presbyteri, atque inter cæteros, illi qui ex officio animarum curæ addicti sunt : ipsos ergo audiri, atque ad eos de causis religionis ante referri, quàm quidquam episcopalibus dijudicatum sit constitutionibus. — Resp. tribunali Ecclesiæ, et tribunali seculari, id esse commune, ut nullum incognitâ causâ proferendum sit judicium, atque idcircò vias oportet sequi judices, quibus ad notitiam judicandorum pervenire possint; at utrumque tribunal non eumdem ad finem constitutum est. Non eadem tractat causarum genera ; non iisdem regitur formulis ac legibus; non utrique adscriptum est perpetuum inerrantiæ donum : hinc non mirum, ad asserendam vim et auctoritatem dogmaticorum Ecclesiæ judiciorum, non easdem præscriptas esse vias, quæ temporalibus assignatæ sunt judicibus; quod enim ad fidei causas attinet, inhærendum est Scripturæ et traditioni, quibus edocemur promissum esse à Christo Salvatore episcopis datumque cum judicandi munere, et infallibili ad judicandum auctoritate, ut necessarium nunquàm non teneant veritatis investigandæ modum, eamque certò assequantur, illibatamque proponant.

Sectio quarta.

De infallibilitate Ecclesiæ in condemnatione propositionum in globo ; in factis dogmaticis dijudicandis ; in beatificatione et canonizatione servorum Dei.

CAPUT PRIMUM.

DE CONDEMNATIONE PROPOSITIONUM IN GLOBO.

Condemnari propositiones *in globo,* est illis quasdam ita inuri notas, seu quasdam sic infligi censuras, ut non determinetur, non definiatur quænam notarum seu censurarum species singulis competat propositionibus : ea fusiùs in decursu evolvetur notio.

Ex propositâ quæstione opportunam arripimus occasionem exponendi priùs (quod utilitati fore non mediocri confidimus) quænam sint natura et proprietates judicii dogmatici : tum et quales adhibeantur notæ, in reprobandis propositionibus, quantamque vim obtineant.

1. *De naturâ et proprietatibus judicii dogmatici.*

Judicium dogmaticum rectè definiri potest : *Judicium de rebus à Deo revelatis aut cum iis certò connexis.* Non igitur in eo duntaxat situm est ut quarumdam propositionum usum prohibeat : earum ipsam attingit doctrinam et quasi substantiam : errorem aliquem reprobat, seu vitium aliquod propositionis intrinsecum perstringit, vel aliquam declarat, approbatque veritatem. Hæc est propriè natura dogmatici judicii; inde profluunt spontè præcipuæ essentialesque illius proprietates.

Irreformabile est, nec mutationi obnoxium, eò quòd versetur circa veritates revelatas, aut cum illis necessariò devinctas, quæ infringi nequeunt vel permutari. — *Universale* est, hoc est, ad omnia pertinet loca et tempora, eoque obstringuntur cujuscumque statûs homines per orbem totum disseminati : nullis circumscribitur limitibus, nullamque patitur exceptionem necessitas credendi propositæ sufficienter divinæ revelationi, ejusque necessariis consectariis, cùm, ut par est, innotuerunt. — *Propugnari aut impugnari* non potest,

nisi ipsum conferendo cum Scripturâ vel traditione, aut principiis ac monumentis cum verbo Dei scripto vel tradito arctâ necessitudine conjunctis : id locum habet etiam in judiciis quæ spectant ad facta, ut aiunt, dogmatica, quibus scilicet alicujus auctoris libro attribuitur vel proscribenda, vel confirmanda doctrina; duo enim tunc quæruntur, utrùm eo libro talis doctrina contineatur, atque utrùm revelationi eadem congruat vel dissentiat.

Ex illis judicii dogmatici characteribus consequitur et facilè intelligitur discrimen quod ipsum inter legemque seu decretum disciplinæ intercedit. Decretum disciplinæ accuratè dici potest : *Decretum de rebus agendis vel omittendis, nec intrinsecè bonis nec intrinsecè malis.* Hinc meræ disciplinæ decreta possunt, prout opportunum censuerit Ecclesia, immutari vel etiam revocari : diximus, *meræ disciplinæ decreta;* quæ enim disciplinæ leges cum aliquo dogmate verâ et necessariâ affinitate conjunctæ sunt, illæ,ut par est, dogmatis illius immutabilitate afficiuntur : talis est lex quæ collatum ab hæreticis debitâ materiâ et formâ baptismum vetat iterari. Non eadem necesse est toto ut vigeat orbe catholico, meræ lex disciplinæ; quibusdam enim regionibus accommodata non essent disciplinæ quædam capita cæteris apprimè congruentia : sunt tamen disciplinæ leges nonnullæ quæ per se ad omnes Christianos pertineant, ut puta lex servandi quadragesimalis jejunii : hæc tamen lex ipsa quasdam potest experiri exceptiones ac dispensationes pro diversis temporum locorumve necessitatibus, ac legitimè invectis usibus.

Ad asserendam legis disciplinæ honestatem et æquitatem (loquimur de merâ disciplinâ), satis habetur, eam neque fidei neque morum principiis, repugnare, tum etiam eò spectare ut bono consulat christianæ societatis. Per legem disciplinæ possunt irrogari delinquentibus pœnæ : quarumdam usu propositionum eadem potest interdicere ; potest quibusdam obsistere vocibus ac terminis, quibus aditus aperiatur ad contentiones et scandalum : sed ut indicavimus, dogma ipsum non attingit, nihilque ad credendum proponit.

Nota. Ex ipso alicujus decreti tum scopo, tum contextu dignosci potest, utrùm dogmaticum haberi debeat; eo enim si declaratur, hoc esse romano pontifici et episcopis constitutum, ut delatam aliquam approbent vel reprobent doctrinam ; si propositiones ipsas, non usum duntaxat propositionum percellat ; si assensum internum jubeat et absolutum , pœnasque canonicas à dissentientibus reposcat : talibus enuntiandi modis, etiamsi omnes non adhibeantur, dogmaticum significatur decretum : quod quidem extrinsecis quoque significari potest momentis : pastorum scilicet testimonio et vulgatâ passim in Ecclesiâ, illius acceptandi ratione.

§ 2. *De notis theologicis.*

Ex damnatis quandòque propositionibus aliæ dicuntur hæreticæ, aliæ erroneæ, aliæ hæresi proximæ, sapientes hæresim, suspectæ de errore; aliæ impiæ, blasphemæ; aliæ scandalosæ, malè sonantes, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, etc.

Notæ theologicæ reputantur diversæ illæ appellationes, quibus designantur varii malignitatis et perversitatis gradus, variis insidentes propositionibus : earum quæ frequentiùs recurrunt, notitiam (quantùm operis nostri ratio postulat), exhibere animus est.

1° *De propositione hæreticâ.*

Hæretica propositio est ea quæ doctrinam contradicit divinitùs revelatam, quam fide tenendam Ecclesia proposuerit. Ea definitio communis est apud theologos, ut observat Panormitanus cap. 2, artic. 1, num. 6. Elucidatione tamen aliquâ indiget.

Diximus propositionem hæreticam adversari doctrinæ divinitùs revelatæ, et quidem immediatè adversatur : hâc immediatâ oppositione discrepat à propositione *erroneâ,* necnon ab aliis doctrinæ generibus, quæ vel indirectè, vel mediatè revelationem attentare censeatur. Adjecimus contradici *fidem divinam,* hæreticâ propositione. Fides autem divina , tota et *adæquatè* resolvitur in auctoritatem Dei revelantis : hæc est unica ratio divinæ fidei. Diximus etiam, requiri ad propositionem hæreticam, ut divinitùs revelatam cui immediatè adversatur, doctrinam , Ecclesia fide divinâ credendam proposuerit. Eâ sublatâ conditione posset quidem aliqua doctrina divinitùs revelata credi *theologicâ fide,* haud verò catholicâ. Quod ut intelligatur, fides supernaturalis infusa, quamvis una sit secundùm habitum, dividi solet in fidem catholicam et fidem theologicam; utramque tamen divinam. *Fides catholica* doctrinam revelatam complectitur quæ fidelium societati, auctoritate Ecclesiæ proposita fuerit ad cre-

dendum (idem est doctrina catholica, quòd doctrina universalis). *Fides theologica,* dicitur ea quæ licet nihil nisi revelatum contineat, non tamen comprehendit sancitam Ecclesiæ judicio doctrinam : ideòque licet ipsum hæresis crimen ille coram Deo incurreret, qui fidei theologicæ culpabiliter repugnaret, haud tamen pœnis subjaceret, quæ adversùs hæreticos decernuntur ab Ecclesiâ, nec posset ante definitionem Ecclesiæ inter hæreticos deputari. Ita hæresim intellexit S. Augustinus lib. 4 de Baptismo contra Donatistas, cap. 4 : « Istum, inquit, nondùm hæreticum dico, nisi « manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei, re- « sistere maluerit, et illud quod tenebat, ele- « gerit. » Sic etiam S. Thomas 2-2, quæst. 5, artic. 3 ; « Formale objectum fidei est veritas « prima secundùm quòd manifestatur in Scri- « pturis sacris, et doctrinâ Ecclesiæ. » Rationem hanc subministrat Sylvius, in 2-2, quæst. 1, artic. 1 : « Ecclesiæ propositio vel decla- « ratio, medium est ordinarium à Deo institu- « tum, ut certò sciamus, quænam ipse revе- « laverit, et à fidelibus credenda voluerit. » Hæresim definiendam curavimus, quæ et qualis hæreticum constituit in ipsius foro Ecclesiæ, canonicisque coercendum animadversionibus, tum qualis attenditur et perstringitur in censuris.

Hæc autem ut definitio quæ maximi est momenti, magis ac magis elucescat, quædam adhuc nobis subjicienda videntur. Ad immediatam revelationem quam asseruimus divinæ fidei esse necessariam, non pertinent quæ ex revelatis non colliguntur nisi vero et propriè dicto discursu, diversumque exhibent formalem conceptum, quamvis identitatem realem, aliquâ saltem ex parte invicem obtineant : quapropter revelatâ essentiâ, non idcircò censentur revelatæ *formaliter et immediatè* proprietates ex eâ necessariò derivatæ; at ubi revelatum est aliquod totum, revelata sunt pariter ibidem attributa illius *primaria et constitutiva,* quibus à cogitatione abstractis, evanescit statim totius idea : sic dùm revelatum est Christum esse hominem, non hoc ipso immediatè revelatum est in ipsum cadere potuisse gaudium et dolorem (quod quidem aliunde divinâ revelatione patefactum est, sed hoc ipso revelatum est præditum esse illum rationalitate et animalitate, quarum alterutra si detrahatur, jam non concipitur homo.

Eâdem ratione si revelata fuerit universalis aliqua propositio, individuæ ex quibus tota conflatur, propositiones revelatæ sint necesse est. Homo quidem enuntiatâ universali propositione, non nisi confusè percipit individuas seu singulares propositiones ex quibus illa constat ; plurimæ sunt, quas nec perspicere unquàm potest : at menti divinæ nihil anceps et ambiguum, nihil obscurum; omnia nuda oculis ejus et aperta sunt.

Hìc operæ pretium est reducere in memoriam, non sufficere ad actum fidei divinæ, assensum cum errandi formidine conjunctum : hinc ista Tridentinæ synodi sententia : « Qui- « libet dùm seipsum, suamque propriam infir- « mitatem et indispositionem respicit, de suâ « gratiâ formidare et timere potest, cùm nul- « lus scire valeat certitudine fidei cui non po- « test subesse falsum, se gratiam Dei esse « consecutum. » Sessione 6, cap. 9. Eâdem ratione, quamvis Christum esse quâlibet in hostiâ ritè consecratâ realiter præsentem doceat divina fides, eâ tamen fide credi non potest, in hâc vel illâ determinatâ hostiâ ipsum adesse, quia talem ad assensum non suppeditatur certitudo de ordinatione et intentione ministri, cæterisque ad validam consecrationem requisitis.

2° *De propositione erroneâ.*

Propositio erronea plerosque apud theologos ea dicitur *quæ conclusionem propriè theologicam directè et immediatè impugnat,* seu proximè opponitur veritati quæ non sit in se immediatè revelata, sed ex uno fidei placito, et altero naturali, certò et evidenter colligitur. Dogmaticis in decretis quæ plures adhibent notas theologicas, manifestè indicatur aliud esse damnari propositionem ut hæreticam, aliud, eam damnari ut erroneam : ita sessione 15 concilii Constantiensis, asseritur ex Joannis Hus articulis, plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios et seditiosos, et nonnullos eorumdem esse notoriè hæreticos. Idem videre est in Bullâ Martini V, eodem editâ approbante concilio ; idem præ se ferunt Bulla Pii V contra propositiones Baii, decretum Innocentii XI contra doctrinam Molinosi, etc.

Sicut eò constituitur hæretica propositio, quòd propositioni contradicat quæ immediatè sit revelata, ita et propositio erronea quæ in lacessendâ fide, proximum post hæreticam locum obtinet, eò dignoscitur, quòd mediatè adversatur revelato immediatè dogmati. Hæ-

reticæ, non erroneæ duntaxat dicendæ sunt propositiones propositionibus contradicentes, quæ duabus ex præmissis revelatis derivantur; neque hactenùs, ut observavit Suaresius, inventa est vel una conclusio talibus deducta ex præmissis, quæ divinam ad fidem non pertineat. Docuerunt idem Suaresius, Cardinales de Lugo et de Laureâ, posse decretum Ecclesiæ efficere, ut quas propositiones reprobat ut erroneas, illæ hâc ipsâ condemnatione evadant hæreticæ, quia, inquiunt, quod Ecclesia definit, *Deus per Ecclesiam tum ipse testificatur*.

Non satis adverterunt celeberrimi auctores illi, multùm differre simplicem *assistentiam* Spiritûs sancti à revelatione quam postulat fides. Nova fidei dogmata non condit Ecclesia; nihil proponit, nec proponere potest divinâ fide credendum, quod antea immediatè revelatum non sit, atque in *se ipso* ad fidem jam pertineat. Declarat, non efficit immediatam revelationem; hinc, ut animadvertit Sylvius, oppositum (dogmatibus postea definitis) tenentes, jam tum errabant in fide, sed inculpabiliter, quia non errabant in fide definitâ et declaratâ. In 2-2, quæst. 1, artic. 70.

Quid autem sentiendum sit de iis qui conclusionem theologicam negare audeant, post Ecclesiæ decretum hanc ipsi notam inurentis, seu qui erroneam defendant opinionem, exponemus ubi de membris Ecclesiæ. Propositiones, non earum auctores aut patronos per se perstringunt notæ theologicæ de quibus nunc sermo instituitur.

3° *De propositionibus quæ dicuntur hæresi proximæ, sapientes hæresim, suspectæ de hæresi, scandalosæ, temerariæ, malè sonantes, piarum aurium offensivæ.*

Earum omnium generalem ac brevem expositionem afferemus, tum ne fastidium prolixitate moveamus, tum ne discutiendis quæ hic occurrunt variis theologorum opinionibus, incerta certis, fructu nullo inde sperato admisceantur.

Propositio *hæresi proxima*, definiri potest ea quæ in eo ferè posita est malignitatis gradu, ut tanquàm hæretica damnari mereatur. — Propositio *hæresim sapiens*, ea est quæ pravum sic prævalentem ingerit sensum, ut gravis, non tamen certa subsit causa judicandi eam esse hæreticam; si verò redarguendi ratio extra suspicionem non sinat excurrere, propositio dicetur de hæresi suspecta. — Propositio *scandalosa*, qualis intelligitur in judicio verè dogmatico, ea est quæ *per se*, naturâ suâ, seu intrinseco vitio habeat unde inclinetur ad peccatum proximus, vel ab exercitio virtutum dimoveatur : potest quidem usus prohiberi propositionum, quibus prolatis exoriatur *per accidens*, ut aiunt, scandalum, seu propter eis abutentium hominum infirmitatem aut malitiam; at cadere non potest nota verè theologica in propositiones *per se* reprehensione carentes, et innoxias. — Propositio *temeraria*, ea est quæ communi SS. Patrum doctrinæ adversatur, aut quæ constanti theologorum sententiæ contradicit absque gravi rationis ve. auctoritatis fundamento : talis propositio nuncupatur *positivè temeraria;* alia autem est propositio quæ dicitur *temeraria privativè*. Atque illa est quæ solo proprio judicio, sine sufficienti auctoritate, vel cogente ratione excogitata est; hæc ipsa propositio censuram, licet mitiorem quàm propositio *positivè* temeraria, meretur, ut advertit Suaresius, « quia, inquit, « deficit à rectâ regulâ rationis, et aliquid ha- « bet præsumptionis, ac proinde in materiâ « theologicâ et supernaturali, aliâ non caret « temeritate. »

Nunquàm obliviscendum est, nullam posse propriè condemnari propositionem ut scandalosam aut temerariam, quæ nullo laboret et intrinseco vitio; id præ oculis habendum ut à decreto disciplinæ, quod mutationi obnoxium est, secernatur decretum dogmaticum, quod est immutabile.

Propositio *malè sonans*, et propositio *piarum aurium offensiva*, coire in unum non immeritò videntur, tum quia nihil deprehenditur malè sonans, quod pias aures non offendat, et vicissim, tum quia synodus Constantiensis et alia concilia, summi pontifices Pius V et Gregorius XIII et alii, cùm *malè sonantis* notam adhibent, toties de notâ piarum aurium offensivæ tacent, et vice versâ; utraque sic definiri potest : Propositio quæ sanum licet unum sensum absolutè possit suscipere, dominantem alterum involvit per se, et ab *intrinseco vitiosum*, pravitate tamen infra hæresim positâ, infectum. Tales sunt istæ propositiones, una ab Alexandro VIII damnata : *Confessiones apud religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ;* altera quam proscripserat concilium Constantiense, sessione 8 contra Wiclefum : *Omnes sunt Simoniani qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*. Quòd si placuerit propositionem malè sonantem à propo-

sitione piarum aurium offensivâ secernere, in hoc collocari poterit utriusque discrimen, quòd latiùs pateat malè sonantis nota, quòdque in propositione piarum aurium offensivâ, occurrat aliquid indecens vel indignum quod in religionem impingit.

In adscribendis hujusmodi notis, ut sapienter monet Melchior Canus (de locorum Usu lib. 12, cap. 11), « non est habenda ratio vulgi « promiscui, imbecilli, perturbati, imprudentis, « sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti; nec « theologia modò requirenda est, sed pietas et « prudentia, sine quâ nullæ aures possunt « consentaneos sonos abhorrentesque discer- « nere. » Alias prætermittimus hìc notas, quas explorare et distinguere facilius est; qui de notis theologicis uberiorem disceptationem desiderat, consulere poterit inprimis Scrutinium doctrinarum, auctore Antonio de Panormo. Id verò maximè observandum est, tum in notis theologicis, nullam esse quæ in ipsam non cadat propositionis doctrinam, tum falsitatis notam cæteris omnibus inferiorem, damnatis omnibus competere propositionibus, modò expressam, modò subintellectam in dogmaticis quibus perstringuntur, decretis; quæ quidem adnotatio, propter rei gravitatem, distinctè asseretur et confirmabitur sequenti conclusione.

Damnari non potest propositio quæ sit vera in sensu proprio et naturali, nec ulla imbuta vitio intrinseco. — Hæc ut ritè percipiatur assertio, duplicem opus est distingui cujuslibet propositionis sensum : grammaticalem unum seu rigorosum, proprium alterum et naturalem; *grammaticalis* et *rigorosus,* seu, ut quidam vocant, *absolutus,* ex terminis in se sumptis ita desumitur, ut in eo dijudicando, nihil aliud respiciatur; *proprius* verò et *naturalis,* qui etiam nuncupatur *relativus* et *obvius,* dignoscitur tum ex valore, seu ipsâ vi et significatione terminorum, usu communi et ordinario determinatâ, tum ex antecedentibus et consequentibus, tum denique ex notâ et manifestâ auctoris mente et proposito.

Enuntiata conclusio quanti sit momenti, ad patefaciendam decreti dogmatici propositiones in globo condemnantis auctoritatem, ostendit clarissimè Steyaert : « Cùm enim, inquit, hæc « condemnationis species non determinet, « quænam (propositio) sit ex omnibus hære- « tica, quænam erronea, quænam tantùm « scandalosa, temeraria, aut piarum aurium « offensiva, liberum est, quantùm est ex vi is- « tius censuræ, de quâlibet in particulari cre- « dere, tantùm esse scandalosam, temera- « riam, » etc. « Atque ita, si credatur simul « talis censura, non excludere veritatem (hoc « est, si credatur posse in veritatem cadere), « de quâlibet credere licebit veram esse. » Itaque fixum certumque animo manere debet nullam unquàm posse ab Ecclesiâ damnari propositionem, quæ tum ex objecto propositionis, tum ex modo ipsius enuntiandi, nihil ingerit à veritate alienum, nihil exhibet suâpte naturâ culpandum. Jam conclusionis afferenda sunt non quidem omnia, sed præcipua quædam et expedita magis momenta.

1° Christus est summè verax : *Ego sum,* inquit, *via, veritas, et vita;* de se ipso id etiam declarat : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Apostolis misit Spiritum de quo ipse dixit : *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Cum tenebris potiùs conciliabitur lumen, quàm cum illis Evangelii assertionibus, legitima et probanda damnatio veritatis; et quis rerum prudens æstimator putaverit, ita esse constitutam divinitùs christianam Religionem, *ut Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis,* debeat aliquando vel possit anathemate veritatem percellere, cujus exemplar et fons Christus, tum cui et testificandæ prodiit hunc in mundum, habitavitque in nobis, tum et uberiùs docendæ, missus est ad Apostolos Spiritus veritatis, qui apud eorum successores, maneat in æternum? Plurima eò loci congeri possent egregia, quibus veritatem SS. Patres ejusque inviolatam integritatem extollunt, prædicant. Hæc sunt in confesso apud omnes, tamque absonum fore declarant, damnari veritatem, quàm innocentiam et sanctitatem, cùm per se non minùs ordinata sit, Deoque supremo judici non minùs accepta.

2° Non magis ab Ecclesiâ damnari potest veritas quàm falsitas approbari, ac reipsà propositionem veram proscribere, est ipsi contrariam anteponere, quæ non potest esse nisi falsa, cùm utraque vera esse nequeat; deinde Ecclesia si posset de verâ propositione decernere eam esse falsam, quod est ipsam reprobare, quare de falsâ propositione decernere non posset, eam esse veram, quod est ipsi suffragari? Atque evidentissimum est, rationi, divinis institutis, divinæ veracitati, ac necessariò præpositorum Ecclesiæ officio repugnare decreta, quibus falsitas approbetur, atque in-

terposito anathemate credenda proponatur fidelibus. Hæc piget latiùs prosequi, ne videamur solaribus ipsis radiis facem admovere.

Objic. : Fieri potest ut quibusdam propositionibus licet veris ac per se innoxiis, ita multi abutantur aut infirmitate lapsi, aut propriâ obcæcati malitiâ, ut nisi propositiones illæ reprobentur, malum ingravescat in dies, nec aliter possit coerceri; eam idcircò in sententiam abierunt veritatis licet amantes, nonnulli theologi.—Resp. cum S. Augustino : *Dementia est crimen malè utentium, in res ipsas transferre,* (serm. 50, aliàs de diversis, 15.) Namque manifestum est non rem ullam, cùm eâ quisque malè utitur, sed ipsum malè utentem esse arguendum. An vituperanda siderum creatio, quia inde arrepta est idololatricæ superstitionis tam frequenter apud gentes occasio? Numquid adimendum est hominibus liberum arbitrium, quia sæpè sæpiùs detorqueatur ad peccatum, aut extinguenda ipsa humana ratio, cujus adeò inolevit, et ad hominum perniciem manavit palam abusus? Prohiberi potest grassantem propter abusum vera aliquà propositio, seu illius usurpandæ facultate interdici; at damnari ipsam nunquàm licet, nec ullâ (quæ ut diximus, in doctrinam semper cadit) notâ theologicâ perstringi, quamdiù proprius ac naturalis ejus sensus, contrario usu dominante, quem penès verborum vis et significatio est, ad alium diversumque sensum non inflectitur. Quod spectat nonnullos qui veritatem subjici posse damnationi, existimare visi fuerint, ex iis alii id unum voluerunt, proscribi posse veram propositionem quæ contrariam injustâ aut acerbiori censurâ afficiat; alii loquuntur de propositione quæ apparenter soloque grammaticali sensu vera sit, sed falsa, si proprio ac naturali sensu accipiatur.

Inst. : Inter damnatas propositiones, sunt quæ proscribuntur ut scandalosæ, ut temerariæ ; at scandalum potest aliquando propter rerum adjuncta, et audientium legentiumve distortos affectus, veritas afferre; neque semper cum falsâ doctrinâ conjuncta est temeritas. — Resp. : Hæc jam præoccupata est solutaque objectio, cùm ostendimus, temerarias inter propositiones, aut scandalosas, intrinseco alias contaminari vitio, scandalumque, vel temeritatis labem suâpte naturâ inducere; alias verò nonnisi propter circumstantes quasdam adventitiasque causas : solas prioris generis posse propriè damnari ; cæteras posse prohiberi, intactâ earumdem doctrinâ ; deinde instaurari, cùm abusus desierit.

Quæ hactenùs protulimus, et lucem adjicient sequentibus assertionibus, et ab iisdem lucem mutuabuntur, atque vicissim haurient.

Assertio prima. — *Propositiones* respectivè, *ut aiunt,* et in globo *damnare potest Ecclesia.*

Probatur 1° ex ipsâ Ecclesiæ praxi : De quadraginta quinque Joannis Wiclefi articulis, post accuratam discussionem, ita decernit synodus generalis Constantiensis. sess. 8 : « Quibus articulis examinatis, fuit repertum, « prout in veritate est, aliquos et plures ex « ipsis fuisse et esse notoriè hæreticos, et à « sanctis Patribus reprobatos, alios non ca- « tholicos, sed erroneos, alios scandalosos et « blasphemos, quosdam piarum aurium offen- « sivos, nonnullos temerarios et seditiosos. » Addit sancta synodus in Wiclefi libris plures alios *similium,* ut ait, *qualitatum* contineri. Decretoriam deinde hanc promit sententiam : « Prædictos articulos et eorum quemlibet, « libros ejusdem, dialogum et trialogum per « eumdem Joannem Wiclef nominatos et alios « ejusdem auctoris libros, volumina, tractatus « et opuscula, quocumque nomine censean- « tur, quos hìc haberi vult pro sufficienter « expressis, hoc perpetuo decreto reprobat et « condemnat. » Hoc testimonio et decreto Ecclesiæ universalis congregatæ, nihil aptius validiusque afferri potest ad vindicandam propositionum in globo condemnationem; eâdem ratione, eodem in concilio proscripti sunt, sess. 15, Joannis Hus 30 articuli ; quin et eâdem sessione sacrosancta synodus, *Ecclesiam catholicam repræsentans,* de ducentis et sexaginta *damnatæ memoriæ* Joannis Wiclef articulis ita pronuntiat : « Quibus articulis sic « examinatis, fuit et est repertum aliquos et « plures ex ipsis fuisse et esse notoriè hære- « ticos, et dudùm à SS. Patribus reprobatos, « quosdam blasphemos, » etc. Alias attexit notas quas supra, ex sessione 8 exscripsimus, et subjicit : « Propterea in nomine Domini « nostri Jesu Christi hæc sancta synodus præ- « dictos articulos, et eorum quemlibet, hoc « perpetuo decreto reprobat et condemnat. » Post hæc Constantiensis concilii decreta, prodierunt diversis alia temporibus, quibus propositiones in globo pariter exploduntur ; talia sunt decreta Urbani VIII, contra propositiones Baii, Innocentii XI, contra errores Molinosi,

Innocentii XII contra doctrinam libri cui titulus : *Explication des Maximes des Saints.* Porrò ex illâ notoriâ Ecclesiæ universalis praxi jus ipsum et potestas hujusmodi condemnationis adhibendæ manifestò colligitur ; quis enim effutire audeat in rebus ad Religionem pertinentibus, vel hactenùs ignotam fuisse Ecclesiæ rationem ac modum judicandi, quem jure possit adhibere, vel spontè iteratisque decretis ; judiciorum formâ et modo uti voluisse, quem ineptum, periculis plenum, et à divino instituto alienum habuerit?

Probatur 2° : Condemnationem propositionum in globo improbari meritò non posse, imò magnæ esse utilitati, concluditur ex ipsius naturâ et scopo ; idcircò enim repudianda esset ratio illa condemnandi, quia, ut toties jactitatum est, confusa omninò, cogendisque potiùs quàm fugandis nebulis idonea esse videatur, nihilque distinctè credendum ac tenendum fidelibus proponere ; hæc nullo negotio dissipatur querela et criminatio : certa enim duo et obvia memoratis declarantur et constituuntur decretis : primum, nullam esse ex illis quæ recenseantur notis theologicis, quæ in unam vel plures examini subjectas propositiones non cadat ; secundum, quod ab altero reipsà non discrepat, nullas ex recensitis propositionibus quæ unam vel plures ex assignatis in decretò notis theologicis non mereatur. Eo judiciorum genere, quamvis non ita distinctè ac speciatim condemnentur oblatæ propositiones, ac si singulæ eâ notâ quæ ipsis competat, determinatè percellerentur, illo tamen admonentur et jubentur fideles ab omnibus et singulis cavere propositionibus, easque sincerâ et docili mente, ut sanæ repugnantes doctrinæ, constanter abjicere. Hùc afferri possunt illa S. Augustini pronuntiata : *Multùm adjuvat cor fidele, nôsse quid credendum non sit.* (Lib. de Hæresibus, cap. 88.) Superfluum dicit appetere, ut de quibusdam enucleatiùs suam promat sententiam Ecclesia : « Cùm « propter hoc, scire, inquit, sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem « quemquam debere recipere. »

Ad condemnationem propositionum in globo possunt etiam accommodari istæ doctissimi Bossuetii observationes : « Il faut souvent dans « les décisions de l'Eglise s'en tenir à des ex« pressions générales, pour demeurer dans « cette mesure de sagesse tant louée par S. « Paul, et n'être pas contre son précepte, « plus savant qu'il ne faut. » (Variat. lib. 15, n. 158.) Ejusdemque libri num. 162 : « Il faut « se bien garder de confondre les termes gé« néraux avec les termes vagues et enveloppés, « ou avec les termes ambigus : les termes va« gues ne signifient rien ; les termes ambigus « signifient avec équivoque, et ne laissent « dans l'esprit aucun sens précis ; les termes « enveloppés brouillent les idées différentes ; « mais quoique les termes généraux ne portent « pas l'évidence jusqu'à la dernière précision, « ils sont clairs néanmoins jusqu'à un certain « degré. » Eâdem ratione condemnatio propositionum in globo, licet generalis, nihil tamen proponit quod vagum, nihil quod ambiguum, nihil quod æquivocum dici aut videri debeat. Aperte declarat, ex omnibus quas afficit propositionibus, nullam esse quæ uni vel pluribus ex notis ibidem appositis non subjaceat. Quatuor aut sex prudentiâ, sagacitate et peritiâ commendatos medicos, fac palàm et confidenter asserere, ex paratis tibi cibis alium esse corrumpendo sanguini, alium torquendis visceribus, vexando alium capiti, alios aliis morborum generibus inferendis esse comparatos ; numquid homo vitæ, sanitatisque servandæ cupidus obtenderet, vagam esse, confusam, et sensûs vacuam medicorum illorum assertionem ac denuntiationem? numquid etiam eo homine recusaret ab omnibus illis quas generatim denotâssent damnosis dapibus abstinere, donec expressè sigillatimque designarent, quo veneni et pestilentiæ gradu talium quisque ciborum inficiatur?

Quid plura? Qui condemnationem in globo, universalis Ecclesiæ decretis consecratam detrectare voluerint, immotum illud et inconcussum, quod jam aliàs attulimus S. Augustini pronuntiatum revocent in memoriam : « Quod universa frequentat Ecclesia, quin « ita faciendum sit putare, insolentissimæ in« saniæ est. » Deindè seipsos interrogantes, viderint an egregiæ ducerent laudi, insanos inter ac perdueiles à S. Augustino amandari, utpotè vitio vertentes, quam universalis, non semel adhibuit, condemnationem propositionum in globo?

Assertio II. — *Decretis Ecclesiæ, quibus damnantur propositiones in globo, debetur internum etiam et absolutum obsequium.*

Probatur 1° : Approbante sacrâ synodo Constantiensi, in bullâ Martini V, jubetur interrogari quemlibet de articulis Joannis Wiclef et Joannis Hus suspectum, « utrùm credat quòd

« illud quod sacrum concilium Constantiense, « universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit et approbat in favorem fidei, et ad salutem animarum, hoc est ab omnibus fidelibus « approbandum et tenendum, et quod condemnavit et condemnat, esse fidei vel bonis « moribus contrarium, hoc ab iisdem esse « tenendum pro condemnato, credendum et « asserendum. Item utrum credat quòd condemnationes Joannis Wiclef, Joannis Hus et « Hieronymi de Pragâ, factæ de personis eorum, libris et documentis, per sacrum generale Constantiense concilium fuerint ritè « et justè factæ, et à quolibet catholico pro talibus tenendæ et firmiter asserendæ. » Non prohibetur duntaxat ne propugnentur aut foveantur damnatæ in globo propositiones Joannis Wiclef, Joannis Hus, sed præcipitur strictè, ut eas ritè et justè esse proscriptas teneatur et credatur. Talibus igitur condemnationibus debetur obsequium etiam internum, nec internum utcumque, et quale opinioni duntaxat probabili commodatur, sed absolutum et irrevocabile : namque concilium Constantiense, sess. 8, prædictos articulos perpetuò decreto reprobat et condemnat.

Idem demonstratur eâ retractatione quam ab Hieronymo de Pragâ exigi voluit eadem synodus, cui ut iste obtemperaret, plures reipsà Joannis Wiclef et Joannis Hus propositiones abdicavit his verbis : « Consensio sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ sedi, et huic « sacro concilio, et ore et corde profiteor in « omnibus et per omnia, et præsertim de clavibus, sacramentis, ordinibus, officiis et censuris ecclesiasticis, indulgentiis et reliquiis « sanctorum, et ecclesiasticâ libertate, ac « etiam de cæremoniis, et aliis omnibus ad « Religionem christianam pertinentibus, prout « ipsa Romana Ecclesia et Apostolica sedes et « hoc sacrum concilium profitentur, et specialiter quòd prædictorum articulorum plures sunt « notoriè hæretici, et dudùm sunt à sanctis Patribus reprobati, quidam verò blasphemi, alii « erronei, alii scandalosi, » etc. Non in meris opinionibus versatur emittenda ore et corde professio tenendi et credendi contrariam damnatis in globo articulis doctrinam, qualem et qualiter eam profitentur Romana Ecclesia et generalis synodus. Ut ex synodo Constantiensi atque ex bullâ Martini V, ita ex decreto contra errores Baii aliisque decretis dogmaticis propositiones in globo damnantibus firmissimum potest erui argumentum necessitatis interni et absoluti quem vindicamus, assensûs et obsequii.

Probatur 2° : Ad hanc astruendam necessitatem duo requiruntur et sufficiunt : primum, ut decreta quæ diversis propositionibus, diversas in globo inurunt notas, doctrinam ipsam illarum attingant et proscribant; secundum, ut Ecclesiæ universæ decretis dogmaticis seu doctrinam aliquam reprobantibus, vel approbantibus, internum et absolutum, ut diximus, præstari oporteat obsequium : hæc autem duo certissima sunt.

Primum quidem vel solâ decretorum, de quibus sermo est, inspectione declaratur; mentem suam sic aperit concilium Constantiense œcumenicum : « Extitit Joannes Wiclef pseudo-« christianus, qui cùm viveret, adversùs religionem christianam et fidem catholicam, « pertinaciter asseruit, et dogmatizavit plures « articulos, quorum quadraginta quinque huic « paginæ duximus inserendos. Illos autem per-« petuo decreto reprobat et condemnat. » Articulos Hus triginta : « Hæc sacrosancta Con-« stantiensis synodus declarat et definit non esse « catholicos, nec tanquàm tales dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios « scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios. » Alexander VII, in decreto anni 1665, die 24 septemb., propositiones 28 in globo proscripsit; ad illud condendum eam ob causam impulsus est, « quòd in rebus ad conscientiam per-« tinentibus, modus opinandi irrepsit alienus « omninò ab evangelicâ simplicitate, sanctorumque Patrum doctrinâ, et quem, si pro rectâ « regulâ (fideles in praxi sequerentur), ingens « eruptura esset christianæ vitæ corruptela. »

Consule etiam decretum Innocentii XI, Alexandri VIII, etc. Id ergo instar immoti principii habendum est, ad doctrinam intendere, et collineare appellata decreta quibus in globo variæ variis propositionibus adscribuntur notæ.

Secundum verò, id est, universalis Ecclesiæ decretis, quibus definitur quocumque modo, quid de propositâ doctrinâ sentiendum sit, internum etiam et absolutum deberi obsequium, facilè intelligitur ex prioribus de ipsius infallibilitate assertionibus. Generatim præcepit Christus docentem audiri Ecclesiam, generatimque pollicitus est eidem perpetuam inerrantiam; ipsumque depositum fidei lædunt ac deterunt quælibet propositiones etiam in globo profligatæ, nec auctoritate Ecclesiæ major ulla viget auctoritas in terris, quæ decreta illius sic damnantis revocare posset aut emendare.

ASSERTIO III.—*Seu deductum ex probatis consectarium.*

Infallibilia sunt Ecclesiæ judicia, quibus damnantur propositiones in globo.

Non dissimulandum catholicos inter theologos extitisse qui non accuratè sentirent de infallibilitate Ecclesiæ in condemnandis propositionibus infra hæresim constitutis, nec proindè, ubi diversis propositionibus diversas in globo infligit notas theologicas, apertè tamen, ipsâ veritate superati, in eo consentiunt, ut fateantur omnibus universalis Ecclesiæ dogmaticis decretis corde et animo, atque irrevocabili obsequio esse adhærendum; arbitrantur nimirùm ad promerendam et conciliandam quæ rationabile omne dubium excludat perpetuò, assensionem, sufficere, seposito etiam infallibilitatis dono, summam Ecclesiæ sapientiam, prudentiam, auctoritatem, ubi confodiendis diversis propositionibus diversas in globo notas inurere voluerit. At pugnantia locuti sunt, et plerisque refelluntur argumentis quæ ad secundam assertionem exposuimus: ostendimus *perpetuo* et irrevocabili decreto *reprobari et condemnari* à concilio generali Constantiensi propositiones Joannis Wiclef et Joannis Hus, alias ut hæreticas, alias ut erroneas, alias ut temerarias, etc. Quare autem tale decretum reformari posse negaretur, aut etiam aboleri, si Ecclesia in ejusmodi condemnatione hallucinari posset, atque erroris patrocinium suscipere? Quâ ratione hujusmodi definitionibus adhiberetur absolutus et irreformabilis assensus?

Ostendimus ad ipsam spectare doctrinam decreta quæ versantur in approbandis reprobandisve propositionibus in globo, Christumque docenti Ecclesiæ continuò adfuturum; ergo nunquàm patietur Ecclesiam à recto et vero deficere in illo decretorum genere. Etverò si tum posset impingere in errorem Ecclesia, posset tunc ipse Deus directè et positivè, et quidem ut causa principalis, ad fallendum concurrere, cùm tanquàm semetipsum jubeat audiri Ecclesiam à se constitutam, gravissimas pœnas eam audire abnuentibus intentaverit, eidemque docenti, perpetuum se sponsorem fecerit: hinc approbante synodo Constantiensi, jubetur bullâ Martini V, ut contra eos qui proscriptos ab eodem concilio *articulos solemniter et publicè revocare, abjurare* noluerint, *tanquàm contra hæreticos, aut hæreticâ labe respersos procedatur, si* ad frangendam eorum contumaciam *expediat*. Tanto, tamque inflexo rigore non uteretur Ecclesia, nisi infallibilem condemnandis, eo quem adhibuit modo illis articulis auctoritatem sese exerere, persuasum haberet; utrùm autem illud reipsà obtineat inerrantiæ donum, dijudicare, pertinet ad dogma, in quo dignoscendo universalem errare Ecclesiam nemo dicere audeat, nisi Ecclesiam in suâ secernendâ potestate cæcutire, et suis Christum, quantùmlibet absolutis, ut probavimus, promissis deesse, comminisci voluerit.

Solvuntur objecta.

Obj. 1° : Quæ ex synodo Constantiensi promuntur testimonia, ea condemnationi propositionum in globo favere licet videantur, nihil reipsà conferunt ad ejusmodi condemnationem; quas enim indistinctè et generatim assignant notas enuntiatis damnatisque propositionibus, eas determinatè et in specie, sigillatimque attribuunt eisdem erroribus alia quæ suppetunt monumenta. 1° Determinantur notæ illæ in synodis concilio Constantiensi anterioribus, ac præsertim Romanâ in synodo quæ habita est summum gerente pontificatum Joanne XXIII. 2° Adornatæ sunt à theologis synodi Constantiensis duæ censuræ, una quæ nuncupata est *censura brevis;* altera quæ dicta est *theologorum concilii Constantiensis diffusa condemnatio*. In illis exponitur quales et quibus propositionibus aptandæ sint speciatim memoratæ notæ theologicæ. 3° In bullâ Martini V, approbante, ut diximus, editâ concilio, explanantur atque distinguuntur articuli de quibus interrogari jubentur illi quorum in suspicionem vocatur fides; propositionum quæ damnatæ sint, vim atque naturam patefacit opportuna illa expositio. 4° Esto possint in concilio generali condemnari propositiones in globo, multa hìc habentur comitia, in quibus miscent inter se et conserunt sermones diversasque sententias theologi; expendunt atque designant speciatim quasnam singulæ notas mereantur propositiones; hanc determinationem cùm habeant cognitam perspectamque episcopi, suos deinceps diœcesanos docere atque instituere pro suâ possunt prudentiâ et pastorali sollicitudine; at saltem id præsidii deficit in decretis quæ extra synodos proponuntur, et nondùm enucleata manant ad populos.

Resp.: Id omne objicitur insidiosè, ad illudendum potiùs quàm ad seriò refellendum, remque ut par est explanandam. 1° Fingitur conciliis synodo Constantiensi prævios sufficienter determinari quænam speciatim notæ in singulas cadant propositiones in eâ condem-

natas : at multùm abest quin illis conciliis profligatæ sint omnes quas in operibus Wiclefi et Joannis Hus proscripsit synodus Constantiensis ; quatuor duntaxat supra viginti, censurâ notavit synodus Londinensis ann. 1382 ; decem ut hæreticas, quatuordecim ut erroneas ; decem et octo eisdem viginti quatuor cunctas ferè consimiles reprobavit, quarum nonnullis nullam speciatim inussit notam ; quod verò spectat ad synodum Romanam, tenente sedem Apostolicam Joan. XXIII celebratam, non nisi generali condemnatione synodus illa percellit errores Wiclefi, nullâ ejusdem enuntiatâ seorsim propositione. 2° Quidnam argumenti extundi possit, duabus ex censuris quæ dicuntur à theologis synodi Constantiensis elaboratæ ? Utraque solos impugnat Wiclefi 45 artículos ; non autem ejusdem auctoris 260, neque Joannis Hus 30 propositiones. 3° Neque secum invicem, neque cum decretis Constantiensis synodi concordant objectæ censuræ : non nisi paucis admodùm articulis easdem utraque censura infligit notas ; at in aliis quanta discrepantia ! V. g., de Joannis Wiclefi quintâ propositione dicitur in censurâ brevi : *Ista conclusio est falsa et erronea ;* at in prolixiore legere est : *Iste articulus est hæreticus.* De prop. 11, 15, 17, non magis sibi consonant objectæ nobis censuræ. Jam conferantur cum decretis synodi Constantiensis ; in synodo de propositione 41 (quæ sigillatim damnatur), dicitur solummodò : *Error est ;* at in censurâ brevi, dicitur : *Ista conclusio est falsa, temeraria, et erronea ac hæretica.* Longiore in censurâ decernitur populis competere jus ac potestatem, immanis alicujus reos facinoris principes è solio deturbandi ; numquid synodo Constantiensi detestanda hæc tribuetur doctrina, et quidem tanquàm clavis, aperiendis ipsius sententiis necessaria ? 4° Deinde in actis concilii nihil reperire est quo indicetur damnandis 45 Wiclefi articulis, concilium Constantiense ullam habuisse rationem alterutrius ex illis quæ objiciuntur censuris ; quo igitur pacto voluisset decretorum suorum sensum pendere à consulendis talibus censuris, de quibus nullam injecit mentionem, et quæ ad finem usque seculi ultimi, antequàm scilicet à Vonderhart Vulgatæ fuerint, neque inter acta concilii recensentur, neque ipsius commemorantur decretis ? 5° Ex bullâ Martini V decerpi nihil potest quod à synodo Constantiensi editam in globo condemnationem propositionum Joannis Wiclefi et Joannis Hus possit infringere aut infirmare ; nam, ut omittamus, quod magni tamen est momenti, decreta illa prodiisse anno 1415, bullam verò Martini V, anno 1418, quem ante annum profectò viguerunt, et ritè intellecta sunt synodi Constantiensis adversantia propositionibus illis decreta, cùm interea obluctatus illis contumaciter Joannes Hus, ac seculari justitiæ traditus, pœnas ignis sustinuerit ; attendatur quid ad illustranda seu explicanda synodi Constantiensis decreta protulerit Martinus V ; tria supra viginti proponit dogmata quæ nec specie, neque multitudine pertingere possunt ad omnes triplici Constantiensis concilii decreto confossas propositiones numero plusquàm trecentas, neque determinare atque significare quali unaquæque ex his propositionibus afficiatur notâ. 6° Denique condemnationi propositionum in globo nebulas non offundunt mutua theologorum inter se concertantium, habita in synodo colloquia ; hæc sunt vota consultorum in eamdem sententiam haud semper conspirantium, neque cum illis semper congruunt conciliorum pronuntiata.

Quid ulteriùs immoremur ? Non consultorum votis ac suffragiis quæ saltem maximam latent christiani partem populi, diriguntur fideles, neque illis tanquàm subsidio necessario opus habent, ut quid sentiendum et credendum addiscant, sed Romani pontificis episcoporumque decretis. Haud igitur suspicari licet ita fuisse condita concilii Constantiensis decreta, ut quid definitum sancitumque voluerit, intelligi atque dignosci nequeat, nisi exploratis et sedulò expensis theologorum prævìis operosisque disceptationibus : « Les décisions de « l'Eglise, inquit doctissimus Bossuet, ne sont « pas moins nettes et moins précises qu'elles « sont fermes et constantes, et l'on va toujours « au-devant de ce qui pourrait donner occasion « de s'égarer. »

Objicies. 2° : Ea judicandi forma aut vitiosa aut saltem inanis putanda est, quæ fidelibus nihil proponit fixi ac determinati, quo edoceantur et admoneantur quid erroris declinandum sit, quodye dogmatis genus credendum et prosequendum ; talis est autem condemnatio propositionum in globo coadunatis non rationis ejusdem notis theologicis, quarum vim unicuique propriam et singularum genuinam cum singulis propositionibus convenientiam fideles secernere non valent et perspicere. —Resp. 1° : Qui argumentum istud ostentant, illi profectò mente non advertunt quantùm auctoritati Ecclesiæ detrahant ; inficiari etenim non possunt universali esse attribuenda Eccle-

giæ, synodi Constantiensis decreta quibus Joannis Wiclefi et Joannis Hus errores quemadmodùm retulimus, rejiciuntur et condemnantur : illorum in decretorum agnoscendam œcumenicitatem consentiunt omnes Catholici, omnibusque fatentibus ponuntur inter illa quæ ut *concilliariter* facta Martinus V approbaverit : prædictis verò decretis damnari illos qui eisdem inseruntur, articulos, obvium est legentibus ac evidentissimum; hæc igitur decreta si vitiosa dicantur, aut saltem inania, consequens est ut contendatur deludi Ecclesiam in dijudicando utrùm et quid valeant decreta quibus propositiones in globo proscribere adoriatur ; ipsamque non à Spiritu veritatis eam perpetuò dirigente, sed à privatis etiam hominibus, iisdemque discolis ac rebellantibus edocendam, quam tenere viam debeat et modum dirimendi spectantes ad religionem controversias; aut id compertum si habeat aut habere possit, suâ igitur auctoritate criminosè et pervicaciter eò usque abutitur, ut interposito etiam anathemate fideles compellat et adigat ad obsequendum decretis inanibus, absonis, et veritatis pro erroribus abjiciendæ et reprobandæ proximum inferentibus periculum.

Quod de synodi Constantiensis decretis observavimus, idem transferri potest ad bullas contra propositiones Baii, Molinosi, etc.

Resp. 2° : In decretis propositiones in globo condemnantibus, ut præfati sumus, declaratur nullam esse damnatis ex propositionibus, quæ vel enuntiatâ doctrinâ, vel enuntiandi modò intrinsecum vitium, deposito fidei vel proximè vel immediatè, aut aliquâ certâ ratione nocivum non involvat. Præfatis etiam in decretis decernitur nullam esse ex assignatis ibidem notis theologicis, quæ in aliquam non cadat damnatarum propositionum.

Notæ cujusque theologicæ vim ac proprietates, cùm rudes et imperiti non calleant, hoc unum quando ipsis sufficienter proposita sunt Ecclesiæ decreta propositiones in globo sub variis notis proscribentia, ab ipsis exigitur, ut quas sic damnavit Ecclesia, respuant ex animo, easque persuasum habeant esse damnandas eâ omni ratione quâ Ecclesia judicaverit ; id unum planè sufficit, ut ab iisdem dimoveantur ac deterreantur fidemque retineant integram et illibatam. Litterati autem ac periti cùm theologicæ quid significent notæ, quid efficiant, scrutari ac percipere valeant, alii quidem magis, alii minùs, pro suâ quique sagacitate ac eruditione, possunt, si opportunum ipsis videatur, inquirere ac perpendere, quænam huic vel illi propositioni infligenda sit nota ; in duobus tamen capitibus, quæ summam rei continent, illitteratorum conditioni haud multùm est absimilis eorum conditio; utrique enim pro certo habere tenentur, ex propositionibus quæ sub variis notis in globo damnatæ sint ab Ecclesiâ, nullam esse quæ unam ex notis assignatis, aut etiam plures non incurrat ; deinde *ipsâ vi bullæ*, quænam notæ singulas afficiant propositiones, non ipsimet periti dignoscere queunt, ac determinare, neque id necesse est ad præstandum quod præbere debeant obsequium. Attamen inter utrosque aliquod intercedit discrimen : namque bullâ Martini V, approbante concilio Constantiensi, ut diximus, editâ et promulgatâ, jubentur interrogari illitterati, utrùm credant, quod in favorem fidei et salutem animarum approbavit concilium Constantiense, hoc esse « ab universis Christi « fidelibus approbandum et tenendum, et quod « condemnavit et condemnat esse fidei vel « bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem « esse tenendum pro condemnato, credendum « et asserendum. » Errores pariter Joannis Wiclen et Joannis Hus præcipitur repudiari ab omnibus et reprobari. At quisque de fide temerandâ et vitiandâ suspectus litteratus, specialiter jubetur interrogari « utrùm credat « sententiam sacri Constantiensis concilii su- « per quadraginta quinque Joannis Wiclef et « Joannis Hus triginta articulis, fore veram et « catholicam : scilicet quòd supradicti 45 ar- « ticuli Joannis Wiclef et Joannis Hus 30, non « sunt catholici, sed quidam ex eis sunt noto- « riè hæretici, quidam erronei, alii temerarii « et seditiosi, alii plurum aurium offensivi. »

Objicies 3° : In decretis propositiones in globo condemnantibus, potest fieri ut neque omnes episcopi, neque eorum saltem pars major consentiant inter se in determinandâ interno judicio notâ, quam singulæ mereantur damnandæ propositiones : v. g., ut nonnisi episcoporum minor numerus propositionem aliquam arbitretur esse hæreticam, cæteri omnes eam existiment esse duntaxat erroneam ; aut alii erroneam, alii errori proximam ; quod de unâ hìc objicitur propositione, idem ad multas potest accommodari, hoc est, ut de gradu et malignitate vitii, quo singulæ propositiones inficiuntur, dissentiant inter se judices divinitùs constituti ; tum verò nullum erit internum Ecclesiæ universalis de vitio et naturâ singularum propositionum de

terminatum judicium, quod interno vacillante et incerto, fluctuare necesse est, atque carere necessariâ obligandis conscientiis auctoritate?

Resp. 1° : Rectè et nullo labore concipitur potuisse episcopos inter se consentire tum interiùs, tum exteriùs in judicando, omnes examini subjectas propositiones intrinseco maculari vitio, omnes esse falsas et fidei aut moribus diversimodè noxias, ac proinde respuendas perniciosisque adjungendas erroribus : hoc autem fidelibus tradito documento quod in omni exhibetur condemnatione in globo, expeditum illis subministratur antidotum, quo præsens caveatur venenum, aut si jam haustum fuerit, ejiciatur; quòd autem determinentur interno judicio à majori saltem parte episcoporum, et applicentur interiùs singulis propositionibus singulæ quas mereantur notæ, talis determinatio et applicatio, si adhibenda sit ad condendum efferendumque externum decretum, eam reipsâ fuisse præstitam concludendum est ex absolutis et efficacibus Christi promissionibus, qui Ecclesiam cum in necessariis nunquam deserat, non patietur ejus dogmaticam ullam definitionem carere necessariis ad obligandos etiam interiùs fideles, dotibus et conditionibus. Et quid vetaret ne major saltem episcoporum pars singulas cum Scripturæ traditionisque monumentis, edendum ante decretum, propositiones conferendo, advocatis etiam, si opus erit, iis consilium sapientibus eruditisque viris, certò dijudicet intùs quænam unicuique propositioni competat nota; licet decreto seu externo judicio id non definiant? Non id impervium magis aut operosius quàm si propositum haberent, singulas singulis notis propositiones exteriùs confodere.

Resp. 2° : In attribuendis unicuique propositioni singulis competentibus *respectivè* notis, etiamsi dissentirent interno judicio, et fallerentur plerique episcopi (quod quidem nihil cogit suspicari), consentire nihilominùs possent externum in judicium seu decretum, quod solum tanquàm sentiendi regula proponitur fidelibus, et cui subesse falsum non sinit, nec sinere potest Christus, qui Ecclesiæ adfuturum se usque ad consummationem seculi verè et sine restrictione promiserit; licet enim, v. g., episcoporum pars media propositionem duxerit *erroneam* quam media pars altera *hæreticam* existimet, aliamque propositionem tot *arbitrentur* pariter hæreticam, quot eamdem putaverint hæresi proximam, et sic de aliis propositionibus ac notis, attamen ex diversis illis et discrepantibus judiciis consurgere potest externum, verumque dogmaticum judicium, quo declaretur ac definiatur nullam esse ex recensitis propositionibus, quam una aut plures glomeratis ex notis non afficiant; tuendo sanæ doctrinæ deposito dirigendisque intra fidei ordinem mentibus Spiritu sancto moderante providebitur; eâdem sic ratione attingetur et comparabitur finis propter quem tanta episcopis tamque veneranda judicandi concessa est divinitùs auctoritas; hinc prolato ab illis decreto interiùs etiam ac sincerè obtemperandum est, quidquid sit de rationibus et incitamentis quibus ad judicandum commoti fuerint ac impulsi. Defensatur veritas, error conteritur; christianus tutò edocetur populus, dummodò in externum conveniant judicium, quod solum fidelibus exhibetur ac proponitur tanquàm certa credendi regula.

Inst. 1° : Convenire atque congruere inter se episcoporum oportet sententias in æstimandis atque dignoscendis notarum theologicarum naturâ, significatione et proprietatibus; hoc tamen in capite, sicut alii theologi, ita inter se ipsos dissidere colligi potest ex operibus episcoporum qui de notis theologicis scripserunt, ut Melchior Canus, illustrissimus Bossuetius, cardinalis de Byssi, etc.; ejusdem notæ dissimilem aliquandò ingerunt ideam.

Resp. : Id argumenti si convincendo esset idoneum, opponi ex æquo posset decretis quibus speciatim et distinctè singulis propositionibus singulæ inuruntur notæ; tamque decretis quæ intrà generale concilium quàm decretis extra synodum editis objiceretur; atque ita neque in globo, neque sigillatim, posset Ecclesia propositiones verè damnandas perstringere; dicendum igitur, ubi dissensio est de naturâ et significatione alicujus notæ theologicæ, mitiorem, modò probabilitate non destitutam, benigniorem que sententiam secutos esse episcopos; id postulat æquitas et recepta ratio judicandi : namque in judiciis, *ubi partium jura sunt obscura, reo favendum est potiùs quàm actori; in pœnis benignior interpretatio facienda est :* sic, v. g., quamvis aliqui theologi ad hæresim constituendam putaverint sufficere mediatam revelationem, damnatæ non censendæ sunt ut hæreticæ propositiones quæ non contradicant propositiones immediatè revelatas, et quas fidelibus Ecclesia credendas proposuerit.

Instabis 2° : Decretis propositiones in globo condemnantibus, qualé debeatur fidei genus?

Non divina illis debetur fides : cùm enim innitatur revelatione, et quidem immediatâ, non ei locus est aut esse potest in reprobandis propositionibus quarum contradictoriæ non sunt immediatâ revelatione declaratæ ; tales sunt propositiones quæ proscribuntur ut temerariæ, scandalosæ, etc. Si verò dicatur hujusmodi decretis adhibendam esse fidem quæ vocatur *ecclesiastica*, nova hæc est appellatio, ac meritò quærendum erit in quo posita sit ea credendi ratio, quæ veteribus incognita fuisse videatur. Etverò non tenentur fideles tot elicere adhæsionis actus, quot sunt propositiones per aliquod decretum condemnatæ in globo ut hæreticæ, erroneæ, scandalosæ, etc.; at generalis atque individuus qui tunc eliceretur assensus, divinam ad fidem si assurgat, pertinere non potest ad condemnationem omnium quæ reprobantur propositionum, cùm illæ non sint omnes hæreticæ ; quòd si intra limites ecclesiasticæ fidei cohibeatur, omnium quæ proscriptæ sint propositionum condemnationi aptari nequit, cùm in illis plures sunt hæresis imbutæ veneno, quas proinde contradictorias fide divinâ credi oporteat.

Resp. : Nihil obstat quominùs fide divinâ credatur infallibilem esse Ecclesiam condemnandis in globo propositionibus ; revelata est divinitùs hæc infallibilitas ; declaratur generalibus testimoniis quibus collatam Ecclesiæ absolutam esse inerrantiam testificatur verbum scriptum ac traditum ; præcipua quæ ad illud caput spectant, argumenta deprompsimus ; quidquid autem revelatum esse constat, id totum divinam revocatur ad fidem ; nec tamen inde consequens est singulas illas propositiones quas diversis notis Ecclesia configit in globo, esse habendas hæreticas, adversantesque illis assertiones totidem esse dogmata revelata ; neque enim definientis infallibilitas Ecclesiæ, quantùmvis immediatâ constet revelatione, efficere potest, ut quod antea non fuerit revelatum, accedente ipsius decreto, revelatum evadat, atque divinæ dogma fidei ; imò declarante infallibiliter Ecclesiâ, ex diversis quas reprobat et damnat propositionibus, alias esse hæreticas, alias erroneas, etc., repugnat illas omnes et singulas totidem esse hæreses, eisdemque contradictoriè oppositas propositiones totidem esse fidei dogmata.

Totum id ut clariùs percipiatur, et ad objectionem aptior dissolvendam sternatur via, tollenda est quæ mentibus sensim illabitur ambigua intelligendi ratio. Aliud est divinâ fide constare, tenendum esse et credendum, quidquid tenendum et credendum proposuerit Ecclesia, cujus revelata est auctoritas et in judicando infallibilitas ; aliud est credendum esse divinâ fide quidquid Ecclesia tenendum et credendum proposuerit : non enim divinâ fide credendum proponit quidquid tenendum et credendum decernit ; ut sunt intra sanam doctrinam propositiones diversi generis, ita sunt diversa credendi genera : quo igitur nomine donanda sit fides quâ credi oporteat quidquid Ecclesiæ decretis propositiones in globo damnantis expromitur? Quid certatur de nomine, cùm res ipsa teneatur et collocata sit in tuto ? Cæterùm dici potest, ac meritò, generalem assensum quo prædictis definitionibus adhæreamus, accommodari per se ipsum ad mentem propositumque Ecclesiæ ; hinc illo animi verè obsequentis affectu, comprehenditur et adhibetur licet generatim, quodcumque fidei genus, uniuscujusque rei ab Ecclesiâ propositæ natura et conditio postulaverit.

Hæc solutio evidenti potest exemplo illustrari, cui nec ipsi quos hìc refellimus, velint refragari : fac scilicet nullum ab Ecclesiâ manare decretum, quod singulis propositionibus damnandis propriam distinctè et speciatim non infligat notam ; alias proinde reprobet sigillatim atque *explicitè* ut hæreticas, alias ut erroneas, alias ut temerarias, scandalosas, etc.; non juberentur profectò fideles tot in actus fidei sive divinæ, sive inferioris gradûs erumpere, quot essent proscriptæ sub diversis illâ ratione, notis propositiones ; possent enim generali et individuo actu reprobare tum exteriùs, tum interiùs, quidquid reprobavisset Ecclesia ; quidquid autem approbâsset, sincerâ mente prosequi ac firmissimo et irrevocabili tenere assensu, nec censerentur rejicere ut hæreticas, propositiones quæ forent duntaxat erroneæ, neque amplecti ut divinæ dogmata fidei, doctrinæ partes quæ divinam ad fidem non pertinerent ; sed illorum assensus, seu credendi ratio, suâpte naturâ et indole censeretur congruere omnibus propositis ab Ecclesiâ decretis, et sic unicuique doctrinæ capiti in quâ damnandâ vel confirmandâ versarentur id tribuere, quod uniuscujusque sit proprium.

Inst. 3° : Prudentiæ et æquitati repugnaret sententia judicis quæ plures in jus vocatos diversis ita decerneret mulctandos pœnis, ut quam quisque subiret, non curaret determinandum : redargueretur etiam judex, qui di-

versorum criminum reis diversas in globo, seu confertim, adscriberet infamiæ notas, ac nemine speciatim appellato declararet ex illis alios esse furti, alios adulterii, alios homicidii, non immeritò insimulatos ; tum enim pronum esset ut in suspicionem homicidii adduceretur passim, qui duntaxat aliquid æris alieni subripuisset ; exemplis hujusmodi haud ineptè adumbrantur decreta quibus diversis propositionibus, diversæ in globo affiguntur notæ theologicæ.

Resp. : Ad scopum non spectat id exemplorum genus : nam quo pacto executioni posset mandari sententia judicis plures in reos diversas in globo decernentis pœnas ? Nemo potest nisi determinatè affici exilio, vel pœnâ capitis, aut mulctâ plecti pecuniariâ ; at Ecclesiæ decretis qualis in unamquamque propositionem cadat nota non determinantibus, potest obtemperari, ac reipsà, ut par est, obtemperatur, modò credatur ex damnatis propositionibus nullam esse quæ uni aut pluribus notis conglobatis non subjaceat.

Quod attinet ad sententiam judicis quæ varias pluribus reis inscriberet notas in globo, ea prorsùs ab æquitate et bono societatis abhorreret, propter inveteratam hominum malignitatem, et ad iniquè de aliis judicandum aut suspicandum propensionem ; cogitetur enim ex hominibus quos diversis in globo infamiæ notis perstrinxerit judex, unum occurrere, furti solummodò reum ; ille, ut dictum est, homicidii crimine notandus fortassè videretur, quod quantùm alienandis mentibus, concitandis odiis, atque ordini perturbando esset appositum, nemo non perspexerit : at contra, etiamsi contingeret nonnullos ultra decreti alicujus præscriptum et limites excurrendo, graviorem alicui propositioni notam inureret, certè non adeò magnum inferret detrimentum ; deinde in propositionum examine, dùm verentur theologi ne aut minùs acutæ, aut minùs sanæ mentis habeantur, non sunt tam proclives ad vitium propositionis, quàm ad hominis crimen adaugendum ac promulgandum ; prolatâ sententiâ quæ pluribus reis diversas in globo notas infamiæ irrogaret, haud ipsâ quidem illius naturâ sententiæ, sed humanâ, ut diximus, pravitate, quot plena temeritatis judicia, quot saltem malignæ gignerentur suspiciones, quæ jura proximi graviter violarent, ac truces persæpè et impacatas foverent inimicitias ?

Consectarium *de infallibilitate Ecclesiæ in disciplinâ generali.*

Demonstratum est Ecclesiam in fide ac moribus absolutâ esse donatam inerrantiâ ; ergo regendis subditis, nihil statuere potest, quod legi divinæ vel naturali, vel *positivæ* repugnet, nihil quod à legitimæ et ordinatæ gubernationis alienum sit principiis. Id sequitur ex absolutis promissionibus quibus se illi obligatum voluit Christus, summa veritas, justitia et sapientia ; si quando sua quædam statuta (meræ disciplinæ) revocaverit, aut immutaverit Ecclesia, id non factum est emendationis causâ, quasi in prioribus, quæ *ad generalem gubernationem* pertineant, erraverit, sed prudentis œconomiæ gratiâ, quæ cùm suggesserit commune ad bonum societatis omnia referri statuta legesque oportere, eadem quoque pro diversitate locorum, rerum ac temporum, suadet etiam, quorumdam statutorum executionem non urgere, nonnullis derogare, aut eadem penitùs tandem abrogare. Mutationi non obnoxia est divina fides, quia æterna immutabilisque est veritas ; at agendi rationes quæ intrinsecis non innituntur morum principiis, mutari possunt, aut per se ipsas in consuetùdinem abire, nec proficit aut expedit, easdem omnes semper et ubique gentium prosequi.

ANNOTATIO EDITORUM.

De infallibilitate Ecclesiæ circa jus sanciendi articulos disciplinæ sic disserit egregius auctor jam citatus, D. de La Hogue, tract. de Ecclesiâ, cap. 5, quæst. 1 : « Dicimus Ecclesiam, ubi certo firmoque decreto aliquam sub anathematis pœnâ præscribit disciplinam, non posse errare, 1° eo sensu quòd illa disciplina cum doctrinâ fidei non consentiat, qualis esset communio sub unicâ specie, quæ supponeretur nocere integritati Sacramenti ; nec 2° eo sensu quòd bonis moribus vel rationi adversetur, qualis esse supponeretur non tantùm disciplina votorum religionis, quæ haberi potest tanquàm mera explanatio consiliorum evangelicorum, ac proinde cum doctrinâ connexa, sed etiam disciplina cœlibatûs qui omnibus Ecclesiæ Latinæ ministris in majoribus ordinibus præscribitur ; nec 3° eo sensu quòd illa generalis disciplina in detrimentum Religionis vergeret, ut fuit pro variis circumstantiis pœnitentiæ publicæ institutio, vel imminutio, et abolitio. In his omnibus

errare non posse Ecclesiam, evidenter sequitur ex duplici principio, 1° Christum in necessariis Ecclesiæ suæ non deesse, et 2° in ipsum tunc refundendum fore errorem quem combiberent fideles, cùm illos jusserit eam audire tanquàm seipsum, ne habeantur sicut ethnici et publicani.

« Quod dicimus de disciplinâ generali, certo firmoque decreto instituta, ad illam etiam pertinet quæ, absque prævio decreto, universali praxi adhiberetur, et proximè referretur ad substantiam dogmatis vel Sacramentorum. Sit in exemplum Baptismi collatio per meram infusionem, et in publicis precibus repetitio doxologiæ : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*. Error in simili disciplinâ foret error in dogmate, illam proinde nec approbare nec tolerare posset Ecclesia. Tunc maximè juxta omnem verborum et sensûs rigorem valet hoc effatum S. Augustini : « Ecclesia quæ sunt « contra fidem aut bonam vitam nec approbat, « nec tacet, nec facit. » Epist. 55 ad Januarium, aliàs 119, c. 19. Et istud alterum : « Quod universa frequentat Ecclesia, quin id « ita faciendum sit disputare, insolentissimæ « insaniæ est. » Ep. 44, aliàs 118.

« Aliud est dicere Ecclesiam nihil statuere posse de disciplinâ, quod in detrimentum religionis vergat; aliud verò, concilia etiam generalia semper illa statuere quæ sunt Ecclesiæ salubriora, et magis apta ad vitia coercenda. Andrada, celeberrimus theologus, qui maximâ cum laude concilio Tridentino interfuit, in defensione hujus concilii adversùs Chemnitium, l. 1 de conciliorum generalium auctoritate, triplex distinguit genus ecclesiasticarum regularum de disciplinâ : primum illarum quæ ad ordinem servandum sunt necessariæ; secundum illarum quæ sunt tantùm utiles, et tertium illarum quæ privatas Ecclesias spectant. De regulis primi generis, seu *necessariis*, dicit Ecclesiam tam infallibili judicio decernere, quàm de ipsâ dogmatum expositione. De regulis tantùm *utilibus*, dicit illam quidem errare non posse, eo sensu quòd aliquid statuat divinæ legi repugnans; illam tamen à viis prudentiæ discedere posse, quatenùs austeriorem aliquam aut molliorem disciplinam præscriberet, « cùm fieri nullo modo « possit ut omnes ecclesiasticæ sanctiones in « tantâ morum dissimilitudine, nationum ac « linguarum varietate, humanarumque rerum « inconstantiâ et temeritate, omnibus mortali« bus sint semper accommodatæ semperque « salutares. » Id autem à fortiori convenit regulis quæ ad particulares Ecclesias diriguntur.

« Hoc principium aliis theologis commune est. Sic Melchior Canus : « Non ego, inquit, « omnes Ecclesiæ leges approbo, non universas « pœnas, censuras, excommunicationes, sus« pensiones, irregularitates, interdicta com« mendo; scio enim nonnullas ejusmodi leges « esse, in quibus, si non aliud præterea quic« quam, at prudentiam certè modumque desi « deres (1)... » Et paulò inferiùs : « Illud bre« viter dici potest, qui summi pontificis omne, « *de re quâcumque*, judicium temerè ac sine « delectu defendunt, eos sedis Apostolicæ auc« toritatem labefactare, non fovere; evertere, « non firmare... Non eget petrus mendacio « nostro, nostrâ adulatione non eget. Ordines « (religiosos) vel probare vel refellere, quo« niam non è *scientiâ* id solùm, sed etiam è « *prudentiâ* pendet, non ad ea pertinet in qui« bus summus pontifex errare nequit. » Id autem in Cani principiis applicatur Ecclesiæ decretis de simili disciplinâ, quippe quòd acerrimus Ultramontanæ doctrinæ defensor, Papam ex cathedrâ loquentem infallibilem agnoscat. Vid. etiam Bellarm. l. 14 de Romano Pontifice, c. 5.

« Ex dictis inferendum, omnem praxim Ecclesiæ, etiam universalem, quæ cum dogmate nec immediatè nec directè conjungitur, ex se sufficientem non esse fundando fidei catholicæ articulo. Ita Veronius in suâ Regulâ fidei, c. 1, § 4, n. 4, qui id probat 1° ex ratione, quòd bona alicujus praxis fundamentum potest esse opinio probabilis, nec tamen indubitata; et 2° ex facto quod citat Vasquesius, de consuetudine olim habitâ juxta ordinem Romanum celebrandi missam pro Catechumenis defunctis, quæ postea abolita fuit, nec immeritò, inquit ibidem Vasquesius, « cùm sacrificium « Missæ suâpte naturâ, institutione divinâ seu « Christi, pro non baptizatis offerri non pos« sit... Cæterùm respondere quis posset, quod « attinet ad essentiam et substantiam sacra-

(1) Nota. Quod ibi dicit Melchior Canus, sobriè intelligendum : scilicet istæ omnes *censuræ, excommunicationes, suspensiones* et *interdicta* de quibus loquitur, non fuerunt *universæ Ecclesiæ decretis* latæ, sed obtinuerunt *in Ecclesiâ* vi Constitutionum quorumdam pontificum, vel conciliorum particularium, atque etiam synodorum Diœcesanarum. Itaque in *universam Ecclesiam* refundi non debet qui, in illis pœnis non sat cautè infligendis, irrepere potuit abusus.

« mentorum, Ecclesiam semper eam doctri-
« nam *dictis et factis* probâsse, quæ certa et
« indubitata est; at verò quod attinet ad alia
« *accidentaria*, non omninò indubitatam, sed
« probabilem opinionem aliquando in praxi
« secutam, aliquid fecisse, *tametsi non tanquàm*
« *certum dogma fidei declaraverit.* » Addit Veronius : « Non ergo sequitur Ecclesiam per
« talem praxim proponere tanquàm creden-
« dum de fide catholicâ aliquod dogma; suffi-
« cit praxim esse bonam, cui bonitati satis est,
« quòd fundetur in opinione probabili; hinc
« tot praxes suas, etiam *universales*, Ecclesia
« mutare potest. » Itaque temerè applicandum non est D. Augustini effatum jam citatum : « Si quod tota per orbem frequentat Ecclesia,
« hinc quin ita faciendum sit disputare, inso-
« lentissimæ insaniæ est; » quasi quæcumque praxis Ecclesiæ, etiam universalis, fundamento prorsus indubitato inniteretur.

« Idem dicendum de altero isto axiomate : *Lex orandi, lex credendi.* Meritò quidem urgetur ad permulta dogmata confirmanda; sic ex exorcismis supra baptizandos confirmatur peccati originalis dogma; ex doxologiâ quibus terminantur omnes Psalmi, doctrina mysterii Trinitatis; ex ritu externo adorationis Eucharistiæ exhibito, realis Christi præsentia; ex omnibus orationibus, necessitas gratiæ ad bonum operandum; ex precibus quæ ab antiquioribus seculis pro defunctis funduntur, dogma Purgatorii. In his et similibus causis, ubi ex mente Ecclesiæ et publico omnium fidelium sensu, tam notoria est arctissima quæ inter universalem praxim Ecclesiæ et dogma reperitur connexio, non minùs verè quàm energicè dicitur : *Lex orandi, lex credendi.* Sed à vero multùm aberraret, et catholicæ causæ non parùm noceret qui effatum illud applicaret singulis Breviariis, aut singulis partibus Breviariorum, v. g., singulis *legendis* ex vitâ sanctorum, vel etiam singulis *orationibus* quæ recitandæ præscribuntur. Enimverò tot diversorum Brevioriorum examen nunquàm aggressa est Ecclesia; præterea illud quod longè communius est, *Romanum* nempe, pluries emendatum fuit; nihilominùs de eo sic loquitur Benedictus XIV, in suo opere de Canonisatione sanctorum, l. 4, part. 2, c. 13, n. 8 : « Licet
« facta historica in illo relata et approbata
« non modicam habeant auctoritatem, non ve-
« titum est ne modestè, et cum gravi funda-
« mento, difficultates de eis excitentur, et sedis
« Apostolicæ judicio subjiciantur. » Et ibidem, c. 17, n. 9 : « Omnia quæ in Martyrologium
« inserta sunt, inconcussæ veritatis non sunt,
« ut ex repetitis illius correctionibus constat. »

Ipsum B. Mariæ Virginis Conceptionis festum, quod in longè communiore sensu celebratur, tanquàm *immaculatæ Conceptionis*, illam doctrinam, ut necessariò tenendam, non confirmat. Id patet ex constitutionibus adhuc vigentibus Sixti IV, Pii V, Pauli V et Alexandri VII, qui prohibent ne opinioni illam neganti aliqua inuratur censura, cùm Apostolica sedes de hoc nihil definierit.

« A fortiori, ex eo quòd taceat Ecclesia de variis dispensationibus à summo pontifice concessis pro impedimentis matrimonii, vel de extraordinariis facultatibus quas concedit missionariis, non sequitur pro indubitato habendum singulas esse validas. De dispensationibus in causis matrimonii audiatur Bossuetius, l. 7 Variationum, n. 50, ubi varia solvit objecta à Protestantibus, adversùs dispensationem à Julio II datam Henrico VIII, regi Angliæ, ut fratris defuncti uxorem duceret. « Je ne dois pas
« me mettre en peine, inquit, si la dispense
« de Jules II était bien donnée, ni si Clément
« VII pouvait ou devait la révoquer, et annuler
« le mariage. Car encore que je tienne pour
« certain que ce dernier Pape a bien fait au
« fond, et qu'à mon avis, en cette occasion,
« on ne puisse blâmer tout au plus que sa po-
« litique, tantôt trop tremblante, et tantôt trop
« précipitée, ce n'est pas là une affaire que je
« doive décider en ce lieu, ni un prétexte
« d'accuser d'erreur l'Eglise Romaine. Ces
« matières de dispense se règlent souvent par
« de simples probabilités, et on n'est pas obligé
« d'y rechercher la certitude de la foi, dont
« même elles ne sont pas toujours capables. »
Inde contigit ut quidam pontifices dispensationes à suis decessoribus olim concessas denegaverint, rati se talem potestatem non habere. Addit Bossuetius, n. 62 : « Qu'il y ait pu
« avoir sur cette matière quelque diversité de
« sentiments, c'est assez qu'il ne fût pas évi-
« dent que la dispense fût contraire aux lois
« divines, auxquelles les Chrétiens sont obligés.
« Cette matière était donc de la nature de celles
« où tout dépend de la prudence des supérieurs,
« et dans lesquelles la bonne foi doit faire le
« repos des consciences. » Idem dicendum est de facultatibus extraordinariis quæ à summis pontificibus identidem concessæ fuerunt missionariis, circa matrimonia infidelium qui baptizantur. Nimirùm S. Pius V dispensavit cum

Indis baptizatis, et in futurum baptizandis, « ut cum uxore quæ cum ipsis fuerit baptizata, « et baptizabitur, remanere valeant, *aliis di-* « *missis*, » quâ dispensatione illis licitum fieri videtur *primam* suam uxorem, quæ sola vera erat, dimittere, etiamsi pacificam cohabitationem promitteret. Id clariùs indicat alia facultas concessa episcopis, vicariis apostolicis, et præfectis missionum Asiæ, Africæ et Americæ, « dispensandi cum gentilibus et infidelibus « plures uxores habentibus, ut, post conver- « sionem et baptismum, *quam ex illis voluerint*, « si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, « *nisi prima voluerit converti.* » Tandem cùm persæpè contingeret ut ab Angolâ, Æthiopiâ ac Brasiliâ in captivitatem abducerentur, et in remotas longè regiones deferrentur homines et feminæ matrimonio juncti, qui autem vel quæ in propriis regionibus remanebant, sese dispositos vel dispositas exhiberent, ut christianæ Religioni nomen darent, et conjugem jam Christi fidelem accipere se velle ostenderent, Gregorius XIII episcopis, parochis et missionariis qui in iis regionibus degerent, facultatem concessit, « dispensandi cum quibus- « cumque utriusque sexûs Christi fidelibus, « incolis dictarum regionum, et servis ad fidem « conversis, qui ante baptismum matrimonia « contraxerant, ut eorum quilibet, etiam su- « perstite conjuge infideli, et *ejus consensu* « *minimè requisito, et non responso expectato* « (de pacificâ cohabitatione) matrimonia cum « quovis fideli contrahere, et in eis postea « carnali copulâ consummatis, quoad vixerint, « remanere licitè valeant... Quæ quidem ma- « trimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges « priores infideles suam voluntatem, justè im- « peditos, declarare non potuisse, et *ad fidem* « *etiam, tempore transacti secundi matrimonii,* « *conversos fuisse*, nihilominùs rescindi nun- « quàm debeant, sed valida et firma esse. » Vide, de his pontificum dispensationibus, Benedict. XIV, l. 13 de Synodo Diœcesanâ, c. 21.

« Dissimulandum non est ex his extraordinariis facultatibus inter theologos plures ortas fuisse controversias, cùm multorum sit sententia, privilegium quod infideli conjugi converso datum dicitur, 1 Cor. c. 7, his verbis : *Si infidelis discedit, discedat*, casus tantùm respicere in quibus conjux infidelis remanens *pacificam denegat cohabitationem;* de quibus controversiis fusè disserit Bened. XIV, loco citato.

« Hic annotabimus tantùm, 1° bullas, quibus conceduntur istæ extraordinariæ facultates, non dirigi ad universam Ecclesiam, sed ad solos missionarios qui summos pontifices Pium V et Gregorium XIII, consuluerant; quinimò ita restringuntur ad regiones quæ in illis designantur, *ut non possint ad alias extendi, quantùmvis id suadere viderentur identitas et paritas rationis.* Ipsissima sunt verba Benedicti XIV, loco citato, n. 31 et 6. 2° His bullis aliqua statuitur agendi regula, sed nihil certo firmoque decreto credendum proponitur : unde sequitur Ecclesiæ silentium haberi non posse tanquàm approbationem clausularum quæ in iis continentur.

« Longè gravioribus argumentis fulcitur sententia, simplices presbyteros esse posse extraordinarios sacramenti Confirmationis ministros, si ad id à sanctâ sede delegentur; absunt enim multò plura summorum pontificum diplomata, quibus illam facultatem concessêre simplicibus presbyteris, et inter eos recensetur Gregorius Magnus; sunt etiam multæ aliæ probationes ex monumentis ecclesiasticis ductæ. Nihilominùs contrariam sententiam tenuerunt theologi maximi nominis, Hugo Victorinus, Durandus, Estius, San-Bovius (*Sainte-Beuve*) professor Sorbonicus, in suo tractatu de sacramento Confirmationis. »

CAPUT II.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ IN FACTIS DOGMATICIS.

Facta dogmatica definiri possunt, facta non revelata, sed cum dogmate certâ necessitudine devincta, quibus negatis, vel affirmatis consequens sit, negari aliquod dogma vel affirmari. Propositionis alicujus aut libri doctrinam dùm approbare, vel proscribere constituit Ecclesia, perspectum exploratumque habeat oportet genuinum, seu proprium et naturalem quem exhibeant sensum; noverit necesse est quid eisdem significetur, habitâ ratione antecedentium et consequentium, ex quibus notitia illa prævia colligi possit; in eâ debitæ significationis investigatione et attributione versatur *factum dogmaticum;* deinde expressa et deprompta ex propositione vel libro doctrina, si orthodoxa, vel si heterodoxa judicetur, judicium istud pertinere dicitur ad *quæstionem juris.* Factum dogmaticum ita esse cum aliquo dogmate conjunctum diximus, ut, eo facto admisso vel repudiato, admitti necessariò dogma censeatur, vel repudiari; hinc dif-

ferunt à factis dogmaticis facta *merè personalia, aut extranea dogmati quædam gesta particularia.*

Mirum est quàm contentiosè, quâ cavillandi arte invecta sit distinctio *juris à facto*, ad effugiendam violati invidiam obsequii, quod præstandum sit comprobatis episcopali ab ordine dogmaticis Apostolicæ sedis constitutionibus; jactitant hujusce diverticuli vindices, decretis illis, ut par est satisfieri posse religioso, ut obloquuntur, silentio, quia, inquiunt, in factis quæ dogmatica nuncupantur, falli potest ipsamet Ecclesia. Theologos inter qui sinceriori mente profitebantur se auctoritati et judiciis Ecclesiæ morem gerere velle, prodierunt qui absolutum quidem ac perpetuum licet sponderent assensum, ejusdem tamen in factis dogmaticis infallibilitatem non agnoverint, incautis similes operariis, unâ manu ædificantibus, et alterâ, ut evincetur, destruentibus. Assertiones duas pro duplici adversariorum genere complectetur celeberrima hæc controversia.

ASSERTIO PRIMA. — *Decretis Ecclesiæ de factis dogmaticis debetur internum etiam et absolutum obsequium.*

Probatur 1° : Proponere nobis symbola fidei sic potest Ecclesia, ut fideles teneantur proponenti obtemperare, et interiùs etiam obsequi; symbola autem totidem sunt textus dogmatici, simplicibus longiores propositionibus, atque tametsi revelata sit ea quæ ipsis continetur doctrina, quid tamen significent, seu quem sensum naturalem et obvium præ se ferant verba quibus enuntiantur, nusquàm revelatum est; ergo judicare potest Ecclesia de factis dogmaticis, licet non revelatis, ac de illis judicanti internum etiam debetur obsequium.

Probatur 2° ex decretis conciliorum generalium : Ephesinâ in synodo oblata est Patribus satis longa S. Cyrilli Alexandrini, ad Nestorium Epistola, quâ recitatâ, sic eos allocutus est S. doctor actione primâ : « Quare sanctita-« tem vestram rogatam cupio, ut coram ex-« ponat, rectènе et inculpatè, sanctoque illi « concilio convenienter scripserim, an secùs. » Votis sanctissimi præsulis annuerunt Patres Ephesini, ejusque Epistolam decretis Nicenæ synodi apprimè consonam judicantes, confirmandam curaverunt. Lecta est eôdem actione Epistola Nestorii ad S. Cyrillum, quam Nicæno concilio et catholicæ fidei cùm repugnare intellectum sit, omnes simul episcopi exclamaverunt : « Quicumque Nestorium non ana-« thematizat, anathema sit; hunc recta fides « anathematizat; hunc sancta synodus anathe-« matizat; omnes Nestorii Epistolam et dog-« mata anathematizamus. » Tam expresso tantæ synodi decreto, tum de S. Cyrilli Epistolâ, tum de illâ quam scripsit Nestorius, quis ex animo assentire detrectabit, aut dubitabit, si modò verè Catholicus ?

Ex concilio Chalcedonensi œcumenico plura depromi possunt in causæ nostræ præsidium argumenta; in hoc uno immoramur quod pertinet ad eximiam S. Leonis ad Flavianum de incarnatione Verbi Epistolam; dictæ synodi actione quartâ coram omnibus lectus est, oblatus ab episcopis Ægyptiis, Marciano Augusto libellus, in quo tum de nomine Eutychetis, tum de unâ vel duplici in Christo naturâ tacentes, profitebantur se anathematizare *omnes hæreses quæ extra Ecclesiam sapiunt et docent :* at specialem, distinctam, absolutamque exigentes, et imperantes, sanæ professionem doctrinæ, Patres concilii communi voce sic interpellârunt : « Epistolæ S. Leonis subscri-« bant, anatyematizantes Euthchem et dog-« mata ejus ; consentiant Epistolæ sancti Leo-« nis ; eludere nos volunt et discedere. » Tùm reponentibus episcopis Ægyptiis : « Si quis « præter ista, quæ à nobis in petitionibus por-« recta sunt, sapit, sive Eutyches, sive alter « aliquis, anathema sit, » displicuit Patribus synodi Chalcedonensis conditionata hæc Ægyptiorum responsio, eisdemque paratos se affirmantibus S. Leonis Epistolæ subscribere, modò priùs ipsis crearetur episcopus, ita instabant generalis concilii Patres : « Qui non « subscribit Epistolæ S. Leonis, cui omnis « sancta synodus consensit, hæreticus est; « qui non anathematizat Eutychem, hæreticus « est. » Crimen hæresis ne incurrere viderentur Ægyptii, clamaverunt : *Anathema Eutychi, et credentibus ei!* nec ejusmodi obstat confessioni, quòd postulantibus iterùm illis, ut priùs constitueretur sibi archiepiscopus quàm subscribendo adhærere se S. Leonis Epistolæ palàm testarentur, annuerit tandem sacra synodus : hoc enim eisdem ideò indulgere se ipsa declaravit, « quia non repugnantes « catholicæ fidei, subscribere in præsenti dis-« tulerunt, sed dicentes consuetudinem esse « in Ægyptiacâ regione, extra sententiam et « jussionem archiepiscopi nihil tale se pos-

se; » non illos à subscriptione voluit exemptos sancta œcumenica synodus, nihilque detractum suis debiti decretis obsequii ; sed quamdam subscriptionis toleravit dilationem, ne irritarentur atque exacerbarentur animi, moram aliquam istam non ex incredulo et contumaci deposcentes affectu.

Ad propositam quæstionem, nihil magis accommodatum veteribus ex monumentis afferri potest, quàm decreta concilii generalis V, seu Constantinopolitani œcumenici II, tria famosa damnantis capitula, quæ non apud Nestorianos duntaxat, sed multos etiam apud Catholicos, videbantur adduci posse catholicum in sensum. Tria hæc capitula, ut omnibus compertum est, sunt scripta Theodori Mopsuesteni episcopi, scripta Theodoreti contra anathematismos S. Cyrilli ac synodum Ephesinam, et Epistolam Ibæ Edesseni episcopi ad Marin Persam; quatuordecim ex canonibus memoratæ synodi, tres ultimos proposito nostro congruentes censemus exscribendos : Canone 12 sic legere est : « Si quis igitur defendit impium Theodo- « rum et impia ejus conscripta, in quibus tam « prædictas quàm alias innumerabiles blasphe- « mias effudit contra magnum Deum et Salva- « torem Jesum Christum, et non anathematizat « eum et impia ejus conscripta, et omnes qui « suscipiunt vel defendunt eum, et dicunt « orthodoxè eum exposuisse, etc., talis ana- « thema sit. » Canone 13 : « Si quis defendit « impia Theodoreti conscripta, quæ contra « rectam fidem, et contra primam Ephesinam « synodum et sanctum Cyrillum et duodecim « ejus capitula exposuit, et omnia quæ con- « scripsit pro Theodoro et Nestorio impiis, etc., « talis anathema sit. » Canone 14 : « Si quis « defendit Epistolam quam dicitur Ibas ad « Marin Persam hæreticum scripsisse, quæ « abnegat quidem Deum Verbum de sanctâ Dei « genitrice semper virgine Mariâ incarnatum, « hominem factum esse, dicit autem, etc., « anathema sit. » Citatis in canonibus perspicuè dijudicantur et proscribuntur, et quidem post accuratum examen, tres valdè prolixi textus, tria scilicet capitula, quæ totidem sunt facta dogmatica acerrimis priùs agitata controversiis ; neque solùm ne defendantur prohibet sancta synodus, sed ipsa et anathematizat, et anathematizare nolentes anathemate perstringit. Quid efficacius ad præstituendum conciliandumque illorum condemnationi internum etiam absolutumque consensum?

Concilium Constantiense œcumenicum, seu approbante concilio Constantiensi, Martinus V formulam edidit quâ sic interrogari debeant qui erroribus Wiclefi et Joannis Hus adstipulandi suspicione laborarent : « Utrùm credant « quòd condemnationes Joannis Wiclefi, et « Joannis Hus, et Hieronymi de Pragâ, factæ « personis eorum, libris et documentis, per « sacrum generale concilium Constantiense, « fuerint ritè et justè factæ, et à quolibet ca- « tholico pro talibus tenendæ et firmiter as- « serendæ. » Eà in formulâ non præscribitur solùm quod tantoperè prædicatur religiosum silentium, sed strictè, ut patet, jubetur, ut ritè fuisse condemnata hæreticorum quos appellavimus, scripta, credatur constanterque asseratur.

Concilium Tridentinum, sess. 4, de vulgatâ librorum sacrorum editione, quæ procul dubio in factis dogmaticis numeranda est, pronuntiat his verbis : « Si quis autem libros ipsos inte- « gros, cum omnibus suis partibus, prout in « Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in « veteri Vulgatâ editione habentur, pro sacris « et canonicis non susceperit, et traditiones « prædictas sciens et prudens contempserit, « anathema sit. » Afflante Spiritu sancto quamvis conscripti sint omnes libri quos habet canonicos Tridentina synodus, nusquàm tamen revelatum est authenticam esse Vulgatam Scripturarum canonicarum versionem : illius tamen authenticitatem qui abjecerit, ille à generali synodo Tridentinâ percellitur anathemate : cui illius decreto, et aliarum quas advocavimus synodorum œcumenicarum judiciis refragari et animo dissentire quis audeat, nisi Ecclesiæ auctoritatem exosus, suoque proprio mancipatus pervicaciter judicio?

Probatur 3° ex decretis dispersæ universalis Ecclesiæ, quæ haud minori auctoritate pollent quàm conciliorum generalium quibus repræsentatur, judicia. Quin decreta universalis Ecclesiæ haberi oporteat solemnes Innocentii X, Alexandri VII et Clementis XI constitutiones de quinque famosis Propositionibus, ambigi non potest ; decretis illis partim expresso, partim tacito episcopalis ordinis consensu, tot jam annorum spatio approbatis, attribuuntur libro Jansenii, indicatæ propositiones naturali sensu intellectæ ; constitutionibus autem hujusmodi, sepositio interno et sincero obsequio, satisfieri non potest : hæc duo doctrinæ capita paulisper evolvenda sunt.

Designatas quidem propositiones, habitâ ratione libri Jansenii proscriptas fuisse, non ob-

scurè declaratur constitutione Innocentii X, die 31 maii ann. 1653 : « Cùm occasione, in- « quit, libri cui titulus, *Augustinus*, Cornelii « Jansenii Yprensis episcopi, inter alias ejus « opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis « controversia super quinque ex illis, complu- « res Galliarum episcopi apud nos institerunt, « ut easdem propositiones nobis oblatas expen- « deremus, ac de unaquâque earum certam ac « perspicuam ferremus sententiam, » etc. Post relatas atque hæreseos inustas notis quinque istas propositiones, ita prosequitur summus pontifex : « Non intendentes tamen per hanc « declarationem ac definitionem super quinque « prædictis propositionibus factam, approbare « ullatenùs alias opiniones, quæ continentur in « prædicto libro Cornelii Jansenii. » His vocibus nonne significatur damnatas quinque propositiones, ex eodem libro fuisse decerptas, quo aliæ continentur quæ dicuntur non approbari ?

Quàm minimè autem sufficiat religiosum illud nomine tenùs silentium, toties promissum, totiesque violatum, manifestè decernit Alexander VII constitutione datâ ann. 1656, die 16 octob., declarando conceptis verbis se damnare prædictas *quinque illas propositiones excerptas ex libro Jansenii, cui nomen* Augustinus, *et in sensu ab eodem Jansenio, intento*. Quin etiam ad obstruendum cavillationibus omnibus aditum, direxit summus idem pontifex, anno 1665, in Gallias subscribendam hanc formulam: « Ego, N. constitutioni apostolicæ Innocentii « X et Alexandri VII me subjicio, et quinque « propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui « nomen *Augustinus*, excerptas, in sensu ab eo- « dem auctore intento, prout illas sedes Apos- « tolica damnavit, sincero animo rejicio ac « damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet et « hæc sancta Dei Evangelia. » Quicumque igitur propositæ subscribendo formulæ, haud ita quinque illas damnat propositiones, ut in eis doctrinam ipsam libri Jansenii, sincero non reprobet animo, lethalis mendacii, ac perjurii reum se apertè constituit ; ut enim observat verissimè S. Augustinus lib. de Mendacio, cap. 3 : « Ille mentitur qui aliud habet in animo, et « aliud verbis, vel quibuslibet significationibus « enuntiat. » Perjuri sunt, qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est deceperunt ; quantò magis qui decreta et expectationem Ecclesiæ, in rebus tanti ad religionem momenti, obstinatâ mente conantur eludere ! Excogitatus est gallicè conscriptus conscientiæ casus, in quo inter alia dicitur, *post subscriptionem simplicem sine ullâ restrictione, formulæ Alexandri VII*, satis esse, si quis erga factum Jansenii ab Ecclesiâ definitum, religiosum duntaxat servet silentium ; assertionem illam à cardinale Noaillio condemnatam ann. 1703, proscripsit ann. 1704 sacra Facultas Parisiensis, ut « temerariam, scandalosam, injurio- « sam summis pontificibus et episcopis Galliæ, « atque etiam ut præbentem occasionem reno- « vandæ ex integro post damnationem, Jansenii « doctrinæ, et in quantum eâdem præfatâ pro- « positione dicitur sufficere, etiam iis qui sub- « scripsêre formulæ fidei quæ adjunctum habet « juramentum ex sanctione Alexandri VII, præ- « dictis notis hanc etiam esse adjiciendam, ut ad- « jicit, nempè quòd faveat mendacio et perjurio. » Denique ad evellendum radicitùs Jansenianæ illum hæresis surculum, prodiit, anno 1705, solemne decretum Clementis XI, quod incipit his verbis : *Vineam Domini Sabaoth*, ab universali comprobatum Ecclesiâ ; in eâ, post confirmatas Innocentii X et Alexandri VII Constitutiones, vindicatisque à distortis Jansenianorum interpretationibus, Brevibus seu Epistolis Clementis IX et Innocentii XII, hæc inter alia de casûs conscientiæ doctrinâ, auctoribus, et patronis decernit : « Condiscant hâc nostrâ per- « petuò valiturâ Constitutione, obedientiæ quæ « in præmissis Apostolicis constitutionibus « debetur, obsequioso illo silentio minimè satis- « fieri; sed damnatum in quinque præfatis pro- « positionibus Janseniani libri sensum, quem « illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, « ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, « non ore solùm, sed et corde rejici et dam- « nari debere, nec aliâ mente, animo aut cre- « dulitate, supradictæ formulæ subscribi licitè « posse ; ita ut qui secùs aut contra, quoad « hæc omnia, et singula senserint, tenuerint, « prædicaverint, verbo vel scripto tenuerint, « aut asseruerint, tanquàm præfatarum consti- « tutionum transgressores, omnibus et singu- « larum censuris et pœnis omninò subjaceant, « eâdem auctoritate decernimus, declaramus, « statuimus, ordinamus. » Hâc perpetuò valiturâ Ecclesiæ universalis Constitutione non potuit clarius definiri damnatum esse in quinque propositionibus, Janseniani libri sensum, eamdemque doctrinam *non ore solùm, sed et corde, rejici et damnari debere ;* internum itaque et absolutum constitutionibus Ecclesiæ de factis dogmaticis adhibendum esse obsequium. Qui obedientiam id genus denegavo-

rint, videant iterùm atque iterùm num ipsâmet Christi Ecclesiâ meliùs calleant tum quantam et qualem à Christo auctoritatem acceperit, tum quid ad regimen fidelium, animarum salutem et orthodoxæ incolumitatem doctrinæ præstari expediat vel oporteat.

Probatur 4° argumentis omnibus jam exponendis ad adstruendam Ecclesiæ in factis dogmaticis infallibilitatem : namque judiciis Ecclesiæ de factis dogmaticis deberi internum et absolutum obsequium, eamdemque in illis dijudicandis esse infallibilem, hæc duo inter se necessario et indivulso nexu apta et colligata sunt, infallibili nimirùm auctoritati animo etiam ac firmiter esse assentiendum, nec perpetuum et absolutum assensum mereri auctoritatem quæ infallibilitate careat. Hanc enim errare si contingeret, futurum liquet ut eam consectantes eumdem in errorem simul abriperentur.

Observandum sedulò non eodem habendos esse loco, tum eos qui Ecclesiæ licet in factis dogmaticis infallibilitatem non agnoscant, ejus tamen hoc in genere decretis corde et mente obtemperandum esse profiteantur, tum illos qui hujusmodi judiciis internum et absolutum non vereantur abjudicare obsequium; quod inter utrosque intercedit discrimen, patebit magis ac magis solvendis objectionibus. Jam sit

ASSERTIO II. — *In dijudicandis factis dogmaticis errare non potest Ecclesia.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — Solemni illâ Christi præceptione : *Euntes docete omnes gentes... Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, promissam esse Ecclesiæ ad rectè docendum perpetuam inerrantiam, demonstratum est, confitenturque omnes Catholici; quo pacto autem, in docendis instituendisque populis, dono infallibilitatis polleret, si quando in judicandis, declarandisque factis dogmaticis posset allucinari, hoc est textum revelationi divinæ repugnantem proponere fidelibus, ut ipsi revelationi consentaneum, aut è contra textum verbo divino congruentem, proponere ut eidem contrarium? Aliter docere non potest quàm tradendo textus ut orthodoxos, vel rejiciendo, seu damnando textus ut heterodoxos : non enim sentiendo, non per internum atque in mente reconditum judicium docere possunt Ecclesiæ pastores, sed vocibus aut scriptis; at loqui vel scribere nequeunt nisi proferendis textibus, qui ad doctrinam si referantur, vocantur dogmatici.

Quoties itaque propositionem aliquam, aut propositionum seriem et complexionem dijudicat Ecclesia, toties duo instituit judicia, quorum unum necessariò prælucet alteri; seu judicat quid examini subjecta propositio, aut propositionum significet contextus; in hoc parando judicio versatur quæstio quæ dicitur *facti;* deinde, cùm investigatum propositionis alicujus aut libri sensum cum verbo Dei scripto et tradito contulerit, tum revelationi utrùm ille consonet, utrùmve adversetur, distinctè denuntiat; in hoc instruendo judicio posita est quæstio quæ dicitur *juris.*

Porrò in quæstione facti dogmatici, Ecclesia si posset errorem fidelibus obtrudere, error ille in ipsam juris quæstionem necessariâ consecutione refunderetur, id est, erroneâ, hæreticâ fideles imbuere doctrinâ posset universalis Ecclesia, si allucinari et errare ipsam sineret Christus, in discutiendo, exponendo et reprobando sensu alicujus libri; id verò, si Jansenianis fides, non censetur duntaxat possibile, sed reipsà multipliciter factum est : v. g., dùm contendunt libro Jansenii catholicam de gratiâ doctrinam accuratè defendi, neque posse illum condemnari, nisi Pelagiana et Semipelagiana instaurandæ dicantur hæreses, asserant consequenter necesse est, Ecclesiam quinque Jansenii propositiones, dùm pergit tot ab annis proscribere in sensu quem in ipsius libro præ se ferunt, in id incumbere, impositâ excommunicationis pœnâ, præstitutoque juramento, ut fideles compellat ad ejurandam catholicam fidem, erroresque suscipiendos, eadem quos Ecclesia multiplici anathemate contriverit. Nec quidquam servandæ fidei prodesset, Ecclesiam interiùs rectè judicare, suaque vibrare anathemata alienos in sensus verè damnandos, quos decepta fingeret sibi, dùm genuinum putaret libri alicujus sensum intelligere ac perstringere; delitescerent in mente Ecclesiæ sensus illi extranei ac fictitii; ad notitiam fidelium non transmitterentur; juberet severè et indesinenter ut oblatæ sibi propositiones damnarentur in sensu naturali et proprio ejusdem libri quem erroribus ac funestissimo refertum esse veneno perperàm et iniquè, ut fingitur, arbitrata pronuntiaret. Quò igitur temeritatis provecti sint, qui sensum naturalem et proprium, quem hæreticum declaraverit, animo saltem retineant, imò et arreptâ occasione diffundant, alienos quos ementiri libuerit sensus, condemnationi subjicientes, sibique in interpretandis textibus, eam sibi vim intelli-

gendi, ac Spiritûs sancti opem adscribunt, quam universali Ecclesiæ, ab integro et ampliùs, ut ipsis placet, sæculo, deceptæ ac hæresibus patrocinanti, immisericorditer denegatam velint! Eâ ratione possent Ecclesiæ definitionibus illudere omnes ferè hæretici: nec posset apud populos Ecclesia quibuslibet damnandis quàm maximè perniciosis et Religioni et societati operibus, certam sibi fidem conciliare.

Quæ prompsimus, confirmari possunt apposito S. Pauli testimonio: *Ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò evangelistas, alios autem pastores et doctores.... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ.*

Expendendo libri alicujus sensu Ecclesia si posset errare, eumque fidelibus tanquàm sanum et orthodoxum proponere, qui fidei adversaretur, illum verò tanquàm hæreticum insectari, qui nullo modo coargui posset, nonne fideles nedùm confirmaret in fide, ab eâ eò magis abstraheret, quò essent paratiores ad obsequendum, atque omni eos adulterinæ doctrinæ vento ac ludibrio miserabiliter objiceret?

Hinc istæ ejusdem Apostoli ad Timotheum admonitiones: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, 1 ad Timoth. cap. 6, v. 20. *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide et dilectione, in Christo Jesu: bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis*, 2 ad Timoth. cap. 1, v. 13, 14.

Admonitum voluit charissimum discipulum Paulus, non posse custodiri depositum fidei absque sanorum verborum formâ, illiusque integritatem non posse cum inordinatâ et pravâ docendi ratione cohærere: numquid autem teneret Ecclesia sanam verborum formam? Numquid à pravâ docendi ratione declinaret, dùm libri sensum, vel orthodoxum reprobaret, vel approbaret heterodoxum, talibusque judiciis ut perpetuò fideles inhærerent, proposito anathemate imperaret?

Argumentum II. — Utrùm in declarandis factis dogmaticis infallibilitate valeat Ecclesia, vel utrùm in iisdem discutiendis errare possit, quæstionis id genus est verè dogmaticum, ejusque definitio pendet à verbo Dei scripto vel tradito: quâ autem ratione utitur Scripturarum ac traditionis interpres Ecclesia, ut se probet in definiendis dogmatibus infallibilem, eâdem testatum facit errare se non posse in declarando propositionum individuarum, vel librorum sensu. Namque undenam constat nobis persuasum habere Ecclesiam, sese in dirimendis de fide moribusque controversiis constitutam esse errori imperviam? Ex eo scilicet id nobis innotescit, quòd talibus velit obstrictos decretis fideles ad internum absolutumque obsequium, adhibendo plerùmque ipso anathemate, et præscripto nonnunquam juramento: at eamdem hanc incedit viam, nec minùs decretoriam judicandi formam adhibere solet, dijudicando librorum sensum, eorumque orthodoxiam vel heterodoxiam patefaciendo.

Quin etiam in utroque decretorum genere divinas adduxit promissiones, quibus ipsorum certitudinem immotamque auctoritatem vindicaret.

Insigne, quod infallibilitatis suæ nobis subministrat argumentum synodus quinta generalis, operæ pretium est speciatim animadvertere; quod ut meliùs perspiciatur, videndum est quam ob causam convocata et celebrata fuerit; deinde quâ ratione suam in factis dogmaticis asseruerit inerrantiam.

1° Non fuit convocata, novum ut dogma definiret, neque ut veterem aliquem errorem novo subjiceret examini; priores undecim quos edidit canones, quibus Arii, Eunomii, Macedonii, Apollinaris, Nestorii, Eutychetis et Origenis, confodiuntur hæreses, eò spectabant, ut malevolis aut præjudicatâ mente impingentibus, ansam criminandi præriperet, atque prioribus se quatuor generalibus conciliis firmiter adhærescere, publicâ fidei professione testaretur: per nova quæ tunc intulit anathemata adversùs errores jam solemniter totius Ecclesiæ judiciis profligatos, viam sibi parabat ad dirimendam efficaciùs, quæ ipsos inter Catholicos movebatur, de tribus capitulis controversiam: hæc fuit vera concilii convocationis et celebrationis causa. Hinc, ut narratur collatione illius octavâ, Diodorus archidiaconus et notariorum primicerius, synodi Patres sic alloquitur: « Quoniam ad hoc ipsum convenistis, « suggerimus ad quod placuerit. » Idem apertissimè testantur ipsimet episcopi: « Quoniam « igitur, inquiunt, videbamus quòd Nestorii « sequaces conati sunt per Theodorum impium « qui Mopsuestiæ fuit episcopus, et impia ejus « conscripta, et insuper per ea quæ impiè « Theodoretus scripsit, et per epistolam scele- « ratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Persam

« scripta esse, suam impietatem Dei Ecclesiæ « applicare, ideò ad eorum quæ movebantur « correctionem surreximus, et pro Dei vo- « luntate, et jussione piissimi imperatoris, « vocati ad hanc regiam urbem convenimus. »

2° Quod attinet ad infallibilitatem, quam sibi concilium in factis dogmaticis attribuit, exponunt œcumenicæ illius synodi Patres, quomodò Vigilium summum pontificem Constantinopoli tunc degentem, ad concilium invitaverint; tùm ut illum provocent, ad conferenda in communem eum ipsis deliberationem tria capitula, revocant eidem in memoriam, hæc in concilio Hierosolymitano Apostolorum verba : *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis*, etc. Illud etiam adducunt Christi Domini testimonium : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

Denique initio canonum quorum alii, ut indicavimus, viam sternunt ad componendam de tribus capitulis controversiam alii eam perspicuè dirimunt, sic præfantur : « His ita cùm « omni subtilitate dispositis, in memoriâ te- « nentes promissiones de sanctâ Ecclesiâ fa- « ctas, et qui dixit quòd *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, id est, hæreticorum « mortiferæ linguæ ; recordantes autem et quæ « per Oseam de eâ prophetata sunt, in quibus « dicit : *Et sponsabo te mihi in fide, et cognosces « Dominum*, hæreticorum quidem effrenatas « linguas, et eorum impiissima conscripta, et « eosdem ipsos hæreticos, qui usque ad mortem « in impietate suâ permanserunt, patri men- « dacii diabolo commemorantes, illis dicemus : « Ecce omnes vos ignem accendistis, » etc.

Ergo sua de tribus capitulis decreta, divinis esse innixa promissionibus arbitrati sunt Patres concilii generalis quinti; quid ad eorum elevandam auctoritatem, nonnulli eâdem obruti excuderint, mox aperietur ac planè dissolvetur.

Argumentum III. — Fatentur ipsi Janseniani, meritò et irreformabili decreto proscriptas esse quinque famosas Jansenio attributas propositiones, quamvis præfractè inficientur damnatam esse in illis doctrinam operis ab ipso exarati; attamen non magis revelatum est, quid usu recepto, et habitâ ratione communium grammaticæ legum significetur verborum contextu ex quibus coalescunt, quàm quid enuntietur exactis ad easdem regulas textibus ex quibus conflatur liber Jansenii; aut igitur Ecclesiæ detrahenda est in quinque propositionum condemnatione infallibilitas, aut illi attribuenda est in ipsâ condemnatione libri et doctrinæ Jansenii.

Perpetuo et absoluto decreto, ut quinque propositionum, ita et libri cui titulus, Augustinus, doctrina condemnata est ; neque minorem sibi labem aspergeret, minusque detrimentum subiret Ecclesia, libri orthodoxi reprobando ut hæreticas, quàm ut hæreticas proscribendo propositiones quæ essent orthodoxæ : quidquid enim judicaret interiùs, errorum nihilominùs patronam et asseclam se profiteretur, externis institutionibus et documentis, quæ sola innotescunt, solaque pro regulis credendi haberi debeant; itaque in dijudicandâ sive propositionis sive libri alicujus doctrinâ, errare non posset, quin hoc ipso gravissimum in rebus ad fidem pertinentibus, errorem fidelium animis instillaret, fideique depositum nedùm custodiret, interposito anathemate proscinderet.

Hoc unum discrimen assignare est condemnationem inter alicujus propositionis et condemnationem alicujus libri, quòd propositio sit brevis contextus, liber autem sit propositione longior : at quo pacto statueretur? Quâ probabilitatis specie fingeretur, Ecclesiæ longum aliquem textum interpretanti et reprobanti, internum posse denegari illud obsequium, quod eidem brevem textum adjudicanti exhibeatur? An quædam obversatur mensura, quædam longitudinis nota, quam si prætergrediatur aliquis textus, jam ita subtrahatur Ecclesiæ illius certò interpretandi copia et facultas, ut quamtùmvis publico et expresso de interpretatione et reprobatione ejusdem decreto, consentire mente et animo fideles non teneantur? Condemnationem igitur et Ecclesiæ anathemata effugere poterunt hæretici, dummodò errores suos verbosâ efferre locutione curaverint : nonne paradoxi instar haberetur, falli non posse Ecclesiam in propositionis seorsim sumptæ dignoscendo et proscribendo sensu, eamdemque errori obnoxiam fore in libri alicujus, qui non constat nisi ex diversis propositionibus, indagandâ et reprobandâ doctrinâ?

Certè ad inquirendum atque deprehendendum libri alicujus sensum, longè plura suppetunt, quàm in alicujus separatim tractandæ propositionis interpretatione; quot enim opportuna oriuntur, in libri examine, tum ex argumentorum serie et concursu, tum ex

interjectis ad extraneos sensus præcavendos adnotationibus, intentisque ad objecta refellenda variis conatibus! Nec minùs refert ad sanæ doctrinæ custodiam investigari ac patefieri lethiferum insidiosâ verborum congerie paratum, ac subdolè propinatum libri alicujus venenum jam divulgati latiùsque grassantis, quàm strictæ alicujus ac nudæ propositionis virus detegere ac in lucem prodere. Ergo vel dicendum est (id quod omnia evertit dogmatica Ecclesiæ decreta), definitionibus Ecclesiæ sive dispersæ, sive congregatæ, ad propositiones aliquas reprobandas attinentibus, solum deberi religiosum, ut nominant, silentium, saltemque abnegandam ipsi infallibilitatem, aut istud etiam inerrantiæ donum Ecclesiæ decretis adscribendum est, quibus libri alicujus doctrinam esse rejiciendam condemnandamque duxerit.

Solvuntur objecta.

Tres illa in classes distribuentur, quorum aliis impugnantur allatæ probationes, aliis ipsamet assertionum veluti substantia, alia demùm eruentur ex virorum aliquot catholicorum opinionibus.

Objectionum prima classis.

Objicies 1° : Ex celeberrimâ Christi promissione : *Euntes docete omnes gentes.... Et ecce ego vobiscum usque ad consummationem seculi*, colligi quidem potest tantæ esse auctoritatis decreta, quibus verbum sive scriptum, sive traditum, interpretatur ac depromit Ecclesia, ut ejus talibus judiciis ac definitionibus internum absolutumque debeatur obsequium, imò nec in illis errori unquàm subjaceat; hæc enim præcellens auctoritas atque inerrantia requiritur, ne quando contingat ab ipsâ deteri ac violari revelationis depositum, revocari à sano dogmate fideles, et contra Christi mandatum ac promissionem, lethalibus eas infici documentis : verùm ab operibus Jansenii, vel alterius privati auctoris, non pendet Scripturæ et traditionis auctoritas, neque catholicæ integritas fidei : immota hæc manet, ac jugiter manebit, etiamsi scateat erroribus liber Jansenii, aut cujuslibet alius; ad illius igitur vel similis operis interpretationem et expositionem, divina non pertinent promissa, quibus in docendo innititur, securaque stat Ecclesia.

Etverò, ut de libri alicujus orthodoxiâ vel heterodoxiâ decernatur, duo concurrant judicia necesse est : judicetur oportet quis sit libri sensus, et qualis sit ille sensus ; concedatur errare non posse Ecclesiam, judicando utrùm revelationi consentiat, vel utrùm eidem dissentiat sensus, quem in libris examini suo subjectis deprehendisse sibi videatur : alioquin et in expositione ipsius divinæ revelationis, ad cujus normam exigit doctrinam quam illis attribuit, errare posset : at in investigando quemnam exhibeant sensum, seu quid significent verba in ipsis usurpata, quid propositiones ex quibus conficiantur, quid series earum, et mutua connexio, id cùm sit factum multiplex merè humanum, minimè revelatum, atque inter quæstiones computandum, quas summus pontifex Pelagius II nuncupat *superfluas*, quas S. Gregorius Magnus, nullius existimat esse momenti, non opus est in iis dijudicandis ac solvendis, infallibilitate prædita sit Ecclesia, aut internum et absolutum, illis quæ tunc ediderit decretis, præstari velit aut jubere possit obsequium.

Resp. : Ad incolumem integramque servandam fidem, ad arcendos perniciosis ab erroribus fideles, uno verbo ad rectè ex Domini præscripto docendum, permagni refert, imò necessum est, ut certò dijudicare ac declarare valeat Ecclesia, quem sensum complectantur textus sive breves, sive prolixi; fac enim, id quod frequentiùs contigisse testantur annales ecclesiastici, fac erumpere et manare in vulgus librum avitæ fidei insidiantem, obvelatis mendaci eruditione refertum erroribus, revelationisque institutiones, dùm tueri videbitur, depravantem, atque per cuniculos subvertentem : opus illud continuis attollent laudibus novitatis amatores, paratos se jactantes Ecclesiæ in omnibus morem gerere, modò tamen grassari et invalescere patiatur librum, cujus doctrina *serpit ut cancer;* teterrimam luem interim per vicos et urbes latiùs diffundit; infirmos in fide rapit multos, nec leve aliis non paucis creat periculum; quomodò posset Ecclesia crebrescentibus malis mederi aut impendentibus occurrere, nisi posset certò discernere sensum longiorum textuum, seu librorum, undè passim magis ac magis hæc dispendia scaturire videantur? Illo autem in sensu dijudicando si falleretur Ecclesia, nonne pronum esset ut tanquàm hæreticum fidelibus ingereret textum orthodoxum, aut è contra tanquàm orthodoxum, textum hæreticum? Nedùm igitur ipsis catholicæ reseraret doctrinæ fontes, hæresim aliquando mentibus eorum offunderet, intentato nisi eam combiberent, anathemate : quâ in hypothesi susdeque haberetur christiana religio.

Ad Ecclesiæ munus sapientiamque pertinet expendere an librum aliquem discutere, ac de ipsius doctrinâ censorium proferre judicium expediat vel oporteat : verùm ab eodem libro ad examen vocando ac damnando, quamvis abstinere potuisset, absque fidei detrimento, fideliumque offensione, attamen de illo si dixerit sententiam, eumque anathemate licet ab erroris labe et contagio immunem, decepta perculerit, quantum ex tali decreto periculum, et damnum deposito fidei ac fidelium importaretur, quis non intelligat? Quam enim in partem tum proriperent se fideles? Num de ipsius Ecclesiæ judicio judicandum sibi putabunt, sibique præfidentes, nullum ejusdem decreti habendam esse rationem, aut idem etiam reprobandum? Id quidem si moliri attentarent, actum esset de supremo Ecclesiæ tribunali, et judicis controversiarum auctoritate; si verò Ecclesiæ sequantur sententiam, et quam libro adscripserit damnaveritque doctrinam, ipsi damnaverint, catholicam ergo doctrinam, si talem ille complectatur, abjicient et subjicient anathemati; sic eorum in deceptionem vergeret quam Ecclesiæ exhiberent, reverentia et sincerum obsequium.

De factis dogmaticis controversiæ ablegari non possunt inter illas quæstiones, quas *superfluas* nuncupat Pelagius II, aut *nullius momenti* Gregorius Magnus : idque mox explanandum curabimus, solvendis quæ synodi quintæ testimoniis objiciuntur ac auctoritati.

Senserunt ipsi Protestantes, quantùm ad fovendam inter membra Ecclesiæ, concordiam, retinendamque doctrinæ unitatem, valeat inconcussa in factis dogmaticis dijudicandis auctoritas : namque disciplinæ ipsorum cap. 5, artic. 31, statuitur ut si quis de aliquo doctrinæ capite, aut de formulâ catechismi (*sur le formulaire du catéchisme*), litem moverit, ille de tribunali ad tribunal superius deducatur, et nationali tandem repræsentetur synodo, cui nisi obsequatur suis abdicandis erroribus, ab Ecclesiæ corpore abscindatur.

Jam non semel explosum est, quod effutit auctor libri cui titulus : Via pacis, errare quidem non posse Ecclesiam decernendo qualis sit librorum dogmata tractantium sensus, seu utrùm consentiant necne verbo Dei, at ipsam errori esse obnoxiam, judicando atque denuntiando quis sit librorum sensus, seu quid textus illi ac propositionum congeries significent usu apud theologos recepto. Addere sufficiat appellatum auctorem, eam Ecclesiæ infallibilitatem affingere, quâ præditus diceretur medicus qui remediorum vim atque proprietates etsi compertas haberet, in illis tamen remediis adhibendis sic erraret quandoque, ut ægrotantibus resarciendæ contraria sanitati subministrando, interitum maturaret et adduceret. Eodem infallibilitatis genere donatus haberetur judex, qui regularum juris peritus, illarumque intùs tenacissimus, eisdem tamen ita nolens haud rarò abuteretur, ut innocentes pro sontibus plecteret, aut sontes pro innocentibus absolveret.

Objicies 2° : Generalibus in conciliis frequenter contingit ut simul et scripta, et illorum auctores ac patroni, eodem percutiantur anathemate; fatentur omnes infallibilem non esse Ecclesiam in factis merè personalibus : ergo, etc. Ephesinæ synodi actione primâ, post lectionem epistolæ Nestorii ad S. Cyrillum, omnes episcopi simul clamaverunt : « Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema « sit ; omnes Nestorii epistolam et dogmata « anathematizamus. » Idem videre est synodi quintæ generalis canone 12 de impio Theodoro, et impiis ejus scriptis. Idem pariter legere est in formulâ Martini V, approbante concilio Constantiensi, editâ de *personis, libris et documentis* Joannis Wiclefi, Joannis Hus et Hieronymi de Pragâ : hæc indicare hìc sufficiat quæ supra retulimus; alia ex aliis synodis colligere, in promptu positum est.

Resp. 1° : Frequenter etiam in conciliis, eodem sub anathemate conjungitur dogmatum ipsorum condemnatio cum personarum condemnatione : hoc cernitur in ipsis quæ objiciuntur, testimoniis ; numquid inde arguetur, ut in personis, ita et in dogmatibus judicandis carere infallibilitate universalem Ecclesiam?

2° In decretis quibus damnantur propositiones tùm in seipsis, tùm in sensus alicujus libri fatentur ipsimet Janseniani infallibilem esse Ecclesiam in proscribendo ipso propositionum sensu, licet contendant eam errare posse, et nonnunquàm erravisse, in sensu libri investigando : quid potiùs vetat quominùs in decretis, quibus et scripta, et auctor illorum simul anathematizantur, Ecclesia in condemnatione librorum sit infallibilis, quamvis falli possit in facto merè personali, seu in condemnatione personæ?

3° Cùm anathemate simul perstringuntur et theologicum aliquod opus, et auctor operis, tùm non eâdem ratione, non eodem certitu-

dinis genere, anathema cadere in librum et auctorem, haud temerè asseritur, sed gravibus apertisque discrimen illud nititur momentis. Namque perspicuis constat exemplis, ut puta decretis Alexandri VII, et bullâ *Vineam Domini*, libri doctrinam ita fuisse ab Ecclesiâ reprobatam, et fidelibus ad condemnandum, propositam, ut voluerit ac velit, quemadmodùm ostendimus, suis judiciis ac definitionibus, internum etiam impendi obsequium ; quin et concilii quinti generalis auctoritate probatum est, talibus eam in decretis munitam se credere, et protectam divinis promissionibus : at Ecclesia non judicat de occultis, ut ait Innocentius III, de Simoniâ, cap. 3. Nemo illi, nec ipsa sibi attribuit infallibilitatem, quæ ad abscondita cordium, ad intima auctorum sensa pertineat, neque nos jubet, ut certò persuasum habeamus pravâ et hæreticâ mente elaboratum esse opus, quod proscribendum arbitrata sit et proscripserit. Præterea, nulla suppetit ratio attribuendi Ecclesiæ infallibilitatem circa sensum personalem auctorum : sensus ille cùm in mente lateat, veram fidem bonosque mores, in aliis hominibus, nec depravare potest, nec labefacere : sensus autem verborum naturalis, tum propositionum, tum librorum, potest legentium, aut legentes audientium animos corrumpere, et à catholicæ dogmatibus Religionis avertere. Ideòque plurimi intererat, ad conservandas et revelationes et traditiones divinas, atque fideles in fide, rectisque componendæ vitæ institutis continendos, requirebatur auctoritas inconcussa et infallibilis.

Quapropter cùm simul et scripta et auctorem condemnat, absolutè pronuntiat heterodoxa esse scripta, revelationi repugnare, sinceroque animo esse abjicienda : auctorem verò decernit pro hæretico esse habendum, canonicisque obstrictum pœnis; nec vituperari meritò potest judicium illud vel sanctio, etiamsi fortè errori intùs auctor ille non adhæreret; namque eo ipso facti notorietate, ut de Theodoro Mopsuestuanensi episcopo constabat, compertum est ab eo qui accusatur, opus esse reipsà conscriptum quod à catholico dogmate abhorreat, eumdemque nedùm scripta sua retractare paratus sit, in eisdem contumaciter acquiescere; tunc procul dubio dignus est, qui censuris, aliisque plectatur animadversionibus, propter generatum fidelibus scandalum, irrogatam Ecclesiæ injuriam, spretam hanc Apostoli gentium regulam : « Corde creditur ad « justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. »

Inst. : In sensu ab auctore intento, damnatæ sunt famosæ quinque Jansenii propositiones; ergo Ecclesia, ut de scriptis, ita judicat de sensu personali. — Resp. : Intactam voluit esse Ecclesia personam Jansenii, qui morti proximus, sua sedis Apostolicæ judicio subjecit opera : cùm autem ipsa declarat se quinque propositiones proscribere in sensu ab auctore intento, loquitur de sensu verborum, ut diximus, proprio, in quem intendere censeatur auctor; at de sensu illo personali absolutè non judicat; duplex scilicet distinguitur auctorum sensus, qui dogmaticos ediderint libros, nempe personalis, seu internus, et naturalis, seu externus : sensus personalis ille est qui verbis libri, seu textu scripto enuntiatur secundùm communem et in Ecclesiâ receptam significationem ; hunc potest certò et infallibiliter dijudicare Ecclesia, quamvis certò detegere nequeat insidentem auctoris animo sensum; mente solet auctor cum suis scriptis congruere; idcircò usu venit, ut nomine ipsius designentur, et illi doctrina tribuatur quam præ se ferunt ; sed nemo sanus sibi persuaserit, posse citra revelationem, eâdem certitudine constare de arcanâ auctoris mente ac de scriptorum illius, propriâ et naturali significatione.

Objicies 3° : Esto Ecclesiæ definitionibus de factis dogmaticis interiùs et absolute sit obtemperandum, eaque infallibiliter pronuntiet, ubi agitur de factis dogmaticis, quæ clara sint et minimè implicata : talia erant facta quæ in synodo quintâ generali, et aliis nonnullis referuntur ac dijudicantur ; at verò in factis dubiis et contentioni subjectis, hærere ipsam Ecclesiam pronum est, atque à definiendo sibi temperare : quòd si de eisdem judicare, et decretum emittere voluerit, non aliud exigit obsequium, ac religiosum silentium ; hinc illud præstari sufficit Ecclesiæ decretis, quatenùs quinque damnatas propositiones attribuunt libro Jansenii, de quâ videlicet attributione tot et tantæ exarserunt controversiæ.

Resp. 1° : Suis de librorum orthodoxiâ, vel heterodoxiâ decretis jubet Ecclesia obtemperari, non propter textuum perspicuitatem et evidentiam, sed suam propter auctoritatem, perpetuumque Spiritûs sancti præsidium. Præclara certè obedientia, cujus præstandæ arbitros et judices nobis nosmetipsos constitueremus! tùm Ecclesiæ ipsius universalis judicio de factis domesticis parere oportebit, cùm eo ad trutinam revocato, eam alienum sensum pro genuino non usurpâsse videbitur!

Qui interno et absoluto dignam obsequio in dijudicandis factis dogmaticis auctoritatem in Ecclesiâ renuunt agnoscere, nisi ea sint clara et intellectu obvia, futurum non vident, ut illa ipsi auctoritas tùm denegaretur, cùm eâ maximè indigeret, ad præcavendas hæresis insidias, fidelibusque detegendum, fallentibus involutum verborum contextibus venenum : « Solent enim, ait S. Augustinus, epist. ad Pa- « scentium, num. 2, latebras suæ malæ defen- « sionis inquirere, qui contentionis sunt cupi- « diores, quàm veritatis. »

Quem ecclesiasticâ in historiâ vel leviter versatum lateat quàm captiosæ concinnatæ fuerint ab Arianis formulæ fidei? quos in Ariminensi præsertim synodo, inordinatâ locutione texuerint dolos? quàm ancipiti responsione, quàm sinuosâ æquivocatione, Pelagius Diospolitanæ illuserit synodo, cui præerat Eulogius Metropolitanus Cæsareensis!

Hinc S. Leo, epist. 6, de Pelagianorum reliquiis sic providendum statuebat : « Nihil in « verbis eorum obscurum, nihil inveniatur « ambiguum : quoniam novimus hanc istorum « esse versutiam, ut in quâcumque particulâ « dogmatis execrandi, quam à damnandorum « soliditate discreverint, nihil sibi sensuum « suorum æstiment esse non salvum. »

In probationibus nostris exempla factorum dogmaticorum, quæ ab universalibus dijudicata sunt conciliis, duximus inprimis à Nestorianismi, et trium capitulorum insignibus causis; illa autem facta, qui pro perspicuis, et vix olim controversis habita fuisse diceret, ille apertis et indubitatis facilè posset revinci testimoniis. De Nestorio hoc perhibet testimonium Ephesina synodus actione sextâ : « Ad tegen- « dam imposturam, usque adeò callidus fuit ut « quidam quoque sanctissimi episcopi occul- « tato errore ab eo decepti sint, eique sese « adjunxerint, qui actis illius subscripserint : « qui tàmen postea quàm dilucidè, quid senti- « ret, essent percontati, illumque suas blasphe- « mias retegentem comperissent, ab eo desci- « verunt, ac sanctæ synodo se adjunxerunt. » Illos inter episcopos de quibus loquitur generalis illa synodus, numerandus est speciatim doctissimus Theodoretus; de S. Cyrillo ita conquerebatur in epist. ad Andream Samosatenum episcopum : « Exigit autem subscriptio- « nem factæ dudùm damnationis, et ut ana- « thematizetur sancti episcopi dogma Nestorii : « scit autem vestra sanctitas, quòd si quis in- « discretè doctrinam anathematizet ejusdem « sanctissimi et venerabilis episcopi, idem est « ac si pietatem anathematizare videatur » (Apud Marium Mercatorem, parte 2.)

Quid hâc contestatione Nestorii aptius ad fucum vel ipsis litteratis faciendum? « Etiam « nunc evidentiore sermone, summâ voce « proclamo, quoniam sancta Virgo et Dei est, « et hominis genitrix, » aut istis ejusdem hæresiarchæ verbis : « Non habemus duos Chri- « stos, vel duos filios. »

De tribus capitulis à synodo quintâ generali condemnatis, quo animorum æstu, ante et post hanc synodum, ipsos inter Catholicos disceptatum fuerit tota conclamat illius historia : nemini tamen qui tunc illa scripta defendenda susceperit, pepercit sancta synodus : « Si « quis, inquit, defendit impium Theodorum et « impia ejus conscripta, etc., anathema sit. » Ita canone 12; legantur etiam canon. 13 et 14; apertius nihil cogitari potest isto Patrum ejusdem concilii decreto, collat. octavâ : « Fa- « ctâ autem à nobis et condemnatione contra « hæreticos, et eorum impietatem, necnon « etiam contra eos qui defenderunt vel defen- « dunt prædicta tria capitula, et permanserunt « in suo errore, vel qui permanent, » etc.

Resp. 2° : Quàm imprudenter, ad infirmandam Ecclesiæ summam in dijudicandis factis dogmaticis auctoritatem, Janseniani obtenderunt clara fuisse, vixque vocata in controversiam facta de quibus olim judicaverit, nec posse inde trahi exemplum ad condemnationem libri Jansenii! Audiatur auctor quatuor Epistolarum ad unum abbatem : « L'Eglise, inquit « ille, qui est faillible par elle-même dans le « discernement des textes, ne se trompe ja- « mais dans le discernement de ceux dont le « sens est notoire, fixe et avoué, tel qu'a été « dans tous les temps le texte de S. Augustin, « au lieu qu'elle peut se tromper dans le dis- « cernement d'un texte difficile et contesté, « tel que celui de Jansénius. »

Itane fixus, notorius, et omni tempore apud omnes in confesso fuerit sensus operum S. Augustini? de illâ scriptorum suorum generali evidentiâ, audiatur ipse S. doctor; ultimâ in parte libri de Gratiâ et libero Arbitrio lectores sic alloquitur : « Repetite assiduè librum istum, « et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem « non intelligitis, orate ut intelligatis; dabit « enim vobis Dominus intellectum. » In libro de dono Perseverantiæ, cap. 24, ita pronuntiat eximius idem gratiæ divinæ defensor : « Qui « legunt hæc si intelligunt, agant Deo gratias:

« qui autem non intelligunt, orent ut eorum « sit ille doctor interior, à cujus facie est « scientia et intellectus. » Evidentiæ quæ omnibus S. Augustini scriptis affingitur, consortium non patiebatur profunditas quæstionum quibus solvendis tùm incubuit : quantò minùs talis perspicuitatis universalem, constantemque notorietatem! Nonne certatim S. Augustini nomen et auctoritatem erroribus suis prætenderunt omnigenæ hæretici? Agmen duxerunt prædestinationi de quibus id testatur S. Prosper in Chronico, nec prædestinatorum hæresis quæ ab Augustini libris malè intellectis accepisse dicitur initium, his temporibus serpere orsa.

Ne moras innectamus retexendâ novatorum serie, qui patrocinium quærentes in scripta S. Augustini involârunt, satis sit illud referre, quod inter alia profiteri gestiebat Calvinus : « Augustinus ipse, inquiebat, adeò totus no- « ster est, ut si mihi confessio scribenda sit, « ex ejus scriptis contextam proferre, abundè « mihi sufficiat. »

Resp. 3° : Mirum sanè accidit, ut in exponendis S. Augustini operibus compertâ et notoriâ undequàque affulgentibus, ut objicitur, evidentiâ, viginti et ampliùs annos assiduo et pertinaci labore Jansenius contriverit, hoc tamen elucubratum tanto et laboris et temporis impendio commentarium, nobis exhibeatur ab hujusce interpretis defensoribus in adornandis evolvendisque argumentis versati, tanquàm opus intricatum et arduum explicatu, dùm apud eosdem passim increbuit et vulgò jactatur, in scriptis S. Augustini de prædestinatione et gratiâ operibus, nihil obversari nisi intellectu obvium, et notoriè perspicuum, si de ipsorum agatur interpretatione! undenam stupendum illud exoriatur discrimen, nisi ex eo quòd dogmata S. Augustini approbaverit Ecclesia, Janseniani autem commentarii doctrinam reprobaverit?

Resp. 4° : Increscit admiratio dùm cogitatur quo pacto fieri potuerit ut sectatorum Jansenii vel leviter litteratis, investigando ejusdem libri sensu minimè titubantibus, ab annis longè supra centum obcæcatâ penitùs mente Ecclesia, extraneos sensus pro vero et genuino, quidquid ingeminatis querelis, et multiplici explicatione admoneatur, accipiat, eumdemque continuo perstringat anathemate; incredibilem hanc cæcitatem, vel potiùs insaniam necesse est ut Janseniani libri vindices catholicæ attribuant Ecclesiæ, vel, quod christianus magis etiam refugit animus, contendant oportet, Ecclesiam tot ab annis pietatem omnem ita respuisse et aversari, ut Hipponensis Augustini doctrinam, in Jansenio Yprensi, sciens ac volens obstinato insectetur animo, eamdemque ut hæreticam condemnare non desinat, quam tot seculis, tàm studiosè approbaverit.

Resp. 5° : Id verò quod admirationem omnem superat, conclamant jugiter Jansenii discipuli, innumerisque libellis nituntur persuadere, merâ in quæstione facti totam versari de famosis quinque propositionibus controversiam, atque quod ad quæstionem juris attinet, decretis omnibus Ecclesiæ, tùm interiùs, tùm exteriùs spontè ac libenter se adhærere; attamen nullam de facto, totam de jure, in Jansenianismi negotio moveri controversiam, sic potest demonstrari, primo licet aspectu paradoxum id esse videatur.

Eumdem sensum, eamdem doctrinam si libro Jansenii attribuant, et illius discipuli, et ejusdem adversarii, consequens est, et necessariò confitendum, de quæstione facti inter utrosque certamen nullum institui : eorum autem in isto quæstionis genere consensionem, in promptu est quasi oculis subjicere. Adducamus in exemplum primam ex quinque damnatis propositionibus : « Aliqua Dei præcepta hominibus « justis volentibus et conantibus secundùm « præsentes quas habent vires, sunt impossibi- « lia, si deest quoque illis gratia quâ possibilia « fiant. » Hâc propositione negant Janseniani, negant et Antijansenistæ significari in sensu libri, absolutam impossibilitatem, quâ, sicut Calvino placuit, laborent omnes justi propter inhærentem, ut finxit, quibuslibet ipsorum operibus labem concupiscentiæ.

Docent Jansenistæ, fatentur et ultrò eorum adversarii, non propugnari à Jansenio, nisi *relativam et mutabilem* impossibilitatem invectam ab urgente hìc et nunc, terrenâ delectatione seu cupiditate, quæ cœlestem gradibus superet; episcoporum nemo, licet plurima edita sint documenta pastoralia, theologorum alicujus nominis nullus, licet contra Jansenismum elaborata sint opera multa, Calvinianum impossibilitatis genus, libro Jansenii attribuendum censuit : « A la verité, aiebant præsules, « Parisiis anno 1728 extraordinariè congregati, « les erreurs des cinq propositions tiennent « beaucoup de celles de Calvin, comme l'erreur « des demi-Pélagiens tenait beaucoup de celle « des Pélagiens; cependant, à prendre chacune « de ces propositions dans son sens propre et « naturel, on y trouve une erreur différente

« de celle de Calvin. » Sic primâ in propositione mox relatâ, impossibilitas quæ justis aliquibus secundùm præsentes vires conantibus tribuitur, manifestè differt ab impossibilitate quam justis omnibus, quocumque urgente mandato, et quibuscumque collatis gratiis, Calvinus adscripsit.

« Il n'est jamais venu en pensée aux Catho-« liques de dire que Jansénius enseigne les sens « hérétiques de Calvin, qu'on a fait voir que « ses disciples donnent aux cinq propositions. » Verba hæc sunt eminentissimi cardinalis de Byssi, in egregio suo contra Juenini Institutiones mandato, anno 1710. Hinc postea hanc eruit conclusionem : « Il est donc clair comme « le jour que les défenseurs, aussi bien que les « adversaires de Jansénius, conviennent du « sens de la doctrine qu'il enseigne. » Appositè monet, id quod invictè probavit doctissimus idem cardinalis, detorqueri à Jansenii defensoribus alienos in sensus, prædictas quinque propositiones, ne damnata videatur Jansenii doctrina, quantumlibet solemnibus definitionibus declaraverit Ecclesia, nullâ Calvianismi injectâ mentione, eas esse proscriptas in sensu ab auctore intento, cujus è libro eductæ dicebantur, nempe Jansenii. Insigni decreto docuit nos, fuisse damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum quem illarum verba præ se ferunt.

De hujusce sensûs expositione et attributione (nam opportunè et importunè id ingerendum est), consentiunt cum suis adversariis Jansenistæ, ut jam demonstravimus, quamvis ad quæstionem facti enitantur totam revocare controversiam; cùm ergo palam confiteantur non errare universalem Ecclesiam in factis dogmaticis minimè controversis (quod quidem, nisi ipsam prorsùs insanire dixerint, inficiari non possunt), omninò necesse est ut etiam agnoscant, eam non erravisse in explorando Janseniani libri sensu, quem decretis suis damnatum se voluisse ac velle, remotâ omni ambage testificata est. Denique desinant ita ratiocinari : Approbavit Ecclesia doctrinam S. Augustini; ergo non proscriptam voluit doctrinam Jansenii; hanc potiùs sibi constituant dissercndi rationem : Approbavit Ecclesia doctrinam S. Augustini, condemnavit doctrinam Jansenii; ergo S. Augustini dogmatum non interpres, sed corruptor habeatur Jansenius; atque scripta S. Augustini commendanti Ecclesiæ si credendum sit, eidem credatur solemnibus decretis configenti librum Jansenii.

Objicies 4° : Haud tantæ est quantæ vulgò putatur, auctoritatis synodus quinta, ideòque tanti non est ad extollenda Ecclesiæ in factis dogmaticis judicia. Ex solis constabat orientalibus episcopis, nec ei præesse voluit, qui tùnc Constantinopoli degebat Vigilius summus pontifex : synodum illam rejecerunt olim episcopi multi ex Africâ, Hispaniâ, Galliis, Hybernià, Dalmatiâ, Istriâ, etc., qui tamen à communione catholicâ non repulsi sunt ; patiebatur S. Gregorius Magnus silentio idem prætermitti concilium ; nam hujus cùm honorificè meminisset in litteris ad Theodelindam, Longobardorum reginam, alias dedit in quibus altùm de illo silet, veritus ne prioribus litteris regina ista offensa fuisset.

Resp. 1° : Gravem incurrat notam necesse est, qui synodi quintæ œcumenicitatem audeat negare, vel ambiguam facere : hanc enim agnoverunt catholici omnes theologi; confirmata est ab ipso Vigilio, ut patet ex ipsius ad Eutychium decretali epistolâ : ab ejusdem comprobata est successoribus Joanne III, Benedicto I, Pelagio I, Pelagio II, Martino I, ac præsertim à Gregorio Magno, qui præfatur, sicut Evangelii quatuor libros, quatuor concilia se suscipere ac venerari, addit, lib. 1, epist. 24, quæ est ad Joannem Constantin. : « Quintum quoque concilium pariter veneror. » Suffragio munita est conciliorum generalium sexti, septimi, etc., ipsâ in professione fidei, actione decimâ octavâ testatur synodus sexta generalis adhærere se *sanctis et universalibus quinque synodis*. Hæc sunt ejus verba ; similis à concilio Constantiensi sess. 39 edita est formula fidei : in professione à Romano pontifice emittendâ hæc leguntur : « Corde et ore pro-« fiteor, me firmiter credere et tenere sanctam « fidem catholicam, secundùm traditiones Apo-« stolorum et aliorum sanctorum Patrum, ma-« ximè autem sanctorum octo conciliorum « universalium, videlicet primi, Nicæni; se-« cundi, Constantinopolitani; tertii, Ephesini, « quarti, Chalcedonensis; quinti et sexti, Con-« stantinopolitanorum, » etc.

A multis quidem Occidentalium episcopis, diuturno tempore impugnata est quinta synodus : prudenti dispensatione usa est erga ipsos Ecclesia ; vibratum ab illâ synodo anathema suspensum voluit, ac pronuntiatum illud S. Augustini, epist. 22, aliàs 64, secuta est : « Non apertè, non duriter, non modo imperioso « ista tolluntur : magis docendo quàm juben-« do, magis monendo quàm minando; sic

« enim agendum est cum multitudine; seve-
« ritas autem exercenda est in peccata pauco-
« rum. »

Quantùm verò ferebant oblatæ occasiones, sapiensque et innixa charitate œconomia, operam impendebant summi pontifices, ipsorumque sententiæ adhærentes episcopi, quintæ ut synodi œcumenicitatem à præjudiciis, vanisque terroribus quibus multi laborabant, vindicarent : timebant enim qui è Catholicis illam confiteri recusabant, ne synodo Chalcedonensi adversarentur, quibus pròbatam fuisse epistolam Ibæ ad Marim Persam, in animum sibi errore facti induxerant. Saniorem ad mentem plurimos ex illis errantibus reduxit S. Gregorius Magnus ; tardiùs fuit apud Istrienses et Venetos compositum dissidium, ac tandem Sergii primi temporibus extinctum, ita referente patre Lupo Jansenianis non suspecto. Quis autem verè catholicus, illius œcumenicitatem synodi admittere dubitaret, quam in profitendam Oriens et Occidens assensione plenâ conspiraverint?

2° Quod objicitur infallibilitatem concilium illud tùm sibi tribuisse, cùm solis orientalibus constaret episcopis, id morari non debet : respiciebat enim tunc ad speratum sibi, promovendumque exitum ; concilium enim est quoddam totum morale et successivum, atque spectato tempore quo futurum est suis omnibus absolutum partibus, œcumenicitatem sibi vel ab initio celebrationis attribuit, quamvis haberi œcumenica non possit, debito si caruerit exitu. Eâdem ratione aliæ nonnullæ synodi, œcumenicitatem sibi jam tùm adscripserunt, cùm propter episcoporum ex quibus constabant paucitatem, nondùm possent universam repræsentare Ecclesiam.

Objicies 5° : Œcumenicas inter synodos computari nequit concilium definitionibus concilii Chalcedonensis contrarium : à quintâ synodo (quæ dicitur Constantin. secunda) reprobatur, interposito anathemate, epistola Ibæ ad Marim Persam ; hanc eamdem epistolam judicaverat esse orthodoxam synodus Chalcedonensis : approbationis illius gravia suppetunt argumenta ; actione primâ : « Paschasinus et Lu-
« centius, reverendissimi episcopi, et Bonifa-
« cius presbyter, tenentes locum sedis Aposto-
« licæ, per Paschasinum dixerunt : Relectis
« chartis agnovimus ex sententiâ reverendissi-
« morum episcoporum, Ibam reverendissimum
« innoxium appellari ; relectâ enim epistolâ
« agnovimus esse orthodoxum, et ob hòc de-
« cernimus honorem episcopatûs et Eccle-
« siam, » etc. Idem declaravit Anatolius Constantinopolitanus dicens : « Episcoporum qui
« judicaverunt fides, et lectio omnium horum
« quæ subsecuta sunt demonstrant innoxium
« Ibam reverendissimum ab accusationibus
« quæ illatæ sunt in eum. » Disertiùs etiam mentem suam aperuit Maximus, Antiochenus episcopus : « Ex iis, inquit, quæ mox relecta
« sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei
« illatis reverendissimus Ibas, innocens est
« repertus, et ex relecto quoque rescripto
« epistolæ, quæ prolata est ab eo qui adversa-
« rius ejus existit, orthodoxa ejus declarata
« est dictatio. » Talibus in testimoniis, ut videre est, ex ipsâmet epistolâ Ibæ relectâ et accuratè perpensâ, colligitur eum esse innoxium, orthodoxum, episcopatûs officiis præficiendum, donandumque honoribus. Post hæc testimonia, sententiam dixerunt quindecim episcopi, judicantes non esse condemnandum Ibam, utpote orthodoxum, deinde (id quod observandum est), omnes reverendissimi episcopi clamaverunt : « Omnes eadem dicimus. »
Hæc vèrba : *Omnes eadem dicimus,* nonne possunt referri ad ipsam epistolæ quam scripsit Ibas, approbationem? Hanc igitur eamdem cùm reprobaverit quinta synodus, alienam se profitetur à concilio Chalcedonensi evidenter œcumenico, nec locum inter synodos generales obtinere meritò videtur.

Resp. 1° : Approbatam esse à concilio Chalcedonensi epistolam Ibæ ad Marim Persam fingi non potest, nisi asseratur turpiter sibimet repugnare, atque in decernendo dogmate lapsam esse generalem hanc synodum, ut ostendit ipsa quinta synodus conferendo cum decretis concilii Chalcedonensis famosam illam epistolam : unam aut alteram duntaxat, ut brevitati consulatur, adnotationem quintæ synodi exscribendam duximus : « Chalcedonen-
« sis sancta synodus in definitione quam de
« fide fecit, prædicat Deum verbum incarna-
« tum, hominem factum esse, qui est Dominus
« Jesus Christus, unus de sanctâ Trinitate ;
« epistola eos qui Verbum Deum incarnatum
« et hominem factum esse dicunt, hæreticos
« et Apollinaristas vocat. Sancta Chalcedonen-
« sis synodus Dei genitricem sanctam Virginem
« Mariam prædicat ; epistola autem sanctam
« Virginem Mariam abnegat Dei genitricem :
« dicit enim : Quomodò possibile est accipi
« Deum Verbum, qui ab initio est, pro templo

« ex Mariâ nato? » Demonstrat quoque Pelagius II, epist. ad episcopos in Istriæ partibus constitutos, quantùm à comprobandâ Ibæ epistolâ synodus Chalcedonensis abhorreat, nec posse epistolam hanc approbari, nisi non solùm Chalcedonensis, verùm etiam Ephesinæ synodi decreta penitùs convellantur : unde hæc inter multa eloquitur : « Reprobe- « tur ergo una epistola mentiens, ne utra- « que sancta synodus tantæ falsitatis crimen « sustineat. »

Resp. 2° : Quidquid in causâ Ibæ factitatum sit actionibus 9 et 10 concilii Chalcedonensis, non nisi quoad sex priores ejus actiones, et conditos canones eisdem subnexos confirmata fuit hæc synodus à S. Leone summo pontifice : id testatur, probandumque curavit, ipsâ Chalcedonensem ad synodum epistolâ ; quod ex illius synodi duabus mox indicatis actionibus objicitur, non apud Romanam Ecclesiam, non apud cæteras occidentales Ecclesias auctoritate valuit : non est ergo cur tantoperè nobis obtendatur epistola Ibæ, quasi totius Ecclesiæ decreto fuisset approbata.

Resp. 3° : In conciliis, ut adnotat ipsa quinta synodus, non unius vel secundi interlocutionem attendere oportet, sed hæc quæ communiter ab omnibus, vel amplioribus definiuntur. At præter episcopos admodùm paucos, et quorum solus Maximus Antiochensis episcopus orthodoxàm Ibæ epistolam declaravit, cæteri nedùm approbandum impium illud scriptum judicaverint, hunc ab episcopali dignitate non esse amovendum ideò statuunt, quia ipsum impietatis pœnituisse existimatum sit, anathema dixerit Nestorio, atque sancti Leonis epistolæ, et concilii definitionibus tandem adhæserit.

Post appellatum Antiochensem præsulem, cujus retulimus sententiam, « Juvenalis reve- « rendissimus Hierosolymorum episcopus di- « xit : Qui convertuntur, hos Scriptura divina « suscipi jubet; quapropter et eos qui ab « hæreticis revertuntur suscipimus; unde per- « video reverendissimum Ibam impetrare cle- « mentiam, quia et senex est, ut habeat epi- « scopatûs gradum orthodoxus existens. »

Thalassius reverendissimus episcopus Cæsareæ Cappadociæ dixit : « Cùm reverendissimi « episcopi Photius et Eusthatius causam Ibæ « inquisierint, et eum non condemnaverint, « horum sententiæ inhærens, volo permanere « eum in sacerdotio, sicut et sanctissimis præ- « sulibus visum est, maximè quia in gestis « promisit se anathematizaturum illa quæ ac- « cusatores deposuerunt adversùs eum ex scri- « pto, » etc. Tomo 4 Conc. Consuli possunt episcoporum singula suffragia, quæ omnia hìc exscribere instituti nostri ratio non patitur.

Quod autem spectat ad istam objectionis partem : « Omnes reverendissimi episcopi cla- « maverunt : Omnes eadem dicimus, » communem istum consensum non pertinere ad comprobandam Ibæ epistolam, colligitur apertè ex prætermissis in objectione verbis proximè sequentibus : « Nestorium modò ana- « thematizet. » Quâ factâ declaratione, statim « Ibas reverendissimus episcopus dixit : Et jam « in scripto anathematizavi Nestorium, ejusque « dogma, et nunc anathematizo eum decies « millies : quod enim semel cum satisfactione « fit, si fiat decies millies, non contristat : « anathema ipsi Nestorio et Eutychi, et unam « dicenti naturam ; et omnem eum qui non « sapit sicut hæc sancta synodus, anathema- « tizo. » (Eodem tomo.)

Itaque epistolam Ibæ synodus Chalcedonensis non approbavit, ut catholicam, sed relectâ ejus epistolâ, ipsum orthodoxum declaravit, quæ duo valdè diversa sunt, et sedulò distinguenda : impia quidem est et hæretica judicio quinti concilii, Ibæ epistola : sed Ibas judicatus est orthodoxus, propter illa quæ palam exhibuerat retractationis et pœnitentiæ signa. Cæterùm, tria capitula nec probavit, nec improbavit synodus Chalcedonensis; suum de illis suspendit judicium, et solummodò in communionem adscivit Theodoretum et Ibam, cùm anathema dixissent Nestorio.

Objicies 6° : Fortè declarat Pelagius II, ut etiamsi epistolam Ibæ approbavisset concilium Chalcedonense, illam tamen liceret unicuique redarguere et abjicere : ergo existimat synodi ipsius generalis definitionibus de facto dogmatico neque tribuendam esse inerrantiam, neque internum et absolutum deberi obsequium: « Quamvis, inquit, ab eâdem epistolâ alienum « se Ibas respondeat ; quamvis quia approbata « sit, aut difficulter aut nullatenùs demonstre- « tur, licenter tamen unusquisque eam repre- « henderet, etiamsi episcopi in eodem concilio « residentes, suis illam subscriptionibus ap- « probâssent. » Ad hanc declarationem aditum sibi paraverat adductis istis Leonis Magni verbis ex ejus epist. ad Maximum urbis Antiochenæ antistitem. « Quidquid præter speciales « causas synodalium conciliorum ad examen

« episcopale defertur, potest aliquam dijudi-
« candi habere rationem. » (Tomo 5.)

Resp. 1° : Ad solvendam hanc, et perspicuè diluendam difficilem specie tenùs objectionem, attendatur diligenter oportet inculcari iterùm atque iterùm, et accuratè probari, aliter longè sentiendum esse de sex prioribus Chalcedonensis synodi actionibus, ac de cæteris : quoad primam partem, seu priores illius actiones, œcumenicam illam fuisse profitetur Pelagius, eamdemque à S. Leone confirmatam ; unde summo studio contendit ab eâ synodo in illis actionibus nec approbatam fuisse epistolam Ibæ, nec potuisse approbari : « Quisquis igitur,
« inquit, qui epistolam quæ Ibæ dicitur, osten-
« dere quòd sit de synodo nititur, quid aliud
« quàm gesta ejusdem synodi destruere cona-
« tur? Si enim sibimetipsis diversa sunt, nullâ
« procul dubio auctoritate subsistent ;... sed
« absit hoc, absit ab illo venerando concilio,
« ut sibimet contraria sapiat, et vel superiora
« subsequentibus discordia præferat, vel infe-
« riora præcedentibus impugnatura subjun-
« gat ! sancta enim fides, quæ uno illic spiritu
« accepta est, uno sensu credita, unâ est et
« fide (fortè legendum est, *voce*) prædicata. »

Ex illo Pelagii II testimonio, epistolam Ibæ si orthodoxam judicavisset synodus Chalcedonensis, tota dilapsa fuisset ipsius auctoritas, atque violata prorsùs fidei unitas, tum et sancta fidei adulterata prædicatio : potuitne summus ille pontifex significare apertiùs, non posse ab Ecclesiâ tanquàm orthodoxum proponi textum qui esset hæreticus, nec in eo condemnando errare posse, sive sit brevis, sive prolixus?

At in secundâ parte concilii Chalcedonensis seu in actionibus sex priores subsecutis, synodum illam asserit Pelagius II non fuisse à S. Leone confirmatam, ideòque non esse censet generalis concilii auctoritate præditam post sex priores actiones ; hinc post relata in objectione verba, continuò subjungit summus ille pontifex : « Quia postquàm beato Leone scribente,
« jus retractandi et dijudicandi conceditur,
« etiamsi qua esse poterat eorum qui interfue-
« rant, in privatis negotiis auctoritas, vacua-
« tur. »

Non eò loci quærendum est utrùm ad œcumenicitatem concilii absolutè requiratur summi pontificis confirmatio : agitur de mente et sententiâ Pelagii secundi, quæ aperta est, et perspicua ; non aliâ de causâ declaravit posse retractari quæ in synodo Chalcedonensi, post sex priores actiones gesta sunt, quàm quòd confirmatione S. Leonis caruerint, nec ea judicaverit concilii œcumenici decretis annumeranda : hæc reipsà, ut supra observavimus, non apud Romanam Ecclesiam, non apud cæteras occidentales Ecclesias, inter acta synodi generalis numerata sunt.

Resp. 2° : Ab epistolâ Pelagii II qui impugnari Ecclesiæ in factis dogmaticis inerrantiam jactaverint, illi non intelligunt, aut dissimulant, hanc sibi, nedùm sit præsidio, maximè adversari : nam præter argumenta quæ jam exposuimus, ex eâ liquidò colligitur, in eo pariter consensisse trium capitulorum et impugnatores et defensores, ut concilium œcumenicum, ac proinde Ecclesiam in dijudicandis factis dogmaticis errare non posse profiterentur ; idcircò enim quintæ synodi quæ tria damnavit capitula, auctoritatem abjiciebant episcopi illi quos revincendos susceperat Pelagius II, quia falsò sibi in animum induxerant, concilii Chalcedonensis definitionibus, condemnationem illam repugnare, quas meritò credebant immotas manere et inconcussas. Latini quippe homines et Græcitatis ignari, ut loquitur Pelagius II, putabant tribus capitulis patrocinari synodum Chalcedonensem, cujus decretis nefas esset obluctari : profitebatur sicut illi Pelagius II ab ejusdem synodi definitionibus non esse resiliendum, nec quidquam eorum posse in suspicionem erroris vocari, quæ sex prioribus in actionibus constituta sunt : « Per ea, inquit, quæ piæ
« memoriæ Justiniani imperatoris acta sunt,
« fraternitas vestra suspicatur sanctam Chalce-
« donensem synodum fuisse convulsam : sed
« absit hoc à christiano opere, à christianâ
« cogitatione. In ipsâ quippe Nicænâ, ac Con-
« stantinopolitanâ prima synodus Ephesina
« firmata est : et quisquis illam parte aliquâ
« convellere nititur, illas nimirùm funditùs,
« quæ per hanc firmatæ sunt, destruere
« conatur. »

Nec minùs Istrienses increpat episcopos, propter eorum in repudiandâ quintâ synodo indomitam contumaciam, eosque Ecclesiæ discindere unitatem, et ab ejus communione exulare declarat : « Scio, inquit, et vos stan-
« tes extra caulas ovium : non demptis fructi-
« bus palmites attendo, sed abscissos à radice
« vitis aspicio. »

Instabis : Pelagius II ad Istriæ episcopos epistolâ 2, sic eos alloquitur : « Si cum studio cha-
« ritatis, quæ à nobis scribuntur, cum timore
« Domini sollicitè vigilanterque relegetis, facilè

« sentietis, quantum sit periculum pro super-
« fluis quæstionibus.... tamdiù ab universali
« Ecclesiâ segregari. »

Ipse S. Gregorius Magnus dixit in epist. ad Constantium Mediolanensem, pro nullâ re scissuram factam esse.

Primâ in epist. ad Istriæ præsules dixerat Pelagius II : « Specialis synodalium concilio-
« rum causa est fides : quidquid ergo præter
« fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia
« nihil obstat, si ad judicium revocetur. »

Ex his omnibus infertur inanes habendas esse, nullius momenti, nec specialibus conciliorum causis accensendas quæstiones de epistolâ Ibæ similibusque factis ; neque igitur in illis definiendis posse attribui synodo generali infallibilem auctoritatem.

Resp. 1° : In argumentum adhuc assertionis nostræ vertuntur ea quæ eò loci ad eam rescindendam afferuntur : namque, ut mox audivimus à Pelagio II, « quidquid præter
« fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia
« nihil obstat, si ad judicium revocetur, »
et idem summus pontifex totis viribus contendit, epistolam Ibæ, quia orthodoxæ contraria est doctrinæ, approbari non potuisse à synodo Chalcedonensi ; illis in actionibus, quibus in solis œcumenicam et irreformabilem ipsam habuit. Id supra disertis ejus testimoniis demonstratum est : ergo judicavit in factis dogmaticis, qualis erat epistola Ibæ, Ecclesiam esse infallibilem.

2° Post hæc verba in objectionem adducta : *Quantùm sit periculum pro superfluis quæstionibus*, etc., leguntur illa : *Et hæreticorum defensione capitulorum.* Quis verò cogitaverit, habendam esse, aut à tribus appellatis pontificibus habitam esse tanquàm superfluam, nulliusque momenti quæstionem, quæ ad hæresim propulsandam, extinguendamque pertineat ?

3° Dùm attendit Pelagius II ad actiones concilii Chalcedonensis, quæ post sextam celebratæ sunt actionem, loquitur, sed obiter, sed hypotheticè de ipsâ Ibæ epistolâ, et fore affirmat, quemadmodùm retulimus, ut etiamsi ab illius Patribus synodi comprobata fuisset, eorum tamen judicium posset retractari, quia non fuerint confirmatæ auctoritate S. Leonis illæ actiones, in quibus approbatam esse jactabatur, quamvis hanc in ipsis datam esse approbationem, aut difficulter, inquit, aut nullatenùs demonstretur.

Quas autem vocat superfluas quæstiones, illæ referebantur ad causas de personis ; versabantur in privatis negotiis. « Apertè, inquit,
« licentia tribuitur, ut quidquid illi, (in con-
« cilio Chalcedonensi,) extra fidei causas, de
« personis gestum est, retractetur. »

« Postquàm beato Leone scribente jus retra-
« etandi et dijudicandi conceditur, etiamsi qua
« esse poterat, eorum qui interfuerant, in
« privatis negotiis auctoritas, evacuatur. »

Causæ autem illæ de personis, et privata negotia in eo erant posita, ut expenderetur, an mortuis dici possit anathema, et libri damnari debeant, appellato nomine auctorum qui in pace Ecclesiæ obierunt. Utrùm etiam absolvi debeat Ibas et episcopali dignitate perfrui, quæ videlicet quæstiones comparatè ad fidem, parvi esse momenti videantur, neque ansam præbere Ecclesiæ conturbandæ et abrumpendæ unitati.

Objic. 7° : Suum de libris judicium retractari quandoque permittit Ecclesia ; illustre inprimis concessæ hujusmodi facultatis suppeditat causa Origenis ; damnatus fuit cum scriptis suis à synodo quintâ generali : « Si quis, in-
« quiunt Patres illius synodi, non anathemati-
« zât Arium, Eunomium, Macedonium, Apol-
« linarem, Nestorium, Eutychem, Orige-
« nem, cum impiis eorum conscriptis, et alios
« omnes hæreticos qui condemnati et ana-
« thematizati sunt à sanctâ, catholicâ et apo-
« stolicâ Ecclesiâ...., talis anathema sit; » tom. 5 Concil., p. 575.

Iterùm proscriptus est Origenes à summis pontificibus Vigilio, Pelagio II, Leone II ; perculsus fuit anathemate à Martino I, in concilio VI Lateranensi. Defensionem celeberrimi illius auctoris nihilominùs susceperunt Picus Mirandolus, Sixtus Senensis, Genebrardus, P. Halloixius, qui prolixam edidit Origenis apologiam, necnon ex parte, doctissimus Huetius ; eumdem Origenem ab hæresi Arianâ vindicare licet in sacrâ facultate Parisiensi. Apologetica hæc opera quo pacto conciliari possint cum Ecclesiæ in factis dogmaticis absolutâ infallibilitate ?

Resp. : Multiplex suppetit ratio defendendi Origenis, quæ culpâ vacat, neque judiciorum Ecclesiæ labefactat auctoritatem : 1° Si dicatur posse ab hæresis crimine, licet non ab errore per se condemnando, scriptorem illum excusari ; aberrare à catholico etiam dogmate, nisi adjuncta sit pertinacia, non satis est, ad incurrendam hæresis notam ; pertinacem autem fuisse Origenem in errore ab Ecclesiâ profligato, non ita constat, ut id negari aut in dubium vocari non liceat.

2° Intactâ quæ debetur judiciis Ecclesiæ in factis dogmaticis obedientiâ, propugnari, potest, adulterata fuisse ab hæreticis, ut patronum sibi adsciscerent, plura Origenis opera; quæstio hæc est merè personalis : ita olim excusatum voluerunt Rufinus et Joannes Hierosolymitanus; ita è recentioribus Sixtus Senensis, Genebrardus, et alii non pauci : diximus *plura*, sed non omnia Origenis opera : ut enim disserit S. Hieronymus in epist. 65 ad Pammachium et Oceanum, de erroribus Origenis : « Si unus violatus est liber, num uni- « versa ejus opera quæ diversis et locis et tem- « poribus edidit, simul corrumpi potuerunt? « Ipse Origenes in epistolâ quam scribit ad Fa- « bianum Romanæ urbis episcopum, pœniten- « tiam agit, cur talia scripserit. »

3° Impunè et innocenter asseri potest divinitatem Verbi divini non esse inficiatum Origenem, neque illum aberrâsse in exponendo sanctissimæ Trinitatis mysterio : ut enim observat inter alios Carolus d'Argentré in appendice ad elementa theologica, quamvis S. Hieronymo, Justiniano imperatori, multisque aliis, valdè suspecta fuerit Origenis de Verbi divinitate fides, nullum tamen Ecclesiæ decretum extat, quo manifestum sit, eum propterea damnatum fuisse, quòd Filii divinitatem impugnaverit. Neque illum læsi dogmatis hujus arguit Justinianus imperator, in epistolâ quam dedit ad Patres quintæ synodi, ut ejus errores proscribendos curarent.

At in suscipiendo Origenis patrocinio peccarent, atque auctoritati Ecclesiæ detraherent, qui Ecclesiam contenderent, aut suspicarentur errâsse in investigandâ vel reprobandâ scriptorum doctrinâ, quam in delatis sub Origenis nomine damnandam judicaverit.

Temerè, ut adnotat illustrissimus Huetius, faciunt qui Apologiis suis de omni errore studeant purgare Origenem in Origenianis. Neque sibi aut eidem Origeni consulerent, qui rectè defensum eum putarent, quòd privatas suas opiniones, ut obtendunt, quasi Ecclesiæ dogmata non tradiderit : numquid inculpatus habendus esset, qui communem Ecclesiæ doctrinam privatis vellicaret opinionibus, quamvis eas pro certis non ostentaret dogmatibus?

Objicies 8° : Inter hæreticos numeravit Honorium sexta synodus, eumdemque simul anathemate perstrinxit : *Sergio*, inquit, *hæretico anathema*; *Honorio hæretico anathema*, actione (13.) Instaurari ejus litteris *falsas doctrinas hæreticorum* declaravit (actione 16). Attamen sæpè sæpiùs eas ab omni hæreseos labe conantur eximere catholici theologi : ergo possunt ad examen revocari synodi generalis decreta de factis dogmaticis.

Resp. : Utrùm reipsà tanquàm propriè hæreticus damnatus fuerit Honorius, vel tanquàm hæresis fautor duntaxat; utrùm etiam tanquàm hæreticæ habendæ ipsius litteræ, expendetur suo loco, ubi de infallibilitate quam romano pontifici attribuunt Ultramontani; nunc autem sufficit animadvertere : 1° Catholicis è theologis qui litteras Honorii arbitrantur esse immunes ab errore Monothelitarum, illos diffiteri à sextâ synodo illum esse damnatum tanquàm propriè hæreticum; tum et qui volunt ipsum esse ab illâ synodo proscriptum tanquàm monothelismi doctrinâ contaminatum, illos non aggredi hæreseos notam ab ejusdem litteris abstergere. De sententiâ Baronii, Bellarmini, Petavii, etc., dicemus in refellendâ tertiâ objectionum classe.

2° Ut facto Honorii detraheretur Ecclesiæ infallibilitati in factis dogmaticis, hæc duo confluere oporteret; hoc est, demonstrandum foret, damnatas esse à sextâ synodo generali epistolas Honorii ad Sergium, eâdemque nihilominùs in hypothesi licitum esse, illas tanquàm hæreticæ labis expertes essent, defendere; at hæc duo simul nequidem possunt Jansenianis cum principiis cohærere : namque profitentur Ecclesiæ decretis de facto dogmatico religiosum, ut vocant, deberi silentium, quod certè ab iis non præstaretur qui scriptis aut voce contenderent, inustam esse à sextâ synodo epistolis Honorii maculam hæresis, in eâque infligendâ illis notâ synodum illam generalem erravisse.

Deinde post diserta anathemata generalibus ab ipsis conciliis in eos vibrata, qui damnatos ab illis synodis libros tueri adoriantur, post decretum Alexandri VII et Clementis XI bullam *Vineam Domini*, quis, nisi auctoritatis Ecclesiæ contemptor, audeat factum dogmaticum, quale est factum Honorii, propugnare, quamvis propter illud putaret districtum esse censuræ gladium, ipsius universalis Ecclesiæ auctoritate? Num fingere possimus talem concessam aut concedendam facultatem ab Ecclesiâ, nisi eam evidenter et ultrò sibimetipsi repugnantem induxerimus?

Quapropter (et id inculcare præstat), si qui post prædicta decreta inter theologos promissum fuisse divinitùs Ecclesiæ infallibilitatis donum in factis dogmaticis non agnoverint, illi tamen

in hujusmodi factis profitentur exhibendum esse internum absolutumque assensum, ea condemnanti vel approbanti Ecclesiæ, nec proinde licitum esse pro factis dogmaticis decertare, quæ ipsa reprobaverit; in eo falluntur, quòd ad perpetuum illud et inconcussum interius obsequium, eam sufficere existiment moralem ac naturalem, quam Ecclesiæ adscribunt, inerrantiam.

Objicies 9° : Ignorare non potuit Clemens IX summus pontifex, libri Jansenii iteratæ condemnationi, non nisi adhibitâ *juris à facto* distinctione, subscripsisse quatuor episcopos, Alectensem scilicet, Apamiensem, Andegavensem et Bellovacensem : hanc ab illis usurpatam esse distinctionem, planum faciebat declaratio inprimis episcopi Catalaunensis, qui testabatur eos eatenùs decretis Ecclesiæ de facto Janseniano esse obsecutos, quatenùs sese pollicerentur nihil dicturos, scripturos ac tradituros, quod talibus adversaretur definitionibus ; restrictionem hanc nonne admisisse censeatur Clemens IX, cùm pacem illis concesserit, eosque ecclesiasticæ communionis dignos judicaverit?

Resp. : Utrùm reipsà cognoverit, aut saltem suspicatus fuerit Clemens IX, quatuor appellatos episcopos non subscripsisse, nisi factum distinguentes à jure, et quod attinet ad factum, religioso solùm silentio sese obstrictos voluisse, id latè disceptatur in tractatu de gratiâ : at, eâ prætermissâ discussione, in promptu est clarè et breviter ostendere, ex toties celebratâ pace Clementis IX extundi nihil posse, quod evincat Ecclesiæ de facto aliquo dogmatico definitioni satisfieri per silentium religiosum. Namque 1° solemnis et universæ munita Ecclesiæ consensu constitutio Alexandri VII, de purâ et simplici subscriptione, infringi atque rescindi non potuisset privatis brevibus, nec fidelium societati propositis, nec auctoritate Ecclesiæ confirmatis; prævaricatio igitur, non vera lex, haberetur breve à Clemente IX missum quatuor ad episcopos, si religiosum statueret sufficere silentium.

Præterea eodem brevi summus ille contestatur pontifex, ideò pacem et communionem illis se impertiri, quia significaverint sese summorum pontificum decretis de facto Jansenii, nullâ interpositâ restrictione subscripsisse : « Cùm, ait, ingenti, obsequii nobis et « huic sanctæ sedi per vos debiti testatione si- « gnificabatis, vos juxta præscriptum litterarum « apostolicarum sincerè subscripsisse et sub- « scribi fecisse formulario. »

Tum quibusdam interjectis addit : « Nam « prædecessorum nostrorum constitutionibus « firmissimè inhærentes, nullam circa illud « exceptionem aut restrictionem admissuri un- « quàm fuissemus. »

Hæc commentario non indigent : porrò, ut notum est, quidquid sit de privatâ judicis, aut contrahentium sententiâ, publicis monumentis conditiones judiciorum vel contractuum enuntiantibus credendum est potiùs ac standum, quàm reconditis ac lucifugis actis et instrumentis : id necessariò postulat publicæ omnis administrationis ordinata ratio.

Denique si brevi Clementis IX perfringi potuisset solemnis atque orbi catholico probata constitutio Alexandri VII, exauctorari illud etiam debuit per bullam *Vineam Domini* dogmaticum universalis Ecclesiæ decretum, quo tam expressè declaratum est, ejus de libri alicujus doctrinâ judiciis satis non fieri per religiosum silentium.

Alia quædam paucis explicantur.

Jam adnotavimus vocem, ὁμοούσιον, *consubstantiale*, non eodem sensu rejectam fuisse à synodo Antiochenâ, quo eam approbavit et consecravit concilium generale Nicænum; hanc repudiaverat Antiochena synodus, ad confodiendum efficaciùs errorem Pauli Samosateni ; hanc admisit et tanquàm fidei tesseram commendavit concilium Nicænum, ad asserendam pressiùs Verbi divinitatem, præcludendumque significantiùs aditum versutiis, cavillationibusque Arianorum : id verò ex utriusque synodi scopo et doctrinâ facile est intellectu, nec reipsà inter se dissident. Quod sic admonuit S. Hilarius lib. de Synodis : « Hujus et « illius concilii Patres, vocem eamdem pro- « bando et improbando, unum utrique statue- « runt. »

2° Similiter vocem, Χριστότοκος, *Mater Christi*, non abjecit concilium Ephesinum, sensu proprio et naturali explicatam, sed eo quem ipsi affingebat Nestorius, excludendo nimirùm, vocem, Θεότοκος, *Mater Dei* : ita enim volebat Christi Matrem appellari Mariam, ut ex eâ genitum esse Verbum Dei negaretur.

3° Hanc propositionem ; *Unus ex Trinitate passus est*, nunquàm damnavit absolutè Hormisdas, sed monachorum Scythiæ proterviam comprimere voluit, qui ex albo fidelium expungebant atque Nestorianæ insimulabant hæresis quotquot recusarent illi propositioni sub-

scribere, quam pravum in sensum detorquebant Eutychiani.

4° Nequidquam objicitur Cœlestii Pelagiani reprobatum à synodo Carthaginensi libellum, approbatum esse ab Hormisdâ : nam præterquàm quòd judicio illi nunquàm consenserit Ecclesia, sic responderi potest cum sancto Augustino l. 2 ad Bonifacium, cap. 3 : « In « homine acerrimi ingenii (Cœlestio) qui pro« fectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, « voluntas emendationis, non falsitas dogmatis « approbata est, et propterea libellus ejus ca« tholicus dictus est, quia hoc catholicæ mentis « est, si quâ forte aliter sapit quàm veritas exi« git, non ea certissimè definire, sed detecta « ac demonstrata respuere. »

Sedis Apostolicæ judicio sententias suas dijudicandas offerre se profitebatur Cœlestius, ut « si fortè, inquiebat, hominibus quispiam « ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ « corrigatur. »

Objectionum secunda classis, quæ ad ipsam rei substantiam, genuinamque explicationem maximè pertineant.

Objic. 1° : Exponi atque intelligi non potest quo fidei genere credi oporteat, infallibilem esse in definiendis factis dogmaticis Ecclesiam, neque etiam quo mentis assensu tenendum sit, talia esse facta id genus, individua, qualia definierit : v. g. hæreticum esse illum determinatè librum, quem à fidelibus ut hæreticum repudiari voluerit : si dicatur divinâ fide credendum esse dijudicari infallibiliter ab Ecclesiâ, librorum sive perspicuum, sive latentem sensum, pronum erit ut hæresis nota quibusdam inuratur theologis, quos tamen è Catholicorum numero expungere non audeas : ubi enim vel in Scripturis, vel traditione extat, de illâ infallibilitate expressa definitio?

Quod autem spectat ad individua facta dogmatica, id non fert conditio fidei, nec ipsa illorum natura, ut credantur divinâ fide, cùm ea divinitùs revelata non sint, nec possit Ecclesia novos condere articulos fidei : invenias quidem nonnullos theologos qui fidem quam vocant ecclesiasticam excogitaverint, eamque ad facta dogmatica, prælucente Ecclesiæ definitione, accommodari putaverint; sed ad certitudinem dignitatemque divinæ fidei assurgere id fidei genus non valet; humanæ assensionis ultra limites non progreditur, quam fluctuare incertam necesse est, atque in errorem aliquando impingere.

Resp. 1° : Illud inprimis animo est recolendum, quod in definitionibus de factis dogmaticis principem locum obtinet, illudere illos Ecclesiæ auctoritati, atque extra viam salutis divagari, qui talibus decretis internum et absolutum consensum præbere noluerint: id jam cùm probaverimus, satis est revocare in memoriam.

Ad ea quæ in objectione recensentur, elucidanda distinctè aggrediendum est : 1° pro certo tenemus, divinâ fide constare, infallibilem esse in dijudicandis factis dogmaticis Ecclesiam : immediatâ enim revelatione perspectum est Ecclesiam docendo errare non posse, nisi exciderint absoluta Christi promissa : docere autem nullo modo potest nisi vivâ voce aut scripto proferendis textibus, eisque vel approbandis vel reprobandis; nihilque interest ad infallibilitatis absolutæ donum, utrùm breves sint an prolixi textus judicio Ecclesiæ subjecti; suâ sponte vanescit, atque probandis assertionibus nostris exsufflata est ea distinctio, desperatæ perfugium causæ.

Deinde utrùm Ecclesia de factis dogmaticis judicando errare possit, v. g., librum orthodoxum hæresis notâ compungere, ad eumque damnandum fideles compellere, ad quæstionem ipsam de jure, seu dogmate pertinet id controversiæ genus : ea quippe dirimi non potest nisi verbo Dei tradito vel scripto; cujus in expositione, nemo Catholicus infallibilitatis donum Ecclesiæ abnegaverit; porrò sibi divinitùs esse donatam in factis dogmaticis absolutam inerrantiam, eâdem ratione, quâ et in ipso dogmate, declarat, damnando vel approbando, conjectoque ut plurimùm in refragantes anathemate.

Absit tamen, ut hæresis notâ illos afficere velimus theologos, qui definitionibus Ecclesiæ de factis dogmaticis internum etiam et absolutum præstantes obsequium, accepisse illam à Christo Domino in tali decretorum genere donum infallibilitatis haud confiteantur : præjudicatis illos placitis decipi, neque suis consentanea principiis tenere, certum nobis est atque exploratum; sed hæreticum illos animum gerere, id vel in suspicionem vocare, à mente nostrâ alienum est.

At hæreticæ pravitatis crimen quo pacto effugere possint Jansenianæ sectatores doctrinæ, ipsi sincerâ et arrectâ mente provideant; dictitant quidem sese famosas quinque propositiones, in omni sensu condemnare, quo illas omnes ipsa Ecclesia condemnatas voluerit. At

quantùmcumque asserat, instanterque denuntiet, easdem se velle in sensu quem in libro Jansenii præ se ferunt, profligare, seu iteratis suis definitionibus proprium et naturalem libri Janseniani sensum in quinque dictis propositionibus, ut hæreticum reprobare, commentitium apertè sensum audenter substituunt : universalem fingunt Ecclesiam, à centum et ampliùs annis phantasma persequi, tamque miserâ cæcitate laborare, vel potiùs tam incredibili stupore, ut libri sensum, quem unusquisque fautorum ejus statim et indubitanter assequitur, nondùm ipsa potuerit deprehendere aut subodorari! ita sentire de universali Ecclesiâ, de supremo divinitùsque constituto controversiarum judice, hoc certè non est ejus parere decretis, sed illudere, eademque ludificari ; non est ab inflictâ cavere, et declinare censurâ, sed illam incremento provocare delicti. Frustra igitur quærerent excusationes in peccatis : doctrinam quippe Jansenii quamdiù retineant, in ipsâ errant quæstione juris, in ipso ab Ecclesiâ condemnato dogmate, quidquid vociferentur, ut totam revocent controversiam ad quæstionem facti, de quâ nec ipsos dissentire demonstratum est. Vide responsionem inprimis quintam ad tertiam objectionem primæ classis.

Resp. 2° : Divinam ad fidem, ne quidem post definitionem Ecclesiæ, pertinent singula facta dogmatica, v. g., heterodoxia epistolæ Ibæ, scriptorum Theodori Mopsuesteni, etc.; ut enim aliquid divinâ fide credatur, haud satis est ut propositum istud fuerit infallibili Ecclesiæ decreto : necesse est ut sit revelatum ; assistentia Spiritûs sancti quo avertitur error ab Ecclesiâ, non est revelatio, potestque circa facta versari quæ revelata non sint : definitiones quibus explicantur ac definiuntur ipsa fidei dogmata, neque pro ipso Dei verbo haberi possunt, neque efficere ut quod antea revelatum non fuerit, jam à Deo revelante prolatum censeri debeat; at licet divinâ fide non credantur facta dogmatica, sincero tamen et absoluto, post Ecclesiæ definitionem credenda sunt assensu, quemadmodùm probatum est.

Inst. 1° : Si revelatum sit errare non posse in factis dogmaticis Ecclesiam, tùm resolvetur in Dei revelantis auctoritatem assensus quo creditur factum dogmaticum quodcumque ab Ecclesiâ definitum ; ergo, etc. — Resp. : Aliud est credere propter revelatam infallibilitatem quâ pollet Ecclesia, et aliud est credere propter revelationem, quæ ipsum ab Ecclesiâ definitum propositumque factum dogmaticum, immediatè afficiat. Divinam autem ad fidem, ut non semel observatum est, requiritur immediata revelatio ; hinc ad fidei gradum non ascendunt conclusiones merè theologicæ. Apposito illustrari potest exemplo adductum responsum : si quæratur quomodò Ecclesiæ compertum sit, hæreticam esse doctrinam, quam libro Jansenii attribuit, responsio est in promptu : quia scilicet verbo Dei illam repugnare, scrutandis Scripturâ et traditione, cognoverit : ideòque doctrinam illam oportet hæreses inter numerari ; at si quæratur quâ ratione intellexerit, persuasumque habeat, eamdem hanc doctrinam libro Jansenii contineri, non respondebitur factum istud esse afflante Spiritu sancto revelatum.

Alia est condemnatio doctrinæ quam alicui libro attribuendam declarat Ecclesia, alia est hujusce doctrinæ libro eidem attributio : talem doctrinam esse condemnandam asserit revelatio : hanc esse appellato libro adscribendam non per se ipsum docet verbum Dei scriptum vel traditum.

Inst. 2° : De prolixis non secùs ac de brevibus textibus eodem modo sentiendum est in controversiâ de factis dogmaticis : atqui heterodoxia textuum brevium, ut puta quinque propositionum, quæ ab Innocentio X damnatæ sunt, si spectentur in semetipsis, credi potest ac debet divinâ fide; ergo et libri heterodoxia, ex quo decerptæ sunt.

Resp. : Ita quidem ; in brevibus enim sicut in prolixis textibus, duæ pariter occurrunt quæstiones : Talis doctrina pugnatne, congruitne cum verbo Dei? eamdem hanc doctrinam textusne ille, seu propositio, seu liber exhibere dicendus est? Juris est prior quæstio : altera est facti dogmatici ; ad fidem divinam pertinere illa potest: hæc verò ad fidem eam refertur, quæ vocatur fides ecclesiastica, eò quòd immediatè nitatur auctoritate Ecclesiæ; neque aliter statuendum est de condemnatione libri Jansenii, seu de condemnatione quinque propositionum in sensu illius operis, ac de condemnatione quinque propositionum in semetipsis : namque sive propositiones aliquas, sive librum aliquem condemnatura sit Ecclesia, duplex judicium adhibeatur necesse est. Judicat quem sensum sive hic liber, sive propositiones illæ præ se ferant ; deinde judicat utrùm sensus quem illis attribuit, divinæ adversetur revelationi : si pronuntiet doctri-

nam hanc esse hæreticam, divinâ fide teneri potest ac debet, adversum contradictoriè dogma : at licet certò et infallibiliter judicaverit, delatas ad se propositiones, et librum referre et complecti hunc sensum quem declaravit esse hæreticum, talis hæc attributio revocari potest ad illud fidei genus quæ non immeritò nuncupatur ecclesiastica : neque revelatum est quidnam ex usu recepto significetur his vel illis hujusmodi textibus, neque opus est ut revelatum sit, quidquid prævium est judiciis Ecclesiæ de ipsis fidei dogmatibus.

Abs re non erit ampliùs exponere illud fidei genus ad quod referatur assensus, qui decretis Ecclesiæ de factis dogmaticis debeatur ; animus non est disceptare de nomine, modò res posita sit in tuto ; diffiteri ne quidem possunt illi qui Ecclesiæ infallibilitatem in factis dogmaticis noluerint agnoscere, hanc Ecclesiæ Christum potuisse largiri ; si autem reipsà contulisset, ut reverà contulisse probatum est, quo eum nomine appellarent assensum, qui decretis Ecclesiæ de factis dogmaticis præbendus esset ? eosdem nos uti non gravabimur.

Quæ nominatur ecclesiastica fides, ea medium locum obtinet, fidem inter divinam et merè humanam ; eò discriminatur à fide divinâ, quòd divinam in revelationem haud immediatè refundatur ; differt autem à fide merè humanâ, quòd Ecclesia, cujus testimonio et auctoritate innititur, *assistentiâ* Spiritûs sancti perpetuò et efficaciter adjuvetur.

Ecclesiasticam fidem inter alios illustrissimus ipse Bossuetius vocavit eam mentis adhæsionem quæ debetur Ecclesiæ definitionibus de factis dogmaticis : ita enim loquitur in celeberrimâ ad moniales Portûs Regii Epistolâ: « Ne prenez point encore ici de vaines terreurs « de cette foi ecclésiastique : votre prélat « (Hardouin de Péréfixe, Parisiensium episco- « pus), également sage et charitable, voulant, « autant qu'il a pu, aller au-devant de tous vos « scrupules et de toutes vos tentations, vous a « expliqué qu'il entend par là une soumission « sincère de votre jugement à celui de vos « supérieurs légitimes. » Hoc sincerum mentis obsequium, quàm sit legitimum, et quibus titulis debitum Innocentii X et Alexandri VII decretis de facto dogmatico libri Jansenii, disertissimè doctissimus idem episcopus ostendit memorandis verbis istis, instituto nostro maximè consonis : « Aucun ne révoque en « doute que la condamnation des cinq propo- « sitions ne soit canonique : or, est-il qu'on « ne peut douter que ce qui touche le livre « de Jansénius ne le soit également, puisque « l'on y voit concourir la même puissance, les « mêmes formes, le même examen, la même « acceptation et consentement unanime de « tous les evêques. »

In controversiis quæ in ipsis versantur dogmatibus aliquando Ecclesia quasdam propositiones damnat duntaxat ut temerarias, ut erroneas : decretis tamen quibus ita proscribuntur, debetur internus et absolutus consensus : quod ipsi impositum volueris nomen, quo fidei genere credendum dixeris id quod tunc definitum sit, idem accommodetur ad facta dogmatica de quibus Ecclesia judicaverit.

Instabis 3° : Quando revelata est generalis aliqua propositio, revelata quoque censentur, implicitè quidem, immediatè tamen omnia et singula ex quibus coalescit, individua, seu singulæ quas comprehendit partes : totum enim revelari non potest, sepositis ejusdem partibus : sic dùm revelatum est omnem hominem habere immortalem animam, eo ipso revelatum est immortalem esse animam Claudii, Alexandri, Marcelli, etc.; ita pariter si revelatum sit infallibilem esse Ecclesiam in dijudicandis factis dogmaticis, revelatum est eam infallibiliter judicâsse de tribus capitulis in synodo quintâ generali agitatis, de attributione quinque propositionum libro Jansenii, etc. ; ergo ejusmodi facta divinâ fide credenda essent, quod transiliret debiti fines obsequii.

Resp. : Hujus solutio argumenti colligitur ex prolatis jam in medium responsis ; fatemur, imò et probandum curavimus, divinâ revelatione constare, infallibilem esse in factis dogmaticis Ecclesiam ; universalis est revelata hæc propositio : omnia et singula complectitur, subjecta et subjicienda Ecclesiæ judicio facta dogmatica ; ergo et eâdem revelatione constat non errâsse Ecclesiam in dijudicandis tribus capitulis, in attribuendis libro Jansenii quinque propositionibus : nec tamen inde sequitur divinam ad fidem pertinere hæc facta dogmatica : potuit enim Deus infallibilitate donare Ecclesiam talibus in factis licet non revelatis, et illud Ecclesiæ revelare donum : quemadmodùm ipsi impertitus est ac datam revelavit infallibilitatem in dijudicandis conclusionibus theologicis, quæ quidem revelatæ non sunt, sed ex revelatione derivantur, ni-

mirùm ut factum vel dogma divinâ fide credendum sit, non satis est ut auctoritate definiatur, cujus revelata sit infallibilitas, sed necesse est ut immediatè revelatum sit, sive distinctè, sigillatim in semetipso, sive in propositione universali, quâ necessariò contineatur, et ex quâ colligatur absque propriè dicto concursu, sed explicandis atque evolvendis verbis et adjunctis quibus constituitur.

Objicies 2° : Quid opus est ut Ecclesiæ asseratur infallibilitatis donum in factis dogmaticis? Eâ, propter eximias suas dotes, auctoritate prædita est, quæ valeat suis decretis certam fidem conciliare, ac rebellium frangere contumaciam ; quis enim sanæ mentis eò temeritatis conscendat, ut ipsius definitionibus judicium suum anteferendum velit ?

Resp. 1° : Tametsi suâpte constitutione et præstantiâ, eam obtineat auctoritatem, cui obsequentem se unusquisque gerere debeat, an ideò licebit despicari et abnegare promissa, quibus voluit Ecclesiæ spondere Christus absolutam in factis dogmaticis infallibilitatem ? Ea si grassaretur licentia, indulgendum esset Socinianis, simili dùm ratione disserendi, Christianæ mysteria fidei è medio tollere machinantur ; quid opus fuit, inquiunt, Filium Dei unigenitum ad humanam salutem hominem fieri, saturatumque opprobriis mortem oppetere ? Nonne potuit faciliore et expeditâ magis viâ humanum genus redimere, acceptabilemque sibi parare Ecclesiam ? Quidquid constituit ac revelavit Deus, firmissimè tenendum et credendum est, quantùmlibet obstrepat creata et infirma ratio, cujus præcipuum id munus, ut auctori suo famuletur, plenamque adjungat fidem.

Resp. 2ª : Quantacumque sit Ecclesiæ auctoritas quasi naturaliter indita, ea censebitur impar edomandæ animorum sibi, ut assolet, præfidentium pertinaciam, nisi accesserit revelatæ à Spiritu sancto inerrantiæ præsidium: si quæcumque enim moveatur intricata paulisper, et multos inter ventilata de facto aliquo gravi dogmatico controversia, clamabunt undique hoc in genere quæstionum labi posse ipsam Ecclesiam ; imò et lapsam errore jactitabunt, si textum aliquem reprobaverit cujus patrocinium hactenùs susceperint : recensebunt nonnullas episcoporum numero insignes synodos, quæ in ipso dogmate definiendo erraverint, ut puta, latrocinium Ephesinum, synodus ex 338 episcopis conflata Iconoclastis, anno 754, imperante Constantino Copronymo; tùm potiori jure concludere sibi videbuntur, falli posse aut fallere maximo licet numero episcopos in factis merè dogmaticis : insusurrabunt primùm, deinde prædicabunt posse episcoporum partem maximam, instigante cupiditate, offusis præjudiciis, prætermisso debito examine, deterreri à genuinâ oblatorum sibi textuum intelligentiâ. Quis erit disceptationum modus ac finis ? Quò evadet humanis duntaxat vallata præsidiis, lacessitæ causa Ecclesiæ ?

Instabis : Ad faciendam fidem definitionibus Ecclesiæ de factis dogmaticis, non requiri infallibilitatem sentiebat ipse illustrissimus Bossuetius ; hæc inter alia legere est in epistolâ ejusdem ad moniales Portûs Regii : « Trouvez bon que, sans vous engager à une « longue discussion de ces faits, par laquelle « vous verriez peut-être qu'on ne peut en tirer « aucun avantage, je vous demande si vous « pouvez dire ou penser, et si quelqu'un est « capable de vous persuader, que vous ne pou- « vez rien croire sur l'autorité de l'Eglise et « de vos supérieurs, que lorsqu'ils vous par- « lent avec une autorité infaillible.

Resp. 1° : Hoc ipso Bossuetii testimonio confirmatur, quantùm sint redarguendi, qui Ecclesiæ constitutionibus de factis dogmaticis religiosum tantummodò deberi velint silentium : tota eò collimat memorata epistola, ut prædictis monialibus persuadeat, nihil afferri, quo justè dimoveantur à præstando summorum decretis pontificum de condemnatione libri Jansenii, interno etiam, veroque obsequio. Nec reipsà quidquam occurrebat quo jure ac meritò possent eam detrectare mentis adhæsionem. — Resp. 2° : Consultò abstinet peritissimus animos inflectendi ac moderandi præsul, à discussione et argumentis, quorum pleraque vix essent ad captum monialium accommodata, augerentque potiùs in illis disceptandi pruriginem, inanisque captandæ studium gloriæ, quàm easdem inclinarent ad arripiendum istud Apostoli institutum : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis ;* satius itaque duxit eminentem Ecclesiæ auctoritatem, sepositâ ipsius infallibilitate, tunc proponere, cui privatum suum anteferre judicium religioni haberent, atque intolerabili tribuerent arrogantiæ ; at nusquàm Bossuetius inerrantiæ donum in factis dogmaticis abjudicavit Ecclesiæ, neque negavit illud esse conjunctum cum necessitate interni, absoluti et irre-

vocabilis assensûs, qui definitionibus Ecclesiæ, in hujusmodi factis debeatur, sive aperta sint et veri studiosis obvia mentibus, sive arduis intellectu, et glomeratis circumfusa nebulis.

Objicies 3° : Librorum germanus sensus pendet tùm à grammaticæ legibus, tùm à consuetudine, quam penès est dicendi jus et arbitrium : num divinam decet providentiam, ut ad hæc levia et tralatitia demittatur eximium infallibilitatis donum? Deinde contingere potest, ut ad Ecclesiæ tribunal deferatur liber exaratus linguâ plerisque episcopis incognitâ : versionem quomodò possint sic habere authenticam, ut in judicando eam sequantur absque errandi periculo?

Resp. ad primum : Id genus difficultatum, si impedimento esset, recurreret etiam singulis in propositionibus, quæ decretis Ecclesiæ sive dispersæ, sive congregatæ, damnantur vel approbantur : quarum deficiente intelligentiâ, fieri posset, ut orthodoxas pro hæreticis censurâ configeret, vel hæreticas pro sanis et orthodoxis, credendas proponeret, vibrato etiam in reluctantes anathemate. Ne igitur objectis commoveamur terriculis, ad providentiam omnia sapienter ordinantem pertinet, ut efficaciter in iis adjuvet, quæ necessaria sunt ad finem comparandum quem absolutâ promissione asserendum curavit; absolutè autem promisit omnipotens sapientissimusque Dominus, sese docenti Ecclesiæ perpetuò adfuturum; inde illam esse in docendo infallibilem, multifariè demonstratum est; docere autem, ut oportet ad rectam fidelium institutionem non potest, sine textuum intelligentiâ, quos expendendos judicandosque susceperit; ergo necesse est, ut eorum significationem certò et indubitanter assequi valeat, quantùm requiritur ad præcavendum errorem et orthodoxâ doctrinâ pascendos fideles.

Resp. ad secundum : Quomodò Tridentinâ in synodo Patres potuerunt authenticam declarare vulgatam tum veteris, tum novi Testamenti versionem, quamvis linguam Hebraicam et Græcam plerique episcopi minimè callerent? Versionis tamen illius authenticitatem fatentur propositæ auctores objectionis. Nonne providere ac efficere potest Deus, ut in sermonem judicaturis vulgò notum episcopis, sat fideliter convertantur dijudicandi textus, ut Ecclesia non reprobet, nisi quod ad legitimam institutionem reprobandum sit, nihil approbet, nisi quod sit approbandum? Vel igitur Deus non sineret proferri ab Ecclesiâ judicium, si nacta non esset nisi infidos interpretes, in his quæ ad intelligendam dijudicandamque doctrinam pertineant : vel si definitionem postularet ratio propulsandi à fidei deposito periculi, tum Deus qui novit omnia, impediret ne mendax ederetur et judicibus exhiberetur versio, quæ nimiùm tunc afferret christianæ reipublicæ detrimentum.

Objectionum tertia classis.

Objicies. : In judicia Ecclesiæ de factis dogmaticis errorem posse cadere, eaque decreta nonnunquàm esse retractata, docent non pauci pietate et doctrinâ insignes theologi : tales sunt inprimis cardinales Bellarminus, Baronius, Palavicinus. Post congesta diversi generis argumenta ad illatum Honorio hæresis Monothelitarum crimen diluendum, sic pergit Bellarminus : « Quòd si aliquis adhuc non possit adduci, ut credat corruptam esse sextam « synodum, is accipiat alteram solutionem, « quæ est Joannis à Turrecremată, lib. 2, de « Ecclesiâ, cap. 93, qui docet Patres synodi « sextæ damnâsse quidem Honorium, sed ex « falsâ informatione, ac proinde in eo judicio « errâsse; quamvis enim concilium legitimum « non possit errare in dogmatibus fidei defi- « niendis, tamen errare potest in quæstionibus « de facto : itaque tutò dicere possumus, hos « Patres deceptos ex falsis rumoribus, et non « intellectis Honorii epistolis, immeritò cum « hæreticis connumerâsse Honorium. » De Romano Pontifice, lib. 4, cap. 11. Attendatur maximè ad hæc verba : *Non intellectis Honorii epistolis.* Quibus verbis manifestè significatur, errori obnoxium esse in factis dogmaticis generalem synodum.

Eamdem sententiam expressè tenuit egregius alter auctoritatis Ecclesiæ defensor Baronius : « Sed dicat aliquis, inquit : Si verè assen- « timur ita de Honorio esse decretum à sanctâ « synodo, haud nefas est in controversiam rem « deducere, et aliter quàm statutum est à sy- « nodo velle decernere. » Propositam hanc objectionem ita solvit : « Id ipsum dixerim in iis « quæ ad fidem spectant, ut penè religio sit, « vel latum unguem ab iis quæ in sanctâ synodo « sunt statuta, recedere : at in iis quæ ad per- « sonas attinent et scripta ipsarum, non ita « rigidè reperitur custodita censura : nam pa- « tens exemplum est de quintâ synodo, quæ « tria capitula condemnavit, de quibus à sacro- « sancto Chalcedonensi concilio videri po- « terat aliter actum, nempe de Theodoro,

« Theodoreto et Ibâ : in his enim quæ fa-
« cti sunt, unumquemque contingere posse
« falli, nemini dubium est. » Tom. 8, ad ann. 681.

Non in iis solùm quæ ad personas, sed et in illis quæ *ad ipsarum scripta*, ac proindè in factis dogmaticis, concilium generale falli posse contendit, ut patet, cardinalis Baronius.

Commemoratâ de tribus famosis capitulis controversiâ, Palavicinus hanc asseruit, « non
« esse de articulo fidei, et qui ad Ecclesiæ
« auctoritatem nulli obnoxiam errori specta-
« ret. » Hist. concil. Trid. lib. 11, cap. 18.

Resp. 1° : Quantacumque tribus illis cardinalibus debeatur reverentia (quorum quidem temporibus non fuerat vocata in disceptationem et contentionibus elucidata quæ nunc agitur causa), non eâ sunt auctoritate quæ summorum pontificum Approbatis ab Ecclesiâ decretis anteponenda sit : memoriæ illorum irrogatur injuria, si putetur eos non fuisse constitutionibus obtemperaturos apostolicæ sedis, toto in orbe catholico receptis, quibus et arctissimè præcipitur, sincero ut animo quinque propositiones in sensu libri damnentur, et perspicuè definitum est, non sufficere religiosum, quod vocant, silentium. De Ecclesiâ optimè meriti, tres appellati cardinales, auctoritate non vincunt SS. Cyprianum, Firmilianum, totque spectandos morum gravitate et eruditione episcopos, qui de collato ab hæreticis baptismo erraverunt in conciliis, tum in Asiâ, tum in Africâ celebratis. Accedit quòd tres illi præsules principia tradiderint, cum infallibilitate Ecclesiæ in factis dogmaticis indivulsè connexa, ut mox indicabitur : quòd si principiis suis ipsi repugnaverint, in eo auctoritate non valent.

Resp. 2° : Sigillatim discutienda trium illorum cardinalium sententia.

Exponitur sententia Bellarmini. — 1° Ea docet Bellarminus quæ periculum erroris à definitionibus Ecclesiæ in factis dogmaticis penitùs avertant : « Obligamur, inquit, sub
« anathematis pœnâ credere Ecclesiæ, in om-
« nibus, ut patet Matth. 18, quòd *si Ecclesiam*
« *non audierit, sit tibi velut ethnicus et publica-*
« *nus*. Et concilia omnia dicunt anathemata
« non assentientibus Ecclesiæ decretis ; at ini-
« quum esset sub tam gravi pœnâ obligari ad
« assentiendum rebus incertis et interdùm
« falsis. » (Lib 3 de Ecclesiâ militante, c. 14.) Asserente Bellarmino, Ecclesiæ in omnibus credendum est : ergo etiam ipsius de facto verè dogmatico judiciis omnibus adhærendum est : iniquum esset sub anathematis pœnâ obligari ad assentiendum rebus incertis et interdùm falsis : ergo neque vacillare, neque errori subjacere unquàm possunt Ecclesiæ de factis dogmaticis decreta, quibus anathematis pœnam, ut retulimus, solet adjungere.

2° Profitetur Bellarminus idem se sentire quod sentiebat cardinalis à Turrecremată, ut legere est in textu objecto : hic autem dono infallibilitatis in secernendo librorum sensu exornatam fuisse Ecclesiam dilucidè affirmavit ; hæc sunt ejus verba : « Cùm Ecclesia
« universalis quæ regitur Spiritu sancto, do-
« ctores aliquos approbavit, eorum doctrinam
« tanquàm veram recipiens, necesse est ut tal-
« ium doctrina assertivè posita, et nunquàm
« aliàs retractata, vera sit et ab omnibus fideli-
« bus firmâ credulitate tenenda, in eâ parte in
« quâ ab universali approbatur Ecclesiâ : aliàs
« universalis Ecclesia videretur errâsse, appro-
« bando et acceptando eorum doctrinam tan-
« quàm veram, quæ tamen vera non esset. »

3° Post relata in objectione verba sic prosequitur Bellarminus : « Dices : Ergone tu meliùs
« Honorii epistolas intelligis quàm intellexe-
« rint tot Patres? Respondeo, inquit, non qui-
« dem à me, sed à Joanne IV, Martino I,
« Agathone et Nicolao I, summis pontificibus,
« et à toto concilio Romano sub Martino con-
« gregato, eas epistolas meliùs esse intelle-
« ctas quàm à Græcis in concilio sexto. »
Solis attribuit Græcis Bellarminus errorem circa epistolas Honorii, in hoc etiam cardinalem à Turrecremată secutus, qui de summo illo pontifice dixerat : « Honorius ille nunquàm,
« nec dùm viveret, nec post mortem, repertus
« fuit posuisse in Christo unam tantùm volun-
« tatem et unam operationem, unde nec ab
« Apostolicâ sede, nec à Patribus occidentali-
« bus talis judicatus est. » (De Ecclesiâ, lib. 2, cap. 93.) Ad auctoritatem concilii septimi, quod dixit anathema Honorio, respondet Bellarminus, Patres septimæ synodi secutos esse synodum sextam, et solum repetivisse quod in eâ legerant. (De Romano pontifice, cap. 11.) Non hic agitur de rei ipsius veritate, sed de sententiâ Bellarmini : hunc verò existimâsse constat, aut corrupta fuisse acta concilii sexti, aut si depravata non fuerint, nunquàm tamen ab universali Ecclesiâ judicatum et habitum fuisse hæreticum Honorium.

4° Placuit Bellarmino errâsse synodum sex-

tam, judicando de epistolis Honorii, non absolutè et in se spectatis, sed habitâ ratione sensûs personalis qui falsâ ex informatione falsisque rumoribus Honorio attribueretur : quid autem intùs et animo repositum habuerit Honorius, id ad factum dogmaticum non pertinet : refert atque approbat sententiam Joannis à Turrecremată, qui docet Patres sextæ synodi damnâsse quidem Honorium, « sed ex falsâ in- « formatione, ac proinde in eo judicio er- « râsse; » ponderanda sunt hæc verba, *ac proinde,* quibus indicatur in falsam informationem, falsosque rumores maximè conferri à Bellarmino dicto cardinali suffragante, falsum quod adscribit sextæ synodi de Honorii epistolis judicium ; totus est Bellarminus ut ab hæresis notâ vindicet personam Honorii, nec putavit Patres synodi attendisse ex proposito ad sensum epistolarum illius proprium in seipso consideratum, cùm eidem ut hæretico anathema dicerent.

Inst. : Docet Bellarminus errare potuisse generale concilium in quæstionibus de facto. — Resp. id esse referendum ad quæstiones de facto quarum decisio ex informatione, disseminatisque in vulgus rumoribus præcipuè pendeat; solutio hæc colligitur ex dictis.

Expenditur sententia Baronii. — « In his, « inquit Baronius, quæ facti sunt, unumquem- « que contingere posse falli nemini dubium « est. » (Tom. 2, ad annum Christi 356, num. 40.)

Id censet si quæstio moveatur de factis particularibus et personalibus, quorum notitia pendet ex relatione testium, aut eorum investigatione quæ animis recondita sint; at probabilitate prorsùs vacuum, et à mente doctissimi cardinalis alienum est, in factis ipsis dogmaticis, tam posse falli Ecclesiam quàm unumquemque privatis ipsis ex hominibus.

1° Pensitetur Baronii sententia de quibusdam adornatis ad excusandum Origenem apologiis : « Miratus sum, inquit, vehementer, « post damnationem ejus ab Anastasio Papâ, « pontificiâ auctoritate inflictam, post ejusdem « reprobationem in sextâ synodo pronuntia- « tam, post tot antiquorum Patrum in id ipsum « conspirantes sententias, adhuc recentiores « quosdam ausos esse pro eodem novas edere « apologias, et auctoritate totius Ecclesiæ ju- « dicatas sæpiùs controversias denuò temerè « excitare. »

2° Hæc verba quæ de sextâ synodo protulit Baronius : « In iis quæ ad personas pertinent, « et scripta ipsarum, non ita rigidè reperitur « custodita censura, » hæc verba non eò spectant ut abnegatum significent, aut ad trutinam revocandum ipsius de factis dogmaticis judicium; verùm ut innuant, in iis quæ pertinent ad Ecclesiæ decreta, personas, earumque scripta simul condemnantis, non ita semper custodiri censuram, seu ad amussim et in omnibus, non ita urgeri statutorum executionem, ut quâ parte sensum personalem, seu personam auctoris respiciunt, nunquàm liceat ullo modo discedere, assentientibus expressè aut tacitè pastoribus Ecclesiæ.

Expositionem hanc nedum id infirmet, quod adduxit Baronius exemplum à quintâ synodo, cum quartâ etiam generali collatâ, eam potiùs illustrat atque corroborat : oculis iterùm subjicere præstat cardinalis illius ipsa verba : « Patens, inquit, exemplum est de quintâ sy- « nodo, quæ tria capitula condemnavit, de « quibus à sacrosancto Chalcedonensi concilio « videri poterat aliter actum nempe de Theo- « doro, Theodoreto et Ibâ. »

Numquid in animum sibi induxerat Baronius approbata fuisse à synodo Chalcedonensi tria capitula, quæ postmodùm synodus quinta reprobaverit? Doctissimum cardinalem non latebat, de personis, Theodoreto scilicet et Ibâ, non de ipsis trium capitulorum textibus statuisse Chalcedonensem œcumenicam synodum; en speciatim cardinalis illius de Ibæ epistolâ, quæ maximè ansam variis dederat disceptationibus, testimonium : « Unde etiam accidit, « ut et dicta epistola Ibæ æquè fuerit ob « hanc etiam causam damnata, atque alia quæ « pro eodem Theodoro, Theodoretus, vel alii « conscripsissent, eâ nimirùm ratione, quòd « eâdem epistolâ Nestoriani abuterentur, fal- « sòque assererent à Patribus in concilio Chal- « cedonensi esse receptam, ac proinde ab « eisdem, quæcumque eâ epistolâ continueren- « tur, esse probata, quod quidem omninò fal- « sum fuit. » (Tom. 6, ad ann. 448.)

Longè ergo abest à mente Baronii, reipsà pugnare de trium capitulorum significatione et damnatione quintam synodum cum Chalcedonensi; sed quia in auctores videatur indirectè redundare librorum condemnatio, idcircò, ut rectè adnotat illustrissimus de Fenélon, videri poterat non omninò consentire cum synodo Chalcedonensi, quæ Theodoretum et Ibam sedibus suis restituerat, cum generali quintâ synodo, quæ opera quædam Theodori, Theodoreti et Ibæ condemnavit; videbatur

quibusdam illa textuum damnatio pertinere ad ipsas auctorum personas, quanquàm ad Theodoretum et Ibam jam ante annos centum in Ecclesiæ catholicæ communione mortuos non pertineret.

Exponitur sententia Palavicini. — Ad personas auctorum, non ad ipsos trium capitulorum textus referuntur hæc eminentissimi cardinalis verba, « controversiam non esse de « articulo fidei, et qui ad Ecclesiæ auctorita- « tem nulli obnoxiam errori spectaret. » In confesso erat cùm apud defensores, tùm apud impugnatores quintæ synodi, hæreticâ labe contaminari tria capitula, eamque heterodoxiam posse infallibiliter ab Ecclesiâ dijudicari : qui negabant quintæ synodi adhærendum esse, eamque in œcumenicis numerandam, eâ ducebantur ratione, quòd ipsis videbatur synodum illam temperare sibi debuisse à contorquendo in Theodorum anathemate, qui Ecclesiæ communione ad extremum usque spiritum potitus fuerat : putabant eamdem synodum damnandis Theodoreti et Ibæ scriptis, quos absolverat Chalcedonense concilium, non potuisse eosdem appellare : inustam enim eorum operibus hæreseos notam, expresso auctorum nomine, tùm in ipsos resilire, tùm in synodum quæ illos in sedes suas restituerat. Hoc in genere controversiæ quæ de personis intelligitur, scripsit Palavicinus errare posse Ecclesiam : quid sentiret, planum faciunt hæc ipsius verba objectioni prævia : « Itaque Gregorius pluribus « in locis hujusmodi repugnantiæ vanam spe- « ciem dissipat, ostenditque, quod spectabat « ad doctrinam, duas illas synodos concordare « in refellendis trium memoratorum hominum « erroribus ; id verò luculentiùs quàm alibi « declarat, scribens ad Constantium Mediola- « nensem antistitem, ubi observat dissidium « non in dogmatibus verti, sed in hominibus, de « quibus actum fuerat in Chalcedonensi, post « firmatam integrè doctrinam, ac proinde « controversiam non esse de articulo fidei. »

Quæ attulimus responsa refellendis quæ ex laudatis tribus cardinalibus objecta sunt, nihil vetat accommodari ad quorumdam aliorum theologorum adversantia nobis specie tenùs testimonia, quæ articulatim discutere superfluum videatur ac tædiosum.

CAPUT III.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ IN CANONISATIONE SERVORUM DEI.

Canonisatio nihil est aliud quàm publicum Ecclesiæ testimonium de verâ sanctitate hominis jam defuncti, ejusdemque cœlesti gloriâ. Quo testimonio seu judicio decernuntur eidem honorum genera, quæ decent regnantem cum Christo beatorum in sedibus. Septem illa numerantur, ut scitè observat Bellarminus. Primùm enim qui canonisantur, scribuntur in sanctorum catalogo, id est, statuitur ac jubetur ut ab omnibus publicè habeantur et appellentur sancti ; 2° invocantur in publicis Ecclesiæ precibus ; 3° templa et aræ in eorum memoriam dicantur Deo ; 4° eorum in honorem Deo publicè offeruntur sacrificium eucharistiæ, laudumque ac precum illud, quod *canonicum* nuncupatur *officium* ; 5° dies festi eorum in memoriam celebrantur ; 6° pinguntur eorum imagines, additâ quâdam radiante coronâ (rayons de gloire) ; 7° pretiosis thecis includuntur, et publicè coluntur eorum reliquiæ.

Qui sanctis impenditur cultus, ille *religiosus* vocatur, mediumque locum obtinet, civilem inter seu humanum, et latriæ cultum : soli Deo debetur latriæ cultus, quo nempe agnoscitur, tanquàm omnium principium, Dominus et finis, summa perfectio, summum bonum. Humanis virtutibus ac dignitatibus respondet cultus ille qui civilis nuncupatur : mediæ autem divinam inter et humanam excellentiæ, ex meritis gratiâ comparatis, æternâque illustratis mercede efflorescenti, impenditur ille qui religiosus dicitur cultus, seu *dulia* ; beatæ verò qui defertur Virgini, cæteris omnibus sanctis præcellenti, nomen sibi vindicat *hyperduliæ*.

Non à superstitiosâ gentilium apotheosi, seu consecratione, traxit exordium canonisatio sanctorum, ut obloquuntur heterodoxi : nam, ut cætera quæ spontè occurrunt discrimina, taceamus, inter deos recensebatur, proprioque supremi numinis honore colebatur ille quem apotheosi extollendum judicaverant ethnici ; ita provecti sunt ad insignia deitatis Romanæ fundator reipublicæ ; ita Augustus imperator, et alii non rarò turpissimis contaminati flagitiis ; qui verò ab Ecclesiâ canonisantur, absit ut divinis eos velit affectos honoribus : « Nobis, « inquit S. Augustinus, lib. 22 de Civitate Dei, « cap. 10, martyres non sunt Dei, quia unum « eumdemque Deum et nostrum scimus. » Hinc ethnicos sic compellat Theodoretus : « Quid « vos igitur qui tot numero mortuos homines, « deos appellâstis, nobis succensetis, qui non « deos facimus, sed honoramus martyres, tan- « quàm Dei testes, servosque amantissimos? »

Servorum Dei canonisatio innititur catholicâ doctrinâ de cultu, invocatione et intercessione sanctorum, et ab antiquissimâ Ecclesiæ disciplinâ originem duxit. Religioni prorsùs est consentaneum, publicis ut honoribus augeantur illi quos maximè et virtutum insignis concursus et miraculorum splendor commendaverit; tùm et nostrâ permagni interest, eorum nobis ad imitandum proponi exempla, solemnibusque patrocinium supplicationibus advocari; at cùm neque expediret neque oporteret, ut liceret unicuique pro arbitrio, quem inter prædestinatos mente reposuerit, publico cultu afficere, ecclesiasticâ auctoritate interpositum est judicium, quo maturè expensis, sedulòque ponderatis omnibus, assignetur pro meritis canonisationis aut beatificationis decus.

In pluribus differt à canonisatione beatificatio : 1° In canonisatione præcipitur, ut pro sancto habeatur canonisatus, eique religiosus cultus adhibeatur : at ex regulâ loquendo, ut ait Benedictus XIV, beatificatio est cultûs permissio (aliquando tamen importare potest cultûs præceptum); sed approbantem esse illam permissionem necesse est, sive de beatificatione formali loquamur, sive de æquipollenti : in beatificatione formali præcedit examen cum approbatione virtutum ac miraculorum; in beatificatione autem æquipollenti, cùm constiterit sive de famâ virtutum, miraculorum, martyrii, si vulgando illi locus fuerit, sive de antiquitate cultûs cum scientiâ et tolerantiâ ordinarii, vel sedis Apostolicæ, sive de indultis præcedentibus Romanorum pontificum, servatur ac retinetur cultus eo in statu in quo reperitur; necnon ut plurimùm novis promovetur concessionibus.

2° Ad regulam item loquendo, aliquam intrà provinciam, diœcesim, civitatem aut religiosam familiam coarctatur beatificatorum cultus : aliquando tamen potest ad universam Ecclesiam extendi, citra tamen legem quâ præcipiatur, sed per modum simplicis facultatis; verùm ad universam pertinet Ecclesiam canonisatio, tenenturque omnes pro sancto eum habere, qui canonisatus est.

3° Canonisatio sententia est ultimò definitiva, de confitendâ illius sanctitate, cujus virtutes et miracula expensa fuerint, et publico illi impendendo cultu : at de illo negotio ultimum definitivumque judicium per se non habetur in beatificatione, eâque licet formali. De his consule disserentem latè atque eruditissimè Benedictum XIV, lib. 1 de servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione.

Religiosum cultum, cùm factu opportunum judicarent, jure suo decernebant olim propriis in diœcesibus singulares etiam episcopi : quæ cultûs constitutio à nonnullis dicitur particularis canonisatio, sed ab aliis meliùs, ut observat Benedictus XIV, beatificatio appellatur, eò quòd episcopale præceptum limites suæ diœceseos prætergredi non posset, eaque natura et indoles beatificationis ut plurimùm, quemadmodùm dictum est, in eo posita sit ut cultus in eâ permissus aliquam tantùm intra diœcesim aut provinciam sit definitus; attamen si constitutus à singularibus episcopis cultus alias pervaderet Ecclesias, paulatimque catholicum orbem, ut multis comprobatur exemplis, accedente expresso vel tacito summi Pontificis consensu, tum cultus ab episcopo præceptus, qui antea propriè non erat nisi beatificatio, canonisationis deinde vim obtinebat. Perstitit, ut etiam adnotat Benedictus XIV, hæc episcopalis potestas beatificandi jure proprio, suâque solâ auctoritate, usque ad tempora Alexandri III summi pontificis : eo quippe sæculo quo ipse vixit, plures beatorum corporum elevationes solâ episcopali auctoritate factæ leguntur.

« Alexander III et postea Innocentius III, ut « observat cardinalis Bellarminus, videntes « abusus qui oriebantur circa sanctorum cul- « tum, prohibuerunt ne deinceps aliquis pro « sancto coli inciperet sine Romani pontificis « approbatione, ut patet cap. 1 et 2 de reliquiis « et sanctorum veneratione. » Admonet Benedictus XIV, « id fortè non fuisse ab omnibus « episcopis executioni mandatum, sed omnem « et quàcumque controversiam fuisse sublatam « per bullam Urbani VIII editam anno 1634, « ita ut omnia ad cultum publicum beatorum « pertinentia, et ipsa servorum Dei beatifi- « catio, fuerint clarissimè sedi Apostolicæ re- « servata. »

Ea reservatio prorsùs invaluit. His delibatis, quæ solvendis objectionibus lucis plurimùm afferent, jam aggredimur ad solvendam propositam quæstionem.

Conclusio. — *In canonisationis judicio infallibilis est Ecclesia.*

1° Fieri non potest ut Ecclesia fideles ad errorem impellat, qui gravem pareret offensionem apud fideles, Religionem apud infide-

les objiceret ludibrio, ecclesiasticamque infringeret ac debilitaret auctoritatem. Non differt diabolum colas, an hominem condemnatum, qui certè cultus cum ratione et cum Evangelio pugnat : quot passim prodirent scandala ! quantis Ecclesia proscinderetur contumeliis ! quos malignè triumphos hæresis ageret, si fortè diris potiùs devovendus aliquis, quàm æternâ donandus gloriâ, inter illos deprehenderetur, quibus religiosum impendi ab omnibus cultum universa præceperit Ecclesia ! Quod quidem si vel semel contingeret, vocari etiam in quæstionem posset, Hieronymi, Ambrosii, Augustini et aliorum ferè omnium sanctitas, et addubitari utrùm æternis necne addicti sint suppliciis, quæ omnia aures sanè fidelium perhorrescunt. Ecclesiæ infallibilitas in canonisatione sanctorum iisdem adstruitur absolutis promissionibus, quibus futurum asseruit ut adversùs Ecclesiam portæ inferi non prævalerent : eidemque jugiter adesset usque ad consummationem seculi.

2° Hæc ut penitùs discutiatur et intelligatur quæstio, revocetur ad mentem allata canonisationis definitio : ipsa nihil aliud sonat quàm publicum Ecclesiæ, de sanctitate et gloriâ hominis alicujus defuncti testimonium : eum judicat Ecclesia regno cœlorum jam potiri, atque tanquàm patronum et exemplar christianæ virtutis ac perfectionis proponendum esse fidelium societati ; jubet eidem judicio constanter omnes inhærere, quod aliquando si pateret errori, jam illud incurrerent suadente atque urgente Ecclesiâ, quod meritò exprobratur canone 58 causæ 11, quæst. 3 : « Si « quis hominem qui sanctus non est sanctum « esse dixerit, et Dei eum junxerit societati, « Christum violat. »

3° Infallibilitatis dono quamvis prædîti non sint testes, qui interrogantur de virtutibus et miraculis canonisandi, providere credendus est Deus, ne si fallerent aut fallerentur, eorum sequatur testimonium Ecclesia ; cujus peculiarissimæ providentiæ, ut rectè animadvertit Melchior Canus, lib. 5, cap. 5, magnum argumentum est, quòd nunquàm infirmata sit fides ab humanis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta, quod in casibus civilibus sæpè accidit ; imò et nonnunquàm in judicio quorumdam episcoporum non ab Ecclesiâ comprobato, ut legere est in vitâ S. Martini, à Sulpicio Severo relatum de latrone ob scelera percusso, qui vulgi errore colebatur pro martyre, et quem revelante Deo agnitum S. Martinus, à delatis superstitione honoribus deturbavit.

Solvuntur objecta.

Obj. 1° : In canonisationis causâ multa versantur de quibus judicare non valet Ecclesia : nemini reponitur corona justitiæ, nisi legitimè certaverit, cursumque in statu charitatis et justitiæ absolverit ; nemo autem divinam citra revelationem scire potest, utrùm ipsemet apud Deum amore vel odio dignus sit : unde ait Apostolus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Etverò, vel ex operibus, vel ex miraculis ita constaret de sanctitate et gloriâ canonisandi, ut error in his explorandis obrepere non posset : quod attinet ad scrutanda illius opera, tres ad canonisationem accersendam requiruntur dotes : ea oportet vitio carere, ex supernaturali manâsse principio, in statu charitatis esse facta ; horum autem omnium indubitata cognitio soli Deo competit, qui *spirituum ponderator est, novitque abscondita cordis.* Quod spectat ad miracula, certa non videntur sanctitatis argumenta : inter reprobos ablegandi sunt illi quos, licet in nomine Christi ediderint miracula, sic ipse alloquetur die quâ universum judicaturus est orbem : *Nunquàm novi vos ; discedite à me qui operamini iniquitatem.* Præterea, de virtutibus et prodigiis eorum quibus religiosus paratur cultus, constare non potest nisi humanis ac proinde obnoxiis errori testimoniis. Denique toto in negotio canonisationis agitantur quæstiones de factis, et quidem personalibus, neque ullo cum dogmate, indivisim conjunctis ; talibus autem in factis errare potest Ecclesia.

Resp. ad singula : 1° In canonisatione sanctorum opus non est revelatione, ut infallibili judicio religiosum cultum aptè decernat : impendi quidem nefas, hominibus qui ad extremum halitum in statu veræ charitatis et justitiæ non perseveraverint : verùm ut in ejusmodi factis dijudicandis ab errore tuta sit Ecclesia, satis est ut Spiritus sanctus, quo judicia illius diriguntur, impediat quominùs ipsa tùm pronuntiet, cùm errori indulgerent testimonia, quæ ad comprobandam hominis sanctitatem, cujus postulata sit canonisatio, proferuntur. Aliud est enim revelatione habere compertum Ecclesiam, quid sentiendum sit de alicujus defuncti æternâ salute ; quo affectu, quo in statu, et animi quâ constantiâ præstiterit humilitatis, pœnitentiæ, amorisque erga Deum et homines opera, quæ illi attribuuntur, aliud autem qui-

busdam incidentibus rerum adjunctis, Ecclesiam, providente Spiritu sancto, à ferendâ sententiâ deterreri; errorem amovere procul dubio potest Spiritus ille qui *scrutatur etiam profunda Dei*, sive, ut diximus, abducendo Ecclesiam à canonisatione requisitâ, sive efficiendo, ut quæ promuntur ad asserendam canonisandi sanctitatem, conspirent ad eliciendum prudentiæ, veritatisque plenum judicium: itaque cùm adhibitis investigandæ veritati quæ idonea duxerit inquisitionibus et subsidiis, Ecclesia, hominem aliquem numerandum esse in sanctis statuit et declarat, tum Christi Domini promissis et Spiritûs sancti præsidio, asseveranter et depulsâ erroris formidine pronuntiat: ideòque nos confidenter et securè possumus ac debemus obsequi et inhærere illius judicio.

2° Fatemur ea quæ canonisandus ediderit, cùm viveret, miracula non esse per semeptisa invicto sanctitatis atque æternæ ad gloriam prædestinationis argumento; idcircò ad cultum religiosum deferendum deposcuntur miracula quæ post ipsius mortem, ad invocationem illius, aut aliunde in sanctitatis ejus et gloriæ testificationem edita meritò judicentur, cùm Deus sanctus, summè verax, non possit in honorem et ad fovendum cultum reprobi, quasi esset in beatorum cœtum translatus, operari.

3° Humana quidem audiuntur, et pro argumentis virtutum atque miraculorum habentur testimonia; sed, ut præfati sumus, aut veritati congruent, aut ab illis admittendis continebit se Ecclesia, Spiritu sancto consulente honori et auctoritati Ecclesiæ, fidelium in eam reverentiæ; hinc non sufficit ad propositum finem, ut secundùm allegata judicaverit; tùm enim, quamvis neque propriè mentiretur, neque simulationis posset redargui, perniciosum nihilominùs atque repugnantem debitæ administrationi errorem solemni decreto ingereret.

4° In factis quidem merè personalibus falli potest Ecclesia; at deludi non potest in factis ad evangelicæ doctrinæ commendationem vel contemptum, ad pietatis incrementum vel offensionem spectantibus, qualis est, ut ostendimus, proposita canonisatio.

5° « Omnibus prædictis objectis, ut verbis « utamur Benedicti XIV, de Beatific. et Canonis. servorum Dei, lib. 1, cap. 44, unicâ eâ- « que solidissimâ responsione satisfit, si dicatur « quidquid ex materiæ et testium qualitate pro « fallibilitate desumitur, plenè submoveri ex « divinâ providentiâ, et Spiritûs sancti præsentiâ; » quæ scilicet in re tanti momenti errare atque errori suæ pondus auctoritatis adjungere non patietur. Eodem in capite summus idem pontifex, post indicatam communem theologorum et canonistarum, paucis exceptis, de assertâ Ecclesiæ in sanctorum canonisatione sententiam, addit: « Nos ipsi qui tot annorum spatio « munus fidei promotoris sustinuimus, nostris, « ut ita dicam, oculis vidimus divinum eumdem « Spiritum Romano pontifici assistentem in de- « finiendis canonisationis causis; in aliquibus « namque ex eis quæ felicissimo cursu progre- « diebantur, repentè difficultates antea nun- « quàm præcognitæ excitatæ sunt, quæ præ- « dictum felicem cursum retardârunt; in aliis « contra quædam promotæ difficultates quæ in- « superabiles videbantur, suadebantque silen- « tium illis esse imponendum, ex monumentis « insperatò repertis, mirâ facilitate sublatæ « sunt, atque ideò causæ ad suum optatum fi- « nem pervenerunt. »

Objicies 2°: In jure canonico, cap. *A nobis*, sic legitur: « Nos igitur consultationi tuæ, inquit « Innocentius III, respondemus quòd judicium « Dei, veritati, quæ nec fallit nec fallitur, semper « innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnun- « quàm opinionem sequitur, quam et fallere « semper contingit et falli; propter quod contin- « git interdùm ut qui ligatus est apud Deum, « apud Ecclesiam sit solutus, et qui liber est « apud Deum, ecclesiasticâ sit sententiâ inno- « datus. » Nonne pariter ab humanis testimoniis pendent canonisationis causæ? Nonne in illis definiendis opinionem hominum sequitur Ecclesia? Falli ergo et fallere potest in eâ quam tum ferat sententiâ.

Resp.: Citatus juris canonici textus refertur ad facta particularia, quæ ad universalis Ecclesiæ rationes, et catholicæ religionis dignitatem venerationemque non pertineant; haud igitur cum negotio canonisationis conferenda. Nec majorem affert difficultatem effatum illud S. Augustino adscriptum: « Multorum corpora « venerantur in terris, quorum animæ cru- « ciantur in inferis. » Respondemus cum Bellarmino locum hunc forsitan non esse S. Augustini: « Nusquàm enim, inquit, in ejus « operibus eum reperire potui. » Præterea admonet illum intelligi posse de impiis qui honorantur superbissimis sepulcris, cùm tamen animæ torquerentur in gehennâ. Subdit, posse etiam intelligi de corporibus fraude aliquâ « suppositis pro corporibus sanctorum, « vel denique de martyribus Donatistarum, qui

« honorabantur ab hæreticis, ut martyres, « cùm eorum animæ reverà torquerentur in « inferno. »

Objicies 3°: Martyrologium in ipsum Romanum irrepserunt errores quorum alii sunt correcti, alii sunt emendandi : censetur tamen opus illud approbatum ab Ecclesiâ.

Resp. cum Benedicto XIV : « In Martyrologio Romano inscripta quidem sunt nomina « eorum qui fuerunt solemniter per summos « pontifices canonisati, de quibus utique nul- « lus error inveniri potest; sed inscripta quo- « que in eo reperiuntur aliorum nomina qui « in Album sanctorum nunquàm à summis « pontificibus relati sunt, sed tantùm vel *for-* « *maliter*, vel *æquipollenter* beatificati dici pos- « sunt, sive per summos pontifices, sive epis- « coporum judicio, juxta antiquam disciplina- « nam. » Reducantur in memoriam quæ initio hujus controversiæ exposuimus discrimina simplicem inter beatificationem et ipsam canonisationem ; ea ulteriùs mox elucidabuntur. Quibusdam interpositis sic prosequitur Benedictus XIV : « Aliquid ex hoc argumento « (proximè objectato) si evinceretur, descrip- « tio in Martyrologio Romano, spectatâ suâ « naturâ et indole, canonisationem formalem, « vel æquipollentem importaret, etiamsi qui « sunt descripti, non fuissent antea vel for- « maliter vel æquipollenter canonisati ; at id « nunquàm probari poterit. » Deinde subjungit idem pontifex, « pertractatam aliàs fuisse in « sacrorum rituum congregatione quæstio- « nem, quid importet descriptio in Martyro- « logio, et utrùm ad quamdam canonisatio- « nis, an ad quamdam beatificationis speciem « referri possit, nec eam usque adhuc potuisse « resolvi. » (Lib. 1 de Beatific. et Canonis. servorum Dei, cap. 43, num. 14.) Adnotaverat antea, in Martyrologium Romanum non irrepsisse errorem, neque in eo adesse, quoad eos qui inter beatos à Romanis pontificibus relati sunt.

Solvuntur quæstiones quædam gravis momenti.

Quæres 1° utrùm infallibilitas Ecclesiæ in canonisatione servorum Dei ad fidem pertineat.

Resp.: Ecclesiam in canonisatione sanctorum errare non posse communis quidem est theologorum et canonistarum sententia, ut latè probat Benedictus XIV, de Beatificatione et Canonis. servorum Dei, lib. 1, cap. 43. Hanc tamen sententiam quam inter fidei dogmata referendam esse arbitrati sunt Adamus Tannerus, Aloysius Turrianus, Gregorius de Valentiâ, Alphonsus à Castro et alii ab eodem appellati pontifice, non certò constat divinam ad fidem pertinere. Observat S. Thomas, quodlib. 9, quæst. 7, artic. 16, maximum, in his quæ attinent ad Ecclesiæ inerrantiam, instituendum esse discrimen, inter revelatam doctrinam et facta particularia, ut cùm agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, in quibus falli potest Ecclesia : tum subjicit : « Canonisatio verò sanctorum, me- « dium est inter hæc duo : quia tamen honor « quem sanctis exhibemus, quædam professio « fidei est, quâ sanctorum gloriam credimus, « piè credendum est quòd nec etiam in his « judicium Ecclesiæ errare possit. » Benedictus XIV, postquàm satis longam contexuit theologorum seriem, qui licet infallibilem esse in canonisatione sanctorum, Ecclesiam strenuè asserentes, hanc tamen infallibilitatem, de fide non esse confiteantur, subjunctâque eorum sententiâ qui fidei placitis eam esse accensendam putaverint, tum demùm sic concludit : « Vi- « detur igitur nobis utraque opinio in suâ « probabilitate esse relinquenda, quousque « sedis Apostolicæ judicium prodeat. »

Quæres 2° : Quid sentiendum de opinione cardinalis de Laureâ, qui religioso cultu honorandum esse hominem ab Ecclesiâ canonisatum, docet divinam pertinere ad fidem, etiamsi eodem fidei genere non crederetur Ecclesiam in canonisando errare non posse. Eò revocatur et sic explanari potest illius opinio : sanctos esse religiosè colendos, hoc divinitùs revelatum est, definitumque in conciliis generalibus Chalcedonensi, Nicæno II et Tridentino; dubitari ergo non potest quin istud dogma fide divinâ tenendum sit ; at certis argumentis, et maximè si habeatur infallibilis in causâ canonisationis Ecclesia, sanctum esse constat quemcumque sanctorum numero adscripserit, etiamsi hæc illius infallibilitas inter dogmata fidei locum obtinere non videatur. Existimavit cardinalis de Laureâ, universali revelatâ propositione, revelatas quoque censeri individuas omnes propositiones quas eâ contineri indubitanter constiterit, quamvis distinctè eâdem non comprehendantur.

Resp. : Non consentiunt inter se theologi, quoad divinæ determinationem fidei de singularibus propositionibus, seu factis particularibus ex propositione universali immediatè revelatâ certò deductis; sunt qui arbitrentur

singulares propositiones, seu facta particularia, quas in se universalis propositio complectitur, divinam ad fidem non pertinere, nisi sint pariter in semetipsis revelata : ita cardinalis à Turrecremată (lib. 4 Summæ, parte 2, cap. 9); Cajetanus (in 2-2, quæst. 1, art. 3); Bannes (in 2-2, quæst. 1, artic. 10, dub. 2) et alii. Sunt qui revelatâ propositione universali contendant singulares quibus constituitur propositiones, pro revelatis quidem, sed tunc solùm esse habendas, quando propter ipsas revelata est; talis est, inquiunt, hæc propositio universalis : « Omnis canonicè electus in « romanum pontificem est Christi vicarius et « Petri successor; » non alium ob finem revelata est, nisi ut hic vel ille Pontifex, v. g. Pius VI credatur verus Christi vicarius ; idem statuit Panormus de propositionibus universalibus, quæ suâpte naturâ tendunt ad Ecclesiæ regimen, per ipsas etiam ex quibus coalescunt singulares propositiones : talis est mox adducta propositio universalis : *Omnis canonicè electus* in romanum pontificem, etc. Alii denique docent generatim, ad fidem individua pertinere quæ propositione immediatâ includi, plenâ certitudine confirmatum sit : ita Melchior Canus, Vega, cardinalis de Lugo, Valentia, et alii quos refert et sequitur Suaresius disputatione 3 de fide, sectione 11.

Theologorum illo stante conflictu credi non potest certitudine catholicæ fidei, hunc vel illum canonisatum æternâ perfrui gloriâ, quamvis immediatè revelata sit universalis hæc propositio : *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*, et certò Ecclesia cognoverit, ac notum fecerit, v. g., Carolum Borromæum virtutibus claruisse et miraculis, cursum fideliter consummâsse, ipsique à justo judice redditam justitiæ coronam. Loquentem attendamus Suaresium, cujus mox retulimus sententiam de naturâ et comprehensione universalis propositionis revelatæ : « Non licet, inquit, « dubitare de gloriâ sancti canonisati ; id enim « sub præcisâ obligatione præcipiunt in ipsâ « canonisatione : ergo oportet ut illi præcepto « non possit subesse error; aliàs deficeret Deus « in re maximè necessariâ Ecclesiæ, quod est « contra providentiam et promissiones ejus : « et ideò quamvis hæc illatio non sit de fide « (*notanda sunt hæc verba*), censeo esse satis « certam, et contrariam esse impiam ac teme- « rariam. » (De triplici Virtute theologicâ, de fide, disput. 5, sect. 8, num 8.)

Quæres 3° utrùm graviter peccet, et notam aliquam theologicam incurrat qui et inerrantiam Ecclesiæ in canonisando, et alicujus ab eâ canonisati sanctitatem, atque in cœlicolas cooptationem negaverit.

Resp. : Ecce ad propositam quæstionem ipsamet verba toties laudati et nunquàm satis laudandi Benedicti XIV, post accuratè versatam et æquo pondere libratam hanc controversiam : « Si non hæreticum, temerarium ta- « men, scandalum toti Ecclesiæ afferentem, « in sanctos injuriosum, faventem hæreticis « negantibus auctoritatem Ecclesiæ in canoni- « satione sanctorum, sapientem hæresim, ut- « pote viam sternentem infidelibus ad irriden- « dum fideles, assertorem erroneæ proposi- « tionis, et gravissimis pœnis obnoxium dice- « mus eum qui auderet asserere pontificem « in hâc aut illâ canonisatione errâsse, hunc- « que aut illum sanctum ab eo canonisatum « non esse cultu duliæ colendum, quemad- « modùm assentiuntur etiam illi qui docent de « fide non esse Papam esse infallibilem in ca- « nonisatione sanctorum, nec de fide esse « hunc aut illum canonisatum esse sanctum. » (De servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione lib. 1, cap. 45, num. 28.) Refert deinde et approbat hanc assertionem Melchioris Cani : « Qui fidem in his (canonisationibus) « Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos qui- « dem, sed temerarios, impudentes, irreligio- « sos esse credimus. » (De Locis theologicis. lib. 5, cap. 5.)

Quæres 4° utrùm infallibilitatis dono polleat Ecclesia, in ipsâ beatificationis causâ.—Resp. : In beatificatione, ut exposuimus, non extenditur cultus publicus ad universam Ecclesiam : quamdiù sistitur intra proprios beatificationis limites : « Coercitus quippe reverà est, inquit « Benedictus XIV, intra certos ac definitos lo- « cos absque eo quòd extensio ad universam « Ecclesiam deduci valeat ex titulo beati, quo « beatificatus in universâ Ecclesiâ appellari « potest : titulus namque beati in universâ « Ecclesiâ competens beatificato, nihil aliud « substantialiter ac severè loquendo, importat « quam sinceram piamque publici cultûs ad « Dei servi honorem in determinato loco à « Romano pontifice concessi notitiam ; qui « licet in alio loco publicè exhiberi non possit, « privatim tamen ac laudabiliter ubique exhi- « betur et exhiberi potest. »

Aliud est porrò cultum beatificati aliquo loco circumscriptum, universali innotescere Ecclesiæ, aliud publicum eumdem cultum Ec-

clesiæ universalis expresso vel tacito judicio approbari : Benedictus XIV, qui summo pontifici eam tribuit infallibilitatem quam universali adjudicamus Ecclesiæ, asserit argumenta omnia quæ ad vindicandam ecclesiastico judicio in beatificatione infallibilitatem afferuntur, eò deficere ac repressa videri, « quòd scilicet « judicium Papæ in beatificatione non est « præcipiens, sed indulgens atque permittens, « de cujus nempe essentiâ non est ut sit in- « fallibile, cùm certum esse sufficiat, non « quidem certitudine infallibilitatis aut fidei, « sed eâ tantùm morali certitudine, quâ pon- « tifex prudenter ac sapienter agit, indulget « atque permittit. »

Refert etiam Benedictus XIV, « ferè usque « ad tempora summi pontificis Clementis IX, « expletâ licet beatificatione formali, iterato « examini subjici consuevisse ea omnia quæ « jam ante formalem ipsam beatificationem « examinata fuerant et approbata, ut transitus « fieret ad canonisationem. » Tùm sic prosequitur : « Signum quippe hoc est formalis bea- « tificationis, judicium habitum non esse ut « infallibile, aut tanquàm ad fidem pertinens. » Deinde hæc subjungit : « Etsi nova consue- « tudo fuerit introducta, ut in transitu à bea- « tificatione formali ad canonisationem, mi- « nimè instituatur recens examen de virtutibus « et martyrio, vel de signis seu miraculis jam « approbatis, sed quæstio tantùm reducatur ad « nova signa vel miracula quæ post beatifica- « tionem supervenerunt : hoc saltem certum « est etiam hodie, absoluto judicio formalis « beatificationis, necnon miraculorum quæ « post obitum supervenerunt, non solùm in « congregatione generali sacrorum rituum « proponi dubium, *an tutò deveniri possit ad* « *canonisationem*, verùm etiam, eodem dubio « favorabiliter resoluto, de totâ causâ iterùm « agi, id est, tum de martyribus et martyrio, « tùm de miraculis, in consistoriis in quibus « suffragium fertur ab omnibus cardinalibus, « atque episcopis Romæ commorantibus, nec- « non aliis ad urbem hanc ad causam voca- « tis. » Ex his ita concludit : « Quæ cùm pro- « fectò cæremonialia non sint, sed substantiam « judicii respiciant, nec nisi invocato Dei om- « nipotentis auxilio peragantur, ostendere « apertè videntur, beatificationis judicium ne- « que ab ipsis Romanis pontificibus haberi in- « fallibile, aut tanquàm quid ad fidem perti- « nens. »

Attamen à notâ temeritatis non eximeretur ille qui summi pontificis auderet judicio detrahere, vel privatum suum judicium anteponere.

CAPUT IV.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ IN APPROBATIONE RELIGIOSORUM ORDINUM.

Ordo religiosus est hominum status ad perfectionem christianam per vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ tendentium. *Charitas est vinculum perfectionis.* Ad Coloss. c. 3. Testandæ autem et promovendæ charitati idoneus est procul dubio status in quo totum se homo Deo consecrat, ac in perpetuum tradit, animum videlicet per obedientiam, corpus per continentiam, resque externas per voluntariam paupertatem ; de naturâ, origine et antiquitate religiosi ordinis consule disserentes eruditè Bellarminum de Monachis cap. 2 et seq. tom. 2, et Suaresium de virtute et statu Religionis.

In omni religione duo considerari possunt; essentia ipsa religionis, quæ tribus in votis sita est, et determinatio illius essentiæ ad certum profitendi et vivendi modum; in Evangelio positum habent fundamentum religiones seu ordines religiosi quoad essentiam spectati, ideòque ex hâc parte Apostolicæ sedis approbatione non indigent, neque talem leguntur quæsivisse approbationem SS. Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus ad eas quas instituerunt religiones : modus autem varius quo tria vota suscipi possunt, divino jure non ita determinatur, ut ex prudentiâ et directione humanâ multùm non pendeat.

Hinc in concilio Lateranensi IV, anno 1215, Innocentius III, ne fortè exitiosæ aut inutiles inducerentur religiones, prohibuit ne deinceps ullus institueretur novus ordo, nimirùm sine approbatione, quod decretum Gregorius X in concilio Lugdunensi renovavit.

In Ecclesiæ prælatis nunquàm defuit potestas, ad prohibendos religiosè vivendi et comparandæ perfectionis modos, qui non fuerint ipsorum auctoritate examinati et approbati; at Ecclesiæ universalis approbatione per se et quasi naturâ suâ opus est ad statum religionis ita instituendæ, « ut per totam Ecclesiam dif- « fundi valeat, specialem, ut loquitur Suare- « sius, unitatem corporis mystici in se reti- « nendo cum mutuo vinculo sub uno proprio « capite vel gubernatore, qui modus non fuit « frequens in antiquioribus religionibus, sed

« postea et præcipuè temporibus religionum « mendicantium viguit. »

Conclusio. — *In approbandis ordinibus religiosis errare non potest Ecclesia.* — Probatur: Ordinem aliquem religiosum approbando, Ecclesia definit et declarat, nihil eum complecti quod evangelicis præceptis aut consiliis repugnet, imò quod non cum ipsis verè congruat; in eâ definitione et declaratione decipi aut decipere non potest Ecclesia, cujus est Scripturam et traditionem de christianæ vitæ institutis exponere: religiosum aliquem ordinem auctoritate suâ muniendo errare non posset, sine gravi societatis fidelium detrimento: namque secundùm morem jampridem constanter receptum, ille cui suffragatur Ecclesia, religionis modus ac status, omnibus proponitur fidelibus ut via secura non solùm ad salutem, sed etiam ad perfectionem: error igitur qui tali in approbatione versaretur, certo certiùs in evangelicæ doctrinæ depravationem, in exitium fidelium, ac summum Ecclesiæ dedecus incumberet.

Quòd si labentibus annis, quæ est humana infirmitas, aliquo in ordine religioso hebescat et relaxetur sancita primùm rectè disciplina, degenerem in hanc mutationem longè abest ut cadat concepta primitùs approbatio. Neque tali ex mutatione, si aliquando contigerit, quidquam inferri potest, quo attenuari et imminui dignitas et præstantia censeatur statûs religiosi, qui ab Ecclesiæ prioribus seculis, tot peperit Ecclesiæ lumina, tot præcellentes exhibuit pastorali studio pontifices, tanta invexit christianæ religionis subsidia, tantam asservavit et ab interitu vindicavit omnigenæ supellectilem eruditionis, totque subministravit ad imitandum proposita virtutum insignia.

Sectio quinta.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

Duas in partes dividetur ea sectio: in priori quæretur utrùm Ecclesia potestatem habeat in temporalia; quæretur in alterâ qualem et quantam obtineat in spiritualibus; deinde utrùm aliis præter summum pontificem et episcopos, competat jure divino vera auctoritas in constituendâ Ecclesiæ disciplinâ.

Sectionis quintae prima pars.

Utrùm Ecclesia potestatem habeat in temporalia.

Docuerunt Calvinus, lib. 4 Instit. cap. 11, Petrus Martyr, Brentius, Magdeburgenses et alii, non posse competere Romano pontifici, aut ullis episcopis, temporalem aliquem principatum; non in eo largiendo valere ipsa regum beneficia, divinoque jure prohiberi, ne conjungatur cum temporali gladio spiritualis.

Catholicos inter extiterunt qui præjudiciis abducti, extremamque sectati ex adverso sententiam, tradiderint collatam esse divinitùs Romano pontifici directam, immediatamque in temporalia auctoritatem, quâ quidem ipsi Christianorum saltem principum regna subjaceant: ita Hostiensis, Panormitanus, Sylvester et alii non pauci.

Exosum istud placitum temperare aggressi sunt longè plures, quos inter Bellarminus asserit *pontificem ut pontificem,* etsi non habeat ullam merè temporalem potestatem, hoc est, directam, tamen habere *in ordine ad bonum spirituale,* summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnibus Christianorum. De Romano Pontifice, lib. 5, cap. 6.

Indirectam illam potestatem sic uberiùs evolvit: distinctam illam esse à politicâ potestate profitetur; postea sic pergit: « Spiri- « tualis (potestas) non se miscet temporalibus « negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut « antequàm essent conjunctæ, dummodò non « obsint fini spirituali, aut non sint necessaria « ad eum consequendum; si autem tale quid « accidat, spiritualis potestas potest et debet « coercere temporalem omni ratione ac viâ quæ « ad id necessaria videbitur. » De Romano Pontifice, lib. 5, cap. 6. Hæc etiam adjicit notatu digna, dictus cardinalis: « Papa non po- « test ut Papa, ordinariè temporales principes

« deponere etiam justâ de causâ, eo modo quo « deponit episcopos, id est, tanquàm ordina- « rius judex; tamen potest mutare regna, et « uni auferre atque alteri conferre, tanquàm « summus princeps spiritualis, si id necessa- « rium sit ad animarum salutem. Quantùm « ad leges, non potest Papa ordinariè condere « legem civilem, vel confirmare aut infirmare « leges principum, quia non est ipse princeps « Ecclesiæ politicus; tamen potest omnia illa « facere, si aliqua lex civilis sit necessaria ad « salutem animarum, et tamen reges non ve- « lint eam condere; aut si alia sit noxia saluti « animarum, et tamen reges non velint eam « abrogare. » Ibid.

Nos verò contendimus nullâ neque directâ, neque indirectâ auctoritate in temporalibus donatam esse *ex divinâ institutione* Ecclesiam : potest quidem christianam de legitimo temporalium usu doctrinam proponere, eamque spiritualibus sancire pœnis; tum etiam populis præcipere, ne principum constitutionibus parerent, quæ Omnipotentis, cujus sunt ministri, legibus repugnarent; at non potest temporales pœnas infligere, multò minùs è solio principes dejicere, aut subditos à sacramento fidelitatis illis debitæ absolvere : talem nullam à Christo Domino concessam esse potestatem, jam propriis convincendum est argumentis.

Non immorandum duximus in refellendo hæreticorum illorum figmento qui principatum temporalem cum spirituali consociari posse negaverint; reprobentur ab iis necesse est quotquot in lege naturæ, quotquot in Mosaicâ et christianâ utrumque gesserunt : quid igitur statuendum de Melchisedech rege simul et pontifice, de Moyse, temporali Israelitarum principe, totque nihilominùs perfuncto spiritualibus officiis, de summo pontifice Heli, eodemque politico judice, de Machabæis, Judâ, Jonathâ, Simone, Joanne, ac cæteris usque ad Herodem pontificibus simul, temporalibusque ducibus ? Nec absque insigni temeritate culpari possunt tot conspicui pietate episcopi, qui terrenum aliquem, ex regum concessione principatum sedibus suis annexum retinuerint : ad gloriam Dei refertur utraque potestas, eodemque ab homine, ut experimentis constat, spiritualia et temporalia possunt, ritè atque adjunctâ non levi utilitate administrari; itaque politicum non prohibet Christus, Matth. cap. 20, sed arrogantem dominatum : non damnat in episcopis Apostolus, 2 ad Timoth. 2, moderatam, sed nimiam sollicitudinem circa vitam corporalem, ejusque objecta quædam adminicula; præterea, ut rectè admonet S. Chrysostomus, illud Pauli : *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, ad ipsos etiam pertinet laicos, cùm omnes etiam laici, ipsimet reges, Christi milites esse debeant.

Tota igitur in eo versabitur controversia, utrùm romano pontifici et episcopis divinâ institutione collata sit temporalis aliqua potestas. Quæ ad impugnandam potestatem directam et immediatam congeruntur ab ipso Bellarmino et aliis argumenta, eadem pleraque in mediatam ipsam et indirectam contorqueri possunt. Brevitati quantùm licebit consulentes, illa auctoritatis rationumque momenta proferemus, quibus generatim ostenditur nullum principatum seu auctoritatem temporalem obtinere jure divino Ecclesiam, ac proinde nihil ad infringendam assertionem nostram proficere, usurpatam toties directæ et indirectæ potestatis distinctionem; tùm probatâ et ab objectis vindicatâ thesi nostrâ generali, operam speciatim convertemus ad evincendum, nullam esse à Christo suppeditatam Ecclesiæ potestatem reges de sedibus suis exturbandi, eorumve subditos eximendi à vinculo subjectionis et obedientiæ.

Conclusio prima. — *In temporalia potestatem nullam, institutione suâ, seu divino jure obtinet Ecclesia.*

Probatur 1° : Romanus pontifex (idemque procul dubio dicendum de quibuslibet aliis Ecclesiæ pastoribus) non eam jure divino potestatem obtinet, quam nec ipse Christus, cùm inter homines visibiliter ageret, sibi ut homo vindicavit : « Neque enim, ut observat ipse « Bellarminus, pontifici possumus tribuere « officia, quæ habet Christus ut Deus, vel ut « homo immortalis et gloriosus, sed solùm ea « quæ habuit ut homo mortalis. Id patet ex « illis verbis : *Sicut misit me Pater, et ego « mitto vos.* Adde quòd neque habet ponti- « fex omnem potestatem prorsùs quam habuit « Christus ut homo mortalis; ille enim, quia « Deus et homo erat, habuit quamdam potes- « tatem quam dicunt *excellentiæ*, per quam « præerat tam fidelibus quàm infidelibus : « Papæ autem solùm oves suas, id est, fideles « commisit; præterea Christus poterat sacra- « menta instituere, et miracula facere propriâ « auctoritate, quæ non potest pontifex; item « poterat solvere à peccatis sine sacramentis, « quod Papa non potest. »

Temporalem verò principatum et auctoritatem Christus ipse nunquàm sibi vindicavit ut homo mortalis. Interrogatus à Pilato, utrùm rex esset, respondit : *Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc*, Joan. cap. 18. Nec tamen à se Christus ablegatam voluit regiam omnem dignitatem; at in quo posita esset ratio regni sui statim explanavit : urgente enim sic Pilato : *Ergo rex es tu?* hoc edidit responsum : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* A capessendo regno quantùm abesset, non minùs gestis quàm verbis, notum Judæis fecerat : post stupendam enim panum multiplicationem, « cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit, » Joann. cap. 18, v. 36. Litigantibus etiam de hæreditate dividendâ duobus fratribus, ejusque hâc de lite judicium roganti eorum alteri respondit : *Homo, quis me constituit judicem super vos?* Lucæ 12, v. 14. Legibus infidelium imperatorum sese subjecit; tributum solvit, et solvendum docuit; tam perfectam paupertatem professus est ut dicere potuerit : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

2° Attendatur quale potestatis genus contulerit Petro, vel aliis Apostolis; tum facilè perspectum erit, nullum eis divino jure concessum esse principatum; contulit eis potestatem dimittendi ac retinendi peccata : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, Joann. 20, v. 23. Jus et auctoritatem dedit rebelles et contumaces spiritualibus pœnis coercendi : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus*, Matth. 18, v. 17. Post resurrectionem suam, Petro dixit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas :* at certè munus non illi mandavit diversum ab eo quod ipse ut princeps pastorum obire constituerat. Apostolos ascensurus in cœlum sic allocutus fuerat : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris*, etc. Hæc nullum indicant temporalis dominatûs vestigium, neque ullum ex Scripturis decerpi potest testimonium, quo suaderi queat, talem fuisse Apostolis ac vel ipsi Petro subministratam auctoritatem; imò et hanc admonuit, ad apostolatûs naturam et munia minimè pertinere : *Reges gentium*, inquit, *dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem non sic.*

His quidem verbis non significatur, cum episcopatu nullum posse conciliari temporalem principatum, sed iisdem, præter superbiæ reprehensionem, evincitur, nullum pontificem, ut pontificem, et suâ exigente institutione, temporalem habere auctoritatem. Hinc S. Bernardus summum pontificem Eugenium III hortatur ut cogitet temporalem principatum (quem in eo non reprehendit), hæreditate apostolicâ sibi neutiquàm obvenisse : « Nec « enim, inquit, tibi ille (Petrus) dare quod « non habuit, potuit : quod habuit, hoc dedit, « sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias; « numquid dominationem? Audi ipsum : *Non « dominantes*, inquit, *in clero, sed forma facti « gregis* : et ne dictum solâ humilitate putes, « non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio : *Rex gentium dominatur eorum*, etc. » Quem ad scopum intendat, tum quibus contineatur finibus Apostolorum episcoporumque potestas, enuntiat S. Paulus, dùm fideles ita compellat : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Animarum salutem, non temporalia episcopis commisit Christus Dominus; unde idem Apostolus : *Libentissimè impendam et super impendar ipse pro animabus vestris.*

3° Egregiam nobis probationem exhibent summorum pontificum testimonia de naturâ et distinctione utriusque potestatis quâ mundus ordinante providentiâ gubernatur : ita Deo instituente, discerni geminæ potestatis officia declarat Gelasius : « Ut et christiani imperatores « pro æternâ vitâ pontificibus indigerent, et « pontifices pro temporalium causâ rerum, « imperialibus dispositionibus uterentur. » Tomo 4 Conc. Idem epist. ad Anastasium : « Si « quantùm ad ordinem publicæ disciplinæ, « cognoscentes imperium tibi supernâ dispositione collatum, legibus tuis, ipsi quoque parent religiones antistites, » etc. Symmachus papa in Apologetico adversùs Anastasium : « Conferamus honorem imperatoris cum « honore pontificis, inter quos tantùm distat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. » Nicolaus I, epist. ad Michaelem imperatorem in res ecclesiasticas invadentem sic redarguit, tomo 8 Conc. : « Christus Jesus sic actibus propriis et « dignitatibus distinctis, officia potestatis utri-

« usque discrevit, ut et christiani imperatores, » etc. (Iisdem utitur verbis quæ ex Gelasio retulimus.) Gregorius II, epist. secundâ ad Leonem Isauricum : « Alia est ecclesiasticarum « constitutionum institutio, et alius sensus se- « cularium : quemadmodùm pontifex intro- « spiciendi in palatium potestatem non habet, « ac dignitates regias deferendi, sic nec im- « perator in Ecclesiam introspiciendi et elec- « tiones in clero peragendi. » Gregorius Magnus de lege quâ Mauritius imperator prohibuerat ne milites vitam monasticam profiterentur, ita scribebat : « Utrobique ego quod debui « exolvi, qui et imperatori obedientiam præ- « bui, et pro Deo quod sensi, minimè tacui. »

Eò referri possent SS. Patrum dicta quæ declarant vim nullam corporalem ab Ecclesiâ intentari ad veritatem defendendam, persecutionibusque occurrendum ; sed ea videntur aptiùs ad sequentem transferenda conclusionem.

De usurpatâ distinctione directæ et indirectæ potestatis.

Quæ argumenta in medium attulimus, elidere nequicquam tentaretur adhibitâ directæ et indirectæ potestatis distinctione : hæc utraque videtur in eumdem ferè exitum recidere : parvi refert *directâ auctoritate* occupari vel distrahi dominium temporale, vel *indirectâ potestate*, seu quatenùs temporalia spiritualibus nimiùm infensa atque exitiosa ducerentur ; judicaret enim spiritualis potestas de variis causis, quibus incessentibus expediret aut etiam oporteret de temporalibus adimendis et aliò transferendis decernere : quæ quidem causæ ad animarum salutem, ad incolumitatem Religionis, ad avertendam divinæ legis violationem cùm pertineant, sæpiùs recurrerent. Hinc intelligere est quot pullularent in Ecclesiæ præpositos, invidiæ, odii ac rebellionis incitamenta.

De ipsorum infidelium potestate dictum est : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Non immutavit divinam hanc institutionem christiana Religio : non labefactum voluit constitutum sapienter ab auctore naturæ ordinem illum, quo jubetur omnis anima, *sublimioribus potestatibus* obtemperare, nisi legi divinæ repugnantia præcipiant ; tùm enim dicendum esset : *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus ;* at suâ quamvis tunc abutantur auctoritate, non ideò excutiendum esset jugum debiti aliunde ipsis obsequii ; saluberrimo standum esset Christi pronuntiato : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*, Matth. cap. 22, vers. 21.

Non igitur directè vel indirectè fas est ecclesiasticæ potestati, obtentu Religionis, attentare vel dispensare temporalia.

Momentis quibusdam theologicis posita confirmatur assertio.

Si quid in temporalia valeret ex instituto Christi ecclesiastica potestas, aut in infidelium, aut in fidelium jura et dominium, vim suam exereret : at in infideles, nullam ne spiritualem quidem jurisdictionem, suâpte naturâ et constitutione obtinet, dicente Apostolo : *Quid mihi est de iis qui foris sunt judicare ?* Istud quidem jurisdictionis genus, christianos in principes, eos lavacro regenerationis abluente comparavit : ut cæteri enim fideles, ita ipsius auctoritati subjacent in rebus ad salutem spectantibus ; sed quo jure subjacerent in temporalibus ? Baptismo delentur peccata, non auferuntur aut deteruntur imperia. Quis non videat quantùm à christianæ Religionis professione dimoverentur infidelium principes, si futurum ipsis denuntiaretur, ut in temporalibus ecclesiasticæ subjicerentur potestati, et dominii sui, magnâ etiam parte, mulctari possent, prout opportunum aut necessarium id judicaverit ?

Quod in sententiâ quam refellimus, Romanus posset pontifex in secularium bona principum, idem possent eâdem ratione indirectæ potestatis singuli suis in diœcesibus episcopi in bona privatorum : quo posito nonne possessoribus viderentur sua fluctuare dominia ? Pronum esset ut societas civilis tam Ecclesiæ quàm sibimetipsi infausto concuteretur tumultu, alienumque propriis à pastoribus animum gereret ; quod quidem si frequenter non contingat apud regiones in quibus admittuntur ea quæ rejicimus placita, id oritur ex eo quòd prudentiâ duce, ac præ animorum æquitate et moderatione, abstineatur ut plurimùm à practicis principiorum quæ ibi retinentur, consectariis.

Quâ denique de causâ diceretur ecclesiasticæ potestati subjecta temporalis ? non in eodem versantur ordine : proprio distinguuntur fine, differunt inter se ipsâ rerum naturâ, quibus administrandis et conficiendis addictæ sunt : quæ autem ex Scripturis ac traditione obtenduntur testimonia ad subjiciendam temporalem

potestatem spirituali, ea si quid nobis officerent, tam directam quàm indirectam in temporalibus auctoritatem adscriberent Ecclesiæ; vel suâ novitate utraque concideret : ut enim scitè adnotavit Honoratus Tournely, opinio ipsa quæ indirectam invexit, inaudita erat in Ecclesiâ Dei undecimum ante seculum, « unde « Bellarminus initio libri adversùs Barclaium, « inter auctores quos summâ curâ, ex omni « loco et natione conquisivit, tanquàm opinionis suæ patronos, nullum profert Gregorio « VII antiquiorem, quem tamen profectò non « omisisset, si evolvendis antiquorum monumentis, aliquis ipsi occurrisset. »

Objicies 1° : Longè nobilior est temporali spiritualis potestas; illi ergo debet imperare, eamque si contumaciter obsequium detrectaverit, temporalibus si opus sit pœnis coercere, et in ordinem redigere. Ambæ illæ potestates in christianam unam confluunt rempublicam; utraque cùm sit à Deo, ordinatam esse utramque fatendum est : ergo spirituali quæ longè antecellit, necesse est ut concedat serviatque temporalis; oportet ut ad ejus necessitates et opportunitates sese accommodet, variasque subeat mutationis et translationis vices, quas ad suum consequendum finem præfiniendas putaverit ecclesiastica potestas; cui parere in ipsis temporalibus si non teneretur, Deus Ecclesiæ suæ non ut par est providisset in iis quæ idonea sint ac necessaria debitæ administrationi; itaque spiritualis potestas cum temporali sic conferenda est ut cum carne spiritus : quemadmodùm igitur caro spiritui, ita et temporalis potestas spirituali morem gerere, et quantùm postulat ratio tutandæ religionis, mancipari debet.

Resp Nobilior quidem est temporali spiritualis potestas; verùm suo in ordine utraque suprema est ac independens, ut magis ac magis ex dicendis patebit : dignitatis præstantia per seipsam jus et auctoritatem non confert, sicut nec ingenii, virium animique eximiæ dotes. Una quidem est Ecclesia, cujus membra idoneis devincta sunt et coadunata vinculis; servari et constringi Deus jubet necessariam illam compagem et commissuram : unam in rempublicam christianam conveniunt episcopi principesque seculares; neque idcircò ad Ecclesiam pertinet ulla divino jure temporalis potestas; eâ in controversiâ sophismate frequentiùs implicatur Bellarminus; laborant et eodem alii multi : id tribuunt potestati, quod proprium est personæ; spirituali potestati subditi sunt in spiritualibus principes seculares; non inde sequitur spirituali potestati subditam esse temporalem : sicut neque consequens est subjectam esse spiritualem, ex eo quòd in temporalibus sacerdotes et episcopi obtemperare teneantur temporali potestati.

Ad finem spiritualis potestatis, seu ad æternam felicitatem referri debet potestas ipsa temporalis : potestate enim suâ, ut et cæteris divinæ providentiæ donis, utantur oportet principes seculares ad comparandum sibi, suisque conciliandum subditis præclarum illum finem; debent principes auctoritate suâ præsidio esse Ecclesiæ, ut Ecclesia principibus; spiritualis tamen, et temporalis potestatis distinctus omninò est *intrinsecus propriusque finis*; temporalis enim potestatis finis, est pax et tranquillitas reipublicæ; finis potestatis spiritualis est, ut jam indicavimus, æterna beatitudo; utriusque pariter potestatis distincta officia.

Quantùmvis ad componendos mores, veramque assequendam felicitatem, indigeant verâ Religione, atque propriis et divinitùs collatis Ecclesiæ subsidiis seculares principes, apud eos tamen qui vel ipsis serviunt idolis, viget legitima, derivataque à Deo potestas, regendis apta populis, retinendisque societatis civilis juribus; cùm enim, ut observat Bossuetius, Defens. cleri Gallicani, parte primâ, lib. 1, sect. 2, cap. 5, « apud infideles non nisi falsum « et illegitimum sacerdotium esse possit, veri « tamen ac legitimi, et à Deo ordinati magistratus præsunt, suntque ab ipso Deo, cùm « religio, tùm imperium ita constituta, ut et « vera religio, sine adjuncto sibi imperio, et « verum ac legitimum imperium, sine adjunctâ « sibi verâ religione esse possit. » Hoc historiæ testificantur de regnis tot imperatorum, ipsi etiam religioni adversantium, quibus tamen ex conscientiâ parendum fuit, in iis quæ Dei offensâ carerent. Inde sic concludit Bossuetius : « Est ergo imperium seu civile regimen religioni subordinatum, et ab eâ pendet in or« dine morali, non autem in ordine politico, « seu quod attinet ad jura societatis humanæ, « cùm hoc postremo (in) ordine et religio et « imperium sine se invicem esse possint. »

Hinc percipitur, ex animæ principatu in corpus sibi conjunctum perperam colligi à Bellarmino, indirectâ saltem potestate præditam esse in temporalibus Ecclesiam : ita enim constitutum Deus voluit hominem, ut ex animâ et corpore totum aliquod efficeretur, ac sejuncto

animæ dominio, caro suis destitueretur usibus, ierèque statim contabesceret; at ex revelatione, aut rationis humanæ placitis nihil excuditur, quod admoneat spirituali potestati temporalem famulari : accedit quòd si ad propositum accommodata esset ista comparatio, ipsa probaret, ut directam in corpus exercet anima potestatem, sic in temporalia Ecclesiam directum habere dominatum. Non aliâ mente S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum, et principem irascentem, utitur exemplo animæ carni imperantis, quàm ut ostendat, longè præstare spiritualem potestatem temporali, sicut longè antecellit anima corpori.

Elevandum unum superest, quod videatur forsitan inter cætera quæ hic objiciuntur, potissimum : futurum scilicet, ut nisi Ecclesia indirectè valeat de temporalibus pro suâ prudentiâ, quantùm postulabit defensio Religionis, decernere, Deus Ecclesiæ suæ necessitatibus sufficienter non provideret. Ecclesiæ suæ Christus Dominus, qui pro illâ semetipsum tradidit, abundè largitus est quidquid præsidii necessarium sit, spiritualem ut ex eâ finem consequatur : nec verendum est, ne ullis unquàm inferorum aut mundi succumbat molitionibus; nascentem nedùm adjuvarent, obruere conati sunt Judæi ac gentiles; in ejus interitum conspirârunt pluribus etiam seculis principes ac populi : at omnipotentis et fallere nescii sponsi sui suffulta promissionibus, in suum decus et incrementum convertit ingruentium omne genus tempestatum. Quòd si fortè contingat ut « duæ potestates inter se colli- « dantur, inquit Bossuetius, ne propterea putes « omnia in incertum fluctuare aut abire in di- « versa, ut equos ruptis habenis, sed intùs « adesse occultum moderatorem Deum, qui « sollicitari interdùm Ecclesiam suam, non « tamen dissipari velit. » Sicut *non sunt facienda mala ut eveniant bona*, Epist. ad Rom., sic nec ordo quem constituit Deus invertendus est, ad præcavenda, aut propulsanda incommoda quæ certè prævidit, ac vel solo nutu avertere potest, aut etiam ad bonorum inopinatam congeriem traducere.

Inst. : Qui potest majus, potest et minus; plura potest Ecclesia spirituali auctoritate efficere, quæ temporalibus majora sunt; deinde potest Ecclesia de administrandis temporalibus tradere præcepta; eorumque observationi providere; potest eleemosynas et jejunia indicere; removebantur ab officiis civilibus, quos publicæ addixerat pœnitentiæ; potest per excommunicationem temporalibus reum privare commodis, ut puta solito cum fidelibus colloquio aliisque nonnullis civilis commercii usibus.

Resp. paucis ad hæc omnia : Qui potest majus potest et minus, quando minus includitur majori aut ab eo essentialiter religatum pendet; non autem quando diversi sunt ordinis, et utrumque suo in ordine supremum est et absoluti juris.

Ecclesia potest quæ ad rectam bonorum temporalium administrationem lege divinâ præcipiuntur, edocere, divinisque præceptis propriam suam sanctionem adjicere, at spiritualem, nihilque sibi juris in temporalia vindicando. Potest eleemosynas et jejunia præstituere, at non temporalium bonorum ereptione aut dominiorum translatione, ad illa salutis adminicula delinquentes adigere.

Abstinere tenebantur à civilibus officiis pœnitentes publici; quæ repetere si voluissent, nullo potuissent per decreta Ecclesiæ affici damno temporali.

Quid valeat excommunicatio seu anathema, verbis illis Christi significatur : *Dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus; amen dico vobis : quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

Declaratur eò loci id esse datum à Christo suis Apostolis eorumque successoribus, ut à communione fidelium possint inobedientem, si contumaciter obluctetur, amovere, cœlorum Domino confirmante quas in terris sententias protulerint; neque verò cogitandum est his verbis : *Sit tibi sicut ethnicus et Publicanus*, ipsa etiam adimi temporalia; id si dicatur, affirmari pariter necesse est, temporalium dominio caruisse ethnicos et Publicanos, ut propterea eorumdem bonorum damno mulctati intelligantur excommunicati.

Quòd si decursu temporum, excommunicatione percussi, nisi resipuerint, habiti sunt infames, *intestabiles*, ad quædam vitæ civilis inhabiles, id ex eo ductum est quòd christiani principes, tùm quoad fieri potest, leges suas ad bonos mores, atque evangelicam disciplinam aptaverint, non quòd excommunicatio, temporali ullo jure bonoque privare transgressores per se valeat.

Objicies 2° : Participes fecit Christus Apostolos potestatis, quam acceperat à Patre, et

quâ usus fuerat inter annuntiandum Evangelium; at de illo scriptum fuerat psalmo 2 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo;... postula à me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* De regiâ ipsius divinitate testimonium perhibuit, missus ad Mariam angelus dicens, Luc. cap. 1 : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* In Apocalypsi, cap. 19, v. 16, vocatur *Rex regum, et Dominus dominantium;* hâc de suâ potestate dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.* Hanc potestatem, etiam dùm mortalem degeret vitam, non semel exeruit, sive cùm vendentes ejecerit è templo, sive cùm pecorum gregem quem incesserant dæmones, permiserit in mare Galilææ præcipitem ruere :

Resp. 1° cùm illustrissimo Bossuetio : « Non « quærimus quam etiam homo Christus habeat « potestatem, sed cujus potestatis vicarium « Petrum ejusque successores reliquerit; illius « profectò quâ peccata remittit, quâ veritatem « docet, quâ sacramenta tradit, non autem il- « lius quâ regit gentes in virgâ ferreâ, ac tan- « quàm vas figuli confringit eas, et ipse calcat « torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis : « hæc enim potestas, non decretis, non cano- « nibus, non externis ministeriis ac formulis, « sed omnipotentissimâ atque occultissimâ « efficaciâ constat; hujus potestatis non reli- « quit vicarios episcopos, eorumque caput Ro- « manum pontificem, sed consortes adscivit « sanctos omnes qui mundum vicerint : *Qui « enim vicerit dabo illi potestatem super gentes, « et reget eas in virgâ ferreâ; et tanquàm vas « figuli confringentur, sicut et ego accepi à Patre « meo.* »

Resp. 2° cùm ipso Bellarmino, « potuisse « Christum hominem, si voluisset, et si expe- « dire sibi visum fuisset, accipere regiam au- « ctoritatem; tamen noluisse, et proinde nec « accepisse, nec habuisse non solùm executio- « nem dominii et regni, sed nec auctoritatem « vel potestatem regni ullius temporalis. » Lib. 5 de Romano Pontifice, cap. 4.

Id probandum sequenti argumentatione suscipit Bellarminus : regalem potestatem, si habuit, vel ex hæreditariâ successione, vel electione, vel jure belli, vel dono speciali Dei; deinde ostendit Christum ut hominem nullo modo temporale regnum obtinuisse : non hæreditariâ successione : nam etsi ortus sit ex familiâ regiâ, tamen non constat an ipse esset magis proximus Davidi, quàm alii multi eâdem ex familiâ oriundi : præterea tunc ablatum erat regnum à familiâ David, idque Deo volente, qui etiam prædixerat Jerem. cap. 22, ex Jechoniæ familiâ ex quâ Christus ortum duxit, nullum futurum regem, nimirùm temporalem, eo modo quo fuerat David, ejusque successores. Non titulo electionis, ut patet ex illo Lucæ, cap. 12 : *O homo, quis me judicem constituit aut divisorem inter vos?* et ex illo Joann. c. 6 : *Cùm cognovisset quia venturi essent, ut facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus.* Non jure belli : nam bellum ipsi fuit non cum regibus mortalibus, sed cum principe tenebrarum, ut declaratur Joan. c. 12 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foràs;* et ad Coloss. 2 : *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso;* et 1 Joan. 3 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Denique *non dono speciali Dei :* comperta sunt hæc verba Christi : *Regnum meum non est de hoc mundo,* Joan. c. 18, et ibid. : *Regnum meum non est hinc :* ut enim exponunt Patres, Dominus his verbis prohibere voluit ne in suspicionem vocaretur affectati à se regni Judæorum; quasi, ut Bellarminus interpretatur, diceret : « Ego quidem rex sum, « sed non eo modo quo Cæsar et Herodes : nam « regnum meum non est de hoc mundo; id « est, non constat honoribus, opibus, potentiâ « mundanâ. »

Gentes dictæ sunt hæreditas Christi, quia in eo benedicendæ erant, secundùm fidem à Deo datam Abrahæ : *In semine tuo benedicentur omnes gentes,* ac sanguine priùs redimendæ, ut ab eo possiderentur. « Rex Christus, inquit præ- « clarè S. Augustinus, quòd mentes regat, « quòd in æternum consulat, quòd in regnum « cœlorum, credentes, sperantes amantesque « perducat; » quod ut luculentiùs demonstraret, ait Bossuetius : « Prodit quidem rex Chri- « stus, sed ipsâ purpurâ illusus, coronâ spineâ, « solio cruce, eâque unâ regium titulum præ- « ferente; venitque in mundum, nil magnifi- « cum, nil regium spirans, mundi quidem « victor, sed uno vanæ pompæ despectu; » quin ipsâ nativitate subjectionem imperio et imperatori professus.

Non pugnat cum prophetiâ Jeremiæ mox indicata Gabrielis archangeli declaratio, qui Lucæ cap. 1, dixit : *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus.* Loquebatur enim Jeremias de regno temporali, Gabriel autem de regno spirituali et æterno; eò revocatur quod dixit de populo Israelitico S. Augustinus, lib. 17 de

Civitate Dei, capite 7 : « Qui populus erat re-« gnum amissurus, Christo Jesu Domino nostro « per novum Testamentum non carnaliter, sed « spiritualiter regnaturo. » Quod regni genus assumpserit explicat his verbis ipse Christus Dominus : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis,* Matth. 20, 28. Ad redimendos à peccatis homines, illisque persuadendum terrenarum rerum contemptum, necessaria non fuit regia potestas, neque tali potestate, sed divino et absoluto, quale habebat ut Deus, dominio, vendentes expulit è templo gregemque permisit abire præcipitem in mare. Hæc ipsius angeli verba : *Et regni ejus non erit finis,* nonne patefaciunt haud esse temporale regnum Christi, cùm regnum Judææ occupatum fuerit paulò post à Romanis, nunc autem à Saracenis possideatur?

Ex dictis satis intelligitur quo sensu dixerit Christus : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.* Et certè verba quæ proximè sequuntur, non aliam denotant ac spiritualem in verbo Dei prædicando, et sacramentis dispensandis constitutam : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Jam verò, si potestatem temporalem Christus ipse ut homo non sibi vindicaverit, quî conveniret eam episcopis, aut ipsi Romano pontifici tribuere? *Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum.*

Objicies 3° : In lege naturæ conjuncta fuit cum sacerdotio temporalis auctoritas; idem contigit sub lege Mosaicâ, tum in Heli summo pontifice, tum in Assamonæis : nihil causæ est cur principatum nullum temporalem etiam concesserit Deus religionis christianæ præsulibus; quid verò innuunt verba ista principis Apostolorum, Epist. 1, cap. 2 : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium?* At quid Christus ipse indicatum voluit, cùm dicentibus discipulis : *Ecce duo gladii,* respondit : *Satis est?*— Resp. : Ad sacerdotium non pertinet ex suâpte naturâ temporalis principatus : *Omnis enim pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,* Hebr. 5, 1. Nulla ibi mentio de temporali regimine; Mosaicâ in lege nonne penès tribum Levi fuit sacerdotium, imperium autem penès tribum Juda? Quæ si aliquando conjuncta fuerint, id non oritur ex naturâ temporalis principatûs ipsiusque intimis principiis. In Germaniâ sunt episcopi qui principatum id genus teneant; at non quatenùs episcopi, neque ex divinâ institutione, sed christianorum donatione principum, qui voluerunt Ecclesiæ majorem inde splendorem accersere. Ad omnes fideles referuntur hæc verba S. Petri : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium;* sacerdotes vocantur latiori sensu, quia spirituales hostias, orationes scilicet, pia opera offerre Domino debeant; *reges* autem, quia destinati æterno illi regno, de quo dicendum est in die judicii : *Venite, possidete paratum vobis regnum;* quale sit illud sacerdotium, edocetur etiam, primâ Petri, cap. 2 : *Vos autem domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Qualis autem regia illa dignitas, explicatur Apocal. cap. 3 : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Vid. cap. 2 Epist. ad Ephes., cap. 1 ad Tim.

Ad objectum Evangelii locum respondet Bellarminus : « Ad litteram, nullam fieri mentio-« nem eo in loco Evangelii de gladio spirituali, « vel temporali pontificis, sed solùm Dominum « verbis illis admonere voluisse discipulos, « tempore passionis suæ in iis angustiis et metu « ipsos fuisse in quibus solent, qui tunicam « vendunt, ut emant gladium, ut ex Theophi-« lacto aliisque colligitur. » Unde cùm dicentibus Apostolis : *Ecce duo gladii,* respondit Christus : *Satis est,* non ideò materialem discipulis contulit gladium; Petro enim qui deinde percussit pontificis servum, dixit illum increpans : *Mitte gladium tuum in vaginam,* Joan. 18, 11; sed vel sermonis abrumpendi causâ, ut placet Theophilacto, vel significandi rem gladio non esse gerendam, cui aliunde impares essent duo gladii contra circumfusam satellitum multitudinem. Ita interprete Eutymio.

Inst. : S. Bernardus à suspicione adulationis tam remotus, materialem ipsum gladium profitetur et Romano pontifici Christo annuente competere : « Quid tu denuò, inquit l. 3 de « Consid., c. 3, usurpare gladium tentes, quem « semel jussus es reponere in vaginam? quem « tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur « attendere verbum Domini dicentis sic : *Con-« verte gladium tuum in vaginam;* tuus ergo et « ipse tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu « evaginandus; alioquin, si nullo modo ad te « pertineret,.... non respondisset Dominus : « *Satis est,* sed *nimis est.* » — Resp. 1° : Hæc verba, si ad litteram intelligerentur, non indirectam solum, verùm etiam directam in temporalia potestatem Romano tribuerent Pontifici, quod tamen potestatis genus ei alienum

esse demonstrat pluribus argumentis ipse Bellarminus. 2° Totus est S. Bernardus loc. cit. c. 6, ut probet ne supremo quidem pontifici à Christo concessam esse decernendi de temporalibus auctoritatem, nec eâ si careat, è propriâ dignitate ullo modo excidere : « Itane, « inquit, imminutor est dignitatis servus, si « non vult esse major domino suo, aut discipulus, si non vult esse major eo qui se misit, « aut filius, si non transgreditur terminos quos « posuerunt patres sui? *Quis me constituit judi-* « *cem?* ait ille Dominus et magister; et erit « injuria servo discipuloque, si non judicet « universos? » Quibusdam interpositis adjicit : « Ergo in criminibus, non in possessionibus « potestas vestra : quoniam propter illa, et non « propter has, accepistis claves regni cœlorum, « prævaricatores utique exclusuri, non possessores. » De temporalibus generatim ita pronuntiat : « Habent hæc infima et terrena ju- « dices suos, reges et principes terræ; quid « fines alios invaditis? quid falcem vestram in « alienam messem extenditis? » 3° Ne sibi repugnantem faciamus S. Bernardum, dicendum est hoc unum velle S. doctorem, ut ad Ecclesiæ defensionem concessus sit à Deo non pontifici, sed principibus secularibus materialis gladius; eoque sensu *ad nutum* pontificis exerendus, quòd principes tanquàm vindices canonum, et protectores Ecclesiæ, ad mentem, consilium et hortamenta pontificis se accommodent in rerum conjunctis, quæ ipsorum patrocinium invocare videantur; interpretationem istam indicant hæc ejusdem doctoris verba, ex objecto capite decerpta : « Uterque « ergo Ecclesiæ et spiritualis scilicet gladius, et « materialis; sed is quidem pro Ecclesiâ, ille « verò ab Ecclesiâ exerendus est; ille sacer- « dotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sa- « cerdotis, et jussum imperatoris. » Nonne ad jussum etiam pontificis aliquando esset educendus Christo concedente, si indirectam saltem potestatem in temporalibus, ex divinâ institutione obtineret?

Objicies 4° : De secularibus judiciis sic disserebat Apostolus 1 ad Corinth. cap. 6, v. 2 : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?* Ex hoc principio hanc elicit conclusionem : *Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad judicandum.* Ergo poterat Ecclesia, idque non concessione principum, utpote tunc antichristianorum, sed Christi Domini constituere magistratus, qui de temporalibus judicarent, eaque auctoritas, asseverante Apostolo, ex altiori potestatis genere quo Christus donavit Ecclesiam, ultrò ac necessariò consequitur; si enim Ecclesia possit judicare mundum, et quidem jure suo, cur temporales non potest eodem jure lites dirimere? — Resp. : Non id persuasum Corinthiis voluit S. Paulus, penès esse Ecclesiam impertiente Christo, magistratus iis constituere qui judiciis præessent, sed ut consensione mutuâ arbitros eligerent, quod legibus Romanis licuisse, ipsa jura clamabant; nitebatur Apostolus fideles deterrere ab ethnicorum adeundis tribunalibus, ne jurandi per gentilium deos, aut etiam christianam ejurandi fidem, periculum ingrederentur; redarguit ad hæc tribunalia confugientes, quasi christianâ in societate deessent, quorum prudentiæ et probitati litigantes dijudicandas suas causas mutuò ac liberè committerent. *Sic non est,* ait, *inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter fratrem suum?* At ex eo quòd Ecclesia possit de spiritualibus judicare, non sequitur hanc potestatem, indirectè saltem in temporalibus valere; nam præterquàm quòd hæc et illa specie et naturâ inter se differunt, non semper ipsis in temporalibus rectè ita concluditur : *Qui judicare potest majorà, potest et minora;* nam, v. g., si judices à rege constituantur, qui reum læsæ majestatis judicent, non idcircò jus habent ferendæ privatis de negotiis sententiæ, quantiscumque affluant ingenii animique dotibus.

Objicies 5° : In conventu Cleri Gallicani habito anno 1329 apud Vicennas, coram rege Philippo Valesio, de limitibus ecclesiasticæ jurisdictionis, conquerente Petro de Cugneriis consiliario regio usurpari à viris ecclesiasticis regiam in res civiles et temporales jurisdictionem, solamque ipsis competere spiritualem contendente; perorantes nomine Cleri Gallicani, electus Senonensis, et Bertrandus episcopus Eduensis, temporalem quoque ex jure divino, sed indirectam vindicârunt Ecclesiæ; sic Bertrandus, tractatu de Origine et Usu jurisdictionum, sive de spirituali et temporali Potestate, disserebat : « Cujus est judicare de fine, « ejus est judicare de ordinatis in finem, quia « ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumi- « tur ex fine; cùm igitur corpus ordinetur ad « animam, et temporalia ad spiritualia tan- « quàm ad finem, Ecclesia quæ habet judicare « de spiritualibus, potest, et meritò, de tem-

« poralibus judicare. » Biblioth. Patrum, t. 26, p. 116, col. 2. Asseruit etiam *electus Senonensis*, decernendi de temporalibus potestatem competere Ecclesiæ ex jure divino, naturali, canonico et civili, et consuetudine et privilegio.

Resp. in prædicto conventu non id propositum fuisse, ut definiretur ea dogmatica quæstio, num videlicet jure divino Ecclesiæ suppeteret auctoritas in temporalibus; agebatur de assignandis ac determinandis jurisdictionis ecclesiasticæ limitibus; eam intra spiritualia omninò esse coercendam, propugnabat dominus de Cugneriis (de Cugnières), nullâque concessione hanc ultra metam posse promoveri; illam verò auctoritatem, quantùmcumque et quocumque ex jure sibi retinendam putarent, defenderunt coram rege appellati præsules; in eâ rex nihil immutatum voluit; nec ullum refertur Cleri Gallicani decretum, quo asserere voluerit datum esse à Christo Ecclesiæ de temporalibus statuere; si quid ergo ab electo Senonensi et Bertrando Eduensi episcopo prolatum sit in defendendâ Cleri Gallicani causâ, quod positum à Christo et Patribus jurisdictionis spiritualis terminum revellat, id ardentiori minùsque cauto defensorum illorum studio, seu privatæ eorum sententiæ, non autem Clero Gallicano imputandum est; neque existimandum est descivisse Clerum Gallicanum à principiis decessorum suorum; qui vel non ita pridem, occasione lugendi Bonifacium VIII inter et Philippum Pulchrum dissidii, assertioni nostræ tam liquidò suffragati sunt.

Quæ afferebat argumenta Bertrandus ut probaret contulisse Christum Ecclesiæ indirectam saltem in temporalia potestatem, ea jam soluta sunt illis refellendis quæ protulit Bellarminus.

Conclusio II. — *Nullam Ecclesiæ dedit Christus potestatem reges ac principes deponendi, aut eorum subditos à fide et obedientiâ illis debitâ eximendi.*

Cum assertione jam probatâ indivulso nexu conjuncta est ista propositio; si enim nullam à Christo in temporalibus potestatem mutuata sit Ecclesia, quantò minùs valeat reges ac principes propriis è sedibus dejicere, et quo illis obstringuntur subditi, sacramentum fidelitatis tollere! In eâ maximi momenti causâ elaborandum præcipuè, nec verendum est ne illius suscipiendo patrocinio, pontificiæ, quæ à Christo derivata est, derogetur auctoritati, decemve, ut arguebat cardinalis Perronius, conciliorum detrahatur decretis.

I. *Probationis primum genus, desumptum ex institutionibus Christi et Apostolorum; tum ex agendi ratione christianæ societatis, vel maximè periculosis persecutionum temporibus.*

Toto vitæ curriculo ac præsertim passionis suæ tempore, obstrepentibus quantùmlibet sævientibusque inimicis, adimplevit Christus, id quod prænuntiatum fuerat Isai. 42, Matth. 12: *Calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.* Potuisset, ut Deus, adversantes sibi arbitratu suo dissipare et obterere; potuisset etiam, ut homo, rogare Patrem suum, et plusquàm decem legiones angelorum qui pro ipso decertarent, impetrare: verùm invictæ auctor et exemplar patientiæ, *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè*, 1 Petr. 2. Fore prædixerat Apostolis, ut contruderentur in carceres, traherenturque ad reges et præsides propter suum ipsius nomen, Luc. 21; quasnam ipsis vias et subsidia vincendi subministrat? Pollicetur quidem illis *os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii*, ibidem; at istud animis eorum insculptum voluit documentum: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras*; hanc eamdem eis suadebat patientiam cùm diceret, Matth. 10: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Talibus imbuti monitis ac præceptionibus Apostoli, ad eosdem quibus induebantur sensus, incitabant commissos sibi fideles: *Si benefacientes*, inquit S. Petrus, *patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis*; eos quoque admonet debitæ principibus obedientiæ, *sive regi*, quasi *præcellenti, sive ducibus, tanquàm ab eo missis*: unde liquet, ait Estius in hunc locum, *principibus etiam infidelibus, et valdè malis obediendum esse.* Quam S. Petrus tradidit doctrinam, eamdem confirmavit eodem ductus et accensus Spiritu Apostolus gentium, Rom. 13: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Præpositorum suorum insistentes vestigiis Christiani, sævientibus licet persecutionum procellis, pati noverant ac mori, impositum secularis potestatis jugum excutere nefas arbitrantes, et spondentes in omnibus obsequium, quæ Deo probata essent, à quo defluit omnis potestas. « De pectore, ut « ait Tertullianus Apologet. c. 30, inter tor-

« menta postulantes pro omnibus imperatori-
« bus, vitam illis prolixam, imperium securum,
« domum tutam, exercitus fortes, senatum fide-
« lem, populum probum, orbem quietum, et
« quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt. »
Illis temporibus imminebat maximum Religioni periculum; agebatur de christianæ reipublicæ incolumitate vel interitu; instabant hostes undique, ipsam à fundamentis si fieri posset exscindere parati; si quando indirectâ potestate liceat Ecclesiæ, temporalem adoriri et oppugnare principatum, tum jus illud expromere quid prohibuerit?

Refellitur quoddam Bellarmini responsum. — Bellarmini responsionem piget referre, adeò indigna nobis videtur tanto viro, et de Religione in plurimis optimè merito: « Quòd si,
« inquit, Christiani olim non deposuerunt Ne-
« ronem et Diocletianum, Julianum Apostatam
« ac Valentem Arianum et similes, id fuit quia
« deerant vires temporales Christianis; nam
« quòd alioqui jure potuissent id facere, patet
« ex Apostolo, 1 ad Corinth. 6. » Itane imbecillitati tribuenda est, ea Chistianorum flagrantibus persecutionibus patientia, quæ tantum christianæ Religioni peperit decus, ipsisque infidelibus admirationis venerationisque sensum incutiebat? ergo istud oraculum: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo,* cùm funderet ipsa veritas Christus, id duntaxat declaratum voluit: Vos, Judæi, qui Romanorum imperio tam ægrè et impatienter soletis obsequi, animum manusque cohibete, tamdiù dùm vobis accrescant vires; reddite interea quæ sunt *Cæsaris Cæsari;* postea, si quando spes affulgeat vosmetipsos importuno jugo subducendi, tum in arma consurgite audacter, nihil jam credentes debitum Cæsari. Sic etiam allocutus esset Apostolos: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum;* nebulosis dissimulate temporibus: *in patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras,* donec, augescente discipulorum numero, securè possitis impetum facere in aulam, in senatum, munita in oppida, et illatas ulcisci, aut impendentes repellere per vim injurias; tum ex ovibus facti leones, prosternite, dirumpite, atterite quidquid vobis obstiterit. Ita etiam, ut verbis utamur doctissimi Bossuetii Juriæum ministrum refellentis, tot celebratam præconiis patientiam suam commendâssent in apologiis Christiani. « Il est vrai,
« sacrés empereurs, vous n'avez rien à crain-
« dre de nous, tant que nous serons dans l'im-
« puissance; mais si nos forces s'augmentent
« assez pour vous résister par les armes, ne
« croyez pas que nous nous laissions ainsi égor-
« ger; nous voulons bien ressembler à des
« brebis, nous contenter de bêler comme elles
« et nous couvrir de leur peau, pendant que
« nous serons faibles; mais quand les dents et
« les ongles nous seront venus comme à de
« jeunes lions, et que nous aurons appris à
« faire des veuves et à désoler les campagnes,
« nous saurons bien nous faire sentir, et on
« ne nous attaquera pas impunément. » Commonitorio Bossuetii adversùs Protestantes, cap. 14.

Quâ verò de causâ non valuissent Christiani romanæ, si voluissent, ditioni obluctari, atque in libertatem se vindicare, id paulisper urgendum nobis videtur, quod ut christianæ Religioni summo est honori, ita et assertioni nostræ, valido est argumento. An vim vi repellere non potuissent præ numero Christiani? At ævo apostolico, ut docent Epistolæ S. Pauli ad Romanos cap. 1, et Colossenses cap. 1, *in universo mundo* annuntiabatur et fructificabat christiana fides; quàm latiùs temporibus S. Justini et Tertulliani esset disseminata, ex illorum scriptis perspectè colligitur; numquid tum dissociati erant fideles, et ideò cœptis exequendis minùs idonei? At fraterno eos amore devinctos tenebat quem ipsi admirabantur ethnici, christiana religio, animosque facilè conciliat communis causa, commune depellendum periculum; ignavi fortassè dicentur, et formidine debilitati atque abstracti; verùm ex illis cùm viri, tùm et mulieres et infantes, mortem irretorto spectabant oculo, ita ut *æneum* vocarentur hominum genus, quasi movere illis doloris sensum tormenta non possent; num denique ducibus caruissent quos sequerentur? sed quæ subministrat arma necessitas, duces quoque eadem suscitat, quibus certatim adhærescant libertatis appetentes catervæ. Audire præstat è veteribus nonnullos Religionis patronos, qui abjectum Bellarmini responsum opportunè antevertendo confutaverint. Quo furore in Christianos exarderent gentiles, sic enarrat Tertullianus Apolog. c. 37: « Quoties in Christianos desævitis, par-
« tim animis propriis, partim legibus obse-
« quentes! Quoties etiam præteritis vobis, suo
« jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus
« et incendiis! Ipsis bacchanalium furiis, nec
« mortuis parcunt Christianis, quin illos de
« requie sepulturæ, de asylo quodam mortis,
« jam alios jam nec totos avellant, dissecent,

« distrahant. » Quid injuriosum magis et iniquum, atque ad inflammandos animos excutiendæ subjectionis, si liceret, desiderio? tum exponit Tertullianus quàm patienter sese gesserint Christiani, quantacumque obvia forent ad jugum deficiendum incitamenta et adminicula. « Quid tamen unquàm denotâstis, de tam « conspiratis, de tam animatis ad mortem « usque, pro injuriâ repensatum? Quando vel « una nox pauculis faculis largiter ultioni pos- « set operari, si malum pro malo dispungi « penès nos liceret? Sed absit ut aut igni hu- « mano vindicetur divina secta, aut doleat pati, « in quo probatur! » Quantùm multitudine et animi fortitudine valerent Christiani, ita declarat : « Si enim et hostes exertos, non tan- « tùm vindices occultos agere vellemus, deesset « nobis vis numerorum et copiarum? Plures « nimirùm Mauri et Marcommani, ipsique « Parthi, vel quantæcumque, unius tamen loci « et suorum finium gentes, quàm totius orbis? « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, « urbes, insulas, castella, mancipia, concilia- « bula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, « senatum, forum; sola vobis relinquimus tem- « pla. Cui bello non idonei, non prompti « fuissemus, etiam impares copiis, qui tam « libenter trucidamur, si non apud istam di- « sciplinam magis occidi liceret, quàm occi- « dere? » Eâdem mente scripsit S. Cyprianus ad Demetrianum : « Nemo nostrûm, inquit, « quando apprehenditur, reluctatur, nec se « adversùs injustam violentiam vestram, quam- « vis nimius et copiosus sit noster populus, « ulciscitur. » Nec minùs urgentia quæ tradit S. Augustinus egregio tractatu de Civitate Dei, lib. 22, cap. 6 : « Neque tunc, inquit, « civitas Christi quamvis adhuc peregrina- « retur in terris, et haberet tamen majorum « agmina populorum, adversùs impios perse- « cutores, pro salute temporali pugnavit, sed « potiùs ut obtineret æternam, non repu- « gnavit. »

Seculo quarto quo regnavit Julianus Apostata tot progressus habebat, tam altas egerat radices christiana Religio, ut quemadmodùm ait S. Gregorius Nazianzenus, Oratione tertiâ in Julianum, « eam velle immutare, nihil aliud « fuerit quàm Romanum imperium convellere, « ac de rerum summâ periclitari. » Quantùm christianæ fidei essent dediti exercitus ac populi, ex Joviniani, post Juliani mortem, defuncto Joviniano, Valentiniani, christianissimorum principum electione ad imperium colligi potest. Attamen cùm adeò et multitudine et robore atque animis valeret Ecclesia, servata est ac præstita integra fides Juliano Apostatæ nihil non molienti ut christianam Religionem è medio tolleret, quod mirabiliter prædicat S. Augustinus : « Julianus extitit « infidelis imperator, extitit apostata, iniquus « idololatra; milites christiani servierunt im- « peratori infideli; ubi veniebatur ad causam « Christi, non agnoscebant nisi illum qui in « cœlo erat; si quando volebat ut idola cole- « rent et thurificarent, præponebant illi Deum; « quando autem dicebat : Producite aciem, « ite contra gentem, statim obtemperabant; « distinguebant Dominum æternum à domino « temporali, et tamen subditi erant, propter « Dominum æternum, etiam domino tempo- « rali. »

Promptum esset atque jucundum, varias excurrendo per ætates, demonstrare, sub imperatoribus hæreticis Ecclesiam eadem in secularem potestatem tenuisse fidelitatis et observantiæ placita quibus institerat sub ethnicis principibus. Hæc fusè et eleganter prosequentem consule Bossuetium in Defensione cleri Gallicani, parte primâ, lib. 2, cap. 3 et seq., et in quinto ad Protestantes Commonitorio; unum et alterum duntaxat exempli causâ proferemus testimonium. Quâ mentis impotentiâ, catholicam in fidem desæviret Constantius imperator, notissimum est; tum quàm fervido Nicænæ fidei studio raperetur Lucifer Calaritanus; hic tamen principem illum sic alloquitur in lib. de non parcendo : « Num quia dicas « nos debere tibi obsequia? scito quia non tibi « soli, sed et omnibus nos in sublimitate de- « gentibus, in obsequiis repræsentantibus, no- « vimus esse debitores; dicit enim Apostolus : « *Admone illos principibus et magistratibus sub-* « *ditos esse, obedientes, ad omne opus bonum* « *paratos esse.* » Valentiniani II nonum ferè annum agentis matre Justinâ Arianæ patronâ hæresis regnum administrante, nec non extrema, nisi basilicæ Arianis traderentur, minitante, exclamat ipsa plebs catholica Ambrosii edocta institutis : « Rogamus, Auguste, non « pugnamus, non timemus, sed rogamus. » S. Ambros. epist. 20 ad Marcellinum. Idem S. Doctor, imminente Italiæ Maximo, qui licet imperialis per summum nefas invasor dignitatis, catholicam tuebatur fidem, exclamabat nihilominùs, nedùm vellet eo uti adjutore contra legitimum principem : « Dolere potero, « potero flere; adversùs arma, milites, Gothos

« quoque lacrymæ meæ, arma sunt : talia enim « munimenta sunt sacerdotis; aliter nec debeo, « nec possum resistere. » Sermone contra Auxentium.

Refellitur altera, quæ fingitur, cavillatio. — Ea veritati obstrepit cogitatio, consilii non præcepti fuisse illud quod præeunte Christi et Apostolorum exemplo, exhibuerunt Christiani deflagrante persecutione obsequium. Itane verò princeps Apostolorum merum exhibuit consilium, cùm hortatus ad obediendum *sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquàm ab eo missis,* adjicit : *Quia sic est voluntas Dei,* 1 Petri cap. 2. Numquid solum consilium referunt hæc verba S. Pauli ad Romanos : *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam : ideò enim et tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes; reddite ergo omnibus debita.* Hinc adversantibus divinæ Religioni principibus, subditos se constanter profitebantur et arctissimo obedientiæ vinculo adhærebant Christiani : « Quid ego ampliùs, inquit Tertul- « lianus Apolog. cap. 33, de religione atque « pietate christianâ in imperatorem, quem ne- « cesse est ut suspiciamus, ut eum quem Do- « minus noster elegit? Et meritò dixerim, « noster est magis Cæsar à Deo nostro con- « stitutus. Iidem sumus imperatoribus, qui et « vicinis nostris; malè enim velle, malefacere, « maledicere, malè cogitare de quoquam ex « æquo vetamur; quodcumque non licet in « imperatorem, id nec in quemquam; quod in « neminem, eò forsitan magis, nec in ipsum « qui tantus est. » S. Justinus relato Christi Domini sanctissimo effato : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* etc., sic prosequitur in Apologiâ ad Antoninum Pium : « Proinde nos solum « Deum adoramus; læti inservimus, impera- « tores ac principes hominum esse profitentes, « et simul precantes, ut cum imperiali pote- « state sanam quoque mentem obtinere com- « periamini. » Athenagoras in Apologiâ pro Christianis ad imperatores Aurelium Antoninum et L. Aurelium Commodum : « Ut calumnias « refellam, Religionis rationes expono : ... ut « vobis patri et filio in potestate sunt omnia, « regno divinitùs in vos collato; *regis* enim « *anima,* inquit propheta, *in manu Dei est;* « sic uni Deo et Filio ejus, hoc est Verbo in- « separabili, subjecta sunt omnia. » Cum ipso Dei Patris et Filii imperio, confert ipsam ethnicorum principum auctoritatem; hìc vel inviti temperamus nobis à recensendis pluribus verum pronuntiatis proposito nostro congruis, quæ christianæ Religionis divinam indolem oculis mirum in modum subjiciunt.

II. *Secundum probationis genus, desumptum ex supremâ dignitate et nulli obnoxiâ principum in temporalibus auctoritate.*

1° Ad hanc assertionem speciali ratione et potiori jure pertinent, quæ attulimus, de necessario discrimine spiritualis potestatis à temporali; tametsi autem propriâ constitutione aliquam sibi vindicaret Ecclesia in temporalibus potestatem, non eò usque conscenderet, ut reges ipsos expoliare posset, et ab iis abalienare subditos; tanta enim, remotis præjudiciis, insidet mentibus reverentia sacræ illorum majestatis, ut ipsum Davidem quamvis in regem unctum à Samuele prophetâ, pœnituerit, oram chlamydis Saül ipsum persequentis abscidisse latenter in speluncâ Engaddi; quod ita refertur 1 Regum, c. 24 : *Post hæc percussit cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saül; dixitque ad viros suos : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Non leviter pensanda sunt hæc verba : *Quia Christus Domini est,* quæ soli Deo mulctandas pœnis temporalibus, ubi expedire judicaverit, reservari criminales principum causas persuadeant.

2° Nedùm ex revelatione testimonia depromantur quæ notum faciant posse quemquam hominum pœnas id genus à principibus exigere, generaliter præcipitur, ne exceptis quidem sacerdotibus et Apostolis, jussa eorum, modò non sint divinis contraria legibus, reverenter exequi; divinam hanc ordinationem demonstrat illud Apostoli : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quem in locum sapienter S. Chrysost., in cap. 13 Epist. ad Rom.: « Omnis anima potestatibus superminentibus « subdita sit, etiamsi Apostolus, si Evangelista, « si propheta, sive quisquis tandem fueris; ne- « que enim pietatem subvertit ista subjectio. » Effato illi planè suffragatur Pelagius I in Epist. ad Childebertum regem : « Quanto nobis, in- « quit, studio ac labore satagendum est, ut « pro auferendo suspicionis scandalo obse- « quium servitutis nostræ regibus ministre- « mus, quibus nos etiam subditos esse, sanctæ « Scripturæ præcipiunt. » Nullâ unquàm delebitur oblivione illud Christi oraculum : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* Christianorum mentes hoc ideò profundè

pervaserat, nec in temporalium administratione, quemquam in terris superiorem imperatoribus esse suspicabantur. Hinc de principibus illis verè dixit Tertullianus : « Sentiunt « Deum esse solum, in cujus solius potestate « sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, « ante omnes, et super omnes deos. » (Apolog. cap. 39.) Et lib. ad Scapulam, cap. 2 : « Colimus ergo et imperatorem, sic quomodò et « nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem à « Deo secundum, et quidquid est, à Deo consecutum, et solo Deo minorem : hoc et ipse « volet, sic enim omnibus major est, dùm solo « Deo minor est. » Qui solo Deo minor est, ab hominibus profectò eâ auctoritate exui non potest, in quâ superiorem inter homines habet neminem. Neque reponatur principes in temporalibus, non minùs soli Deo subesse, quamvis ab Ecclesiâ pendeat ipsorum potestas, quia manavit à Deo spiritualis potestas, et vices Dei gerunt, qui sunt illius compotes; hæc si alicujus momenti esset responsio, dicendum pariter, in spiritualibus soli Deo subjacere principes, cùm in religione ministris pareant à Deo institutis ejusque vices agentibus : deinde ex eo quòd Dei vicario dùm in temporalibus pareret imperator, censeretur obsequi Deo, non idcircò dici posset *major omnibus præter Deum;* quemadmodùm verè dicitur intra rerum temporalium ordinem : *Omnibus major est, dùm solo Deo minor est.* Hinc humanis judiciis quoad pœnas temporales, subducuntur peccata principum ; id probat exemplo Davidis Clemens Alexandrinus lib. 4 Stromatum : « Tacitè significans, inquit, peccatum quod legi non « subjicitur, scitè modestiam suam ostendens, « subjungit : *Tibi soli peccavi, et malum coram « te feci.* » Idem adnotavit eodem de principe S. Ambrosius : « Rex utique erat ; nullis « ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges « à vinculis delictorum ; neque enim ullis le« gibus ad pœnam vocantur, tuti sub imperii « potestate; homini ergo non peccavit, cui « non tenebatur obnoxius. » Similia legere est apud S. Hieron. Epist. ad Rusticum.

Nihil sapientius, nihilque componendis aptius dissidiis, si quæ fortè ecclesiasticam inter ac temporalem oriantur, quàm illa Ozii Cordubensis episcopi admonitio, Constantium imperatorem ita compellantis : « Tibi Deus im« peria tradidit, nobis ecclesiastica concredi« dit; ac quemadmodùm qui tibi imperium « subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue « ne si ad te ecclesiastica subtrahas, magni « criminis reus fias : *Reddite,* scriptum est, « *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, « Deo ;* neque nobis igitur terræ imperare « licet, neque tu adolendi habes potestatem. »

III. *Probationis tertium genus, desumptum ex perniciosis sententiæ quam refellimus consectariis.*

1° Hæc sententia, nedùm, ut ejus defensoribus videtur, majorem possit reverentiam Apostolicæ sedi conciliare, timendum esset potiùs ne ipsi conflaret invidiam, spiritualisque potestas ac temporalis, quas Deus voluit æterno sociatas fœdere, inter se colliderentur, in lugendum utriusque detrimentum. 2° Eadem præbere posset occasionem infirmandæ sacerdotium inter ac imperium concordiæ ; injiceret enim periculum provocandæ principis alicujus ultionis, qui intentari sibi supremæ amissionem potestatis indignatus, subjectos sibi populos fortè retraheret à debitâ ecclesiasticæ auctoritati obedientiâ. 3° Principes infidelium nonnunquàm retardaret à suscipiendâ et profitendâ fide : vererentur enim, ne per baptisma non in spiritualibus tantummodò, verùm etiam in temporalibus, ecclesiasticæ jurisdictioni subjacere putarentur, ac deinde illato violatæ Religionis crimine, suo tandem orbarentur principatu. Neminem etiam latet, quàm acerbè, quod impugnamus placitum, exprobraverint hæretici, ut ansam refugiendæ catholicæ communionis, quasi omnibus probatum esset Catholicis et haberetur velut catholicæ dogma fidei. 4° Si quandò tentatum sit movere limites quibus à spirituali potestate secernitur temporalis, quæ tum et quanta malorum incubuerit cohors, certioribus consignatum est monumentis ; nemini vel levem rerum humanarum notitiam assecuto inauditum est, quales animorum offensiones attulerit famosum nimis Bonifacii VIII cum Philippo Pulchro dissidium; qualis inde in Galliâ ordinum omnium commotio erumperet ac perturbatio ; quot graviores impenderent atque efferbuissent tempestates, nisi ab eo sedatæ, qui ventis imperat et mari !

Religionis ergo et regnorum utilitatibus ac necessitatibus consultum voluit clerus Gallicanus Declaratione anni 1682, cujus hic est primus articulus : « Primùm beato Petro, ejus« que successoribus, ipsique Ecclesiæ, rerum « spiritualium, et ad æternam salutem perti« nentium, non autem civilium temporalium à « Deo traditam potestatem, dicente Domino : « *Regnum meum non est de hoc mundo,* et iterùm :

« *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ* « *sunt Dei, Deo;* ac proindè stare apostolicum il- « lud : *Omnis anima potestatibus sublimioribus sub-* « *dita sit : non est enim potestas nisi à Deo; quæ au-* « *tem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit* « *potestati, Dei ordinationi resistit;* reges ergo « et principes in temporalibus nulli ecclesia- « sticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque « auctoritate clavium Ecclesiæ, directè vel in- « directè deponi, aut illorum subditos eximi « à fide atque obedientiâ, ac præstito fidelitatis « sacramento solvi posse; eamque sententiam « publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs « Ecclesiæ quàm imperio utilem, ut verbo « Dei, Patrum traditioni, et sanctorum exem- « plis consonam omninò retinendam. »

Solvuntur argumenta quæ ex Scripturis opponuntur.

Ex sacris litteris objiciuntur nonnulla quæ propositam quæstionem reipsà non attingunt, ut unctio regum eorumque designatio, per Samuelem facta, aliosque interdùm prophetas. Aliud est enim prophetico et extraordinario munere perferri et annuntiari oracula et mandata supremi numinis, aliud est aggredi ad aliquem de solio dejiciendum principem, quod neque Samuel, neque alius quisquam attentavit propheta; haud magis ad rem pertinet illata mors Athaliæ jussu pontificis : « Quid mirum « est, inquit, Bossuetius, si pontifex sub rege « septenni, quem neci exemerat, quem in « templo educaverat ab incunabulis, quem filii « loco habuerat, quem regno restituerat, tu- « torem agens regis, in impiam Athaliam re- « giæ majestati subditam ejusdemque læsæ « ream, pro potestate animadvertit? neque « enim aliter constituta erat regi regnoque « salus. » Verisimiliùs objicitur exemplum Oziæ regis, qui cùm leprâ inficeretur, per sacerdotes tum ejectus est è templo, tum civili societate, tum regni orbatus administratione, in ejusque locum subrogatus filius ejus Joathan, 2 Paral. 26. Ex hoc insigni facto sunt qui colligant, posse sacerdotali ministerio à publicæ rei administratione amoveri principes, propter susceptam hæresis labem leprâ significatam et longè deteriorem.

Ad illud exemplum accedit quòd Christus voluerit ut habeatur tanquàm *ethnicus et publicanus,* qui Ecclesiæ auctoritati obsequium detrectaverit; inde istud contexitur argumentum : Per excommunicationem interdicitur eorum consuetudine, qui pœnam illam incurrerint, sive privati, sive principes; quid autem posset in administrando regno princeps cujus consuetudine prohiberentur subditi? nonne tum *indirectè* regiâ exueretur auctoritate?

Resp. : Ad exemplum Oziæ regis scriptum est (Levit. 13, 44, 46): *Quicumque ergo maculatus fuerit leprâ, et separatus est ad arbitrium sacerdotis.... omni tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra.* Cùm spretis divinis institutionibus monitisque sacerdotum, incensum adolere voluisset rex Ozias, *statim orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis : festinatò expulerunt eum Azarias pontifex, et reliqui sacerdotes : sed ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini* (2 Paral. 26). Hìc, ut videre est, agitur de casu singulari apertâ lege sancito, inflictâ per subitaneum miraculum pœnâ confirmato; ad alia delictorum genera illud trahi non patitur æquitas, aut recta disceptandi ratio; adde quòd nec Oziæ ablatum sit regnum, sed illius à Joatham regis filio suscepta est administratio tanquàm regis ipsius nomine, quemadmodùm factum esset, si leprâ qui affectus est, idem correptus fuisset amentiâ. Ad evangelicum autem pronuntiatum, quo ecclesiasticæ contemptor auctoritatis jubetur haberi *tanquàm ethnicus et publicanus,* neque apud Judæos, neque apud Christi discipulos habebantur ethnici principes, tanquàm gubernandi auctoritate privati; impia illorum jussa dùm refugerunt crebrescentibus persecutionibus Christiani, eorum tamen potestati debitum certatim impendebant honorem et obsequium, ut demonstratum est. Nec aliter usque ad Gregorium VII se gesserunt ipsi pontifices, erga principes hæreticos vel apostatas; neque enim Liberius Julianum Apostatam, aut Constantium hæreticum deponendos censuit, nec Damasus Valentem, nec Felix III Zenonem Eutychianum, nec Symmachus Anastasium, à quo per famosum libellum lacessitus fuerat; non Joannes I Theodoricum Arianum, à quo in vincula conjectus est, non Agapetus Theodatum item Arianum, non Silverius Justinianum, à quo in exilium missus est, nec Martinus I Constantem Monothelitam supremâ spoliare auctoritate tentaverunt. Quod spectat ad prohibitam cum excommunicatis consuetudinem, quo maximè argumento Gregorii VII temporibus commovebantur multi, ne Henrico IV imperatori auderent præstare debitum à subditis obsequium, certissimum est consensione theologorum,

ipsisque summorum pontificum decretis, interdictum illud de excommunicandis vitandis, quatenùs ad humanam solitamque consuetudinem pertinet, exceptionem necessitatis, non solùm physicæ, ut vocant et ineluctabilis, sed etiam moralis et civilis admittere ; quare cùm etiam erga privatos causis occurrentibus necessariis temperetur, urgeri ipsum erga principes tanto incommodo rerum humanarum, ac tanto reipublicæ et Religionis periculo, repugnat divinæ ordinationi atque Ecclesiæ institutis.

Instabis : Magistra morum constituta Ecclesia, Religionis integritati invigilare, atque evangelicam debet doctrinam pro viribus tutari ac defendere ; finge animo principem, qui excusso divinæ auctoritatis jugo, subditos ad hæresim, ad Mahumetismum impellere et adigere pertinaciter moliatur, nonne poterit Ecclesia hunc principem, materno admonitum affectu, sed contumeliosè et contumaciter obluctantem, redarguere, tum denique denuntiare indignum qui principatum teneat, eodemque ipsum abdicare, subditosque declarare immunes à sacramento fidelitatis, cùm ipse jam à sacramento defecerit, quo sese ad illorum patrocinium Religionisque defensionem obstrinxerat ?

Resp. : Ut Ecclesiæ spiritualia, ita et principibus secularibus temporalia commisit Deus; quòd si princeps aliquis, nedùm se gerat ut ministrum Dei, Religionis patronum, subditorumque tutorem ac patrem, divina et humana jura despicari et proculcare obstinato perstiterit proposito, monitis quidem pro suâ sapientiâ et charitate adoriri eum poterit Ecclesia, spirituales, si opus fuerit, comminari et intentare pœnas, easdem ingravescente ejusdem protervià tandem adhibere ; at nec potest quidquam de potestate illius abstrahere, aut subditos deterrere ab illi præstandâ in licitis obedientiâ. Quæ servando legitimæ administrationis ordine emendari nequeunt, divinæ sunt permittenda providentiæ ; neque præjudicandum ita esse omnia in terris constituta, ut votis omnia respondeant ; cavendumque, monente Apostolo, ne fiant mala ut eveniant bona. Sacramento licet addicantur principes in Religionis ac reipublicæ tutelam et præsidium, non tamen hoc ipso quo desunt officiis, excidunt à principatu, neque potest Ecclesia de illis abrogando decernere.

Instabis iterùm : Princeps imperio, non imperium principi, nec principatûs eam conditionem esse voluerunt, coeuntes in corpus politicum diversæ familiæ, ut suo arbitratu, fasque ac nefas permiscente libidine, pessumdandis humanis rebus ac divinis intentus esse videretur ; poterit ergo dijudicare Ecclesia utrùm eò usque iniquitas increverit ac lues, ut solemne quo devincti sunt subditi vinculum fidelitatis remissum ac ruptum fuerit, idque si declaraverit, idem tum assequetur ac si pœnam *depositionis* reipsà infligeret.

Resp. : A Deo profluit auctoritas principum : *Per me reges regnant,* inquit, *et legum conditores justa decernunt ; per me principes imperant*, Proverb. c. 8; neque quos ipse constituit, illos ex possessione dimovere cuiquam concessum voluit. Imò, etiamsi ab hominibus societatis appetentibus ortum duceret regia potestas, haud tamen sub pacto expresso vel tacito illius revocandæ, et aliò transferendæ, cùm eâ principes aliqui abuterentur, collata esset; quàm commentitia sint hujusmodi pacta, et exitiosa forent societati, demonstravit doctiss. Bossuetius, in sapienti et erudito Commonitorio 5 contra ministrum Juriæum.

Solvuntur quæ ex monumentis historiæ ecclesiasticæ obtenduntur.

Antequàm refutentur ea quæ assertionem nostram verè oppugnare videantur, quædam sunt expungenda quæ ipsam vel nullo modo, vel leviter attingunt. 1° Theodosium imperatorem, propter cædem Thessalonicensem, cùm aditu Ecclesiæ prohibuisset S. Ambrosius, « deinde præcepit ei, ut legem ferret, ne sententiæ latæ de cæde vel bonorum publicatione ratæ forent, nisi post triginta dies à sententiæ pronuntiatione, » ut nimirùm « si quid per iracundiam præcipitanter dictâsset, intra tot dierum spatium revocare posset. » Ne unum quidem verbum extat eò loci, quo indicetur abrogandæ regibus potestatis aut minuendæ facultatem sibi assumpsisse S. Ambrosium : ut judex ad spiritualia præpositus, spiritualem indixit pœnam, confitentem reum prohibendo communione fidelium ; ut spiritualis medicus, contraria curavit contrariis, iracundiam jussit cohiberi patientiâ ; præcipites sententias, triginta dierum interpositâ morâ, prævertere et amoliri conatus est.

2° Ad aliquod stabiliendum quod concesserat privilegium, S. Gregorius Magnus hanc apposuit clausulam, quam sibi potestatem exauctorandi principes vindicanti, Gregorius VII favere existimavit : « Si quis verò regum, sacerdotum, judicum atque secularium

« personarum, hanc constitutionis nostræ pa-
« ginam agnoscens, contra eam venire tenta-
« verit, potestatis honorisque sui dignitate ca-
« reat, reumque se divino judicio existere de
« perpetratâ iniquitate cognoscat. » Quidquid sit de authenticitate clausulæ illius, quam esse adscititiam doctissimi multi arbitrantur, hæc verba sunt imprecantis, non imperantis aut judicantis, sicut et illa quæ mox subjicit : *In æterno examine districtæ ultioni subjaceat;* nec sanè verisimile est S. Gregorium tantâ reverentiâ supremos principes quamvis iniquos prosecutum, ut ostendimus, mentem hanc induisse, ut si fortè privilegii alicujus executionem impedirent, reges ipsos è potestatis fastigio dejicere, totiusque imperii statum interturbare statuisset; verùm dignitatis et auctoritatis jacturam violatoribus dicti privilegii imprecando, Davidem æmulatus est proditori sic imprecantem : *Et episcopatum ejus accipiat alter;* haud absimiles S. Gregorii formulæ imprecationis adhibentur in conciliis Toletanis 4, canone 75, 6, canone 3, et 7, canone 1; solemnes fuisse in fundationibus et donationibus hujusmodi execrationes probant formulæ Marculfi et monumenta plurima, de quibus doctissimus Mabillonius, in opere cui titulus : *De re diplomaticâ.*

3° Auctores Græci, Theophanes, Zonaras et Cedrenus, referunt prohibuisse Gregorium II ne Leoni imperatori Iconomacho solverentur ab Italis vectigalia, quod quidem imperatoriam vellicaret ac restringeret auctoritatem. At id fuisse à Græcis confictum, ad concitandum in Romanam et omnem Latinam Ecclesiam odium, constat tum ex epistolis appellati pontificis ad Leonem imperatorem, in quibus generali principio accuratè discriminat spiritualem temporalemque potestatem, tum ex epistolâ Caroli Magni ad Constantinum et Leonem, in quâ testatur Gregorium II et III venerationem sanctorum imaginum solis precibus defendisse apud imperatorem, tum denique ex testimonio trium historicorum Pauli Diaconi, Anastasii Bibliothecarii et Platinæ; quantùm abesset à lædendâ principum majestate Gregorius II, sic enarrat Paulus Diaconus qui eodem tempore, hoc est, circa medium octavi seculi scribebat : « Omnes Ravennæ exercitus, vel
« Venetiarum talibus jussis (quibusdam scilicet
« imperatoris) uno animo restiterunt, et nisi
« eos prohibuisset pontifex, imperatorem su-
« per se constituere fuissent aggressi. »

4° Opponitur factum Zachariæ de quo ita Bellarminus : « Rogatus à primoribus Franco-
« rum, Childericum III (ex Merovingianâ stirpe
« postremum) deponi, et in ejus locum Pipinum
« Caroli Magni patrem, regem creari jussit; cu-
« jus causa fuit, quia propter socordiam Childe-
« rici, et Religioni et regno in Galliâ, extrema
« ruina imminere videbatur. » Plurimos hujus facti deinde commemorat approbatores; in tractatu autem de Potestate Papæ, contra Barclaium, nititur duodecim illud historicorum confirmare testimoniis. Hoc si premeretur argumentum, ex eo concludendum esset, directâ in temporalibus potestate instructum esse summum pontificem, quod potestatis genus ipse inficiatur et refellit invictè Bellarminus : non hæresis aut morum corruptelæ insimulatus fuit Childericus; non infensum se præbuerat, aut inobsequentem auctoritati Ecclesiæ; quod verò de impendentibus ex imputatâ illi socordiâ Religioni periculis causatur Bellarminus, ut taceamus accusationem illam de priscorum Meroveæ stirpis regum ignaviâ et socordiâ, eruditè confutatam fuisse à Carolo le Cointe Oratoriano, t. 4 et 5 Annalium, quo jure, quâ æquitatis ratione potuisset hæreditario regno pacificè possesso spoliari propter imputatam ignaviam princeps quindecim, aut ad summum octodecim annos natus? Quæ quidem ætas flectendis imperii habenis vix sufficiat; talis accusatio nonne potiùs refunderetur in majores domûs ac palatii, penès quos rerum omnium erat administratio? Cæterùm quo tempore actum fuisse refertur de Childerici *depositione*, disciplinam ecclesiasticam in Galliis viguisse, probant quæ Suessione et alibi celebrata sunt concilia : neque obstabat ille princeps tuendæ Religionis studio, quod maximè pertinet ad episcopos. Ad explicandum Zachariæ factum respondent multi theologi, consensu duntaxat et consilio, *non viâ auctoritatis*, promovisse pontificem illum Childerici depositionem : auctores videlicet multi referunt, cùm quæsitum ab illo fuisset, quisnam potiori titulo dicendus esset rex, an ille cui regis est nomen, sed vacuum et inutile, an qui sejunctim à nomine regiam habeat auctoritatem, tum respondisse, dicendum illum potiùs regem, apud quem summa potestatis esset. Multa Honoratus Tournely congerit argumenta, ut ostendat attentatam non fuisse à Zachariâ depositionem Childerici. Totam hujusce facti invidiam conjicit D. le Cointe in ambitionem Pipini, qui tametsi primùm injustè supremam arripuerit potestatem, mortuo tamen legitimo

hærede, et accedente totius gentis electione, legitimus evasit ac verus Gallorum princeps. Sive auctoritate interpositâ, sive consilio duntaxat auctor fuisset Zacharias depositionis legitimi hæredis et possessoris Childerici, dejectionem illam juri humano divinoque adversari patet ex dictis, neque ullo modo evincitur, Ecclesiæ comprobatam fuisse auctoritate, aut ullo sedis Apostolicæ decreto. Factum esset oblivione delendum, non juris argumentum.

5° Leo III « imperium, ait Bellarminus, « transtulit à Græcis ad Germanos, propterea « quòd Græci nullum auxilium laboranti Ec« clesiæ occidentali afferre possent: » inde concludit « imperatores, qui fuerunt à tempore « Caroli Magni, pontifici debere suum impe« rium. » Non imperium, sed imperatoris nomen, Romanis ultrò acclamantibus, accepit à Leone III Carolus Magnus: ante delatam hanc appellationem, jam occupato Longobardorum regno, subjectâque sibi Italiâ, jamdudùm imperator Occidentis re ipsâ habendus erat, quamvis nomen illud non affectaret; ne unum quidem terræ angulum, nullam ditionem, jurisdictionem nullam ipsi contulit pontifex: imò ab illo principe donationibus multis ac prædiis aucta fuit et amplificata sedes Petri: nec aliter intelligenda quam scripsit Ludovicus II ad Basilium Orientis imperatorem epistola.

6° Clemens V, in Clementinâ: *Romani pontifices, de jurejurando*, docet à Romanâ Ecclesiâ emanâsse jus et facultatem eligendi imperatorem. — Resp. cum doctissimo Tournely, emanâsse quatenùs consilio, adhortatione et suffragio Romanæ Ecclesiæ factum sit, ut ad quosdam jus illud transferretur, non autem id pontificiâ invectum est auctoritate: præterea Romanum ad pontificem, vi primatûs, ac proinde jure divino delatam fuisse electionem imperatoris, ne Bellarminus quidem dixerit stantibus suis placitis, positâque distinctione directæ ac indirectæ potestatis.

His delibatis, jam ad ea accedendum est quæ uberiori explicatione indigeant.

Solvitur argumentum ex facto, seu factis Gregorii VII (1).

Henricus Germaniæ regum eo nomine IV at imperatorum, nomine eodem (Henrici) III, in flagitia omnis generis præceps, impotenti succensus libidine, nefandâ obcæcatus avaritiâ, tum etiam crudelitate, sacrorum venundatione, ecclesiasticorumque jurium usurpatione infamis, eò usque provectus est audaciæ, ut habitâ Vormatiæ pseudosynodo, depositionem Gregorii VII aggressus fuerit, datisque præceperit litteris, ut summus ille pontifex sese abdicaret primatûs dignitate, in ejusque condemnationem certatim clerus populusque Romanus incumberent. Sanam ad mentem cùm utique revocare illum non posset Gregorius VII, ipsum excommunicavit; deinde spirituales transiliens metas, è solio eum depellere tentavit, anno 1076. Prima hæc est quam tulit de illo imperatore sententia quæ his exordìtur verbis: *Beate Petre Apostole;* decretum autem hæc habet: « Et ideò ex tuâ « gratiâ, non ex meis operibus, credo, quod « placuit tibi et placet, ut populus christianus « mihi specialiter commissus, mihi obediat « specialiter pro vice tuâ mihi commissâ, et « mihi tuâ gratiâ est potestas à Deo data « ligandi atque solvendi in cœlo et in terrâ. « Hâc itaque fiduciâ fretus, pro Ecclesiæ tuæ « honore et defensione, ex parte omnipotentis « Dei Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, per « tuam potestatem et auctoritatem, Henrico « regi, filio Henrici imperatoris, qui contra « tuam Ecclesiam inauditâ superbiâ insurrexit, « totius regni Teutonicorum et Italiæ guberna« cula contradico, et omnes Christianos à vin« culo juramenti, quod sibi fecerunt, vel fa« cient absolvo, et ut nullus ei serviat sicut « regi interdico; dignum est enim ut qui stu« det honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse « honorem amittat quem videtur habere, et « quia sicut christianus contempsit obedire, « nec ad Dominum rediit, quem dimisit parti« cipando excommunicatis, meaque monita « quæ pro salute suâ sibi misi, te teste, sper« nendo, seque ab Ecclesiâ tuâ, tentans eam « scindere, separando, vinculo eum anathema« tis, vice tuâ illigo. » Hoc decreto suspensum duntaxat à regni administratione, non depositum Henricum contendit Natalis Alexander, dissert. 2 in hist. ecclesiasticam XI et XII seculi, artic. 4. Hâc de opinione quidquid sit, princeps ille simulatâ pœnitentiâ absolutionem à Gregorio VII consecutus est; eum deinde relapsum, atque delicta cumulantem, idem pontifex omni auctoritate privatum, fatentibus omnibus voluit anno 1080, decreto quod incipit his verbis: *Beate Petre, princeps Apostolo-*

(1) Post hunc de Ecclesiâ tractatum quædam per modum appendicis subjicientur ad conciliandam cum Gallicano sensu Ecclesiæ agendi rationem. Consule.

rum, et tu, beate Paule, doctor gentium, cujus decreti hæc referre sufficiat : « Confidens de « judicio et de misericordiâ Dei, ejusque piis- « simæ Matris semper Virginis Mariæ, fultus « vestrâ auctoritate, sæpè nominatum Henri- « cum, quem regem dicunt omnesque fautores « ejus, excommunicationi subjicio, et anathe- « matis vinculis alligo; et iterùm regnum Teu- « tonicorum et Italiæ, ex parte omnipotentis « Dei et vestrâ, interdicens ei omnem potesta- « tem et dignitatem illi regiam tollo, et ut « nullus Christianorum ei sicut regi obediat, « interdico, omnesque qui ei juraverunt, vel « jurabunt de regni dominatione, à juramenti « promissione absolvo. »

Ex his omnibus istud conficitur argumentum : Henricum omni auctoritate spoliavit Gregorius VII, subditosque illius solvit à præstito fidelitatis juramento, imò prohibuit ne illi ut regi obtemperaretur; illas irrogavit pœnas eâdem potestate quâ principem illum ab Ecclesiæ communione submovit, potestate scilicet clavium, ut declaratur ipsius decretis; eademque sententia pluribus in conciliis fuit approbata, nempe duobus Romanis ann. 1076 et 1080, præside Gregorio VII; Beneventano, sub Victore III; Placentino, Beneventano, Claromontano, sub Urbano II, Romano, sub Paschali II.

Resp. 1°, idque attentiùs pensandum est, ut observat doctissimus Bossuetius, « ad placan- « dos Catholicos et hæreticos retundendos, de « deponendis regibus nunquàm canonem aut « professionem ab Ecclesiâ fuisse editam, ne- « que à quoquam aut concilio, aut etiam papâ « pronuntiatum esse, ne quis negaret principes « à pontificibus posse deponi, neque ab ullo « doctore, ab ullo historico, ab ullo viro bono « esse scriptum, hæreticum aut schismaticum « fuisse quemquam, eo præcisè nomine quòd « negâsset reges a pontifice posse deponi. » Defens. cleri Gallicani, parte primâ, lib. 3, cap. 5. Quod hìc generatim asseveratur, occasione datâ evolvendum curabimus, et suis astruendum momentis. Certè confirmari idem potest vel ipsius Gregorii VII agendi ratione. Henricum quidem excommunicavit, depositumque voluit; at dogmaticâ nullâ definitione credendum fidelibus proposuit, Romano pontifici aut Ecclesiæ donatum esse à Christo, ut principes regali sede exturbarent, et vincula quibus obligantur subditi, abrumperent. Hinc anno 1102, cùm Paschalis II habito Romæ concilio adversùs Henricum eumdem et ejus asseclas, antecessoris anathemata renovaret, in hæreticis numerati sunt excommunicationis contemptores, præscriptaque hæc formula : *Anathematizo omnem hæresim, et præcipuè eam quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet et astruit anathema contemnendum, et Ecclesiæ ligamenta spernenda esse; promitto autem obedientiam Apostolicæ sedis pontifici domino Paschali, ejusque successoribus, sub testimonio Christi et Ecclesiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia.* Hæc erant quæ solemni illâ professione à schismaticis ad unitatem redeuntibus postularentur; hæc omnia in confesso sunt apud omnes Catholicos; ulteriùs prosilire, aut de regibus deponendis quidquam eâ in formulâ expromere, non passus est Spiritus veritatis. Hinc anno 1105, cum ageretur de reconciliandâ sedi Apostolicæ Henrico, præstitutum est quidem ut fateretur « se injustè Hildebrandum « esse persecutum, Guibertum ei injustè sup- « posuisse, et injustam persecutionem in « Apostolicam sedem et omnem Ecclesiam « hactenùs exercuisse. » Ut autem agnosceret, posse seculares principatus dari aut adimi pontificiâ auctoritate, non id ab ipso postulatum est.

Romanâ in synodo reverà sententiam depositionis in Henricum protulit Gregorius VII; at synodo non approbante ac definiente; id enim Romanis pontificibus consuetum est, ut quod approbante concilio statuerint, edicant hoc idem esse constitutum sacro approbante concilio; sexcenta hujusmodi exempla extant in collectione conciliorum : at in synodis Gregorii VII, nihil occurrit simile : non in illis episcopi interrogati sunt de rege deponendo, nec interpellatum judicium; non decretum depositionis assensione suâ confirmârunt; à reclamando quidem abstinuerunt; quod pluribus de causis a consensu distinctis contingere potuit; tempore Gregorii VII id erat pervulgatum, et quasi generatim persuasum, Romanum imperium summi pontificis auctoritate translatum fuisse in Latinos; pronum erat inde concludere ejusdem esse juris adimere urgente causâ, cujus fuisset conferre principatum; eâ ratione postea Arnulphus Lexoviensis episcopus, in concilio Turonensi, sub Alexandro III, è sacro suggestu sic perorabat : « Si ad veteres recurramus historias, certum « est prædecessores ejus (Friderici I) impe- « rium non de alio jure quàm de solâ sanctæ « Romanæ gratiâ percepisse; nihil igitur plus

« juris vindicare principes possunt, quàm quod « in eos contulit dignatio largientis. » Eâ insidente animis opinione, mirum videri non debet, tacuisse Romani Patres concilii, Gregorio VII sententiam depositionis contra Henricum pronuntiante, qui summum illum pontificem tot contumeliis, tamque pervicaciter affecerat; non diffitemur, in hâc sententiâ Gregorium VII de potestate clavium ita mentionem injecisse, ut inde jus sibi adscripserit deponendi principes; verùm inde non sequitur, hanc pontificis illius opinionem probatam, definitamque fuisse Romanâ in synodo et fidelibus ad credendum propositam.

Henricum, etiam post memoratam depositionis sententiam, pro vero imperatore, non verè deposito habuerunt, Itali, Germani, Angli, Brabantii, Galli; tum qualiter in orbe christiano exceptum fuerit Gregorii VII, de exauctoratione Henrici judicium, testatur summus ille pontifex Epist. ad Germanos Epist. lib. 7, t. Conc. col. 228 : *Quotquot*, inquit, *Latini sunt, omnes causam Henrici* præter admodùm paucos, *laudant ac defendunt, et pernimiæ duritiæ ac impietatis circa eum me redarguunt.* Absit injuria summo à pontifice egregiis aliunde virtutibus commendato; verùm ex ipsius testimonio colligitur non fuisse approbatam nisi à paucis Henrici depositionem, quocumque titulo eam decreverit.

Ab eodem pontifice, quæstionis de potestate exauctorandi reges elucidationem rogavit Herimannus Metensis episcopus; multa congerit Gregorius VII in Epist. eumdem ad episcopum, quæ salvâ tanti pontificis reverentiâ non multùm urgent; eorum præcipuis respondimus, afferendâ præcedentium objectionum solutione; de illis consuli possunt doctissimus Bossuetius, Defens. Cleri Gallicani parte primâ, lib. 1, sect. 1, cap. 8, et Natalis Alexander dissertatione secundâ in Hist. Ecclesiasticam undecimi et duodecimi seculi, art. 9.

Instabis : Gregorius VII aliique pontifices, qui clavium potestate deponi reges arbitrati sunt, si versarentur in errore, quò evaderet Romanæ indefectibilitas Ecclesiæ? Non unus aut alter duntaxat illam sibi attribuerunt auctoritatem, sed pontificum longa series, quamvis illam pauci adhibere tentaverint. — Resp. cum doctiss. Bossuetio loc. cit., l. 3, c. 5 : Qui hæc objiciunt, meminerint id quod est à Bellarmino aliisque magno consensu dictum, nempe accuratissimè discernenda esse, quæ Romani pontifices de facto jusserint, ab iis quæ decreto edito facienda constituerint, neque etiam decretorum omnium parem esse rationem; longèque aliud esse, v. g., factum seu decretum Gregorii VII Henricum deponere aggredientis, aliud verò decretum de potestate deponendi principes, quod universæ Ecclesiæ probandum pontificiâ auctoritate proponeretur. Gregorio VII, ultra suæ auctoritatis fines abducto alii opponuntur, præstandâ etiam virtute conspicui, quorum testimonia retulimus aut indicavimus, qui jura utriusque potestatis, spiritualis nimirùm et temporalis, æquâ lance ponderantes, multò magis Ecclesiæ paci et Apostolicæ sedis venerationi hâc viâ consuluerunt, ita ut Otho episcopus Frisingensis, duodecimi seculi scriptor nobilis, et Gregorii VII studiosissimus laudator, hæc de Henrico deposito dixerit : « Lego et relego Roma- « norum regum et imperatorum gesta, et nus- « quàm invenio quemquam ante hunc (Hen- « ricum) à Romano pontifice excommunicatum, « vel regno privatum. »

Adnotandum obiter historicum istum de illâ excommunicatione verba facere, quæ humanæ etiam civilisque societatis vincula ferè omnia rescinderet : *Quâ separentur*, inquit, *principes ac milites ab imperatoris sui consortio simul et obsequio.*

Eò recidit summa responsionis ad factum Gregorii VII : nempe ante illum pontificem, nullum sibi attribuisse potestatem deponendi principes, neque à summo illo pontifice, neque ab alio propositum fuisse fidelibus decretum, quo adigerentur ad id genus potestatis confitendum; multò minùs tale prodiisse decretum, quod sit ab universali approbatum Ecclesiâ.

Solvitur argumentum desumptum à depositione Friderici II, in concilio generali Lugdunensi, ab Innocentio IV.

Objicies : Hoc saltem insigni facto probatur, virtute clavium depositum fuisse principem, consentiente universali Ecclesiâ, quam potestatis suæ aut ignorâsse, aut prætergressam esse metas, catholicus nemo dixerit. Id elucescet simplici facti illius enarratione.

Fridericum II, imperatorem, jam iterato percusserat anathemate Gregorius IX, depositionisque sententiam contra eumdem edidit anno 1239. *Omnes*, ut ait, *qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti ejusmodi absolutos, et firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo*

excommunicationis obstrictus. Legatos misit idem pontifex ad regem S. Ludovicum et Francorum baronagium, qui agerent de Roberto regis fratre ad imperium eligendo, quod quidem generosè abnuerunt Franci; defunctis Gregorio IX et Cœlestino IV, qui diebus duntaxat 17 pontificatum obtinuit, concilium generale convocavit Lugduni Innocentius IV anno 1245; præfuit ei maximus ille pontifex; adfuêre præter cardinales, quorum dignitati ex rubei pilei concessione novus tunc splendor accessit, patriarchæ tres, Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquileiensis, episcopi quadraginta supra centum, Balduinus Constantinopolitanus imperator, Tolosanus comes, Thadæus de Suessâ imperialis cameræ judex, Friderici imperatoris procurator, Christianissimi regis Ludovici IX, regis Angliæ aliorumque principum oratores. Sententiam in Fridericum imperatorem tulit Innocentius IV, quatuor maximè propter crimina : primum, perjurii multiplicis, et violatæ pacis Ecclesiam inter et imperium sancitæ; secundum, vehementis ac penè evidentis de hæresi suspicionis; tertium, sacrilegii in captione et violentâ detentione cardinalium et aliorum antistitum perpetrati (qui ad concilium generale sub Gregorio IX Romam contendebant); quartum, læsæ pontificiæ majestatis, famosis et protervis contra Gregorium IX scriptis Epistolis, tum et urbium, castrorumque patrimonii S. Petri invasione, tyrannide in Siculos Romanæ vassallos Ecclesiæ, cui accessit accusatio de oppressâ in sacris præsertim electionibus, Ecclesiæ libertate. Istas præcipuè ob causas in Fridericum imperatorem sententiam edidit Innocentius IV, quæ incipit : *Ad apostolicæ dignitatis apicem,* cujus hæc decretoria verba : « Nos « itaque super præmissis, et quàm pluribus « aliis nefandis ejus excessibus, cum fratribus « nostris, et sancto concilio deliberatione præ« habitâ diligenti, cùm Jesu Christi vices, licet immeriti teneamus in terris, nobisque in beati « Petri Apostoli personâ sit dictum : *Quodcum« que ligaveris super terram, ligatum erit et in « cœlis,* memoratum principem, qui se imperio « et regnis, omnique honore et dignitate reddi« dit tam indignum, quique propter suas iniquitates à Deo ne regnet vel imperet, est ab« jectus, suis ligatum peccatis et abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Do« mino ostendimus, denuntiamus, et nihilomi« nùs sententiando privamus; omnes qui ei « juramento fidelitatis tenentur adstricti, à ju« ramento hujusmodi perpetuo absolventes, « auctoritate apostolicâ firmiter inhibendo, « ne quisquam de cætero, sibi tanquàm impe« ratori vel regi, pareat vel intendat; decer« nendo quoslibet, qui ei deinceps velut impe« ratori aut regi, consilium vel auxilium præ« stiterint seu favorem, ipso facto excommu« nicationis sententiæ subjacere; illi autem ad « quos in eodem imperio, imperatoris spectat « electio, eligant liberè successorem. » Hanc legere est sententiam tom. 9 Concil., tum etiam in sexto decretalium, lib. 2, de Sententiâ et Re judicatâ, tit. 14.

Ex his omnibus sic potest disceptari : Sententiam depositionis in Fridericum imperatorem protulit Innocentius IV, *virtute clavium;* eâ quippe innixus quam ibi commemorat Christi promissione : *Quodcumque ligaveris in terris, erit ligâtum et in cœlis,* judicium pronuntiavit, *prælabito maturo examine, cum Patribus concilii;* idipsum testificatur : *Cum fratribus nostris,* inquit, *et sancto concilio, deliberatione prælabitâ diligenti. Præsente,* seu approbante concilio; hæc enim verba, *præsente concilio,* non referunt nudam, et quasi neutram in partem inclinatâ voluntate præsentiam, sed verum consensum, determinatamque approbationem; quod quidem pluribus evinci potest : namque 1°, si legitimâ auctoritate caruerit prolata in generali concilio, depositionis in imperatorem sententia, tali pro viribus obsistere decreto ex quo imminebant gravissima Ecclesiæ pericula, debebant episcopi, cùm teste Apostolo peccent, non solùm qui malefaciunt, *sed etiam qui consentiunt facientibus,* Rom. 1, 32; attamen prælabitâ de tanto negotio diligenti deliberatione, ut dictum est, nullo modo reclamârunt episcopi, universalis Ecclesiæ personam sustinentes. 2° Depositionis sententiæ, non solùm non obstitisse, sed suffragatos esse synodi Lugdunensis œcumenicæ præsules, testatur Matthæus Paris, monachus Albanensis, Anglus, percelebris et accuratæ fidei historicus, dùm refert, Hist. Angl., quo mœrore angeretur Thadæus, cùm affirmâsset Innocentius IV, illa irrevocabiliter se observaturum quæ contra Fridericum imperatorem statuerat : « Ejulans inquit, et flens (Tha« dæus) subintulit : Verè dies ista dies iræ, sicut « antea dixerat, cùm ad concilium plenum, om« nes prælati candelas succensas inclinarent et « extinguerent, excommunicatum imperatorem « deponentes. » Qui excommunicaverunt, iidem omnes eumdem pariter, et eâdem auctoritate deposuerunt. Cùm etiam narrâsset Matthæus

Paris, chartæ quæ regni Anglicani libertatem læderet, Londinensem episcopum Fulconem sigillum suum apposuisse, præeuntibus Anglicanis aliis episcopis, statim subjungit : « Simili « quoque modo cuidam amplæ chartæ, tran- « scriptæ de verbo ad verbum, secundùm char- « tam bullâ papali communitam, de sententiâ « depositionis in Fridericum imperatorem latâ, « apposuerunt omnes prælati signa sua, tam « ad majorem roborationem, quàm memoriam « rei sempiternam. » Imò Innocentius IV ipse, in colloquio cum S. Ludovico, sic eum allocutus est : « Ego, quoad vixero, stabo cum « Franciâ, contra schismaticum Fridericum, « quem damnavit (Ecclesia), et à culmine impe- « rii generale concilium præcipitavit. » 3° Concilii generalis illa consensio ab aliis etiam renuntiatur scriptoribus; de illo depositionis decreto sic loquitur monachus Paduanus lib. 3 Chronicorum « Innocentius papa residens « in concilio, de assensu prælatorum et totius « concilii, protulit contra Fridericum deposi- « tionis sententiam, justè pariter et constan- « ter. » Guillelmus Nangius in Gestis Philippi III, « Fridericum imperatorem Roma- « num (et regem Siciliæ, Innocentius papa, « propter suos excessus et culpas innumeras) « indignum imperio et regno, omnique honore « et dignitate, in concilio Lugduni, eodem sa- « cro approbante concilio, reddidit. » Henricus de Knygthon, canonicus Leycestriensis, appellatis jam historicis omninò consonat : « Inno- « centius papa (de communi consilio totius « concilii, ipsum Fridericum) terribili anathe- « mate condemnavit, et exigentibus culpis suis « ab imperiali dignitate deposuit. » Hæc igitur verba, *præsente concilio*, bullæ Innocentii IV præposita, nedùm excludant, designant potiùs concilii Lugdunensis approbationem; hanc necessariò significant, cùm inserantur postquàm relatum est habitam esse ab Innocentio IV cùm synodi illius episcopis diligentem deliberationem de criminibus Friderici auctoritate suâ, si excusari non posset, exuendi. Idcircò hæc verba, *præsente concilio*, usurpantur, pleno ut aspirante concilio ac solemniter prolatam esse intelligatur depositionis sententiam.

Denique sive tacuerit, sive expressè approbaverit concilium generale Lugdunense latam depositionis sententiam, perinde est, ut adnotavimus; nam *Ecclesia quæ sunt contra fidem aut bonos mores nec tacet, nec facit, nec approbat.*

Resp. 1° : Sunt et quidem insignes theologi, qui verbis illis, *sacro præsente concilio*, totam elevari difficultatem existiment; quorsùm enim inquiunt, insueta hæc in conciliis formula? Ipsâ in synodo Lugdunensi, quæ consentientibus gesta sunt Patribus, ea dicuntur decreta et facta *approbante concilio;* sic canone 13, de prohibendis usuris dicitur : *Præsentis concilii approbatione sancimus*, etc. *Porrò ejusdem concilii auctoritate sancimus, inhibemus* ; can. 14, de Subsidio ad Constantinopolitanum imperium transmittendo legitur : *Ex communi approbatione statuimus.* Dicitur canone 16 de Tartarorum cursibus avertendis : *Sacro suadente concilio universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur.* Canone 17, de parando terræ sanctæ auxilio : *Definientes sacro approbante concilio*, etc., *de communi concilii approbatione statuimus.* Mutatur formula ubi agitur de Friderici depositione, quarenam? nisi ut significetur, quædam in decreto versari, quæ Innocentio IV potiùs quàm concilio generali tribuenda sint.

Non hìc arguendum ducimus ex horrore quem referente Matthæo Paris injecit prolata in Fridericum sententia; commemorat excommunicationis sententiam, quam à Patribus concilii approbatam esse nemo diffitetur : *Talem sententiam excommunicationis*, inquit, *in pleno concilio, non sine omnium audientium et circumstantium stupore et horrore terribiliter fulguravit* (summus pontifex). Scriptoribus qui sententiam depositionis adscribunt ipsi concilio Lugdunensi, opponuntur scriptores, qui non concilio attribuerint, sed Innocentio IV; sic Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico c. 47 : *Ibi* (Lugduni) *deposuit* (Innocentius IV) *dominum Fridericum ab imperio per sententiam definitivam.* Nicolaus Trivettus in Chronico ad annum 1245 : *Venit in Gallias* (Innocentius) *et celebrans concilium in Lugduno, ipsum velut hostem Ecclesiæ privando imperio condemnavit.* Ita etiam Albertus abbas Stadensis in Chronico; Trithemius abbas in Chronico Hirsaugiensi ad ann. 1445. Hinc de solo pontifice, non de concilio conquerebatur Fridericus, ut constat ex ipsius Epistolâ ad regem, prælatos et barones Angliæ, quæ refertur à Matthæo Paris; tum ex similibus litteris quæ leguntur apud Goldastum.

At quid respondetur Matthæo Paris, ipsis etiam concilii Patribus, tribuenti depositionis sententiam? Vel in hoc capite deserendum erit historici illius testimonium, et strictè intelligenda hæc bullæ Innocentii IV præfixa et relata in actis concilii : *Sacro præsente concilio*, vel

dicendum erit, propter conjunctam cum depositione excommunicationem à Patribus concilii approbatam, illum putavisse, approbatam etiam esse ab iisdem ipsam imperatoris depositionem ; temporibus enim illis apud multos obtinuerat præjudicata hæc opinio, per sententiam excommunicationis prohiberi subditos, ne excommunicato solitum impenderent obsequium, quo abnegato, imperandi jus ipsum nihil proficeret, ac veluti abrumperetur; opinionis hujusmodi exempla recensuit doctissimus Bossuetius, Defensione Cleri Gallicani, parte 1, lib. 3, cap. 4. Unum subjiciemus : Dodechinus abbas, Mariani Scoti continuator, de Stephano Alberstatensi episcopo sic loquitur : « Venerabilis episcopus vocato notario « epistolam dictavit, in quâ Henricum hæreti- « cum et excommunicatum, ideòque nec regem « dicendum comprobavit. »

Resp. 2° : Tametsi evinceretur depositioni imperatoris Friderici consensisse et obsecundavisse Patres Lugdunensis concilii, non inde conficeretur id quod totius caput est controversiæ : non enim consequeretur Ecclesiæ datum esse à Christo, ut reges posset muletare supremæ jacturâ potestatis. Fieri enim potuit ut à reclamando abstinuerint concilii Patres, eâ retardati opinione quæ temporibus illis Romanos apud pontifices, multosque alios invaluerat, jus quoddam speciale Romano pontifici, in creationem imperatoris quæsitum esse et comparatum.

Sub Paschali II historicus Gotfridus Viterbiensis dicta hæc tribuit Romanis pontificibus :

Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris.

Hinc profectum illud de imperatore Lothario inscriptum Lateranensi palatio :

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores : Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam (1).

Eò revocatur quod adduximus, Arnulphi Lexoviensis testimonium in Turonensi concionantis synodo, Friderici I prædecessores *imperium non de alio jure, quàm de solâ romanæ Ecclesiæ concessione percepisse.* Haud multò post Innocentius III, lib. 1 Decret. tit. 6, cap. *Venerabilem,* declaravit jus et potestatem eligendi regem qui sit ad imperialem dignitatem promovendus, ad electores à sede Apostolicâ pervenisse, « quæ Romanum, inquit, imperium « in personam magnifici Caroli à Græcis trans- « tulit ad Germanos, sed et principes reco- « gnoscere debent, et utique recognoscunt, « sicut iidem in nostrâ recognovêre præsentiâ, « quod jus et auctoritas examinandi personam « electam in regem et promovendam ad impe- « rium, ad nos spectat, qui eum inungimus, « consecramus et coronamus. » Idem profectò sentiebat Gregorius IX, qui decretum Innocentii III suæ inseruit collectioni.

Post tempora concilii Lugdunensis, idem quoque persuasum habuerunt multi, quos inter eminet Clemens V; de cujus opinione constat ex cap. *Romani pontifices,* in Clementinis, de Jurejurando. Præterea qui regiam retinere auctoritatem indignum leges Palatinæ statuerunt illum fore principem, qui anno integro perstitisset in excommunicatione, quod his verbis testatur Lambertus ad annum 1077 : « Sed dies anniversarius, inquit, quo rex in « excommunicationem devenerat, è vicino « eminens, nullas accelerandi moras patieba- « tur, quia nisi ante eam diem anathemate « solveretur, decretum noverat communi prin- « cipum sententiâ, ut et causâ in perpetuum « cecidisset, et regnum sine ullo deinceps re- « medio amisisset. » His inducti momentis, quæ in medio posita commovebant animos, Patres Lugdunenses potuerunt bonâ fide in mentem sibi inducere, posse summum pontificem imperatori nefario divinarum humanarumque legum contemptori imperium adimere. Innocentium IV fatemur arbitratum esse, hanc sibi potestatem divino etiam ipso jure obtigisse, cùm in decreto contrà Fridericum adhibuerit illam Christi promissionem : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis;* verùm de potestatis illius origine, nulla fuit in Lugdunensi concilio agitata quæstio, nec ullâ in aliâ synodo discussa, nedùm expresso decreto definita fuerit.

Resp. 3° : Ut disserit Bossuetius, ad Ecclesiæ catholicæ fidem non pertinent quæcumque in conciliis ipsis generalibus, gesta sunt ac enuntiata; sed ea tantùm « quæ decreto edito fide- « libus credenda ac tenenda proponuntur, quod « et Melchior Canus copiosè docet, et Catholici « omnes uno ore confitentur. » Defens. Cleri Gallicani, p. 1, lib. 3, c. 1. At de regum depositione dogmaticum decretum nullum, disciplinæ generalis nulla regula, fidelibus proponitur in concilio Lugdunensi : hujus ergo synodi Patres etiamsi, ut Innocentius IV, existimavissent datam esse divinitùs pontifici reges ipsos exauctorandi potestatem, eâque præconceptâ opinione, decreto Innocentii IV

(1) Rodovicus, de gestis Friderici I.

Fridericum deponentis adhæsissent, quà latè pateat, non inde sequeretur hanc eorum sententiam quam definitione nullâ, nullo canone sanxerunt, à fidelibus esse necessariò tenendam; non in deponendo Friderico censerentur universalem repræsentare Ecclesiam : meritò potuisset princeps ille quamvis legitimè excommunicatus, dicere, quod reverà scripsit ad reges Franciæ et Angliæ, *Romano pontifici collatam à Domino plenariam in spiritualibus potestatem : nusquàm tamen lege divinâ, sibi vel humanâ lege concessum, quòd transferre possit pro libito imperium, aut de puniendis temporaliter in privatione regnorum, regibus et principibus cogitare.*

Inst. contra tertiam hanc responsionem : Etiamsi catholicam ad fidem non ea omnia pertineant quæ leguntur in actis conciliorum generalium, repudiari tamen absque temeritatis notâ, interpretatio divini alicujus testimonii quam attulerint Patres œcumenicæ synodi; cùm igitur illâ Christi promissione : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis,* utantur Patres Lugdunensis synodi, ad asserendam summo pontifici potestatem saltem indirectam, in ipsam regiam dignitatem, adhærendum est illi interpretationi, et ab eâ resilire nefas.

Resp. : Quamvis de potestate in temporalia regum, idem quod Innocentius IV, cogitâssent omnes synodi Lugdunensis episcopi, non ex eo colligitur illos adductam promissionis Christi expositionem attulisse, tanquàm universalis doctrinam Ecclesiæ, et ab omnibus necessariè tenendam; nec eos voluisse definire, aut viam sternere ad definiendum, hunc esse proprium et genuinum verborum Christi sensum, traditione ex apostolicâ manantem. Sed retentâ quam induissent ante synodum opinione, ad eam accommodâssent promissionis hæc verba : *Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris,* ad conciliandam depositioni imperatoris auctoritatem, nullâ de indirectâ vel directâ potestate in temporalia, præhabitâ in synodo quæstione; hinc valdè differret illa interpretatio ab expositione verbi divini vel scripti vel traditi, quam legere est in concilii Tridentini canonibus præviis, v. g., de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistiâ, etc.; quibus decretis viam sic parant ac præmuniunt.

Solvitur argumentum desumptum ex concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III.

Objecta nunc diluenda suscipimus quæ minùs expressè, minùs directè videantur Ecclesiæ auctoritati, dominia personamque principum, in temporalibus subjicere; ordiri possemus ab iis quæ promuntur ex synodo generali Lateranensi III, sub Alexandro III; verùm hæc, ut patebit, facilè explicabuntur, enucleatis quæ ad quartam Lateranensem spectant, habitam sub Innocentio III, anno 1215. Hujusce concilii can. 3, quod incipit : *Excommunicamus,* hæc reperiuntur : « Si dominus temporalis « requisitus et monitus ab Ecclesiâ, terram « suam purgare neglexerit ab hâc hæreticâ « fœditate, per metropolitanum et cæteros « comprovinciales episcopos, vinculo excom- « municationis innodetur; et si facere contem- « pserit infra annum, significetur hoc summo « pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus « fidelitate denuntiet absolutos, et terram ex- « ponat Catholicis occupandam, qui eam exter- « minatis hæreticis, sine ullâ contradictione « possideant, et in fidei puritate conservent, « salvo jure domini principalis; dummodò « super hoc ipse nullum præstet obstaculum, « nec aliquod impedimentum apponat; eâdem « nihilominùs lege servatâ circa eos qui non « habent dominos principales. » Eâdem in synodo decernitur postea ut defensores et fautores hæreticorum, *sint etiam infames, sint intestabiles, nec ad testimonium admittantur nec ad hæreditatis successionem accedant.* In concilio eodem œcumenico regibus supremisque principibus, eædem videntur pœnæ intentatæ quæ cæteris dominis temporalibus, quemadmodùm istis indicatur verbis : *Eâdem nihilominùs lege servatâ circa eos qui non habent dominos temporales.* Ergo reges ipsos dominio suo evertendi potestatem sibi vindicat synodus illa generalis : deinde si possit dominos minùs principales ex possessione dimovere, quare urgente causâ et ipsos principales à regiâ auctoritate dejicere non valeat? Si enim divinâ institutione versetur in temporalibus, propria et à Christo domino derivata Ecclesiæ potestas, non minùs ad principes quàm ad privatos extendetur, ut in spiritualibus, ita et in temporalibus, adhibitâ tamen quæ regiæ debetur dignitati reverentiâ.

Resp. : Supremos ad principes non pertinent quæ commemoratæ sunt pœnæ, neque cæteros in dominos temporales, præfatâ in synodo constituuntur, nisi consentientibus Ecclesiamque adjuvantibus, qui supremâ in temporalibus auctoritate potiuntur. 1° Supremos ad principes non pertinent pœnæ quæ indicatæ sunt seu quales canone tertio illius synodi infli

guntur ; pœnas enim quæ odiosæ sunt, ad reges extendi, nisi expressè ipsi designentur, nequaquàm sinunt regia majestas et hæc regula juris : *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Similem ob causam, interdicti communis pœnâ in diœceses vel civitates latâ non perstringuntur episcopi, eoque non obstante, divina possunt obire officia, nisi hoc ipsum eis fuerit expressè prohibitum, sicut statuit Lateranense idem concilium, canone 58, *in favorem episcoporum.* In Constitutione datâ Paduæ, anno 1225, Fridericus II verba ipsa tertii canonis, Lateranensis quarti transcripsit ; sibique, quod ad eos attinet, *qui non habent dominos principales*, idem sibi tribuit quod synodus illa pontifici; eorum autem nomine, intelligere non potuit reges, principesque supremos qui ditiones suas fiduciario jure ab imperatore non obtineant, sed solùm imperii *beneficiarios, seu fiduciarios* (vassaux, feudataires), alios quippe terris suis privare non poterat.

Itaque eorum nomine, *qui dominos temporales non habent,* significari à concilio potuerunt, tùm ii qui ditiones suas ab Ecclesiâ solâ, beneficiario jure impetrârunt, tùm etiam illi qui terras possident ab omni functione, seu præstatione officii immunes ac liberas, ratione quarum, nec fidem, nec hominium (*foi et hommage*) nec aliam servitutem debeant. Quin Ecclesiæ fiduciarii, auctoritate Ecclesiæ, dominiis suis orbari potuerint, perduelles si fuerint, non ambigitur : cæteri autem hoc pœnarum genere, annuentibus principibus et patrocinantibus Ecclesiæ affici potuerunt, cùm spiritualibus pœnis, à perturbandâ Ecclesiæ et regni pace non revocarentur.

Adfuerunt concilio Lateranensi oratores Friderici II, Henrici imperatoris Constantinop., Philippi Augusti, regis Christianissimi, Joannis Jerosolymitani regis, Andreæ Hungariæ, Joannis Angliæ, Hugonis Cypri, Jacobi Arragoniæ ; canonem tertium supra relatum, tacito saltem consensu comprobârunt, intercessuri procul dubio, si dominorum suorum majestatem aut jura læderet.

Sanè, ut animadvertit doctissimus Bossuetius, passim statuitur in imperatorum regumque *authenticis et capitularibus,* ut qui hæc et hæc fecerit, sacro ordine deponatur, excommunicetur, in pœnitentiam redigatur : quæ nihilominùs canonum præsidio constituta esse intelligimus, tametsi non id semper sit enuntiatum ; multa etiam à regibus de Ecclesiis sancita sunt, quæ in canonibus vix ac ne vix quidem invenire possumus : consensu Ecclesiæ valere illa quæ in spiritualibus versantur, intelligendum est ; sic ecclesiasticis cùm in synodo miscentur civilia, aliquot in canonibus, haud minùs secerni oportet quæ auctoritati Ecclesiæ per se competant, ab iis quæ à civili potestate mutuatur sancto et optabili fœdere.

Comitatum Tolosanum, et alias terras Simoni comiti Montis Fortis, per Innocentium III et generale concilium fuisse adjudicata, testantur historici, quos inter Petrus de Valle-Cernaii Hist. Albigensium, capite 83. — Eaque translatio dominii quomodò facta sit, rectè exposuit Rigordus, de Gestis Philippi Augusti : « Per hæc, inquit, tempora (anno 1215) Simon « comes Montis Fortis factus est comes Tolo- « sanus, papâ Innocentio procurante propter « hæreticam pravitatem Albigensium, et prop- « ter apostasiam Raymundi comitis Tolosani. » (Apud Duchesnium, tom. 5 Hist. Franc. scriptorum.) *Verba memoratu digna,* inquit Bossuetius: papa enim *procurat*, rex verò concedit, et tamen pontifici omnia tribuuntur, quòd in causâ Religionem attinente, reges omnia delata ipsi vellent.

Factum istud operæ pretium est aliquantulùm evolvere : belli sacri adversùs Albigenses directionem Innocentio III, quo fuerat auctore susceptum, permiserat Philippus Augustus, difficillimis tum aliis implicatus bellis : auctoritate igitur principis, cui subjacebat jure feudi comitatus Tolosanus, bellatum est cum Albigensibus. (Hujus rei testis est Petrus de Valle-Cernaii, cap. 82.)

Accedit quòd se suaque subjecerat sedis Apostolicæ judicio comes Tolosanus ; septem castra pro securitate tradiderat Miloni summi pontificis legato, quodque videtur inprimis observandum, Arragonum regi, interpositâ jurisjurandi religione, se ditionesque omnes suas obstrinxerat, ut si opus esset, cogi ab eo posset ad obtemperandum Ecclesiæ, idemque præstiterant comites Fuxii et Convenarum (de Foix et de Comminges) et Gasto de Bearno ; hæc leguntur in Tolosani comitis juramento : « Tradentes vobis etiam, et in vos, eosque qui « locum vestrum tenuerint, transferentes cor- « poralem possessionem locorum omnium, et « jura omnia, seu rationes, plenâ jurisdictione « ac potestate, tali modo quòd tam in perso- « nis nostris, quàm iis omnibus nominatis, « voluntati domini papæ et mandato possitis « obtemperare et satisfacere, et cogere cum

« effectu nos, si orte proni et acclives ad man-
« datum ejus prosequendum, quod Deus aver-
« tat, noluerimus adesse. »

Ad Lateranense concilium anno 1215 Raymundus Tolosanus comes, et filius ejus, et comes Fuxii accesserunt *supplicaturi concilio, pro recuperatione terræ suæ*, quam perdiderant, divinâ disponente censurâ, suffragante auxilio signatorum : ita refert Petrus de Valle-Cernaii ; scriptor idem enarrat quanto lætitiæ sensu, quam ingenti populorum applausu, exceptus fuerit in Franciâ comes Montis Fortis, cùm de prælatorum terræ Albigensis, et baronum suorum concilio perrexit ad regem, ut ab eo terram reciperet, quæ ipsi jure feudatorio mancipata erat ; tùm subjungit : « Post « jucunda verò gratæ familiaritatis colloquia, « rex investivit comitem, et confirmavit Du- « catum Narbonæ et Tolosæ ei et hæredibus « ejus ; totam etiam terram quam in feudo ejus « acquisierant cruce signati contra hæreticos « et defensores eorum. »

Ex his quæ hactenùs exposita sunt, colligitur quâ ratione intelligendum sit Lateranensis concilii generalis tertii sub Alexandro III, caput 27 ; eo in canone, de Albigensibus hæreticis eorumque ex stirpe Brabantianis, aliisque nulli parcentibus ætati aut sexui, et *omnia more paganorum vastantibus*, statuitur, « ut « qui eos conduxerint, vel tenuerint vel fove- « rint per regiones, in quibus taliter debac- « chantur, in dominicis et aliis solemnibus « diebus, per ecclesias publicè denuntientur ; « et eâdem omninò sententiâ et pœnâ cum « prædictis hæreticis habeantur adstricti, nec « ad communionem recipiantur Ecclesiæ, nisi « societate illâ pestiferâ et hæresi abjuratis : « relaxatos autem se noverint à debito fideli- « tatis et hominii, ac totius obsequii, donec in « tantâ iniquitate permanserint, quicumque « illis quocumque pacto tenentur annexi. »

Talem verò absolutionem ab Ecclesiâ concessam ne existimes subditis principum supremorum, si fortè in hæresim lapsi essent, aut hæreticis fœderati, inquit opportunè Natalis Alexander : hanc absolutionis speciem canon objectus non attingit, sed de dominis subalternis oppidorum, pagorum aut castrorum, seu de toparchiis, intelligi debet, quos tamen sacra synodus suis toparchiis, dominiis et bonis non privat, vel eorum subditos à debito fidelitatis et dominii absolvit, nisi accedente consensu et auctoritate principum et dominorum principalium quibus ipse jure feudi sunt obnoxii ; declarat et judicat quid mereantur, et quas ipsi pœnas pro meritis infligere debeant principes, quibus mandavit Deus temporalem malefactorum vindictam. Id planè significatur his verbis : « Confiscenturque eorum bona, et « liberum sit principibus hujusmodi homines « subjicere servituti. »

Idem probatur canone 24 contra eos qui Saracenis arma subministrant, aut in piraticis eorum navibus naucleros agunt : « Tales igitur « à communione Ecclesiæ præcisos et excommu- « nicationi pro iniquitate subjectos, et rerum « suarum per seculi principes catholicos et « consules civitatum privatione mulctari, et « capientium servos, si capti fuerint, fore cen- « semus. »

Ipsius capitis 23 concilii Lateranensis tertii initium decerptum est ex epistolâ 93 S. Leonis, in quâ dicitur : « Licet ecclesiastica disciplina « sacerdotali contenta judicio, cruentas non « efficiat ultiones, catholicorum tamen princi- « pum constitutionibus adjuvatur. »

Solvitur argumentum desumptum ex conciliis Constantiensi et Basileensi.

Objicies : Jus et potestatem deponendi principes apertè sibi vindicavit concilium Constantiense œcumenicum ; satis sit referre quod decrevit sessione 14 : « Item sacrosancta sy- « nodus statuit, ordinat et definit, quòd quæ- « cumque persona concilii, cujuscumque sta- « tûs, gradûs, ordinis aut præeminentiæ exi- « stat, ab hoc sacro concilio deinceps, sine « licentiâ concilii, vel ad hoc deputandorum « recesserit ; et quæcumque concilii, aut quæ- « vis alia persona, ipsum concilium quolibet « modo perturbaverit, etc., perpetuò sit infa- « mis, omnique dignitate, honore, statu, offi- « cio et beneficio ecclesiasticis et secularibus, « etiamsi imperialis, regalis, cardinalatûs, aut « pontificalis existat, ipso jure privata, spe « promotionis omninò sublatâ, nec aliqua ei « aperiatur janua dignitatis, aut honoris ec- « clesiastici aut mundani. » Sessione 24, in ducem Austriæ Fridericum, qui bona Tridentinæ Ecclesiæ invaserat, pœnas privationis et inhabilitationis, in constitutione Carolinâ contentas decernit. Indirectam ergo saltem potestatem attribuit sibi concilium Constantiense, principes ipsos nimirùm è bonorum suorum possessione et dominio deturbandi, quando id postulant rerum adjuncta et causa Ecclesiæ.

Resp. 1° : Non ea fuit mens concilii Con-

stántiensis, ut privandos dominiis ac potestate princîpes, aliisve temporalibus pœnis coercendos, quasi per auctoritatem clavium susciperet; quis enim, v. g., putaverit judicâsse synodum generalem id sibi divinitùs esse donatum, ut proprio jure ipsum imperatorem sive consentientem, sive reluctantem traderet carceri? quod in sessione 15 indicatum videtur his verbis : « Sacrosancta synodus Constantiensis præcipit et mandat sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, quam contra venientes vult incurrere ipso facto et sub « pœnâ carceris duorum mensium.... Ne aliquis cujuscumque statûs, ordinis, præeminentiæ aut conditionis fuerit, etiamsi imperiali, regali, cardinalatûs, archiepiscopali « aut episcopali dignitate, in hâc præsenti « sessione, ipsam sessionem, seu pronuntiantes et loquentes in eâdem perturbet, murmuret, impediat, et quemvis strepitum voce « vel manibus, aut pedibus faciat. » Imperatorem, quem præter nullus aderat in prædictâ sessione supremus princeps, quis valuisset vel invitum ad pœnam carceris adigere? Eâdem in sessione sancta synodus in sententiâ contra Joannem Hus editâ ipsum, « attento « quòd Ecclesia Dei non habeat ultra quid gerere debeat, judicio seculari relinquere, « et curiæ seculari relinquendum fore decernit. » Pœnas temporales in Joannem quare decernere ipsa non potuisset, si gladii temporalis jus haberet, ratione peccati et inprimis hæreseos?

Decreta concilii defenderunt pro viribus, qui condendis illis operam contulerint doctissimi theologi, ab adscribendâ Romano pontifici et episcopis, potestate directâ aut indirectâ deponendi reges ipsos longè alieni; tales fuerunt Petrus de Alliaco in procemio libri de Ecclesiæ auctoritate scripto, concilio in Constantiensi, anno 1417; Gersonius lib. de Potestate ecclesiasticâ, consideratione 12. Reclamâssent profectò principum oratores, qui toto ex orbe christiano ad synodum confluxerant: quâ igitur potestate, quo jure pœnas temporales constituit synodus Constantiensis? Eas quidem decrevit proprio jure in feudatarios Ecclesiæ, in alios verò, consensu et auctoritate supremorum, quibus subjacebant, principum.

Quòd non semel temporalibus pœnis feudatarios Ecclesiæ mulctandos censuerit, et mulctaverit hoc expresso nomine synodus Constantiensis, pluribus comprobari potest : v. g., in sessione 41, decernitur incurrenda ipso facto excommunicationis sententia in eos qui bona Romanum in pontificem electi usurpaverint et occupaverint. Statuitur insuper ut « omni officio, beneficio, privilegiis ac digni« tate ecclesiasticâ et mundanâ, feudisque et « rebus aliis, si quæ, aut quas in Romanâ vel « aliis Ecclesiis obtinebit, sit privatus. » Idem confirmatur constitutione Martini V, quæ incipit : *Inter cunctas*, quâ sacro approbante concilio contra Hussitas hæreticos et eorum fautores cujusque dignitatis, præeminentiæ, gradûs, ordinis et conditionis, ne regibus quidem exceptis, decernitur privatio dignitatum, personatuum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac feudorum quæ à quibusque ecclesiis, monasteriis, ac aliis locis ecclesiasticis obtinent : illos autem inter feudatarios Ecclesiæ recensebantur nonnulli principes. Talis autem subjectio neque à jure divino emanat, ut patet, neque limites excurrit feudorum naturâ et conditione præstitutos.

Quod verò pertinet ad princîpes qui ne titulo quidem feudatario, Ecclesiæ in temporalibus subjaceant, dicendum est, temporales quæ in synodo Constantiensi intentantur pœnæ supremis ipsis principibus, eorum decerni interposito consensu expresso vel tacito, cùm suos quisque per oratores adesse, et Ecclesiæ bono providere censerentur. Quò magis pœnæ quædam in concilio propositæ supremam videantur dedecere majestatem, ut incarcerationis pœnæ in ipsum imperatorem constituta, si loquentes in synodo ipse perturbavisset, eò magis testatum voluerunt, quantùm ab impediendâ concilii ordinatâ celebratione abhorrerent, nihil tale unquàm propositurî, nisi annuente religiosissimo imperatore.

Denique quod spectat ad insignes nobilitate et auctoritate viros, supremis tamen subditos principibus, rectè concipitur, quâ ratione freta imperatorum et regum subsidio, potuerit Ecclesia, temporali etiam sanctione, illos in ordinem cogere, et in officio continere : hunc in finem sessione 14 synodi Constantiensis, legitur hoc titulo, *quòd imperator det operam ut concilium sit tutum* : « Sacrosancta synodus « exhortatur invictissimum principem, domi« num Sigismundum Romanorum et Hungariæ « regem, quatenùs placeat patentes litteras sub « suæ majestatis sigillo dare et omnibus prin« cipibus, vassallis et subditis sacri imperii, « et præsertim civibus et incolis civitatis Con« stantiensis, præcipere et mandare, quòd

« manu tenebunt et defendent prædictum con-
« cilium. »

Ex adductis principiis ac responsis, haud operosè intelligi potest, nihil ex concilio Basileensi, nihil ex concilio Tridentino, nihil ex quibusdam factis quæ, ut dicta non iterentur, prætermittenda duximus, expromi posse, quod directam vel indirectam suadeat in regum dominium vel alia temporalia, summo pontifici et episcopis collatam esse à Christo potestatem.

Sectionis quintæ secunda pars.

DE ECCLESIASTICA POTESTATE IN CONSTITUENDA SANCIENDAQUE DISCIPLINA.

Quæ ad morum principia, regulasque innixas rerum naturâ aut divinâ revelatione pertinent, ea, ut liquet, in dogmatibus numerantur, nec in his versatur, jam tractanda quæstio, sequentibus comprehensa capitibus : 1° utrùm verâ jurisdictione polleat Ecclesia; 2° utrùm propriè dictas leges condere valeat; 3° utrùm suo in genere sit suprema, et à Deo solo pendeat auctoritas Ecclesiæ; 4° cui aut quibusnam ex divinâ institutione competat; 5° utrùm ad obstringendam conscientiam indigeat fidelium consensu.

CAPUT PRIMUM.

UTRUM VERA JURISDICTIONE ECCLESIA POLLEAT.

Quamvis diversimodè tùm à theologis, tùm à jurisconsultis usurpetur *jurisdictionis* nomen, hìc eo nomine intelligimus potestatem quæ dicitur *coercitiva*, quâ nempe pro diverso delictorum genere, violatores legum puniantur et coerceantur. Spontè profitemur ecclesiasticæ jurisdictionis quasdam partes non esse à jure divino profectas, sed à beneficentiâ et pietate principum : talis est potestas vim aliquam externam, et temporales quasdam pœnas ad frangendam contumaciam adhibendi, lite cadentes impensis mulctandi, reos comprehendendi et tradendi in custodiam; sunt pariter causæ quæ solâ ex concessione secularis auctoritatis, ecclesiasticum ad tribunal deferuntur. Hæc adscititia, et divinæ institutioni extranea jurisdictio quibusdam in regionibus latiùs patet quàm in aliis; nec eodem in regno iisdem semper circumscripta fuit limitibus; at probandam suscipimus aliam vigere in Ecclesiâ jurisdictionem divinitùs sibi collatam, et suæ inhærentem constitutioni; quâ suum intra ordinem, videlicet in spiritualibus pœnas etiam decernere valeat non ad solum interius, seu conscientiæ forum pertinentes.

CONCLUSIO. — *Jurisdictionem veram et divinitùs acceptam obtinet in spiritualibus Ecclesia.*

Probatur 1° ex Scripturis. Matth. cap. 18 hæc referuntur verba Christi Domini : *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ibi designatur vera et propriè dicta jurisdictio, ubi observantur accusator, testes, prolatum à legitimo judice judicium, irrogataque pœna, propositum ad finem accommodata; porrò hæc omnia occurrunt allato in testimonio: accusator, ille scilicet qui injustè læsus est; testes, quos inducit ad interpellandum reum; judices, quos adit dirimendis id genus litibus præpositi; inflicta pœna : contumacem præcipitur eo loco haberi quo apud Judæos habebantur publicani, et apud omnes supremi numinis cultores, ethnici; hæc, ut perspectum est, non referuntur ad forum *pœnitentiale :* in eo quippe non alius præter pœnitentem requiritur accusator ac testis.

Divini illius instituti certiores advocari nequeunt interpretes ipsismet Apostolis; donatam sibi à Christo idoneam jurisdictionis potestatem, usu ipso comprobârunt : nonne hâc fretus gentium Apostolus Corinthium quemdam ob incestas condemnandum nuptias curavit, eamque condemnationem Corinthiis declarandam ut à communione hominis tanto scelere inquinati abstinerent? *Ego*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri*, 1 ad Corinth. cap. 5. Idem Apostolus de duobus aliis sontibus hanc edidit sententiam : *Ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Istis Scripturæ locis haud obscurè significatur excommunicationis pœna, quæ ad reum tum plectendum, tum emendandum suâpte naturâ ordinatur; præter pœnam hanc judiciariâ illatam potestate, aliam insuper at supernaturalem plerique agnovêre interpretes, in prædicto Apostoli testimonio : reum tradidit Satanæ variis palam divexandum modis, ad incutiendum salutiferum omnibus metum.

Adeò persuasum erat Apostolis, veram sibi auctore Christo impertitam esse jurisdictionem, ut formam judicii præscribat discipulo Timotheo divus Paulus : *Adversùs presbyterum*, inquit, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*, ad Timoth. cap. 5, v. 19. Titum etiam sic admonet : *Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita*, ad Titum, cap. 3, vers. 10 : quæ admonitio excommunicationem, seu separationem à societate fidelium, manifestè indicat. Ad confirmandam hanc judiciariam auctoritatem, spectant ista quoque ejusdem Apostoli pronuntiata : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*, 2 ad Corinth. cap. 10, v. 6. *Ideò hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.* Ibid. cap. 13, v. 10. Nec prætereundum videtur quòd post Tertullianum narrat S. Hieronymus, presbyterum quemdam in Asiâ convictum quòd auctor esset libri (de Itineribus Pauli et Theclæ) et confessum se hoc Pauli amore fecisse, è loco excidisse, (de Scriptoribus ecclesiasticis in Lucam.)

Probatur 2° ex constanti traditione : accuratè Tertullianus in Apologetico exhortationes et suasionem secernit ab excommunicationis pœnâ, quam divinam vocat censuram, obstinatè peccantibus inurendam : « Ibidem (in conventibus fidelium) inquit, etiam exhortationes, « castigationes et censura divina : nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos « de Dei conspectu ; summumque judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis et conventûs et omnis « sancti commercii relegetur. » Apolog. cap. 39. Latis hâc auctoritate judiciis refertæ sunt S. Cypriani epistolæ ; inter alias epistolâ 28 hæc reperire est : « Si quis immoderatus et « præceps sive de nostris presbyteris et diaconis, sive de peregrinis ausus fuerit ante « sententiam nostram communicare cum lapsis, à communicatione nostrâ arceatur, apud « omnes nos causam dicturus temeritatis suæ, « quando in unum permittente Domino convenerimus. »

Postquàm adnotavit S. Augustinus, Mosaicâ in lege, gladio in multos esse vindicatum, statim subjicit, lib. de fide et operibus, cap. 2 : « Quod utique, degradationibus et excommunicationibus significatum est esse faciendum « in hoc tempore, cùm in Ecclesiæ disciplinâ « visibilis fuerat gladius cessaturus. » Deinde quosdam revincit qui instituendæ disciplinæ potestatem, solo docendi et admonendi munere terminarent, « quamdam perversissimam « securitatem præpositis tribuentes, ut ad eos « non pertineat, nisi docere quid cavendum, « quidve faciendum sit, quodlibet autem quisque faciat, non curare. »

Vide S. Chrysot. homil. 14 in primam Epist. ad Corinth. ; S. Gregorium in epist. ad episcopum Larissæum. Quot factis emicat in Ecclesiæ annalibus, ejusdem in pœnis decernendis jurisdictio ! Marcion ab ipso patre suo ecclesiasticæ disciplinæ studiosissimo episcopo excommunicatus est ; Paulus Samosatensis, nefariis pervicaciter implicatus erroribus, nonne fuit à sede suâ dejectus in synodo Antiochenâ seculo tertio, anathemate quoque perculsus ? Eâdem auctoritate, eodem seculo, suis pariter è sedibus deturbati, tum sectator Novatiani Marcianus, tum quòd idolis immolâsse dicerentur, Basilides et Martialis Hispanenses episcopi. Alia innumera in monumentis ecclesiasticis exhibentur exempla quibus conspicuam se fecit pœnis injungendis ecclesiastica jurisdictio ; hæc maximè in conciliis, sive generalibus, sive particularibus prodiit, suo disertè nuncupata nomine.

In concilio Lugdunensi primo generali sub Innocentio IV, ita statuitur : « Interdicti vel « excommunicationis sententias latas ab officialibus archidiaconorum, seu quibuslibet aliis « jurisdictionem habentibus, suffraganeorum « Rhemensis Ecclesiæ subditis, Rhemensis archiepiscopus, et ejus officiales (omissis ipsis « excommunicatoribus) non relaxent, salvâ « contrariâ super hoc consuetudine, si quam « habent. » Concil. tom. 11, parte 1. In concilio Constantiensi proscripti sunt Wiclefi et Joannis Hus potestatem Ecclesiæ impugnantium articuli, ejusdemque synodi confirmandis definitionibus Martinus V, inter alias litterato in fide suspecto proponendas quæstiones, sciscitari jubet, « utrùm credat auctoritatem jurisdictionis papæ, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando esse majorem auctoritate « simplicis sacerdotis. » Quod intelligendum est tum de foro interno, tum de externo, in quo, ut ostendetur, nihil auctoritatis jure divino simplices habent sacerdotes. In concilio Basileensi, dùm præscribitur ut singulis decenniis, generalia celebrentur concilia, præcipitur sedulò inquiri, quomodò episcopi in rebus ad eorum jurisdictionem et administrationem spectantibus se gesserint : habetur quidem mentio de ipsorum jurisdictione in temporali-

bus, quod de concessione principum exponendum est. Concilium Tridentinum vetat ne legati etiam de latere, non solùm episcopos (in causis matrimonialibus aut criminalibus), « impedire, aut aliquomodò eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant, sed nec etiam contra clericos aliasve personas ecclesiasticas, nisi episcopo priùs requisito, eoque negligente procedant. » Sess. 24, cap. 20, de reformatione.

Non minùs disertis verbis enuntiatur et commendatur particularibus in conciliis jurisdictio ecclesiastica : inter alia, sic admonet concilium Coloniense II : « Ecclesiæ igitur sunt claves « istæ ligandi atque solvendi datæ, quas non « ab hominibus, sed à Christo accepit, ut absque divinæ auctoritatis contemptu contemni « non possint ; quapropter Christus præcipit, « ut eum qui Ecclesiam jus dicentem non audierit, pro ethnico habeamus et publicano : « tanta est ecclesiasticæ jurisdictionis vis et « potestas ; hâc coercentur obstinati in sceleribus, pervicaces, rebelles, flagitiosi et contumaces. »

En origo divina ecclesiasticæ jurisdictionis ac potestatis obstinatos coercendi pœnis ad ejus naturam accommodatis. Verbis æquè significantibus eloquitur concilium Cameracense : « Nihil dubitandum est, duplex esse forum ecclesiasticum à Christo, nomine clavium nobis « insinuatum : alterum sacramenti Pœnitentiæ, « quod propriè ad conscientiam spectat, in quo « reus non nisi ex propriâ confessione solvitur « et ligatur ; alterum verò jurisdictionis et regiminis externi, in quo reus non solùm ex « propriâ confessione, sed etiam per testes « convincitur et judicatur, quo judicio publica « delicta corriguntur et puniuntur, ne per ea « homines ab æternâ beatitudine secludantur, « sed ad vitam æternam perveniant, » tom. 15 Concil. anno 1565. In concilio Burdigalensi hæc habentur, t. 15 Concil. an. 1583 : « Sacrarum litterarum monumentis duplicem à « Deo institutam esse potestatem et jurisdictionem constat ; secularem nimirùm et ecclesiasticam : quando igitur jurisdictio ecclesiastica sejuncta est à potestate seculari, « cavere debent clerici, ne secularibus se immisceant causis. »

Consulantur etiam concilia August. (d'Ausbourg), anno 1548 ; Bituricense anno 1528 ; Rhotomagense, anno 1581 ; Rhemense, anno 1583 ; Tolosanum, anno 1590 ; Narbonense, anno 1609.

Marsilii de Paduâ doctrinam, instaurare ipsam conantibus Lutheranis et Calvinistis, strenuè reprobavit celebratum anno 1528 concilium Senonense, asseruitque, prælatis Ecclesiæ exteriorem potestatem competere *jure divino, quo Ecclesiæ conceditur leges ad salutem condere fidelium, et in rebelles legitimâ censurâ animadvertere.* Eamdem doctrinam proscripserat anno 1527 Joannes XXII ; eamdem tres post annos damnaverat sacra facultas Parisiensis, quæ quidem errores non absimiles Marci Antonii de Dominis profligavit anno 1617, cujus damnatas inter propositiones, hæc erat : « Sciant « etiam de jure divino veram jurisdictionem in « Ecclesiâ nullam esse, sed totam charitate « regi. »

Conciliis planè consentiunt comitia Cleri Gallicani ; in comitiis generalibus anni 1606 : « La jurisdiction spirituelle établie dans l'Eglise, « est tellement nécessaire au régime des âmes, « que sans elle le gouvernement et maintien « d'icelles ne peut subsister. » In comitiis anni 1645 : « S'il est certain par les témoignages « exprès de l'Ecriture sainte, que l'Eglise a un « tribunal et une jurisdiction ès choses extérieures qui concernent le salut. » Consulantur etiam comitia anni 1655, 1656, 1681, 1728.

Probatur 3° ex testimonio theologorum et canonistarum : in prædicandam Ecclesiæ in foro etiam externo jurisdictionem convenire theologos ita constat, ut illorum hìc seriem supervacaneum foret attexere : aliquos exempli causâ satis est appellare, et illos ex Gallicanis advocabimus. Petrus de Alliaco enumerandis quæ Christus in Apostolos contulerat, potestatis generibus dixit : « *Quarta est potestas* « judiciariæ correctionis in foro exteriori, per « quam timore pœnæ peccata corriguntur, « præcipuè quæ sunt in scandalum Ecclesiæ, « et hæc data est ibi : *Si peccaverit in te frater* « *tuus*, etc. » De Ecclesiæ Auctoritate tom. 1, lib. 3. Petri de Alliaco celeberrimus discipulus Gerso de potestate ecclesiasticâ, consideratione quartâ, « propriè verò, inquit, dicitur « jurisdictio, facultas, seu potestas propinqua « dicendi vel sententiandi jus in alterum etiam « invitum, et hæc duplex, dùm dixit Petro vice « omnium : *Si peccaverit in te*, etc. » Illustrissimus Bossuetius, lib. 7 Variationum, num. 76, sic conqueritur de attritâ infausto schismate ecclesiasticâ potestate : « Tous ces attentats « étaient fondés sur la maxime dont le parlement d'Angleterre s'était fait un nouvel article de foi, qu'il n'y avait point de juridi-

« ction, soit séculière, soit ecclésiastique, qui « ne dût être rapportée à l'autorité royale « comme à sa source. » Tùm Defensione Declarat. cleri Gallicani parte secundâ, lib. 14, cap. 2: « Habent episcopi omnes à Christo, ut « docendi cathedram, ita virgam coercendi et « ligandi auctoritatem. »

Ex canonistis quosdam similiter tanto ex numero seligemus: Bouchel, *Bibliothèque canonique:* « Il y a deux puissances en ce monde « par lesquelles il est gouverné, la spirituelle « et la temporelle : la spirituelle est le sacer- « doce, hiérarchie, ou état ecclésiastique qui « administre les choses divines et sacrées ; la « temporelle est l'empire, la monarchie, ou « l'état politique : chacune d'elles a son objet « séparé : *Ut reges præsunt in causis seculi, ita « sacerdotes in causis Dei ;* chacun a son pou- « voir distinct : *Regum est corporalem irrogare « pœnam; sacerdotum spiritualem inferre vindi- « ctam;* bref, chacun a son outil à part : *Ut « non sine causâ magistratus gladium portat, ita « non sine ratione claves regni cœlorum sacerdotes « accipiunt.* » Doujat. Prænotionum, lib. 2, c. 2, n. 9 : « Sacra jurisdictio, inquit, à jure di- « vino; nec verò imperando tantùm, verùm « et contumaces coercendo, sacram jurisdictio- « nem iidem Apostoli exercuerunt. » D'Héricourt : « Jésus-Christ, en quittant la terre, a « laissé à son Église le droit de faire exécuter « les lois qu'il lui avait prescrites, d'en établir « de nouvelles, quand elle le jugerait néces- « saire, et de punir ceux qui n'obéiraient « point à ses ordonnances. C'est là l'origine « et le principe de la jurisdiction ecclésias- « tique. »

Probatur 4° ex regiis constitutionibus et declarationibus : anno 1268 in Pragmaticâ sanctione S. Ludovici dicitur artic. 1 : « (Statui- « mus et ordinamus) ut Ecclesiarum nostrarum « prælati, patroni et beneficiorum collatores « ordinarii jus suum plenarium (aliàs plenariè) « habeant, et unicuique sua jurisdictio serve- « tur. » Anno 1302 editâ constitutione Philippus IV, dictus *Pulcher,* de personis ecclesiasticis hunc in modum statuit : « Nec impediant « (officiarii) seu molestent eos in eorum juris- « dictionibus, spiritualibus et temporalibus, « quas de jure vel antiquâ et approbatâ con- « suetudine obtinere noscuntur. » Anno 1539, Franciscus I, postquàm declaravit laicorum in temporalibus immunitatem ab ecclesiasticâ jurisdictione, subjungit : « Sans préjudice de « la jurisdiction ecclésiastique, ès matière des « sacrements, et autres spirituelles et eccié- « siastiques, dont les gens d'église pourront « connaître contre lesdits purs laïcs, selon la « forme de droit. » Idem, quod ad rem ipsam attinet, asseritur edictis Caroli IX, anno 1571; Henrici IV, anno 1606; Ludovici XIII, anno 1610. Omnia illa edicta confirmavit Ludovicus XIV, notissimâ constitutione anni 1695 cui titulus : *De la juridiction ecclésiastique.* « Sta- « tuons, *inquit,* et ordonnons ce qui ensuit : « premièrement que les ordonnances, édits et « déclarations faites par nous et par les rois « nos prédécesseurs en faveur des ecclésiasti- « ques de notre royaume, pays, terres et sei- « gneuries de notre obéissance, concernant « leurs droits, rangs, honneurs, jurisdiction « volontaire et contentieuse, soient exécu- « tés. »

Indicatis quidem jam edictis et constitutionibus haud expressè declaratur profectam esse à jure divino partem ullam ecclesiasticæ jurisdictionis : at 1° cùm generatim faveant ecclesiasticæ jurisdictioni, non minùs ad eam pertinent quam sibi tanquàm propriam ab ortu suo vindicavit Ecclesia, quàm ad illam quæ ortum duxit à benevolentiâ et pietate christianorum principum. 2° Noverunt certè christianissimi reges non caruisse sub principibus ethnicis Ecclesiam necessariâ fidelibus regendis auctoritate, neque prædictis constitutionibus ullo modo significaverunt, auctoritati illi derogare se velle, quæ procul dubio ab infidelibus principibus accersita non erat, sed, ut ostendunt communi consensu theologi et canonistæ, ipsius insita est constitutioni. 3° Dùm jurisdictionis ecclesiasticæ protectores sese profitèntur christiani principes, aliamque significant illius esse rationem in spiritualibus, aliam in temporalibus, ut in edictis Philippi IV et Francisci I, mox relatis, etc., nonne hoc ipso agnoscunt præter eam jurisdictionis partem, quam Ecclesiæ concesserunt, aliam esse à Christo ipso derivatam? 4° Catholicis principibus ita persuasum est divinitùs esse Ecclesiæ concessam jurisdictionem, quâ proinde exui non possit, ut id potestatis genus, essentiales inter Ecclesiæ dotes reposuerit imperator Carolus V in ipso (aliunde improbato) edicto cui titulus *Interim.* « Constat, inquit, po- « testatem coercendi atque excommunicandi « esse penès Ecclesiam, idque ex instituto « Christi de potestate ligandi; huic consen- « taneum illud Apostoli : *Tollite malum ex « vobis.* »

Eamdem in sententiam advocari possent illustrium magistratuum testimonia. De jurisdictione ecclesiasticâ hoc testimonium perhibuit D. Talon : « L'autorité des successeurs des « apôtres, et leur juridiction spirituelle, est « d'institution divine. » Assertionem istam nostrarum esse arbitratur libertatum principium, Nouveaux Mémoires du Clergé, tom. 6. Doctiss. d'Aguesseau, insigni commentario quod inscripsit : *Mémoire sur la juridiction royale,* divinam jurisdictionis ecclesiasticæ originem ita commendat, loquens de statu Ecclesiæ pacem superato persecutionum æstu consecutæ : « Alors, quoique, suivant les prophètes, elle « vît se courber devant elle et se prosterner « à ses pieds les enfants de ceux qui l'avaient « humiliée, elle ne rougit point de se soumettre « à la puissance temporelle des empereurs, « qui subissaient avec respect sa juridiction « spirituelle; alors le prince, bien loin de « perdre aucun des droits dont il jouissait « auparavant comme souverain, ajouta à ses « premiers titres l'auguste qualité d'*évêque ex-* « *térieur ;* il entra dans presque toutes les af- « faires de l'Église, selon la remarque d'un « ancien auteur ecclésiastique, et l'Eglise, im- « plorant d'un côté le secours des empereurs « comme de ses protecteurs dans les matières « spirituelles, se soumettait de l'autre à leur « autorité, comme à celle de ses souverains « dans les affaires temporelles. » OEuvres de d'Aguesseau, tom. 5. Perard Castel, adnotato secernenda esse accuratè in Ecclesiâ duo jurisdictionis genera sic prosequitur : « L'une, « qui est la véritable juridiction spirituelle, « lui appartient essentiellement et primitive- « ment, pour son gouvernement intérieur et « extérieur, et elle lui a été confirmée par Jé- « sus-Christ. »

Probatur 5° momentis theologicis : primùm, ipso in dogmate erraret Ecclesia, si tanquàm sibi propriam, divinitùsque donatam assumeret, adhiberetque auctoritatem, quam à seculari potestate totam ipsa mutuaretur; veram autem in spiritualibus jurisdictionem, tanquàm Christo donante collatam constanter sibi attribuit, tum notoriâ et constitutioni suæ coævâ praxi, tum expressâ ejusdem in conciliis etiam generalibus mentione et commendatione. Secundùm, rectè à Christo Domino constitutum et ordinatum Ecclesiæ regimen, fatentur omnes qui christiano nomine censentur; nec proinde carere necessariâ coercendis per accommodatam pœnarum sanctionem, sontibus auctoritate. Diversis pœnarum generibus utuntur spiritualis potestas et temporalis, cùm eadem non sit utriusque conditio, nec idem propositum; at rectæ cujuslibet gubernationis ratio et natura id postulat, ut publica potestas in flagitiosos ac præsertim in rebellantes animadvertere valeat. Tertiùm, quæcumque adducentur ad asserendam Ecclesiæ legislativam potestatem, ea omnia toto suo pondere conferent ad ecclesiasticæ jurisdictionis confirmandam veritatem et necessitatem : sepositâ enim jurisdictione, lex nulla potest constitui.

Solvuntur objecta.

Objicies 1° : Romanis ex legibus nulla est jurisdictio cui non sit adjuncta vis ac potestas adhibendi comprehensionem corporis, vel bonorum proscriptionem; vim autem illam ac potestatem à Christo non accepit Ecclesia : veram igitur non potest divinâ institutione vindicare sibi jurisdictionem.

Respondeo 1° : Ante imperatorum ad Christum Dominum conversionem, conditæ sunt Romanæ, quæ objiciuntur leges; de solâ loquuntur jurisdictione temporali, nec ab iis posset jurisdictionis ecclesiasticæ hauriri, quæ cum ipsius institutis congruat, notitia. 2° Utrùm, et qualem Ecclesia jurisdictionem Christo concedente obtineat, hujus solutio quæstionis versatur in dogmate; unde tutiùs desumi potest quàm ex divinâ revelatione cujus fidelis custos et interpres Ecclesia? Quid Ecclesia censeat, satis superque ostensum est, tot quæ congessimus argumentis. 3° In jurisdictione qualem exposuimus, quidnam redargui potest? An ipsum jurisdictionis nomen, an ipsa res nomine significata? Ad nomen si attenderis, quare illud non posset ad auctoritatem ecclesiasticam tùm internam tùm externam designandam adhiberi? Inolevit receptissimo usu, quem penes arbitrium est ac dicendi norma : consecratum est longævâ et assiduâ Ecclesiæ consuetudine : frequentatum in principum christianorum constitutionibus; usurpatum genuino sensu apud theologos, canonistas, celeberrimosque magistratus; aptissimum aliunde ad rem enuntiandam et exprimendam, quæ repudiari aut in dubium vocari non possit; quid enim significet vox ista, *jurisdictio,* usu in Ecclesiâ probato? Ad forum pœnitentiæ si adhibeatur, significat dimittendi vel remittendi peccata, convenientesque pro delictorum gravitate et numero satisfactiones imponendi, potestatem : jurisdictionem sic intellectam ut

abjudicaret Ecclesiæ, ille sacramentum ipsum pœnitentiæ prorsùs aboleret, atque ut juri divino, sic et generali Tridentinæ synodo repugnaret, nullius eam esse momenti absolutionem declaranti, « quam sacerdos in eum profert in « quem ordinariam aut subdelegatam non ha- « bet jurisdictionem. » Sess. 14, cap. 7.

Si verò in forum Ecclesiæ externum conferatur vox illa, *jurisdictio*, potestâtem significat dicendi juris, seu statuendæ æquitatis, ac ferendæ sententiæ, spiritualibusque pœnis delicta cohibendi. Quod potestatis genus, quàm sit arctissimè cum Ecclesiæ naturâ et constitutione conjunctum, immotisque innixum fundamentis, demonstratum est.

Instabis 1°: Quidquid sit de Romanis legibus, vera et qualis requiritur externum ad forum jurisdictio, nec esse, nec concipi potest sine verâ coercitionis potestate, quæ divino jure non suppeditatur Ecclesiæ : rectè quidem intelligitur quâ ratione magistratus secularis, coercitivam verè dicatur exerere potestatem, cùm reos, velint nolint, ad obsequium adigere valeat, irrogandisque cohibere pœnis; at nihil hujusmodi præstare potest Ecclesia : excommunicatione graviorem nullam in potestate habet pœnam, quâ subditos ad obsequium impellat : hanc verò qui contempserint, quo pacto vel invitos in ordinem cogere valeat, eorumque frangere contumaciam, habitâ ratione solius quam à Christo accerserit, auctoritatis?

Resp. : Fatemur, divinâ institutione nihil esse potestatis collatum Ecclesiæ in subditorum corpora, vel bona temporalia; fatemur quidquid juris in hæc et illa obtineat, illud à beneficentiâ principum esse derivatum; at quidquid inde utilitatis et adminiculi obvenerit, subsidium illud ad rectam salutaremque gubernationem constat non esse suâpte naturâ necessarium Ecclesiæ : prioribus seculis eo licet caruerit, irrumpentibus ac ferè continuis vexata persecutionibus, sanctitatis tamen exuberans frugibus, latiùs in dies diffundebatur exitu; neque verò tunc carebat necessario et apto ad assequendum constitutum sibi finem præsidio; non destituebatur coercitivâ sibi propriâ, suique ordinis et generis potestate : cujus asserendæ causâ satis est, 1° ut pœnas valeat imponere quæ gravem et rationabilem metum debeant incutere; 2° ut veram coercitionem talis sanctio importare meritò censeatur; hæc autem duo certa sunt : primò certum est in Ecclesiæ potestate situm esse pœnas imponere quæ gravem et rationabilem metum injicere valeant : quid enim homini christiano formidandum magis quàm excommunicatio quæ à Tertulliano vocatur summum futuri judicii præjudicium; à concilio Meldensi, æternæ mortis damnatio, à concilio Tridentino, nervus ecclesiasticæ disciplinæ, sess. 25, de reform. cap. 3, et de quo dixerat S. Augustinus, hominem eo percelli « gravius esse « quàm si gladio feriretur, si flammis absume- « retur, si feris objiceretur? » Contra adversar. legis et prophetarum, cap. 17.

Secundò, certum est, etiam in utroque jure, civili nempe et canonico, quæ fiunt impellente metu, ea per coactionem facta existimari. Civili quidem jure; Instit. lib. 4, tit. 13 : « Si « metu coactus aut dolo inductus, aut errore « lapsus stipulanti Titio promisisti quod non « debueras promittere, palàm est, » etc. Legantur etiam leges 10, 12 et 21, tit. 2, lib. 4, Digest. Jure autem canonico, cap. *Requisivit*, lib. 4, titulo 1, de Sponsalibus et Matrimoniis; de muliere nuptias abnuente quas sponderat, sic statuit Lucius III : « Monenda est potiùs « quàm cogenda. » Eodem in jure canonico sæpè sæpiùs occurrunt hujusmodi voces : « Per cen- « suram ecclesiasticam cogatis aut compellatis. » Eâdem ratione Donatum presbyterum Donatistam sic alloquebatur S. Augustinus : « Faci- « mus voluntatem Domini monentis, ut vos ad « ejus ovile redire cogamus; » et iterùm : « Tantò « majore utitur Ecclesia potestate, ut non so- « lùm invitet, sed etiam cogat ad bonum. » Adeò persuasum est coactionem quamdam per censuras ecclesiasticas mentibus injici, ut ab Ecclesiâ postulentur monitoria, quibus ad revelandum compellantur, qui seposito censurarum metu, quæsita reticerent.

Nec est quod reponatur ipsammet dedignari multos, ac spernere ipsam excommunicationis sententiam, nec ejus metu à flagitiis deterreri; quid inde? multi etiam, neque temporalium pœnarum timore nefariis desistunt à cœptis; multi conceptâ spe impunitatis in extrema proruunt; num idcircò tollenda est è politico statu coercitiva potestas? Ad asserendum et retinendum ut in civili societate, ita et in Ecclesiâ Christi jus coercitionis, satis est ut in utrâque adhibeantur pœnæ, quæ ex se idoneæ sint comprimendis malorum consiliis et molitionibus, licet optato quandoque defraudentur exitu. Quis denique negaverit ad coercitivam sanctionem pertinere intentatas peccantibus pœnas apud inferos subeundas, quamvis Christiano-

rum etiam plerique earum metu, meliorem ad frugem efficaciter non incitentur?

Inst. 2° : In collectionibus legum imperatorum christianorum, ut puta in codice Justiniani, in codice Theodosii, tituli in quibus ecclesiastica tractantur judicia, non inscribuntur, de ecclesiasticâ jurisdictione, sed de episcopali audientiâ, de episcopali judicio. Ergo attribuendam esse Ecclesiæ non putaverunt propriè dictam jurisdictionem.

Resp. 1° : Solutionem subministrat Melchior Pastor, tit. 3, n. 6 : « Nec debet nos, inquit, « movere inscriptio Justiniani codicis, de epi- « scopali audientiâ ; nam rubricæ et tituli non « faciunt jus, et ideò sic inscribitur, quòd in « constitutionibus multis hujus tituli, agatur « de causis profanis de quibus episcopi inter Fi- « deles, ut arbitri, vel ut judices delegati co- « gnoscebant : at cùm agitur de personis ec- « clesiasticis, rebusve sacris spiritualibus, vel « mixtis, nullus unquàm principum christiano- « rum negavit eos jurisdictionem habere. » Justinianus ipse imperator auctoritatem jurisdictionis iterùm atque iterùm episcopis expressim attribuit, in novellis 120 et 131 : istis in novellis utitur voce græcâ, δικαιοδόσια, quæ Latinum in verbum vertitur, ab Henrico Stephano, Budeo, Constantino, Scapulâ, et quæ vim etiam habet significandi majorem quàm vox, *jurisdictio*. Vox enim, *jurisdictio*, per sè indicat potestatem dicendi juris, seu ferendi judicii, dijudicandæ causæ ; at verbum, δικαιοδόσια, seu ad litteram, *juris datio*, ipsam potestatem constituendi juris seu condendæ legis, mentibus exhibet. Græcâ eâdem voce usus est in concilio Lateranensi, sub Martino I, anno 649, ad significandam jurisdictionem, Stephanus Dorensis episcopus ; eâdem quoque eumdem in finem utuntur apud Græcos jurisperiti.

Objicies 2° : In spiritualibus versatur auctoritas Ecclesiæ ; ad consulendum animarum saluti, unicè comparata est ; in iis quæ interna sunt hærere illam necesse est : si quid igitur quod externum sit, attingere et contrectare valeat : hæc ultra proprios ejus fines progressio, accessio est potestatis, quam pro suâ pietate largiuntur cùm voluerint christiani principes.

Resp. . Ad potestatem quidem ecclesiasticam spiritualia pertinent ; ad civilem potestatem temporalia : spiritualium autem nomine, non ea solùm intelliguntur, quæ sensus externos non afficiunt ; talis enim si probaretur interpretatio, neque ipsam sacramentorum administrationem, cùm sit externa et sensibilis, neque docendi Evangelii munus, neque offerendi sacrificii, divinique cultûs ordinandi potestatem vindicaret sibi ex propriis et jure divino, Ecclesia Christi : quod penitùs ab orthodoxæ doctrinæ principiis abhorret, totamque pessumdaret ac subverteret christianam ipsam fidem ac Religionem.

Non merè internâ, sed oculis subjectâ societate constituitur Ecclesiâ : homines sunt quos regendos in capessendâ et colendâ Religione suscepit : sensibile et publicum commissum est illi ministerium ; non internus duntaxat, sed externus etiam supremo numini debetur cultus, cui disponendo et servando præficitur Ecclesia : cùm ergo dicitur versari in spiritualibus auctoritatem, indicatur nullam ipsi neque directam neque indirectam in temporalia potestatem constitutione suâ, seu divino jure competere : at spiritualia, quibus moderandis præposita est, non idem sonant quòd merè interna, et omni ex parte invisibilia : sed ea sunt quæ ad animarum salutem, christianæ integritatem doctrinæ divinumque cultum referantur ac pertineant. Gratulatur sibi Ecclesia de acceptis à seculari potestate, suum ad ministerium adjuvandum promovendumque præsidiis : at quid sibi contulerit Christus, auctor ejusdem ac sponsus, nec obliviscitur, nec abnegare unquàm potest.

Tam fundatam doctrinam exposuit egregiè D. de Fleury, Institutions au Droit ecclésiastique, part. 3. c. 1, de la Jurisdiction ecclésiastique : « Il faut revenir à la distinction de la ju- « risdiction propre et essentielle à l'Eglise, et « de celle qui lui est étrangère. » Accuratè videlicet ad prævertendas dirimendasque lites, secernendum est jurisdictionis illud genus, quod in Ecclesiam divinâ institutione collatum est, à variis quasi adventitiæ jurisdictionis partibus, quas aut expressâ christianorum principum concessione, aut inductâ sensim et inolescente consuetudine obtinuerit ; tùm pergit juris utriusque peritissimus auctor mox appellatus : « L'Eglise a par elle-même le droit de « décider toutes les questions de doctrine, soit « sur la foi, soit sur la règle des mœurs ; elle a « droit d'établir des canons, ou règles de dis- « cipline pour sa conduite intérieure, d'en dis- « penser en quelques occasions particulières, « et de les abroger quand le bien de la Religion « le demande ; elle a droit d'établir des pas- « teurs et des ministres pour continuer l'œu- « vre de Dieu jusqu'à la fin des siècles, et

« pour exercer toute cette jurisdiction; et elle « peut les destituer, s'il est nécessaire ; elle a « droit de corriger tous ses enfants, leur impo- « sant des pénitences salutaires, soit pour les « péchés secrets qu'ils confessent, soit pour les « péchés publics dont ils sont convaincus ; « enfin l'Eglise a droit de retrancher de son « corps les membres corrompus, c'est-à-dire, « les pécheurs incorrigibles, qui pourraient « corrompre les autres. Voilà les droits es- « sentiels de l'Eglise, dont elle a joui sous « les empereurs païens, et qui ne peuvent lui « être ôtés par aucune puissance humaine. » Uberioris adhuc explanationis causâ possumus id adjungere quod observat doctissimus le Maire : « Il ne faut pas confondre dans la « jurisdiction ecclésiastique, le fond de la « jurisdiction et la manière de l'exercer avec « appareil dans les tribunaux extérieurs, avec « diverses formalités que les lois et l'usage ont « rendues nécessaires : cette manière de pro- « céder pour l'exercice de la jurisdiction ecclé- « siastique dans la forme contentieuse faisant « partie de la police extérieure, est réglée en « France par les ordonnances. »

Gravi in concertatione quæ sub rege Philippo de Valois mota est à D. Decugneriis, id tantùm orator sibi constituerat, ut multâ ex parte privaretur Ecclesia temporali jurisdictione quam dono principum, vel approbatâ ab eis consuetudine obtinuerat; verùm ad propriam ipsius jurisdictionem impugnandam minimè aggressus est : hanc si nonnulli labefacere conati sunt jurisconsulti, ex mille jurisconsultis, ut observat celeberrimus Cujas, vix reperies unum qui non tribuat episcopis jurisdictionem, in libros 4 priores Justin. ad titulum 4 in appendice Operum posthum.

Objicies 3° : Certum est Ecclesiam forum legibus non habere ; cùm igitur absque foro exteriori, contentiosa saltem exerceri nequeat jurisdictio, quâ ratione id auctoritatis genus adscribere sibi possit Ecclesia?

Resp. : Hanc ita diluit objectionem, qui jurisdictioni ecclesiasticæ non studebat amplificandæ, Fevretus, Traité de l'Abus, tom. 1 : « On ne peut pas dire raisonnablement que « l'Eglise n'ait pas de jurisdiction ; et quand « on allègue *Ecclesiam forum legibus non habere*, « qu'elle n'a ni fisc, ni territoire, ni jurisdic- « tion, tout cela se doit entendre sainement : « c'est à savoir qu'à l'égard des laïcs, *in rebus « merè temporalibus*, elle n'a jurisdiction au- « cune, ce qui est très-vrai : mais quant aux « choses spirituelles, qui concernent la foi, les « Sacrements et les choses sacrées, elle en « connaît entre tous, avec puissance et auto- « rité jurisdictionnelle. »

Præterea illud quod nobis objicitur Valentiniani placitum, planè sic intelligatur oportet, ut neque secum ipse, neque cum aliis imperatoribus christianis eodem prioribus apertè saltem non pugnaverit : externum autem Ecclesiæ forum disertis ipse verbis agnovit Valentinianus III : « Clericos etiam inquit, lib. « 16 cod. Theodosiani, tit. 2, lege 47, quos « indiscretim ad seculares judices debere de- « duci infaustus præsumptor edixerat, episco- « pali audientiæ reservamus; fas enim non est « ut divini muneris ministri temporalium potes- « tatum subdantur arbitrio. » Idem agnoverant imperatores Honorius et Gratianus; tùm autem si qui imperatores à recto tramite deflectentes, Ecclesiæ constituta divinitùs jura detrahere tentaverint, hæc defendenda magno studio curaverunt insignes sanctitate et scientiâ episcopi, ut suo loco exponetur. Quòd autem Ecclesiæ competat et necessarium sit externum etiam forum, id vocari in dubium non potest, cùm argumentorum omni genere convictum sit, eam, ex suâpte constitutione, et ordinante Deo, idoneam obtinere potestatem exortas in spiritualibus lites discutiendi, atque auditis testibus, omnibusque juridicè ponderatis, dijudicandi ac dirimendi, impositis, quas rei conditio et adjuncta postulaverint, suum intra ordinem pœnis : fori quidem illius amplitudo, situs et forma jure divino non determinantur; at illud si negari legitimè posset, recusari etiam posset locus, tùm in quo evangelica doceretur episcopali auctoritate doctrina, tum in quo divina celebrarentur mysteria ; et sic liceret orbe toto exterminari christianæ Religionis cultum externum, et professionem, quæ sine loco non potest consistere. Quo tempore, ut prænuntiatum fuerat, convenisse in unum videbantur omnes principes terræ adversùs Dominum et adversùs Christum ejus, non defuit Ecclesiæ forum exterius ac tribunal, in quo jurisdictione sibi divinitùs collatâ uteretur; nec minùs erat formidandum excommunicationis, v. g., fulmen, quod ab episcopo esset vibratum sive privatâ in domo, sive publicâ in æde, modò sufficienter propositum, neque necessariis aliunde ad judicii validitatem conditionibus illud caruerit.

Objicies 4° : Apostolos ad omnem terrarum orbem cùm Dominus mitteret, non dixit illis :

Imperate, judicum partes agite, pœnarum freno peccantes cohibete, sed : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis :* sua ipsius commemorat mandata ; ne verbo quidem innuit alia esse ab Apostolis imponenda ; nullam igitur illis auctoritatem tribuit, præter docendi potestatem, eòque maximè exponere sic pronum est Salvatoris verba, quòd pœnarum coercitio mansuetudini Ecclesiæ consentanea minimè videatur.

Resp. : Eodem textu Scripturæ necesse non est omnia comprehendi quæ Christus contulerit potestatis genera : citato testimonio, non judicandi in foro pœnitentiæ, non alia præter baptismum sacramenta conferendi memoratur potestas : an idcircò hæc Apostolis, eorumque successoribus abneganda esse videatur? Inter mandata quæ populos edoceri jubet Christus, spectandum locum illud obtinet, ut Ecclesiæ pastores tanquàm ipsemet Christus audiantur. Episcopos in Apostolis alloquebatur cùm diceret : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis :* illos Spiritus sanctus posuit *regere Ecclesiam Dei.* Acceperant Apostoli à Christo potestatem docendi, non qualemcumque, sed cum auctoritate præcipiendi conjunctam ; et refragantes pœnis quibus opus fuerit, spiritualem intrà ordinem afficiendi : hinc Apostolus, quem non latebat quid Christus instituerit, quid Apostolis donaverit, scribebat ad Titum c. 2, v. 15 : *Hæc loquere, et exhortare et argue cum omni imperio : nemo te contemnat.* Quin et ipse Apostolus, numquid, cùm, ut observavimus, in Alexandrum et Hymæneum, in Corinthium incestûs reum et alios, ultricem peccati severitatem adhibuit, oblitus est tam commendatæ in Evangelio mansuetudinis? Sævire novit charitas, non ut perdat, sed ut ille, quem emendare sæviendo studet, *salvus sit in die judicii.* Nihil est quo magis ad crimen alliciantur improbi quàm peccandi impunitate ; nihil quod à verâ mansuetudine et benevolâ gubernatione magis sit alienum.

CAPUT II.

UTRUM LEGES PROPRIE DICTAS CONDERE VALEAT ECCLESIA.

Eam Ecclesiæ potestatem detrahere conati sunt quarto seculo Arii sectator Aerius, cùm servanda esse negaret, quæ ipsa instituerat jejunia ; decimo tertio, Valdenses superbæ grassati paupertatis titulo ; quarto decimo, Marsilius Patavinus in libro quem inscripsit Defensorium pacis ; quinto decimo, Joannes Hus, cujus hæc damnata est propositio à synodo generali Constant. : « Obedientia ecclesiastica est obedientia « secundùm adinventionem sacerdotum Ec« clesiæ præter expressam auctoritatem Scri« pturæ; » decimo sexto, Lutherus et Calvinus.

Lutherus quidem de captivitate Babylonicâ: « Clamo fidenter, inquit, Christianis nihil ullo « jure posse imponi legum sive ab hominibus, « sive ab angelis, nisi quantùm volunt; liberi « enim sumus ab omnibus. »

Calvinus lib. 4 Institut. cap. 10, profitetur quidem sibi non esse certamen contra sanctas et utiles Ecclesiæ constitutiones, quales inficiatur Romanâ vigere in Ecclesiâ, at illis videtur detrectare vim conscientias obligandi, quibus, inquit, « cum uno Deo negotium est, quò « pertinet illud vulgare discrimen inter terre« num et Ecclesiæ forum. »

Grotius de Imperio summarum potestatum circa sacra, cap. 4, contendit « nec obligare « quemquam per modum imperii, pastoribus « datum esse divinitùs. » Id adstruere nititur ex titulis quos pastoribus sacra tribuit Scriptura : « Vocantur enim, inquit, legati, nuntii, « præcones; legatorum autem, nuntiorum et « præconum non est suo imperio quemquam « obligare, sed aliorum imperium notum fa« cere. »

Recentioribus quoque temporibus extiterunt qui concessam Ecclesiæ à Christo potestatem, eò contractam et coangustatam voluerint, ut quæ divinitùs præscripta sunt doceat, aberrantes admoneat et arguat, repugnantibusque æterna minitetur supplicia.

CONCLUSIO. — *Veram condendi leges potestatem obtinet divinâ institutione Ecclesia.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — Qui potestatem illam Ecclesiæ abjudicant, eò maximè ducuntur, quòd ei jurisdictionem propriè dictam Christum contulisse negaverint ; cùm igitur auctoritatis id genus in eam divinâ institutione derivatum esse, indubitanter probatum sit, ulteriùs progrediendum est, nec ambigendum, quin *legislativam* quoque eodem ex fonte hauserit potestatem : quamvis enim ad ferendas leges non quælibet jurisdictio etiam *contentiosa* sufficiat, firmissimè tamen tenendum est, jurisdictionis id genus, eumque gradum, divinitùs Ecclesiæ suppeditatum fuisse, quo ut *perfectam communitatem* eam instrui et com-

muniri necesse est proprium ad finem comparandum.

Quis enim, si mentem in Ecclesiæ constitutionem ac dotes intendat, dubitaverit, quin Christus Dominus eidem sit impertitus quæ ad rectum sapiensque regimen omninò requiruntur ? talis autem habetur legislativa potestas; non omnia determinavit sigillatim Christus quæ ad informandam sanciendamque disciplinam, aut ipsam instaurandam valeant; oportuit ergo ut auctoritate donaretur Ecclesia, ea statuendi ac stabiliter ordinandi, quæ regendis aptè fidelibus postularent diversus eorum status atque vicissitudines et commutationes temporum; tali potestate si careret, longè deterioris esset conditionis quàm politicæ societates, apud quas viget præscribendi et sanciendi potestas, quæ ad illarum decus ac præsidium, asserendamque pacem amoveri aut præstari expediat et oporteat; quapropter ex ipsâmet Ecclesiæ constitutione, ac proinde divino jure accersitur ipsi legislativa potestas.

Ecclesiasticis autem legibus conscientiam obligari, vel ipsâ earum et origine et naturâ certissimè declaratur : neque ad Ecclesiæ minùs quàm ad principum secularium leges momentosa illa spectat Apostoli sententia : « *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* » ad Rom. cap. 13, v. 1 et 2; et v. 5 : « *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* »

Argumentum III. — In synodo Hierosolymitanâ statuunt Apostoli ut ab immolatis simulacrorum et sanguine, et suffocato abstineant, ex gentibus christianam conversi ad Religionem : *Visum est,* inquiunt, in Epistolâ synodicâ, *Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato et fornicatione,* Act. c. 15, v. 28, 29. Hoc in decretum confluunt omnes quæ ad legis naturam conditiones requiruntur: *fertur ad modum* præcepti ; vocatur onus, et inducit obtemperandi necessitatem : hinc dicitur Paulus visitare Ecclesias *præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum,* Act. c. 15, v. 41 ; collimat *ad communitatis alicujus* bonum : eâ enim mente decretum illud conditum est, ut componeretur excitatum de legalium observatione dissidium, eaque ne ipsis gentilibus quibus non erant instituta, crederetur necessaria.

Hierosol. synodi idem decretum, non ita fuit comparatum, ut eorum morte finiretur à quibus latum est. Pluribus observatum est religiosè seculis : paganos ita redarguebat Tertullianus, Apolog. cap. 10 : « Inter tentamenta « Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum « esse penes illos, per quod exorbitare eos « vultis. » Commemoratum mox decretum vim suam non mutuatum est à lege Mosaicâ : hujus enim institutis legalibus, etiam dùm ipsa vel maximè vigebat, non obstringebantur gentiles; præterea sancitâ jam tùm et promulgatâ lege evangelicâ, illis ne quidem tenebantur Judæi; morte Christi consignato apertoque novo Testamento, erat abrogatum, atque exoleverat prius. Neque verò inter legis evangelicæ statuta recenseri potest apostolicum, de quo loquimur, decretum; decursu enim temporum, et sublato ejus adæquato fine, tandem in desuetudinem abiit : evangelicæ autem præscripta legis nullo interibunt vel deterentur lapsu temporum. Non declaraverunt duntaxat Apostoli quid cooptatis inter fideles gentilibus incumberet oneris et officii, sed verè constituerunt eâ auctoritate quam à Christo acceptam in successores suos transfunderent, cùm ad ordinarium et perpetuum Ecclesiæ regimen necessariò ea pertineat.

Quod attinet ad fornicationem, quæ prædicto prohibetur decreto, divinam et immutabilem illius delicti prohibitionem confirmant Apostoli, ut ab eâ lethali contage apud idolorum cultores vix tùm reputatâ, gentiles christianam amplexi fidem efficaciùs averterentur. Denique apostolico decreto de quo hactenùs, atque pastorali auctoritate edito, si distinctæ non proponantur pœnæ, nihil inde legis constitutioni detrahitur : neque enim cuilibet præcepto, cuilibet legi necesse est, ut specialis, novaque adjungatur sanctionis forma : generali fulciuntur quâ Deo vindice premuntur legitimæ contemptores auctoritatis.

Præter synodi Hierosolymitanæ statuta, reperiuntur alia quæ pariter totidem sunt ecclesiasticæ argumenta auctoritatis, et quidem *legislativæ*. Sic Apostolus constituit ut sacris ab ordinibus arcerentur bigami : quod etiamnum observatur.

Ad apostolicam institutionem meritò revocatur quadragesimalis jejunii observantia, quâ conscientiam obligari inconcussum est apud omnes Catholicos; hinc factus licet Montanista Tertullianus, in libro de Jejuniis, tradit quadragesimale jejunium « Apostolos observâsse, nullum aliud imponentes jugum certorum et in commune omnibus obeundorum « jejuniorum. » Hinc etiam S. Hieronymus in epist. ad Marcellam : « Nos, inquit, unam quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo jejunamus. » Quo quidem jejunio teneri conscientias Christianorum ita significat : « Non quòd et per totum annum, exceptâ Pentecoste, jejunare « non liceat, sed quia aliud sit necessitate, « aliud voluntate munus offerre. » Vide serm. S. Leonis de Quadragesimâ.

Ad ævum quoque apostolicum refertur institutio festi diei dominicæ, de quâ loquitur S. Ignatius Apostolorum discipulus in epist. ad Magnesios; et ipse Joannes in Apocalypsi : *Ego Joannes*, inquit, *fui in spiritu in dominicâ die*, quibus verbis diem hanc discernit à cæteris, ut specialiter Domino consecratam.

Ad hæc et similia revocatur insigne illud effatum S. Augustini, Epist. ad Januarium : « Quæ non scripta, sed tradita custodimus, « quæ quidem toto terrarum orbe servantur, « dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel « plenariis conciliis, quorum est in Ecclesiâ « saluberrima auctoritas commendata atque « statuta. »

Argumentum III. — Aliud argumentum breviter subministrat Thomassinus Discip. ecclesiast. parte tertiâ, cap. 2 : « Ordine igitur « episcopali, non ordinandi potestas solùm « includitur, sed summa etiam jurisdictio, et « regnum quoddam speciale. » Monarchiam (aristocratiâ licet, ut probant Gallicani theologi, temperatam) vigere in Ecclesiâ, constat ex testimoniis quæ tum ex prophetiâ Danielis, cap. 2, v. 44, tum ex Evangelio adduximus; clariùs autem constabit ubi de primatu Romani pontificis; detractâ autem legislativâ potestate, nullam posse monarchiam consistere, exploratè perspectum est.

Argumentum IV. — Quantocumque persecutionum æstu, jam ferè à primordiis divexaretur christiana Ecclesia, non ancipiti et laxiore utebatur regimine, constringendæ potiùs quàm remittendæ intenta disciplinæ : cujus quidem fovendæ ac opportunis fulciendæ statutis potestatem, undenam tunc potuisset accersere? numquid ab illis imperatoribus qui niterentur eam à fundamentis diruere? certè non ad eos spectabat quod admonuit Apostolus, Act. Apost. cap. 20, v. 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Quid plura? legislativæ potestatis quam sibi Ecclesia vindicat, tot affulgent argumenta, quot edita et promulgata sunt, sive generalium sive particularium decreta conciliorum, ad populi christiani conformandos mores, temperandamque vivendi rationem. Hæc ultrò sese offerunt tum in collectionibus P. Labbei, Harduini, Sirmondi, etc., tum in variis ex quibus coalescit jus canonicum, partibus. Tot in decretis plurima liquidò statuuntur quæ nec juris sunt naturalis, nec divini *positivi*; in iisdem interponitur anathema, quod est insigne auctoritatis indicium; diriguntur ad fidelium societatem, neque cum ipsorum auctoribus moriuntur, quod ut supra indicavimus, legum naturam, propriumque characterem denotat; tum in illis tametsi quandoque secularium imploretur patrocinium principum ad certiùs promptiùsque promovendum aspirantem votis exitum, haud tamen significatur, nec præjudicandum est à seculari potestate vim obligandi profluere, quam præ se ferunt leges ecclesiasticæ : unde Constantium imperatorem episcopali verè libertate sic alloquebatur Osius, apud S. Athanasium, epist. ad solitariam vitam agentes : « Nec te misceas rebus ecclesiasticis; « neque nobis in hoc genere præcipe, sed po« tiùs ea à nobis disce : tibi Deus imperium « commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ, concre« didit. »

Eodem de imperatore ita conquerebatur ipse S. Athanasius : « Quandonam Ecclesiæ « decretum ab imperatore accepit auctorita« tem? Multæ antehac synodi coactæ sunt, « multa prodiêre decreta; sed nunquàm Patres « res hujusmodi imperatori suasêre; nunquàm « imperator ecclesiastica perquirit. »

Deinde id asserit spectaculo esse novo quod Arianæ hæresis inventum est. Hinc certâ præ-lucente traditione, verboque Dei scripto innixum pariter concilium Tridentinum dogmaticam istam protulit definitionem, sessione 6, canone 20 : « Si quis hominem justificatum « et quantùmlibet perfectum dixerit non teneri « ad observantiam mandatorum Dei et Eccle« siæ, sed tantùm ad credendum, » etc.

Solvuntur objecta.

Quædam objiciuntur à Protestantibus, qui-

bus tam regia quàm ecclesiastica lacessitur potestas, solutu aliunde admodùm obvia : hæc legere est, si placet, apud Bellarminum lib. 4 de Romano pontifice cap. 17 ; illa duntaxat eò loci discutiemus, quæ ad ecclesiasticam potestatem magis pertineant et aliquâ expositione indigere videantur.

Objic. 1° : Deuter. cap. 4, v. 2, dicitur : *Non addetis ad verbum quod loquor vobis; nec auferetis ex eo;* et cap. 12 : *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam nec minuas.* Quantò minùs liceat novo Testamento quod veteri longè præcellit, quidquam adjicere præcepti, quasi divina et evangelica non sufficerent ad propositum credentibus institutum! Nonne Christus ipse illos redarguit, qui humana invehere audeant, tanquàm vivendi normam præcepta? *Sine causâ*, inquit, *colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum*, Matth. 15, v. 9.

Resp. : In Deuteronomio prohibetur quidem ne inducantur leges, divinæ legi adversantes, ut exponit S. Thomas in cap. 1 ad Galatas; sed non reprobari cujuslibet novam legis constitutionem, ex eo patet quòd legem aliquam condiderit ipse David, cùm instituit ac præcepit ut æqua pars esset in bello, descendentium ad prælium, et remanentium ad sarcinas : *Factum est hoc ex die illâ constitutum et præfinitum, et quasi lex in Israel,* 1 Regum cap. 30, v. 25. In Hebræo non habetur, *quasi lex,* sed in *præceptum atque judicium ;* deinde dici potest *constitutum illud,* licet non per modum legis expressæ prodierit, invaluisse per modum consuetudinis quæ vim legis obtinuerit. Nova deinceps festa quibus obligarentur Judæi, Deo non improbante instituta fuisse refertur libro Esther, cap. 9, Judith. cap. ultimo, 1 Machab. c. 4, v. 59, quo in capite legitur : *Statuit Judas et fratres ejus, et universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo.* Festum illud etsi veteribus additum illustravit præsentiâ suâ Christus Dominus, ut indicatur Joann. cap. 10, v. 22 et 23.

Præterea in veteri Testamento Judaicæ duntaxat genti et ad certum usque tempus, nempe adventum Christi constituto, potuerunt facilè omnia determinari, et determinata sunt, quæ tum ad cultum Dei, tum ad judicia et forenses contentiones pertinent ; at in lege evangelicâ toti mundo constitutâ et ad consummationem usque seculi duraturâ, tradidit Christus pauciora præcepta omnibus communia, alia verò specialia pro locorum et temporum diversitate reliquit, per Apostolos, eorumque successores constituenda. Quod spectat ad hæc verba Christi : *Sine causâ colunt mè docentes doctrinas et mandata hominum*, reprobat Christus pharisaicas traditiones, quibus eludebatur mandatum Dei : quæ quidem longè abhorrent ab Ecclesiæ legibus.

Objic. 2° : Nullius esse videtur momenti deductum ex concilio Hierosol. in causâ legalium, argumentum ; abstinentia enim ab immolato et sanguine, ideò duntaxat prohibita est ut præriperetur occasio scandali : hinc S. Paulus 1 ad Corinth. cap. 8 et 10, satis innuit non esse illicitum idolothyta comedere, nisi imminente infirmis scandalo : *Si quis dixerit*, inquit, *hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam; conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.*

Resp. : Etsi finis præcepti apostolici in hoc positus erat, ut infirmorum præcaveretur scandalum, attamen non in scandali hujus vitationem cadebat per se illud præceptum, sed in ipsam ab immolatis edendis abstinentiam : quamvis ratio legis sit anima legis, ac proinde cessante generaliter ratione et fine legis, lex ipsa desinat et abrogata censeatur ; attamen quando ratio legis cessat duntaxat in aliquo individuo, aut aliquot in individuis, lex tamen adhuc viget, et cùm sit generalis, et mediante communitate individuos afficiat, omnes obligat, illos etiam in quibus legis ratio, seu *causa finalis* non invenitur : quod necesse est ut ritè moderata sit societas, atque indicio est, non esse promiscuâ cogitatione usurpandas, et materiam legis, et ejusdem occasionem, aut etiam causam finalem. De lege quæ ab Apostolis lata est in concil. Hieros. vide Tertull. Apologetici cap. 9 ; Orig. lib. 8 contra Celsum ; S. Cyrilli catechesim quartam ; Euseb. lib. 3 ; Concilii Gangrensis can. 2.

Objic. 3° : Quid prodesset à Judaicâ eximi lege, si tot essent observandæ quæ labentibus seculis numero accrescunt leges ecclesiasticæ? Multitudine suâ ipsâ terrent, si oculis perlustrentur tot prohibitiones, totque præceptiones quibus turgent collectiones juris canonici ; nonne melius ac satius foret divinis quæ lege mosaicâ comprehenduntur institutis obstringi? huc tendit hæc S. Augustini animadversio : « Ipsam religionem quam paucissimis et manifestissimis.... Sacramentis misericordia Dei « liberam esse voluit, servilibus oneribus

« premunt, ut tolerabilior sit conditio Ju-
« dæorum, qui etiamsi tempus libertatis
« non agnoverint, legalibus tamen sarcinis,
« non humanis præsumptionibus subjiciun-
« tur. »

Resp. : Ad conflandam Ecclesiæ catholicæ invidiam excogitata est hæc vituperatio : nam ut scitè adnotat Bellarminus, pauciores sunt sine comparatione ullâ et leviores leges ecclesiasticæ Mosaicis : « Leges absolutè impositæ « omnibus Christianis, vix inveniuntur aliæ « quàm quatuor, nimirùm de servandis festis, « et de servandis jejuniis, de confessione sin-« gulis annis semel faciendâ, et de sacrâ com-« munione habendâ in paschate : cæteræ om-« nes quibus pleni sunt tomi conciliorum, et « libri juris canonici, vel non sunt leges, sed « admonitiones, vel piæ institutiones sine « obligatione ad culpam, quales sunt plurimi « ritus Christianorum ; vel sunt leges condi-« tionales, id est, impositæ iis qui volunt ad « sacros ordines admitti, ut de cœlibatu, quæ « non gravant Ecclesiam, cùm nemo teneatur « fieri clericus vel monachus ; vel sunt regulæ « præscriptæ non omnibus, sed solis judicibus « ecclesiasticis, ut eas sequantur in causis « dijudicandis ; vel sunt censuræ et pœnæ « latæ in eos qui jus divinum violant, sine « quibus disciplina conservari nullo modo « potest ; vel sunt explicationes dogmatum « fidei aut juris divini, quæ etiam nullum no-« vum onus Christianis imponunt ; at leges « Mosaicæ omnibus et singulis Judæis imposi-« tæ, innumerabiles erant, de purificationibus, « de sacrificiis, de ciborum delectu, etc. Ita-« que non oportet comparare Pentateuchum « cum tomis conciliorum et libris juris cano-« nici, sed cum parvo catechismo : potest « enim Christianus salvari si solum cate-« chismum noverit. »

Longè quoque minori esse oneri leges ab Ecclesiâ impositas, Mosaicis legibus, alias cum aliis componenti statim patebit, neque tantâ severitate plecti transgressiones mandatorum : adeò strictè Judæis abstinendum erat ab omni servili opere, in sabbatis, ut jussu Domini lapidibus fuerit obrutus homo qui die sabbati ligna collegerat. Quod attinet ad querelam S. Augustini, non de legibus ecclesiasticis conqueritur, sed de quibusdam vulgi rudiumque hominum consuetudinibus, perperam inductis, quas abrogandas putaverit : « Omnia « inquit, talia quæ neque sanctarum Scriptu-« rarum auctoritatibus continentur, neque in « conciliis episcoporum statuta inveniuntur, « neque consuetudine universæ Ecclesiæ ro-« borata sunt, sed diversorum locorum diver-« sis moribus innumerabiliter variantur, ita ut « vix aut omninò nunquàm inveniri possint « causæ, quas in eis instituendis homines se-« cuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ullâ « dubitatione resecanda existimo. » Deinde proposita objectio, si quid probaret, id unum evinceret, provectum esse ultra metas ecclesiasticarum legum numerum ; at ipsam legislativæ potestatis non impugnaret veritatem et substantiam ; sed absit ut liceat, vel universa lem Ecclesiam imprudentiæ ac temeritatis arguere, vel ut quisque animo saltem aggrediatur quæ sibi displiceant particularium Ec clesiarum statuta, pro nutu suo rescindere.

Objicies denique : Forum conscientiæ forum Dei est ; ergo solius Dei est illo in foro, quæ obsequendi necessitatem inferant, institutiones edere : solus ille conscientias, intimaque scrutatur cordium penetralia : solus ille potest animorum discernere ac dijudicare affectus, solusque æternas pro gravitate delictorum pœnas irrogare. — Resp. : Ad Deum quamvis pertineat conscientiæ forum, quid ipsum prohibeat ne quibus voluerit hominibus, potestatem largiatur juris constituendi quo conscientia obligari possit, ac reipsà obstringatur ? neque ad id necesse est ut abscondita cordium perspecta habeant humani legislatores ; satis est ut nuda et aperta sint supremo Domino, cujus vices gerunt, et cujus ordinationi qui restiterit, damnationem sibi acquirit ; ipse profectò æternis etiam pœnis mulctare potest, suæ ipsius in ecclesiasticis, imò et in secularibus legislatoribus auctoritatis contemptum, quamvis ipsi per se nequeant id pœnarum genus infligere.

CAPUT III.

UTRUM ECCLESIA IN SPIRITUALIBUS POLLEAT SUPREMA, NEC SUUM INTRA ORDINEM DEPENDENTI AUCTORITATE.

Momentosam hanc quæstionem pertractare sic animus est, ut certò inde colligatur Ecclesiæ auctoritatem non posse labefactari, quin simul conculcentur et labascant, regiæ quamvis nemini præter Deum subjectæ potestatis fundamenta : mentibus igitur observetur perpetuò, divinum illud quo temperatur omnia, pronuntiatum : *Reddite* ergo *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo ;* quod ne unquàm infringatur, cavendum est inprimis, ne cum personâ

confundatur potestas; nec ab Ecclesiâ pendet potestas principum, ut jam probatum est, nec à principibus, potestas Ecclesiæ; verùm ut in temporalibus ipsi Ecclesiæ prælati subjecti sunt principibus, ita in spiritualibus Ecclesiæ subditi sunt principes; tum ad eos etiam spectat illa S. Pauli admonitio: *Obedite præpositis vestris; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri:* ad ipsos autem Ecclesiæ pastores hæc ejusdem Apostoli sententia: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* ad Rom. cap. 13. Id postulat ordo à summo numine constitutus, ut sibi mutuo sint præsidio ecclesiastica et potestas temporalis illæsis utriusque juribus: quâ constanti concordiâ, nihil exoptatius, nihil melius humano generi potest obtingere: hæc magis ac magis tractatûs serie jam comperientur.

CONCLUSIO. — *In spiritualibus suprema est, soliqueDeo subjecta potestas Ecclesiæ.*

ARGUMENTUM PRIMUM, *instar fundamenti habendum.*

A temporali potestate quomodò pendeat Ecclesiæ auctoritas nisi subjectionem hanc exigat vel ipsa hujus auctoritatis natura, vel divina ejusdem institutio, vel Ecclesiæ, si fingi possit, certa quædam concessio, aut adversùs eam præscriptio, quæ legitimâ sit possessione comparata? Atqui nihil horum adduci potest.

1° Pendere à temporali potestate auctoritatem Ecclesiæ, non postulat hujus auctoritatis natura et conditio; namque undenam constat Ecclesiæ potestati non esse subjectam temporalem potestatem, si consulatur ipsa rerum natura? Id ex eo constat, quòd non in eodem, quo spiritualis potestas versetur ordine, diversum intrinsecè ad finem per se ipsam referatur, tranquillum nempe ac prosperum publicæ rei statum temporalem, ideòque ad coercendos legum violatores, pœnis aliisque adjumentis uti valeat, quæ civium bona, libertatem, vitamque afficiant. Quantùm cœlestia terrenis antecellunt, et temporalibus æterna, tantò nobiliorem ad finem collineat collata Ecclesiæ à Christo Domino potestas, animarum per seipsam addicta promovendæ saluti; propositum itaque ut assequatur scopum, præstantioribus utitur auxiliis, ut puta, verbi divini prædicatione, credendorum et agendorum tutâ determinatione, sacramentorum fideli administratione, ac pœnas adhibet spirituales, ut inprimis censuras ad eorum ipsam qui redarguuntur, salutem ordinatas: hæc attentè qui perspexerit, nonne ultrò fatebitur, suâpte naturâ determinari, atque discriminari à seipsis ecclesiasticam temporalemque potestatem, neque posse ullâ probabilitatis specie, huic illam ex intrinsecis mancipari principiis? et certè quâ ratione naturalem in spiritualibus auctoritatem obtinerent principes, dominatumque in Ecclesiæ regimine jure naturali exercerent, qui ut fideles cæteri, gratuito prorsùs dono, ad fidem, ad baptismum, ad Ecclesiæ communionem vocati sunt?

2° Expendatur utrùm *positivâ* et divinâ institutione, gubernationi Ecclesiæ præpositi sint principes; quæ Scripturæ testimonia protulimus ad probandum illos non esse constitutos fidei judices, eadem hìc spontè recurrunt ad solvendam propositam mox quæstionem. Apostolis, non secularibus principibus id spondebat Christus: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (Matth. c. 18, v. 18); quibus verbis tam splendidè commendatur spiritualis auctoritas; nulli principum dictum est: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* non ad principes pertinebat ea Domini sententia: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joann. cap. 21, v. 15 et 17); quibus vocibus declarat quantam in Apostolos auctoritatem profuderit; non ad principes hortatio hæc Apostoli gentium: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* (Ibid. c. 20, v. 21.) Non principes illis accenset quos dedit Christus *ad consummationem sanctorum, in opu ministerii, in ædificationem corporis Christi.* (Ad. Eph. c. 4, v. 11 et 12.) Non ad principes pertinent hæc ejusdem Apostoli: *Pro Christo legatione fungimur* (2 ad Cor. c. 5, v. 20); *sic nos existimet homo ut ministros Christi* (1 ad Cor. c. 4, v. 1). Nedùm gubernandæ præficiantur divinitùs Ecclesiæ terreni principes, illis potiùs comprehenduntur quos in spiritualibus regendos susceperunt à Christo Apostoli: tenentur ipsi in iis quæ ad salutem spectant, dociles se præbere mandatis Ecclesiæ; non eximuntur à Christi institutionibus cujus personam sustinent dominici duces gregis; annumerentur oportet ovibus, quas pascendas commisit Dominus Apostolorum principi.

3° Non Ecclesiæ ullâ concessione subjacet principibus ecclesiastica potestas: reverà ut indulgentibus christianis principibus quædam exercuit, quædam etiamnum, licet pauciora quàm olim, exercet munera, quæ ad propriam

sibi, divinitùsque acceptam potestatem non revocantur : ita concedente Ecclesiâ quædam obtinent principes in ejus disciplinâ, quæ à temporali potestate non oriuntur : at quemadmodùm nollent, nec paterentur principes, ut ex suâ in Ecclesiam beneficentiâ occasio arriperetur subjiciendi ecclesiasticæ auctoritati politicam ac temporalem potestatem, ita et meritò conquereretur Ecclesia, si fortè ex iis quæ partim toleranda, partim concedenda principibus judicavit, captaretur ansa, eam in spiritualibus terreno subjiciendi imperio.

Nunquàm voluit, nec potuit Ecclesia constitutum à suo conditore ordinem invertere, nec alienare auctoritatem regiminis suo necessariam, sibique instar inviolabilis depositi à Christo Domino traditam, ab Apostolis derivatam, atque in eorum successores transmittendam, cum perpetuæ promisso assistentiæ, quam certè temporales in principes transferre non potuisset Ecclesia. Hinc auctoritatem illius deterere ac invadere cùm tentatum fuit, invicto animo reclamârunt conspicui sanctitate et doctrinâ episcopi. Quædam ubi de auctoritate judicis controversiarum, deprompsimus Ozii Cordubensis episcopi, S. Athanasii, S. Ambrosii egregia et fortia testimonia, quæ ad ipsam quam vindicamus assertionem confirmandam valeant; quædam nunc alia pro rei gravitate subjungemus.

S. Gregorius Nazianzenus præstantem dignitate præfectum sic compellabat : « An me « liberè loquentem æquo animo feretis ? Nam « vos quoque imperio meo ac tribunali lex « Christi subjicit ; imperium enim nos quoque « gerimus; addo etiam præstantius ac perfectius; « alioquin carni spiritum et terrenis cœlestia « cedere oportebit. Omninò te libertatem « meam accepturum in bonam partem scio : « sacri mei gregis ovis es, » etc. Leontius Tripol. episcopus, sic ipsum Constantium ecclesiasticam disciplinam pro suo arbitratu moderantem, aut potiùs depravantem allocutus : « Miror quî fit ut aliis curandis destinatus, alia « tractes, qui cùm rei militari et reipublicæ « præsis, episcopis ea præscribas, quæ ad solos « pertinent episcopos, » apud Suidam. Hæc verò scripsit celebri epistolâ ad Anastasium Augustum S. Gelasius pontifex : « Duo sunt, impe- « rator Auguste, quibus principaliter mundus « hic regitur, sacerdotalis auctoritas, et rega- « lis potestas, utraque principalis, suprema « utraque, neque officio suo alteri obnoxia est. » Ad eumdem imperatorem ita Symmachus summus etiam pontifex : « Ille (imperator) rerum « humanarum curam gerit : iste (pontifex), « divinarum : tu humana administras : ille ti- « bi... divina dispensat : itaque, ut non dicam « superior, certè æqualis est honor. » Potuisset, ut adnotat Bossuetius, dicere honore sublimiorem esse pontificiam auctoritatem, quamvis temporalem ipsi potestatem Deus non subjecerit. « Hæc dicebant, inquit Bossuetius, « (Defens. declarat. cleri Gallicani, parte se- « cundâ, lib. 5, c. 33,) pontifices superbo impe- « ratori, qui ad se omnia ecclesiastica trahere, « et Acacii meritò excommunicati nomen, im- « peratoriâ potestate sacris dypticis restituere, « vel conservare niteretur. »

Nicolaus Papa I, in epist. 7, ad Michaelem imperatorem, anno circiter 865 : « Quoniam « idem mediator Dei et hominum homo Chris- « tus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus « distinctis officia potestatis utriusque discrevit, « propriâ volens medicinali humilitate homi- « num corda sursùm efferri, non humanâ su- « perbiâ rursùs in infernum demergi : ut et « christiani imperatores pro æternâ vitâ ponti- « ficibus indigerent, et pontifices pro cursu « temporalium tantummodò rerum, imperiali- « bus legibus uterentur : quatenùs spiritalis « actio à carnalibus distaret incursibus, et ideò « militans Deo, minimè se negotiis secularibus « implicaret ; ac vicissim non ille rebus divinis « præsidere videretur, qui esset negotiis secu- « laribus implicatus. » (Cap. *Quoniam* 8, distinct. 10.)

4° Denique nullâ præscriptione spoliari potest Ecclesia auctoritate sibi propriâ et à Christo derivatâ. Nam præscriptio, est dominii ac juris, per possessionem tempore à legibus præscripto continuatam acquisitio ; essentiales inter conditiones præscriptionis, requiritur ac omninò necesse est, ut præscriptioni apta sit res quæ præscribenda censeatur ; tum etiam præscriptionem oportet legitimâ esse auctoritate comprobatam ; at in confesso est apud jurisperitos, atque res ipsa clamat, præscriptioni ea non subjacere quæ juris sunt divini : ergo præscribi non potest Ecclesiæ illa quam à Christo accepit, auctoritas, nec subdi principum auctoritati. Et quo jure præscriptioni foret obnoxia ? Certè *non divino* : nam præterquàm quòd humano jure invectam esse præscriptionis legem, omnes profiteantur, absolutè tradita est Ecclesiæ illa quam ipsi Christus contulit, potestas, nullâ interpositâ conditione quâ subiret aliquando temporalis

jugum imperii : porrò *nec humano potuisset jure* induci hoc in genere præscriptio, cùm jure nullo sive ecclesiastico, sive civili possit disturbari et convelli ordo à supremo numine constitutus. At nec verè christiani principes ordinem hunc irritum facere tentaverint. Hinc

ARGUMENTUM II. — *Exipsâ religiosorum principum confessione.*

In quæstione de judice controversiarum, jam in medium attulimus testimonia Valentiniani Senioris, Theodosii Junioris, et Valentiniani III. Illis adjungimus celeberrimi confessionem imperatoris, eò quantùmvis redarguendi quòd rebus ecclesiasticis implicatum se nimis voluerit. De Justiniano imperatore loquimur : « Maxima quidem in omnibus sunt dona « Dei à supernâ collata clementiâ, sacerdotium « et imperium : illud quidem divinis ministrans, « hoc autem humanis præsidens.... ex uno eo- « demque principio utraque procedentia. » Utriusque potestatis declarat determinatos esse supernâ providentiâ limites, ne una in alteram velit pro nutu suo involare.

Disertiùs etiam, et effusâ quasi mente, hoc idem testatur Basilius imperator in octavâ synodo generali : de causis spiritualibus seu ecclesiasticis, ita quid sentiat aperit : « Hoc in- « vestigare et quærere, patriarcharum, pon- « tificum et sacerdotum est qui regiminis offi- « cium sortiti sunt : qui sanctificandi, qui li- « gandi et solvendi potestatem habent; qui « ecclesiasticas et cœlestes adepti sunt claves : « non nostrûm qui pasci debemus, qui sanctifi- « cari, qui ligari vel à ligamento solvi egemus; « quantæcumque enim religionis et sapientiæ « laicus existat, vel etiamsi universâ virtute in- « teriùs polleat, donec laicus est, ovis vocari « non desinet. »

In concilio Chalcedonensi, act. 6, Martianus imperator, non solùm ubi agebatur de dogmate definiendo, professus est sese religiosi principis Constantini insistendo vestigiis, concilio non interfuisse *ad aliquam ostendendam potentiam*, verùm cùm certas quasdam optaret constitui in Ecclesiâ disciplinæ leges, eas ipse proposuit, sanctissimi illius conventûs auctoritate sanciendas; eâdem in synodo, de jure alicujus metropolis exortâ quæstione, de quo Ecclesiæ canonibus consonare leges imperatoriæ non viderentur, sententiam suam rogata sancta synodus, triginta supra sexcentos constans episcopis, clamavit, actione 13 : « Cano- « nes teneant; canonibus satisfiat, » montrant « par cette réponse, inquit illust. Bossuetius, « que si elle (l'Eglise) cède en certaines choses « qui regardent son gouvernement, à l'autorité « séculière, son esprit, quand elle agit libre- « ment (ce que les princes pieux lui défèrent « toujours très-volontiers), est d'agir par ses « propres règles, et que ses décrets prévalent « partout. » Sacræ polit. lib. 7, art. 5, prop. 11.

Quantùm absit à principibus nostris, ut Ecclesiæ auctoritati, ac debitæ illi reverentiæ detractum velint, demonstrare obvium est : id palam ostendunt regum Francorum capitularia quæ videre est apud Baluzium. Unum aut alterum proferemus : audiatur Carolus verè magnus : « Præcipientes jubemus, ut nullus « quilibet ex fidelibus nostris à minimo usque « ad maximum, in his quæ ad Deum pertinent, « episcopo suo inobediens parere, seu appa- « rere audeat de supra dictis capitulis, seu « aliis eruditionibus ad illorum ministerium « pertinentibus, sed cum bonâ voluntate et « omni mansuetudine subjectionis, unusquis- « que sacerdoti suo propter Deum et pacis « studium obtemperare studeat. » Apud Baluzium. « Ut comites et judices reliquusque po- « pulus obedientes sint episcopo, et invicem « consentiant ad faciendas justitias. » Ibid.

Ludovici Pii de auctoritate Ecclesiæ sententiam sic refert Bossuetius cujus in defendendâ regum supremâ potestate studium neminem latet : « Pour la discipline ecclésiastique, in- « quit (Polit. sacræ lib. 7, art. 5, proposit. 11), « il me suffit de rapporter ici l'ordonnance « d'un empereur, roi de France : *Je veux*, dit- « il aux évêques, *qu'appuyés de notre secours, « et secondés de notre puissance, comme le bon « ordre le prescrit, vous puissiez exécuter ce que « votre autorité demande.* Partout ailleurs « (subjungit Bossuetius) la puissance royale « donne la loi, et marche la première en sou- « veraine; dans les affaires ecclésiastiques, elle « ne fait que seconder et servir : *famulante ut de- « cet potestate nostrâ* : ce sont les propres termes « de ce prince; dans les affaires non seule- « ment de la foi, mais de la discipline ecclé- « siastique, à l'Église la décision, au prince la « protection, la défense, l'exécution des ca- « nons et des règles ecclésiastiques : c'est l'es- « prit du Christianisme que l'Eglise soit gou- « vernée par les canons. »

Cùm adornarentur quæ regis Galliæ jussu ab ejus legatis concilio Tridentino proponerentur, tanquàm ecclesiasticæ opportuna disci-

plinæ, in præfatione dicitur : « Carolum re-
« gem nostrum cupere quidem ut petitionum
« suarum omnium ratio habeatur, sic tamen à
« christianâ disciplinâ edoctum et institutum
« esse, ut vobis omnia tribuat, rerumque om-
« nium istarum rationem, cognitionem et
« judicium ad vos omninò sciat pertinere. »
(Petitiones Caroli IX ; Comment. des Libertés de l'Église Gallicane, tom. 3.)

Notum est omnibus edictum Ludovici XIV de jurisdictione ecclesiasticâ, et quo studio voluerit sartam tectamque permanere Ecclesiæ in sanciendâ disciplinâ auctoritatem; hujus edicti satis sit art. 34 oculis subjicere : « La
« connaissance des causes concernant les sa-
« crements, les vœux de religion, l'office di-
« vin, la discipline ecclésiastique, et autres
« purement spirituelles, appartiendra aux juges
« de l'Église. »

Silentio præteriri non debet decretum 10 martii anni 1731, quo declarat Ludovicus XV primas apud se obtinere, id officii genus,
« d'empêcher qu'on ne mette en question, les
« droits sacrés d'une puissance qui a reçu de
« Dieu seul l'autorité de décider des questions
« de doctrine sur la foi, ou sur la règle des
« mœurs, de faire des canons ou des règles de
« discipline pour la conduite des ministres de
« l'Église et des fidèles dans l'ordre de la Re-
« ligion, d'établir ses ministres ou de les des-
« tituer conformément aux mêmes règles, et
« de se faire obéir en imposant aux fidèles,
« suivant l'ordre canonique, non seulement
« des pénitences salutaires, mais de véritables
« peines spirituelles, par les jugements ou
« par des censures que les premiers pasteurs
« ont le droit de prononcer et de manifester,
« et qui sont d'autant plus redoutables qu'elles
« produisent leur effet sur l'âme du coupable,
« dont la résistance n'empêche pas qu'il ne
« porte malgré lui la peine à laquelle il est
« condamné. » (Nouveau Comment. des Libertés de l'Église Gallic. tom. 5.)

Expressius nihil afferri potest ad significandum à solo Deo ducere originem auctoritatem Ecclesiæ in fide, moribus et disciplinâ, nec eam in spiritualibus, ab humanâ ullâ potestate pendere.

Hæc ita in Galliis inveteraverunt principia, ut suscepto ad defensionem temporalis potestatis tractatu suo de Abusu, ipse Fevretus id adnotaverit : « Il y a plus de 300 ans qu'un
« procureur-général du roi au parlement de Paris, parlant de ces deux puissances (la
« spirituelle et la temporelle) disait : « Duas
« illas jurisdictiones, quibus principaliter
« mundus regitur, à Deo fuisse ab invicem
« separatas, distinctas et divisas, ita ut neu-
« tra alteri subesset. » Haud minùs appositè disseruit D. Talon, tantæ auctoritatis magistratus : « La puissance des évêques n'est
« reçue que du ciel, ne coule d'autre source
« que de l'infinie plénitude de Dieu, ne dé-
« pend que de la seule autorité de Jésus-
« Christ, et n'est soumise qu'à ses ordres. » (Mémoires du Clergé, tom. 3.)

Divinæ itaque repugnarent institutioni, neque principibus verum exhiberent obsequium, qui mancipare illi auctoritatem Ecclesiæ molirentur : hinc tam strenuè episcopos illos Henrici VIII Anglorum regis assentatores, increpat Bossuetius : « Sans que ces faibles
« évêques, inquit, aient osé témoigner, à
« l'exemple des siècles précédents, que leurs
« décrets valables par eux-mêmes, et par l'au-
« torité sainte que Jésus-Christ avait attachée à
« leur caractère, n'attendaient de la puissance
« royale qu'une entière soumission et une
« protection extérieure. » (Hist. des Variat. liv. 10. c. 18.)

ARGUMENTUM III. — *Ex consectariis doctrinæ contrariæ.*

1° Ex eâ consequitur utriusque potestatis perturbatio et jure divino reprobata confusio. Omni argumentorum genere constat distinctas esse naturâ suâ potestatem ecclesiasticam, et potestatem civilem, utramque moderando diversum intra ordinem huicce mundo divinitùs constitutam ; toto genere à se invicem differunt : objecto et fine, originis modo et ministrorum muneribus, prorsùs disjunctæ sunt, ut probatum est : generale hoc discrimen ipsos apud jurisperitos indubitatum est. Hinc Rousseau de Lacombe hoc instar fundamenti statuit : « Rien n'est mieux établi que
« la distinction de la jurisdiction spirituelle et
« temporelle : Duo sunt quibus principaliter
« mundus regitur, auctoritas sacra pontificum
« et regalis potestas, dit le pape Gélase à
« l'empereur Anastase. »

Fac verò ipsis in spiritualibus principatum obtinere civilem auctoritatem, et vicissim in temporalibus ecclesiasticam, confundentur illæ potestates ; pontifex quæ sunt principis, princeps quæ sunt pontificis munia tanquàm sibi propria capesset et retinebit ; uterque injuriâ : nam cùm ex hoc Christi oraculo : *Regnum*

meum non est de hoc mundo, rectè colligatur, nihil per seipsam posse in temporalibus Ecclesiam, haud minùs certò indè consequitur nihil posse per seipsos, in spiritualibus principes, cùm non magis civili auctoritati ea subjaceant quæ *non sunt de hoc mundo,* quàm ecclesiasticæ, ea quæ sunt de hoc mundo; confusis autem utriusque potestatis juribus, quæ et quanta immineat utriusque pernicies, observavit (quod quidem statim occurrit cogitantibus) Fevretus tractatu jam citato : « Tous les peuples, inquit, ont reconnu ces deux puissances établies de Dieu, et la différence de leurs emplois : Bodadilla, auteur Espagnol, liv. 2 de la Politique, chap. 18, dit une chose bien remarquable, savoir que la ruine des états et des républiques procède le plus souvent de la division qui survient le plus souvent entre ces deux puissances, et de la confusion de leurs emplois. »

2° Ut ex dictis confunderentur quæ Christus distincta voluit, ita disjungerentur quæ voluit esse conjuncta; namque ex verbo tum scripto, tùm tradito perspectum est eosdem esse à Christo regendæ præpositos Ecclesiæ, quos in controversiis fidei judices constituit; quibus enim dixit: *Euntes docete omnes gentes,* et quibus sese affuturum usque ad consummationem seculi absolutè pollicitus est, iidem sunt, quibus dixerat : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Idem videre est, si conferantur secum invicem Scripturæ alia testimonia quibus de fide, cum aliis quibus de gubernatione Ecclesiæ injicitur mentio; ut igitur dicendum est, ipsos seculares principes, dirimendis de fide litibus destinatos esse à Christo judices, aut non esse gubernandæ præficiendos Ecclesiæ, ac proinde utrumque munus Apostolis eorumque successoribus, divinâ ordinatione esse attributum : hinc quidquid possint in ecclesiasticâ disciplinâ principes, id esse concessum illis ab Ecclesiâ, sicut et concessum Ecclesiæ à principibus, quidquid valeat in temporalibus : « L'Église, inquit Perard Castel (Nouveau Recueil de plusieurs questions notables sur les matières bénéficiales, tom. 2, division 2), l'Église, outre la jurisdiction spirituelle et naturelle qui lui appartient de droit commun, a quelquefois une jurisdiction que nous pouvons appeler accidentelle, qui est une jurisdiction temporelle, laquelle lui a été accordée par les princes séculiers et temporels. »

3° Dicendum esset Ecclesiam prioribus seculis aut caruisse auctoritate fidelium gubernationi necessariâ, aut eamdem temerè et injuriâ sibi arrogâsse. Temporibus quo seculares potestates igne et ferro insectabantur Ecclesiam, numquid defecit et concidit regimen ac ministerium in eâ divinitùs institutum, aut inter uberrimos quibus undique splendebat sanctitatis fructus, pullulavit atque constitit in eâ indebitæ potestatis et dominationis usurpatio? verùm hoc de capite audiatur pereleganter æquè ac nervosè S. Hilarius (contra Auxentium, num. 2) : « Quibusnam suffragiis « ad prædicandum Evangelium Apostoli usi « sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum « prædicaverunt?... Anne aliquam sibi assumebant è palatio dignitatem, hymnum Deo « in carcere inter catenas, et post flagella « cantantes? edictisque regis Paulus, cùm in « theatro spectaculum ipse esset, Christi Ecclesiam congregabat? Nerone, se, credo, aut « Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio divinæ « prædicationis efflоruit! illi manu atque « opere se alentes intra cœnacula secretaque « coeuntes, vicos et castella, gentesque ferè « omnes terrâ ac mari, contra senatûs consulta et regum edicta peragrantes, claves « credo regni cœlorum non habebant? aut « non manifesta se tùm Dei virtus contra odia « humana porrexit, cùm tantò magis Dei virtus « prædicaretur, quantò magis inhiberetur? »

Apostolos quidem prædixerat Christus, infensâ tunc Evangelio potestate seculari esse exagitandos : *Ad præsides,* inquit, *et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus,* Matth. 10, v. 18. Neque innuerat expectanda ab illis regiminis ecclesiastici normam aut præsidia : postquàm verò tam diuturnâ et certissimâ experientiâ comprobatum est, posse suo adjuvante sponso, absque secularibus munimentis Ecclesiam consistere, neque necesse illam habuisse, ut rectè firmiterque gubernandi vim atque rationem, aliunde quàm ab ipso conditore accerseret : tum eo benignè providente, obsecundare Ecclesiæ laudi et officio duxerunt, inter ejus filios ac discipulos coaptati principes : quædam disciplinæ suæ capita, sapienter et illibatâ fide, pro temporum adjunctis et necessitatibus immutavit Ecclesia; sed immota semper inhæsit positis primitùs constitutionis suæ, propriique regiminis principiis: nec unquàm excidet toties celebratum istud Christi effatum : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.*

4° Ecclesiæ suæ incolumitati et gubernationi Christus, pro suâ in eam charitate et sapientiâ consultum non voluisset. Ut principum auctoritatem non imminuit, ita quemadmodùm aliàs indicavimus, non amplificat christianæ Religionis professio. Aliis longè præstantioribus incitamentis alliciendos esse ad fidem constituit Dominus : quam ergo sibi vindicarent in Ecclesiæ disciplinam, si jure suo possent, auctoritatem, principes catholici, eamdem sibi attribuerent principes ethnici et hæretici : hanc si haberent, à supremâ suâ et propriâ temporalis dignitate principatûs haurirent, neque enim reipsà alio à fonte eam possent repetere : hâc verò in hypothesi, quonam modo Christus charissimæ quam acquisivit sanguine suo, Ecclesiæ providendum curavisset? quam ea sortem, quam gubernandi rationem nacta fuisset? fac eam opportunum atque factu necessarium judicare, quosdam rebellantes à suâ communione adhibito excommunicationis gladio rescindere, aut sanciendæ suæ disciplinæ leges aliquas condere : quò ipsa confugiet, quid sperandum esse videatur, si præstolandus sibi fuerit, principum catholicam in fidem si fieri posset, extinguendam conspirantium, expressus vel tacitus præsumptusque rationabiliter consensus, tametsi merè in spiritualibus, ut par foret, statuendo, determinandoque sisteret? Uno verbo, sicut Deus, ita regnorum rerumque publicarum statum conditionemque ordinavit, ut propriâ sibi, divinitùsque concessâ auctoritate, ea valeant constituere et sancire quæ regendis sapienter congruant subditis : ita et Ecclesiæ conditor Deus, quam certè præ temporali quolibet regno dilexit atque diligit, necessariam ei et per se sufficientem contulit, et ad præstitutum ei finem accommodatam auctoritatem.

5° Approbandum esset ac fovendum, quod quidem refugiunt aures catholicæ, Henrici VIII regis Anglorum nefarium schisma. Argumentum istud suggessimus, tractandâ quæst. de judice controversiarum, ubi de judicibus fidei; valet etiam in constituendis potestatis ecclesiasticæ principiis ac proprietatibus; princeps ille impotenti libidine, ab Ecclesiæ Catholicæ defensione, ad capitale ipsius odium miserrimè traductus, in hoc aberrabat, quòd vellet, si potestatem ordinis excipias, auctoritatem omnem ecclesiasticam, regiis servire ac dirigi mandatis, nec per seipsam obligandi et coercendi vim ullam habere; quod meritò indignans doctissimus Bossuetius, servilem tunc degentium episcoporum Anglicanorum animum sic arguit, Hist. des Variations, liv. 10, c. 18 : « En oubliant avec les « anciennes institutions de leur Eglise, le chef « que Jésus-Christ leur avait donné, et se don- « nant eux-mêmes pour chefs leurs princes, « que Jésus-Christ n'avait point établis pour « cette fin, ils se sont tellement ravilis, que « nul acte ecclésiastique, pas même ceux qui « regardent la prédication, les censures, la li- « turgie, les Sacrements et la foi même, n'a de « force en Angleterre, qu'autant qu'il est ap- « prouvé et validé par les rois : ce qui au fond « donne aux rois plus que la parole et plus « que l'administration des Sacrements, puis- « qu'il les rend souverains arbitres de l'un et « de l'autre (1). » Quot inde regno et Ecclesiæ incubuerunt calamitates! quàm luctuosa et

(1) Lugendam religionis antiquæ in Angliâ conversionem nitidè explicat eximius auctor Pey, in libro cui titulus : *De l'autorité des deux puissances*, his verbis : « Un roi (Henri VIII), dominé par une passion honteuse, après s'être séparé de l'Eglise romaine, voulut s'établir chef du gouvernement ecclésiastique, et comme s'il eût pu s'affranchir de l'obéissance qu'il devait à l'Eglise, en usurpant son autorité, il déclara que *toute jurisdiction, tant ecclésiastique que séculière, venait de la puissance royale, comme la source première de toute magistrature.* La première loi qu'il publia à ce sujet, portait que *le roi était le chef souverain de l'Eglise d'Angleterre.* Le parlement y ajouta que *le roi et ses successeurs pourraient prendre connaissance des erreurs, des hérésies et des abus, et y remédier.* Muni de cette nouvelle puissance, Henri VIII nomma, en 1540, des commissaires pour dresser, en son nom, une explication du Symbole des Apôtres, des sacrements, des commandements de Dieu et de quelques autres points de doctrine, touchant la justification et les bonnes œuvres.

« Edouard étant monté sur le trône en 1547, les évêques furent obligés de prendre de lui de nouvelles commissions pour exercer leur ministère. Le conseil du jeune prince, à l'exemple de Henri VIII, dit Burnet, qui nous fournit tous ces détails dans son Histoire de la Réforme, *envoya des visiteurs dans tout le royaume avec des constitutions ecclésiastiques et des articles de foi. Chaque commission était composée de deux gentilshommes, d'un jurisconsulte, d'un théologien et d'un secrétaire* (point d'évêques), *et le roi défendait aux archevêques et à tous les autres d'exercer aucune jurisdiction ecclésiastique, tant que la visite durerait.* L'Angleterre ayant asservi l'épiscopat, qui pouvait seul servir de barrière aux hérésies, n'eut plus de moyen de se défendre des nouveautés. Le Calvinisme sema ses erreurs. Les disputes et les dissensions s'introduisirent à la suite. Thomas Cromwel, vicegérant de Henri VIII dans le gouvernement ecclésiastique, déjà infecté lui-même de l'erreur, avait commencé d'affaiblir la foi, en discréditant le zèle; il avait établi le tolérantisme sous l'apparence d'une fausse paix, or-

inexhausta scandalorum colluvies! quæ ut præcaveantur, nihil satius, quàm eam regulam teneri quam his verbis enuntiat ipse Basnagius, Ann. polit. Eccles. tom. 2, dissertat. 4, de tribunali eccles. : « Utraque potestas, politica « scilicet et ecclesiastica, cancellis limitibusque « suis circumscribitur, qui prorogari non de- « bent; ut enim claves regni cœlorum magistra- « tus usurpare non potest, sic presbyteris episco- « pisque jus gladii exercere, illudque omne quod « cum eo connexum est, arripere non datur. »

6° Vix posset Ecclesia legem ullam constituere quâ Christianorum tota societas obligaretur. Eadem est jure divino, ut adnotavimus, auctoritas, tum in principibus catholicis, tum in principibus infidelibus : si ergo penderet à temporali potestate auctoritas ecclesiastica, nullam sancire legem posset Ecclesia, nisi consentientibus omnibus, vel saltem majori notabiliter parte principum, tum catholicorum, tum infidelium; quapropter cùm adeò dissideant placitis ac moribus, principes illi qui divisim totius orbis principatum obtinent, sperandum non esset, ut vel omnibus, vel eorum majori saltem parti probarentur leges ecclesiasticæ, ideòque vix posset Ecclesia statuta condere, quibus Christianorum societas obstringeretur : eò tandem evaderet quod refellimus, systema (si prævaleret), ut Ecclesiæ tota pessumdaretur auctoritas, dilaberetur unitas, dissiparetur constitutio, divinitùsque ordinata deleretur gubernationis forma.

donnant qu'on s'abstînt, de part et d'autre, des noms odieux de *papistes* et *d'hérétiques*, désapprouvant également l'*audace et la licence des uns* (des Protestants), *la superstition des autres* (des Catholiques), *et leur invincible entêtement pour de vieux abus.*

« Edouard fit un pas de plus : il prescrivit le silence aux prédicateurs sur les articles qu'il n'aurait point encore décidés. Cependant, il statua qu'on communierait sous les deux espèces; il réforma les offices de l'église; il déclara la confession libre; il changea la liturgie; et comme le silence qu'il avait ordonné n'avait point fait cesser les troubles, et que les chaires devenaient le théâtre de division et de disputes scandaleuses, il interdit tous les prédicateurs, s'en réservant l'approbation à lui seul et à l'archevêque de Cantorbery, son vicaire-général. Enfin, il donna un édit qui permettait le mariage aux prêtres. Mais, comme la puissance spirituelle entre les mains d'un monarque qui n'avait aucune mission de Jésus-Christ, n'était pas assez efficace sur la conscience des sujets pour réformer le clergé et le peuple, les divisions continuèrent. Le prince ordonna donc une seconde visite pour remédier aux abus. Il publia une seconde Confession de foi qui renfermait les erreurs de Calvin, et qui par conséquent était différente de l'exposition doctrinale de Henri VIII; car il n'y a plus de point fixe pour la foi, dès qu'on ne reconnaît plus d'autorité infaillible. On fut obligé de croire alors, de la part du roi, ce que le roi avait défendu de croire quelques années auparavant. Il nomma des commissaires pour dresser un nouveau code ecclésiastique. Les lettres-patentes pour la nomination aux évêchés, portaient que *le roi nommait N. à l'évêché de N., pour tout le temps de sa vie naturelle* ou *pour tout le temps qu'il se comporterait bien.* Après quoi *il donnait pouvoir d'ordonner et de déposer les ministres*, etc...., *au nom du roi et de son autorité.*

« Tous ces attentats, comme le remarque M. Bossuet, dans son Histoire des Variations, étaient fondés sur les maximes dont le parlement d'Angleterre s'était fait un nouvel article de foi, qu'*il n'y avait point de juridiction, soit séculière soit ecclésiastique, qui ne dût être rapportée à l'autorité royale, comme à sa source.* Non qu'on niât que l'épiscopat fût d'institution divine, mais parce que, suivant la maxime de Crammer, *Jésus-Christ instituait les pasteurs pour exercer leur puissance, comme dépendante du prince dans toutes leurs fonctions*, ce qui, ajoute M. Bossuet, est sans difficulté la plus inouïe et la plus scandaleuse flatterie qui soit jamais tombée dans l'esprit des hommes.

« L'épiscopat étant ainsi dégradé, les premiers pasteurs ne furent plus que les esclaves de la volonté du prince, dans un gouvernement dont Jésus-Christ les avait établis les maîtres.... On les obligea à souscrire aux mandements des visiteurs, parmi lesquels il n'y avait pas même un seul évêque. On punit, comme une prévarication, jusqu'au doute qu'ils formaient sur la légitimité d'une pareille mission, et jusqu'à la répugnance qu'ils faisaient paraître pour la servitude. En 1559, Elizabeth déclara par une loi, *que le droit des visites ecclésiastiques et de corriger ou de réformer les abus de l'Eglise, était annexé pour toujours à la royauté, et qu'on ne pouvait exercer aucune charge publique, ou militaire ou ecclésiastique, sans jurer de reconnoître la reine pour souveraine gouvernante dans le royaume, et toutes sortes de causes sécutières ou ecclésiastiques.* Dans le mandement qu'elle fit expédier pour la visite des églises, elle expose que Dieu lui ayant confié le gouvernement de ses états, elle devait faciliter les progrès du Christianisme le plus pur, et rétablir le vrai service de Dieu. Et, en conséquence, elle donne *pouvoir d'examiner l'état véritable des églises, de suspendre ou de déposer les ecclésiastiques qui ne feraient pas leur devoir.* Cependant, pour adoucir ce que la suprématie avait de révoltant, surtout dans les personnes de son sexe, elle déclarait qu'*elle était fort éloignée de vouloir administrer les choses saintes, qu'elle ne demandait que ce qui avait appartenu de tout temps à la couronne impériale d'Angleterre, c'est-à-dire qu'elle croyait avoir une puissance absolue sur tous ses sujets, et le droit de les régir, même immédiatement, sous l'autorité de Dieu, sans qu'aucun autre potentat pût prendre le même droit en Angleterre.* C'était se réserver toute la puissance du gouvernement, et ne laisser aux pontifes que le pouvoir de l'ordre. C'est dans un historien anglican que je lis tous ces faits. » (ÉDITORES.)

Quæ objiciuntur ex Scripturâ sacrâ, et factis in eâ relatis, jam exposuimus tractatu de judice controversiarum, ubi ostendimus controversiarum quæ ad Religionem pertinent, judices non esse constitutos principes. Cætera nunc prosequemur.

OBJECTIO PRIMA. — Ordini publico, ac tuendæ paci invigilare tenentur seculares principes; quidquid ergo potest publicæ tranquillitati obstrepere, id profectò amoliri, et quantùm humana sinit infirmitas, prævertere, eorum est juris pariter et officii; atqui ad ordinem publicum pertinent potestatis ecclesiasticæ munia : eorum quippe functione excuti, vel turbari potest pax adeò necessaria societatis. Ergo, etc. (1).

(1) Pronum est hìc palmare principium ponere, quo generatim solvuntur eò loci propositæ difficultates, quodque mirè versavit doctissimus Delort, Instit. discipl. eccl. tom. 1, lib. 1, cap. 3. « Humano ratiocinio, inquit, « definienda non est auctoritatis essentialiter « Ecclesiæ competentis natura et latitudo, ne- « que subjectum in quo residet; sed utrumque « determinandum est ex Scripturâ et Tradi- « tione. » Quo posito, sic argumentando rem evolvit eximius auctor : « In institutione di- « vinâ, qualis est Ecclesia Christi, quæ finem « immediatum habet salutem animarum, et « quæ proinde proportionata complectitur me- « dia salutis, non alia in essentialibus quæ- « renda est causa statuens, definiens ac regu- « latrix, præter liberum Dei beneplacitum : « quippe media salutis assequendæ, ut et ipsa « salus æterna, à solâ dependent liberâ Dei « voluntate; atqui libera Dei voluntas, quæ- « cumque illa sit, est per se rationi impervia, « neque innotescere potest nisi ex revelatione « quæ in Scripturis vel in Traditione reposita « sit; consequenter humano ratiocinio non est « definienda auctoritatis essentialiter Ecclesiæ « competentis natura et latitudo, neque sub- « jectum in quo residet; sed utrumque deter- « minandum est ex Scripturâ sacrâ et Tradi- « tione.

« Hinc caduca omninò et absurda videtur « applicatio principiorum pacti socialis guber- « niique politici ad explicandum Ecclesiæ regi- « men, sive ad definiendam ministerii sacri « vim et efficaciam, idque egregiè notat illus- « trissimus Bossuetius, dùm vanas expendit « Protestantium theorias christiano-politicas : « Le royaume de Jésus-Christ n'est pas de ce « monde, inquit Hist. Variat. lib. 15, et la com- « paraison que vous pouvez faire entre ce « royaume et ceux de la terre est caduque; en « un mot, la nature ne vous donne rien qui ait « rapport avec Jésus-Christ et son royaume.... « Prenez-y garde, ô peuples!.... pour se faire « un maître de la terre, il suffit de le recon- « naître pour tel, et chacun porte ce pouvoir « dans la volonté; mais il n'en est pas de même « pour se faire un Christ, un Sauveur, un Roi « céleste, ni pour lui donner ses officiers!.... « Jésus-Christ, qui est votre Roi, vient de plus « haut. Vous n'avez naturellement non plus de « droit de lui donner des ministres, que de « l'instituer lui-même votre prince. Ainsi ses « ministres, qui sont vos pasteurs, viennent de « plus haut comme lui, et il faut qu'ils viennent « par un ordre qu'il ait établi. »

« Porrò, si humana voluntas sit incompetens « et prorsùs impar tum Christo Mediatori sibi « constituendo, tum ministris illi assignandis, « iisdem omninò momentis et rationibus hu- « mana ratio ostenditur incompetens et impar « definiendæ auctoritati, quæ ad illos ministros « debet essentialiter pertinere. » (EDITORES.)

Resp. 1° : Si propter rerum spiritualium relationem ad ordinem publicum, seculari potestati competeret jus de iisdem statuendi ac judicandi, pari jure et auctoritate potuissent de apostolici ministerii officiis, de ipsâ christianæ Religionis mysteriorum prædicatione, statuere et judicare ethnici principes : nam ut iterùm adnotandum est, eadem supremæ principum infidelium auctoritati, ordinante Deo alligata sunt jura quæ principum christianorum; præterea compertum est, disseminantibus doctrinam evangelicam Apostolis eorumque successoribus, fremuisse gentes, plurimos esse exortos tumultus, cruenta in Ecclesiam flagrâsse dissidia; id prædixerat Christus : *Erunt enim*, ait, *ex hoc quinque in domo unâ divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur : pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam*, Luc. 12, v. 52 et 53. Neque tamen eò solùm redarguuntur ethnici principes, quòd immeritos, quòd religionem amicam societati, manifestisque demonstratam argumentis annuntiantes, et quasi agnos in medio luporum se habentes, exquisitis ac lethalibus torquerent suppliciis, sed etiam quòd jus alienum usurparent, seque ipsos constituerent, spiritualium, supernumque ad ordinem spectantium, judices et arbitros; nonne propositæ auctores objectionis duplicis reatûs insimularent ipsos Ecclesiæ ministros, qui de temporalibus, et propriâ velut auctoritate judicarent, et æquitatis leges judicando malignè violarent?

Resp. 2° : Eâ objiciendi ratione quam refellimus, foventur apertè ac muniuntur eorum placita qui potestati ecclesiasticæ jus attribuunt indirectum in temporalia : hoc enim obtentu, cùm in auctoritatis politicæ gestis ac molitionibus, deprehendi videretur aut periculum fidei aut religionis dedecus, aliudve gravissimum peccatum, tùm possent episcopi sibi jus adscribere de temporalibus adimendi, immutandi, transferendi quod libuerit; obstaret qui-

dem quæ viribus prævaleret, temporalis auctoritas, ne propositum præstaretùr exitu; at jus integrum fixumque nihilominùs perstaret, si de naturâ et comprehensione alicujus potestatis, judicari oporteret ex illius relatione ad ordinem societatis politicæ aut Religionis. Exitialibus in dissidiis Bonifacii cum Philippo rege, qui Pulcher cognominatus est, quid afferebat ille pontifex? rationem obtendebat propulsandi et avertendi peccati, dùm jus sibi assumebat exercendi regiam in potestatem imperii.

Resp. 3° : Posito quod impugnamus placito, confunderetur utraque potestas civilis et ecclesiastica; nullum enim ferè est civile negotium, quod necessitudine quâdam non sit cum religione connexum, sicut nullum penè est Religionis caput, quod civili societati verè dicatur extraneum; utraque potestas in his versatur, quæ ad humanitatem, ad probitatem, ad æquitatem, ad emendationem morum, asserendam inter homines pacem pertineant; unde passim omnia permiscerentur sacra profanis, ac mutuò sese impediret jugiter, nedùm sese invicem adjuvaret utraque auctoritas, nullumque extaret certum tribunal, quod adire tenerentur litigantes aut accusati.

Itaque non relatione accidentali, extrinsecâ et mutabili ad ordinem politicum, aut ad Religionis statum metienda est ecclesiasticæ aut civilis auctoritatis extensio, verùm æstimanda est utraque ac secernenda, proprio utriusque fine intrinseco, et eorum quæ ad hunc vel illum finem proximè, directè, ac per se referuntur, conditione atque naturâ.

In rebus mixtis, quales sunt fundationes, patronatus, administrationes, decimæ, etc., uterque judex ecclesiasticus nempe et secularis, suam in his quæ sibi propria sunt, exercet auctoritatem, prout ferunt leges, possessio legitima, probatusque usus, quibus inhærendum est; tùm si in utriusque, vel alterius ministerii exercitationem obrepat aliquid incommodi, id non est in potestatis ac ministerii refundendum naturam, neque inde ratio suppetit alterutrius jura invadendi aut rescindendi, pejus enim foret malo remedium, sed componendæ retinendæque pacis admonitio et incitamentum.

Objectio II. — Protectoris munere in Ecclesiæ negotiis etiam spiritualibus defungitur princeps : hoc illi officium ab ipso Deo per quem reges regnant, et potentes decernunt justitiam, cum supremâ potestate mandatum est; neque verò debet inconsultè et imprudenter patrocinari : priùs ergo quàm opem ferat, necesse est, ut causam adjuvandi, ac rei defendendæ rationem et naturam introspiciat atque dijudicet : tùm demùm subditis, assertione decretoriâ, quid præstandum sit declaret, suâque auctoritate muniat.

Accedit quòd erga Ecclesiam, tutoris quasi partes agat, quod munus, decernendi ac præcipiendi potestate non caret : neque principis decet majestatem, ut velut ad nutum et arbitrium Ecclesiæ fingat sese et accommodet.

Resp. : Profitentur ultrò verè christiani principes sui esse muneris et officii sanctam tueri, cujus incrementis ipsi adjuvantur, Ecclesiam : « Cùm magnam omnium quæ è republicâ sunt, curam habeamus, inquiunt Theodosius et Valentinianus Epist. ad synod. « Ephesinam, tum verò maximam illorum quæ « ad pietatem Religionemque conservandam « pertinere arbitramur : per ea namque cætera « quoque bona hominibus suppeditantur. » Talibus patronis gloriatur Ecclesia : « Vos per « Christum benignè regnatis, inquiunt acclamantes Constantin. Pogonato imperatori Patres concil. III Constantinopolitani; Christus « verò per vos Ecclesiis suis pacem diligit impertit. » At filios Ecclesiæ, non dominos, cùm se noverint principes catholici, compertum quoque habent jus et officium matrem protegendi, ad tutandos, non ad violandos canones esse comparatum. Hinc ita Bossuetius, Defens. cleri Gallicani, parte secundâ, lib. 5 : « Satis « claruit duas quidem potestates esse oportere, « ecclesiasticam et civilem, distinctis officiis, « quæ principales sunt et supremæ, et tamen « sociæ, ac supremæ quidem, suo quæque in « officio, ne si ad unam omnia referantur, hæc « vel onere victa collabescat, vel ut Gelasius « docuit, plus æquo extollatur *utrâque potestate « suffultus*, conjunctæ tamen et amicæ, ne so« cietas humana distrahatur. »

Bossuetio præstat Fenelonium adjungere, præcellenti pariter ingenio, amantissimumque Ecclesiæ et regni : « A Dieu ne plaise, inquit, « que le protecteur gouverne, ni prévienne « jamais rien de ce que l'Égli e réglera. Il at« tend, il écoute humblement, il croit sans hé« siter : il obéit lui-même : il fait autant obéir « par l'autorité de son exemple, que par la « puissance qu'il tient dans ses mains; mais « enfin, le protecteur de la liberté ne la dimi« nue jamais : sa protection ne serait plus un « secours, mais un joug déguisé, s'il voulait

« déterminer l'Église, au lieu de se déterminer « par elle ; c'est par cet excès funeste que l'An- « gleterre a rompu le sacré lien de l'unité, « en voulant faire chef de l'Église, le prince « qui n'en est que le protecteur. » Discours prononcé au sacre de l'archevêque de Cologne.

Quæ ut penitiùs intelligantur, observandum est, aliter à principibus protegi subditos in temporalibus, aliter ab iisdem protegi, in spiritualibus Ecclesiam : subditos ita protegunt, ut eos regant imperio, et suis moderentur legibus : at in protegendâ Ecclesiâ, erga eam non utuntur gubernandi potestate : jubere quidem possunt, supremamque intentatis etiam pœnis auctoritatem adhibere, ut legibus ipsius obtemperetur ; at in rebus merè spiritualibus imperare Ecclesiæ non possunt, cùm in eo genere non versetur eorum imperium, unde graviter eam læderet, nedùm adjuvaret princeps, qui propriam illius, datamque divinitùs auctoritatem, quasi patrocinando vellet sibi subjicere, aut constringere : verè patronum ac defensorem se præbet, qui auxilium expressis aut tacitis invocantem votis eam sic adjuvat, quemadmodùm supremo alteri auxiliaretur principi ; imò ingens in eo intercedit discrimen, quòd princeps, dùm vicino principi suppetias venit, æqualis æqualem juvat auxilio ; at in his quæ ad animarum salutem pertinent, sive in causis merè spiritualibus, auctoritati Ecclesiæ subditus est ipse princeps, sicut in temporalibus, subditi sunt principi pastores Ecclesiæ : sincerum tenentur Ecclesiæ præstare et conciliare obsequium.

Hinc respondetur alteri objectionis parti quâ obtendebatur, posse ac debere principem, ne suscipiendo Ecclesiæ patrocinio, inconsideratè se gereret, spirituales etiam causas dijudicare : ad Ecclesiam spectat talibus de causis disceptatio et judicium ; ad secularem autem potestatem, studiosa et cum honore conjuncta protectio, nec verendum est, ne iniquam et à divinâ lege alienam protectionem postulet Ecclesia, cùm dirigente Spiritu sancto à legibus æqui et recti aberrare nequeat ; errare possunt privati episcopi ; errare potest ipsa nationalis Ecclesia ; at nisi aberrâsse certò constet, erroris non est insimulanda particularis licet Ecclesia ; nec est cur opportuno quod à seculari expetit potestate, defraudetur auxilio.

Quod denique objicitur, principes erga Ecclesiam, tutorum partes agere, atque eo nomine suam in ipsius ordinandâ et sanciendâ disciplinâ posse auctoritatem expromere ; tutoris personam gratulatur sibi Ecclesia principem sustinere in temporalibus, at sese in spiritualibus ita gerere, quasi Ecclesia in eo causarum ordine, ipsorum subjaceat auctoritati, jam satis ostensum est quantùm illud sit à divinâ institutione, et ab utriusque potestatis, ecclesiasticæ nimirùm et temporalis naturâ, diversisque fine et officiis alienum. Nec magis urget ducta nonnunquàm comparatio ab auctoritate præfecti navis, cui subjicitur ipse qui clavum teneat, quasi suo in regimine Ecclesia principis jussa capessere debeat ; ea comparatio, ut gratis fingitur, ita spontè concidit : quin et eam prosequendo, colligeretur, quemadmodùm navigii præfectus, et maritimi cursûs ordinem, et ejusdem terminum potest ad arbitrium præstituere, ita et quem ad finem se conferre, quam ad illum assequendum inire viam debeat Ecclesia, ipsam oporteret à principe deposcere, et sic ab eo tùm credendi, tùm agendi normam mutuari. Quod quidem catholicis nunquàm arridebit principibus, plusque detrimenti importaret Ecclesiæ, quàm sævientium olim in eam persecutionum procella.

Denique si patroni ac defensoris nomine posset princeps temporalis de spiritualibus quasi proprio jure decernere, posset eodem nomine decernere de temporalibus Ecclesia, cùm et principis jura tueri ac defendere teneatur ; tùm verò utraque mutuò sibi officeret potestas, abrumperetur tam necessarium concordiæ vinculum, et acerbam verterentur in offensionem, quæ ad æternam, temporalemque felicitatem divinitùs ordinata sunt. Neque satis laudari possunt quæ oblatis regi supplicationibus anno 1560 sic enuntiavit suprema curia Parisiensis : « Les deux puissances sont « si unies, et tant conjointes, que par icelles « les royaumes et potentats sont conservés et « maintenus, et non seulement ne doit l'une « entreprendre sur l'autre, mais conserver « ce qui réciproquement lui appartient. »

Objectio III. — Sub duplici ratione considerari potest Ecclesia, videlicet ut corpus politicum, et ut corpus mysticum : corporis politici cùm sit caput princeps temporalis, eâ saltem ratione, auctoritate suâ potest disciplinam ecclesiasticam, in spiritualibus etiam ordinare. Illud eo confirmari potest quòd Ecclesia sit in regno, regnantis ergo potestati subjecta ; accedit quòd princeps invigilare debeat, ne quid de temporalibus adsciscat sibi ministerium ecclesiasticum, tùm ne suâ cum dispendio civium

auctoritate abutatur, et usurpationi contendat velum Religionis obducere : hæc omnia anteverti efficaciter aut propulsari nequeunt, nisi à principe qui coercendi vim externam habet, supremâ cum potestate conjunctam.

Resp. 1° : Commentitia est Ecclesiæ distributio seu divisio in corpus politicum et corpus mysticum : non alium ac mystici corporis statum et naturam induit Ecclesia, cujus invisibile caput ipse Christus : *Ipsum*, inquit Apostolus, *dedit* Deus *caput supra omnem Ecclesiam*, Ephes. cap. 1, v. 22; caput autem visibile summus pontifex Christi vicarius ; versantur in terris duæ societates, alia politica, et alia ecclesiastica seu sacra ; propriis utraque illa societas distinguitur officiis : non eâdem potestate utraque gubernatur, ita disponente Deo cui serviunt omnia.

2° Quod ad istud attinet pronuntiatum : *Ecclesia est in regno*, id procul dubio verâ ratione constat : nec minùs certum est esse regnum in Ecclesiâ, quæ latiùs quolibet regno singulari patet, ut totum diffusa per orbem terrarum : at quid inde consequitur ? hoc unum : regiæ potestati submitti membra, ipsosque ministros ac prælatos Ecclesiæ, intrà fines illius potestatis : at inde consequens non est, aut Ecclesiam Christi coalescere ex singularibus Ecclesiis à se invicem pro diversitate regnorum dissociatis, aut eumdem qui regno, Ecclesiæ quoque præesse, eamque licet spirituali in ordine constitutam, temporali potestate administrari.

3° In confesso est jus inesse principibus providendi et curandi, ne suâ de auctoritate quidquam detrahatur per usum, aut potiùs abusum ministerii ecclesiastici ; neque idcircò possunt de auctoritate ecclesiasticâ divinitùs collatâ quidquam detrahere ; quantacumque etiam temporali potestati debeatur reverentia, ac dii vocentur in Scripturis magistratus, homines tamen sunt : fieri igitur potest, ut in detrimentum Ecclesiæ, suam repugnante justitiâ convertant auctoritatem ; an idcircò vindicandæ causâ suæ potestatis, licebit ipsi temporalem attrectare auctoritatem, ejusque in munia sese interponere ? Sicut abusum non excusat auctoritas, ita nec abusus auctoritatem abscindit ; constitutum divinitùs ordinem subruere, neque pastoribus Ecclesiæ, neque principibus conceditur.

Hunc attentare nunquàm potest indeficiente sanctitatis et sapientiæ dono prædita Ecclesia : in illum verò ut privati Ecclesiæ ministri abquando impingant, contingere potest ; at sive ad plectendum, sive ad emendandum excessum illum suppetit via, sepositio legitimæ potestatis dispendio : auctoritate sibi creditâ si nonnulli Ecclesiæ ministri sic abutantur ut simul infringant leges regni, civiumque ut et pastorum officia deseruerint, jure nullo divino eximuntur à judicio et vindicatione temporalis potestatis ; si autem in eo culpantur, quòd ab ecclesiastici ministerii regulâ et præscriptionibus desciverint, proprios habent judices qui debitis illos, suum intrà ordinem, plectere pœnis valeant, invocato si opus fuerit, temporalis etiam potestatis auxilio.

Moram non facit quod additur, duas esse divinitùs constitutas potestates, ut æmulo quodam studio ad bonum Ecclesiæ promovendum sese conferant ; id ultrò confitemur, verùm ita sunt auctore Deo ordinatæ, ut sese mutuò adjuvantes, præstitutum ab eo finem ac limitem neutra, diverso licet obtentu, prætergrediatur. Hæc autem si violaretur divina ordinatio, quò recideret inviolati fundamentum obsequii ? unde sic vehementer solitâ exclamat eloquentiâ Bossuetius : « Malheur, malheur à l'Eglise « quand les deux jurisdictions ont commencé « à se regarder d'un œil jaloux. O plaies du « christianisme ! Ministres de l'Eglise, ministres des rois, ministres du Roi des rois, les « uns et les autres, ah ! pourquoi vous divisez-vous ? l'ordre de Dieu est-il opposé à l'ordre de Dieu ? hé ! pourquoi ne songez-vous « pas que vos fonctions sont unies ; que servir « Dieu, c'est servir l'état ; que servir l'état, c'est « servir Dieu ? » Discours sur l'unité de l'Église.

Objectio IV. — Incidere potest de limitibus utriusque potestatis, ecclesiasticæ et politicæ contentio, in eo posita, utrùm hoc vel illud causarum genus Ecclesiæ potiùs quàm principis judicio subjaceat ; de suâ utrique datum est auctoritate, et auctoritatis latitudine judicare : cùm utraque suum intrà ordinem suprema sit, nec una alteri subjecta, quænam superabit, si auctoritate sit componendum dissidium ? aut si disceptationibus dirimendum, quousque jactabitur controversia, et cujus tandem extremo finietur judicio ?

Respondeo : Quænam sit Ecclesiæ collata auctoritas, quousque propriâ institutione porrigatur hæc potestas, quæ causarum genera comprehensione suâ teneat, id partim revelatum est, partim ex revelatione potest colligi : revelationis ergo infallibilis interpres universalis Ecclesia, si propositam dijudicet controver-

siam, nullum profectò detrimenti periculum temporali imminebit auctoritati; nec dubitandum quin principes catholici judicio ipsius adhærerent, quod quidem totum in spiritualibus versaretur, nec temporalem potestatem impeteret; Ecclesia enim tunc jus suum cùm declararet, nihil sibi auctoritatis in temporalia vindicaret.

At in causis quæ suborirentur de jurisdictionis limitibus, privatos inter episcopos, aut etiam nationalem aliquam Ecclesiam, et secularem principem, quamcumque viam ineundam sibi putaverit, revereri debent in eo ministri Ecclesiæ, *secundam*, ut ait Tertullianus, *majestatem*, seu supremam auctoritatem in temporalibus : alienare quidem non possunt creditum sibi potestatis spiritualis depositum ; at eos meminisse oportet, prioribus Ecclesiæ seculis antecessores suos, ipsa inter bonorum et vitæ damna *pro regibus pro omnibus qui in sublimitate sunt*, supplices omnipotenti preces obtulisse, qui corda potentium novit inclinare quò voluerit ; tum fore sperandum, ut dilucesceret et illustraretur veritas, tandemque concordibus votis unicuique assereretur jus suum, ac servatur illibatum quod his verbis prædicat sapienter Domat : « Les puissances « spirituelles ont leur exercice dans ce qui re- « garde le spirituel; elles ne s'ingèrent pas dans « le temporel : et aussi les puissances tem- « porelles ont leur exercice dans le temporel, « et n'entreprennent rien dans le spirituel. Les « deux ministères sont établis immédiatement « de la main de Dieu : et ceux qui exercent la « puissance dans l'un des deux, sont soumis à « ceux qui exercent la puissance de l'autre, en ce « qui en dépend. » Traité des Lois (préliminaire), c. 7 et 8.

Objectio V. — Tùm in collectionibus Romani juris, tùm in regum nostrorum capitularibus, tùm etiam in recentioribus edictis et declarationibus quibus jus Gallicum non levi ex parte instruitur, occurrunt leges quæ versantur in informandâ disciplinâ ecclesiasticâ ; constitutionum illarum omnium auctores, quos inter extitêre ingenuâ pietate, et prono in Ecclesiam studio conspicui, nemo sanæ mentis audebit temeritatis ac usurpationis insimulare; ergo, etc.

Respondeo 1° : Occurrunt etiam multæ secularium principum leges quæ versantur in rebus fidei : tales multas reperire est in lib. 1 codicis Theodos. et lib. 1 Justiniani, necnon in regum Gallicorum capitulis, aliisque juris Gallici monumentis : numquid inde consequens, aut eos haberi voluisse, aut esse habendos fidei judices? Ubi agitur de rebus mixtis, seu in quibus cum spiritali conjungitur temporale, palam est tùm ab utrâque potestate, proprio jure, suum intrà ordinem, seu diversâ sub ratione posse quod opportunum fuerit constitui.

2° Ut secularium principum reperiuntur leges, quæ attingunt spiritualia, ita inveniuntur leges Ecclesiæ quæ attingunt temporalia, nec inde concludendum est aut Ecclesiam voluisse in condendis hujusmodi legibus, temporalem arrogare sibi auctoritatem, aut eas futuras fuisse tot principibus acceptas, si inde supremam sibi in temporalibus potestatem putavissent abjudicari. « Scilicet, ut scitè observat Bossuetius in Defens. Declarat. cleri Gallic. parte secundâ libro 8, cap. 5, ipsa rerum « natura docet, ecclesiastica non nisi per Ec- « clesiam haberi posse : sic ubi Ecclesia feudos « adimit, concedit aut aliud quid ex civili po- « testate decerpit ; ea civilis potestatis conces- « sioni saltem tacitæ accepta referemus. »

3° Secularium inter constitutiones principum, aliæ sunt quæ eò duntaxat referuntur, ut legum ecclesiasticarum executio promptiùs efficaciùsque promoveatur, adjunctâ temporali sanctione, quæ homines multò potentiùs sæpè quàm spiritualis commoveat. Aliæ sunt principum constitutiones ecclesiasticam ad disciplinam spectantes, quas ipsa postulavit in suî subsidium Ecclesia ; vim obligandi in spiritualibus hauserunt ab ipsâ Ecclesiæ auctoritate : at cùm etiam repositæ sint inter leges regni, vim quoque sub eâ ratione conscientiam obstringendi perceperunt ab auctoritate principum. Nonnullæ sunt quæ vota, postulationemque Ecclesiæ præverterunt, cujus accedente consensu et approbatione expressâ vel tacitâ, hujus induerunt auctoritatem, atque disciplinæ ecclesiasticæ annumeratæ sunt regulis.

Denique prodierunt quorumdam principum leges quæ fuerunt ab Ecclesiâ improbatæ, tales sunt *ecthesis* Heraclii, anno 639, et *typus* Constantis anno 648; nec magis invalescere possunt in spiritualibus, rejectæ ab Ecclesiâ leges, quàm in temporalibus constitutiones ecclesiasticæ, quæ repugnantibus inducerentur principibus. Iisdem quippe principiis distinguuntur utriusque potestatis, ecclesiasticæ scilicet et civilis jura et officia. Ad hæc appositè immortali in opere loquitur Domat de constitutionibus regum nostrorum, « qui ont compris, « inquit, un très-grand nombre de lois qui re- « gardent la religion, ce qu'ils n'ont pas fait

« pour y établir des règles, et s'en rendre les « législateurs et les juges, comme si leur puis- « sance s'étendait à y gouverner, ainsi qu'ils « le peuvent dans leurs états, mais seulement « pour faire observer les lois que l'Eglise elle- « même, et les puissances spirituelles, à qui « Dieu en a confié la conduite, y ont établies, « et pour en protéger et maintenir l'exécution, « en ce qu'il y a dans ces lois qui regarde l'or- « dre extérieur, et où l'autorité temporelle « puisse avoir son usage. » Lois civiles, droit public, liv. 1, tit. 19, in proœmio.

Inst. : In causis ecclesiasticis palàm se judicem præbuit imperator Constantinus Magnus, tanto accensus Religionis promovendæ studio, neque id videtur à Romanâ sede improbatum, imò approbatum potiùs, haud immeritò crediderit. Postulantibus scilicet Donatistis, delegavit judices, Maternum Agrippinensem, Rheticum Augustodunensem, Marinum Arelatensem, qui cum Melchiade et episcopis Italis ab ipso deligendis, causam Cœciliani judicarent, cujus ordinationem vitiosam esse, eo nomine confinxerant Donatistæ, quòd Felix Aptungitanus, ut mentiebantur, sacros codices tempore persecutionis, infidelibus tradidisset. Romæ habita est sub Melchiade synodus, quâ votis conspirantibus damnati sunt : nec tamen intentatam protervè litem destiterunt prosequi : Felicem traditionis Scripturarum iisdem accusantibus, causam illius disceptandam proconsuli mandavit Constantinus ; causam verò Cœciliani, cùm à Romani concilii sententiâ provocarent, ad examen Arelatensi in synodo quam indixit, et cui interfuerunt summi pontificis legati, revocari voluit ; tumultuantibus adhuc Donatistis et à concilii Arelatensis judicio ad Constantinum appellantibus, judicandam appellationem suscepit imperator, eisque damnandis quid valeret in causis ecclesiasticis, iterùm atque iterùm ostendit.

Respondeo : His factis nedùm labefactari queat, confirmatur atque extollitur suprema Ecclesiæ proprios intrà fines auctoritas ; ab eâ usurpandâ se longè abesse profitetur in causâ quæ obtruditur, Constantinus Magnus : Gallicanos judices nonnullos Donatistis ut postulaverant, reipsà concessit, at subiratus quòd ad eum confugerent, exclamavit : « Petitis à me in « seculo judicium, cùm ego ipse judicium « Christi expectem. » Donato deinde à concilii Romani judicio appellanti respondit : « O ra- « bida furoris audacia ! sicut in causis gen- « tilium fieri solet, appellationem interposue- « runt ! » Ejusdem denique causæ cognitionem post Arelatensis synodi judicium non suscepit, nisi projectam detestatus Donatistarum ad omnia temeritatem, à sanctis antistitibus veniam postea petiturus, quòd iis de rebus judicâsset, ut testatur S. Augustinus epist. 162 ; non ergo sibi jus arrogavit episcopales dirimendi causas, neque delegandi qui acceptâ ab ipso auctoritate resolverent judices. At legitimæ jugum auctoritatis detrectantium Donatistarum cessit importunitati, hâc ut viâ, quoad fieri posset, cohiberetur conflatum jam ab ipsis luctuosum schisma quod in dies accrescere sentiebat.

Instabis iterùm : Innuit S. Augustinus vicariâ quasi potestate, et ab imperatore derivatâ ferendum suscepisse judicium Melchiadem in causâ Cœciliani : quid quòd nec usurpavit ? inquit S. Augustinus, Epist. 162. Rogatus quippe imperator judices misit episcopos, qui cum eo sederent, et de totâ illâ causâ quod justum videretur, statuerent.

Respondeo : Eò loci S. Augustinus Donatistas perstringit, argumento, ut aiunt, ad hominem : judicium et auctoritatem Melchiadis refugiebant Donatistæ, erecto jam adversùs altare, altari : quid obloquimini ? inquit S. Augustinus, causam vestram, non ut poterat, evocavit ad se Melchiades summus pontifex, sed promovente, et episcopos qui cum eo sederent mittente imperatore, vobis instanter rogantibus. Enimverò præter adducta ipsius Constantini testimonia, si vicariâ potestate, non jure suo causam judicare potuisset Melchiades, quindecim pro suo arbitrio non delegisset judices qui Romano interessent concilio : quorsùm si vindicâsset sibi Constantinus agitatæ litis judicandæ potestatem, designatos à se judices misisset Romam, cùm ipse tunc in Galliis degeret ? A facto ad jus non valet consecutio, cùm vel ipse cujus verba aut gesta objiciuntur, eam ultrò ac spontè reprobaverit. Quòd Felicis Aptungitani episcopi causam proconsuli commiserit imperator, id præter jam adnotata, factum est quòd in eam inciderint, quæ secularem ad potestatem pertinerent, humanis prorsùs discutienda subsidiis : in accusando enim illo episcopo, utebantur potissimùm Donatistæ suppositâ ab ipsis epistolâ ; cujus quidem suppositionis confessionem extorquendi gratiâ, præter juridica testimonia, constitutum erat tormentis habere quæstionem.

Objectio VI. — Secularem potestatem invocant ipsi pastores Ecclesiæ ad accersendam decretis suis auctoritatem ; hujusce implora-

tionis insigne suppeditat exemplum synodus Arelatensis anni 813, imperante Carolo Magno: « Quæ emendatione, inquit, digna perspeximus, « quàm brevissimè adnotavimus, et domino imperatori præsentanda decrevimus, poscentes « ejus clementiam, ut si quid hìc minus est, « ejus providentiâ suppleatur, si quid secùs « quàm se ratio habet, ejus judicio emendetur, « si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio, divinâ opitulante clementiâ, perficiatur. » Ibi agnoscunt Patres Arelatenses in potestate imperatoris situm esse, in decretis synodi adjicere, emendare, confirmare quæ adjicienda, emendanda vel confirmanda judicaverit : totidem hæc sunt superioris auctoritatis argumenta. Eâdem auctoritate effectum est ut apud nos quædam non vigeant œcumenicæ synodi Tridentinæ decreta, quamvis ardentibus votis, ut solemniter promulgarentur, postulaverit clerus Gallicanus. Quantùmcumque opportuna in seipsis videantur quæ Ecclesia etiam universalis proposuerit disciplinæ capita, cum usibus et legibus regni potest ea conferre secularis auctoritas, quibus si repugnent, nihil vetat quominùs ab eâdem rejiciantur.

Respondeo : Triplex assignatur genus decretorum Ecclesiæ. Alia in dogmatibus definiendis, alia in tuendâ integritate morum, alia in sanciendis meræ disciplinæ regulis versantur. Palam est, consensu principum secularium non indigere decreta dogmatica : hinc quidquid comminati aut moliti fuerint interdùm imperatores, maluit extrema perpeti Ecclesia, quàm avitam fidem prodere aut deserere. Secularem aliquando sollicitandam sibi putavit Ecclesia auctoritatem, ad rebellantium subigendam frangendamque pervicaciam : at 1° minimè suspicata est, ad obligandam conscientiam per seipsas non valere, quas proposuerit, definitiones dogmaticas; statim enim atque sufficienter innotuerint, necessitatem assentiendi et credendi inducunt, sepositâ etiam solemni promulgatione; in his valet illud axioma : *Le fond emporte la forme;* lex ipsa quippe docet naturalis dogmati revelato et ab Ecclesiâ quantùm ad pariendam notitiam satis est, proposito, firmiter esse adhærendum. Postulârunt quidem à Ludovico XIV, patentes litteras episcopi Gallicani, ad muniendas regiâ ipsâ auctoritate Constitutiones Innocentii X et Alexandri VII, adversùs quinque Jansenii propositiones, ut efficaciùs multa quæ debitum retardarent obsequium, removerentur impedimenta : verùm non existimârunt talis ad obsequii necessitatem, requiri diploma regium, quo licet caruerint bullæ adversùs Baium et Molinosum editæ, nihil tamen illis defuit ad obligandam totam Ecclesiam, quemadmodùm, nomine comitiorum anni 1710, à decem episcopis declaratum est, testante ipsâ definitionis dogmaticæ naturâ, derivatæ à sede Apostolicâ, et partim expresso, partim tacito episcoporum assensu comprobatæ.

2° Quod de constitutionibus Ecclesiæ dogmaticis assertum est, idem de illis sentiendum est quæ ad regulas morum spectent jure divino innixas; namque, ut adnotat clerus Gallicanus in conventu generali anni 1700, « Religionem « christianam fide et moribus constare, dogmatum autem tum fidei, tum morum eumdem esse fontem, ac benè vivendi regulam ad « ipsum fidei caput, Ecclesia catholica semper « intelligit. » In præfatione censuræ diversarum propositionum. Cùm priusquàm in commentaria publica referantur constitutiones summorum pontificum ad fidei, morumque ipsam doctrinam attinentes, eas expendunt seculares judices, longè abest ut doctrinæ dijudicandæ munus obire velint; cavendum curant ne quid invehatur, quod regni juribus, et Ecclesiæ Gallicanæ receptis consuetudinibus videatur officere.

3° Quod spectat ad meræ disciplinæ constitutiones, jam probavimus, et verbo tum scripto, tum et tradito constat, tales posse Ecclesiam condere, et quidem auctoritate divinitùs acceptâ, suo in genere supremâ, et quæ temporali nulli auctoritati subjaceat; quâ ratione ergo contingit ut Ecclesiæ universalis quædam decreta disciplinæ, catholicis in regnis Ecclesiæ universali et sedi Apostolicæ addictis, non admittantur? Id, ut explanatum sit, perspiciendum est quid ad ipsam legum constitutionem valeat per seipsam legislativa et suprema potestas, quid autem legum executioni nonnunquàm possit moram et impedimentum inferre.

Supremæ tum ecclesiasticæ, tùm civili auctoritati id competit, ut suo utraque in genere conscientiam obstringat; Dei enim ordinationi resistunt, qui resistunt potestati; deinde ad utramque pertinet leges suas *legali judicio* interpretari, amplificare, temperare et restringere, imò et abrogare si placuerit. Nec dubitari potest quin suprema quælibet potestas jus habeat, salvo jure alterius, efficiendi, ut quæ constituerit, subditorum innotescant societati quantùm satis est, ad pariendam coram Deo

hominibusque, obtemperandi necessitatem.

Nunc verò attendatur ad ipsam legum executionem; inprimis advertendum est, labentibus seculis non rarò contigisse ut tutelâ præsidioque principum destituerentur ecclesiasticæ quædam leges optimo congruentes regimini, et saluberrimæ; nec ideò tamen earum præscriptis non tenebantur Christiani: nec enim, ut jam diximus, ipsis persecutionum temporibus carebant necessariis ad obligandam mentem conditionibus. In regnis etiam catholicis fieri posset ut in foro conscientiæ vigeret ecclesiasticum aliquod institutum, quod politicis innixa rationum momentis, adjuvare nollet, minùsque approbaret secularis potestas, licet juribus principum reipsà non adversaretur. At pro suâ sapientiâ cavet, quantùm potest, Ecclesia, ne collidantur mutuò ecclesiastica et civilis potestas, quarum una detrimentum capere nequeat, quin et alteri immineat damni periculum: hinc est quòd suarum quarumdam legum, maluerit executionem non urgeri, aut ipsam in foro conscientiæ obligationem intercidere, quàm receptis catholicas apud regiones inveteratisque consuetudinibus repugnare, juri divino non contrariis.

Ex assignatis hactenùs principiis, haud operosè dilui potest quod de Arelatensi synodo sextâ fuit objectum; noverat synodus quo studio disciplinæ ecclesiasticæ accenderetur Carolus Magnus: unde paratam se præbuit, quidquid pietate conspicuus ille princeps in oblatis sibi statutis, adjiciendo vel detrahendo immutandum judicaverit, ratum habere, et sic immutatum ecclesiasticæ auctoritatis sigillo munire.

Prædictis quoque ex adnotationibus colligitur quare Gallicano in regno vim legis non obtineant quædam concilii Tridentini œcumenici decreta disciplinæ; nec prætereundum est silentio, plurima ejusdem synodi statuta, vel regiis aspirantibus edictis, vel synodorum provincialium decretis, synodalibusve statutis obsecundantibus, aut invalescente ipsâ consuetudine, his in regionibus vim legis obtinere. Neque etiam obliviscendum quod ostendimus, venerandæ illi synodo nunquàm fuisse propositum ut principum juribus quidquam detraheret.

Objectio VII. — Galliarum in regno admittuntur appellationes tanquam ab abusu, *appels comme d'abus*, atque in illis judicandis, dirimuntur à judice seculari causæ spirituales, cùm appellationes illæ sæpè adhibeantur eo nomine, quòd canonibus, principiisque ecclesiasticæ disciplinæ obluctetur judicis ecclesiastici sententia: ergo auctoritati seculari obnoxia est quandoque auctoritas ecclesiastica etiam in spiritualibus.

Resp.: Ut ritè intelligantur et objectio et solutio, quædam priùs delibanda sunt: Gallicanâ in jurisprudentiâ, duplex distinguitur, à prælatorum Ecclesiæ judiciis appellandi species: una quæ vocatur *simplex, appel simple*, quæ in universis christianis gentibus viget, quâ nimirùm ab inferioris prælati judicio ad superiorem prælatum ecclesiasticum provocatur; altera verò, tanquàm ab abusu, quâ provocatur à judicio Ecclesiæ ad tribunal seculare: hoc appellationum genus, ut observat Cabassutius, juris canonici theoriæ et praxis libro 4, cap. 13, proprium est regni Gallicani, inchoatum sub finem regni Ludovici XI aut ineunte regno Caroli VIII successoris ejus, ad curias regias interjici solitum, quando causantur appellantes, prælatorum suorum sententiam, juribus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, sacrorum canonum præscriptis refragari, aut propriæ jurisdictionis limites excessisse usurpandâ regiâ jurisdictione.

Quis enarrare possit quantùm Ecclesiæ luctûs intulerint inanibus, malignisque appellationibus pervicaces clerici, unde effectum est ut laxaretur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, præsulum divinitùs constituta deprimeretur auctoritas, vixque auderent pii et sancti episcopi suis Ecclesiis per sententias canonicas providere; scaturientibus inde malis occurrere, aditumque præcludere voluerunt christianissimi reges, ut constat ex edicto Francisci I anno 1539, constitutione Caroli IX anno 1571, Henrici III edicto Melodunensi anno 1579, et Blesensi anno eodem, constitutione Henrici IV, anno 1606, edicto Ludovici XIV, anno 1695. Illis verò piis constitutionibus non exhausta est malorum scaturigo.

Jam discutienda est objectio proposita. Si quid jurisdictionis secularis invaserit judex ecclesiasticus; si auctoritatis illâ parte abusus fuerit quam Ecclesiæ concesserit princeps, aut propriam et à Christo derivatam potestatem contulerit, ad aliquid temporale velut extorquendum; si formam judiciorum legibus regni constitutam violaverit, præstitutam non transiliit metam judex secularis: si verò dijudicandum susciperet ipsum negotium ecclesiasticum merè spirituale, tum suam ultra non minùs excurreret potestatem, quàm si

litem merè temporalem dirimere tentaret ecclesiasticus judex; perturbarentur utriusque potestatis ad regimen humani generis providente Deo constitutæ jura, fines ac munia; neque tunc inter se discreparent appellatio simplex et appellatio tanquàm ab abusu, cùm in istâ tanquàm in illâ, controversa res ipsa dijudicaretur, *le fond de la cause*. Tùm à seculari judice expectare tenerentur ipsi episcopi authenticam legum interpretationem quas ipsi auctoritate divinitùs datâ condiderint, jurisdictionisque ecclesiasticæ ratio ferè tota discerperetur atque concideret.

Hinc ut sistamus in celeberrimo edicto anni 1695 de jurisdictione ecclesiasticâ, sic statuitur artic. 35 : « Nos cours ne pourront connaître, « ni recevoir d'autres appellations des ordon- « nances et jugements des juges d'Eglises, que « celles qui seront qualifiées comme d'abus. « Enjoignons à nos dites cours d'en examiner « le plus exactement qu'il leur sera possible « les moyens, avant de les recevoir, et procé- « der à leur jugement avec telle diligence et « circonspection, que l'ordre et la discipline « ecclésiastique n'en puissent être altérés ni « retardés, et qu'au contraire, elles ne servent « qu'à les maintenir dans leur pureté, suivant « les saints décrets, et à conserver l'autorité « légitime et nécessaire des prélats et autres « supérieurs ecclésiastiques. » Art. 37 : « Nos « cours, en jugeant les appellations comme « d'abus, prononceront qu'il n'y a abus, et « condamneront en ce cas les appelants en « soixante-quinze livres d'amende, lesquelles « ne pourront être modérées, ou diront qu'il a « été mal, nullement et abusivement procédé, « statué et ordonné, et en ce cas si la cause « est de la jurisdiction ecclésiastique, elles « renverront à l'archevêque ou évêque, dont « l'official aura rendu le jugement ou l'ordon- « nance qui sera déclarée abusive, afin d'en « nommer un autre, ou au supérieur ecclé- « siastique, si ladite ordonnance ou jugement « sont émanés de l'archevêque ou évêque. » Quid autem prodesset ut sistere se tenerentur appellantes coram prælatis ecclesiasticis mox memoratis, si negotium ipsum spirituale jam fuisset auctoritate seculari diremptum?

Quædam hìc adjici possunt quæ positis ex principiis ultrò dimanant : appellationes tanquàm ab abusu à mandatis aut judiciis prælati ecclesiastici ad correptionem delinquentium, sartamque retinendam disciplinam ecclesiasticam, non cò valent, ut eorum suspendatur executio; artic. 36 edicti 1695, de hujusmodi appellationibus dicitur : « N'auront effet sus- « pensif, mais seulement dévolutif, et seront « les ordonnances et jugements (archiepiscopi, « episcopi et judicis ecclesiastici) exécutés, « nonobstant lesdites appellations, et sans y « préjudicier. » Cùm censuræ ecclesiasticæ meritò numerentur in pœnis spiritualibus, ad animarum salutem ordinatis, solius est auctoritatis ecclesiasticæ, reum contumacem ligare, eumdemque pœnitentem absolvere, unde quando in appellationibus ab abusu, contingit, ut *abusiva* judicetur aliqua censura, non propriè absolvitur reus à censurâ validè inustâ : validè autem suscepta est si canonibus congruat, etiamsi aliquâ juris formâ caruerit, quæ tamen prætermitti non debuit.

CAPUT IV.

UTRUM ECCLESIASTICO IN REGIMINE VALEAT POPULUS CHRISTIANUS.

Penes populum ipsam esse potestatem ecclesiasticam docuerat seculo XIV Marsilius de Paduâ in libro cui titulus : *Defensor pacis*, eam fingebat à communitate fidelium in episcopos et presbyteros derivari : suos ab eâdem constitui pastores, ejusque auctoritate, si desint officio, in judicium vocari, atque mandato è munere depelli.

Capitalem hunc, totiusque eversorem hierarchiæ errorem avidè Protestantes arripuerunt : clavium potestatem christiano adscripserunt populo, qui prædicare Evangelium, administrare sacramenta, censuras decernere cùm per se nequeat, tradiderunt, ab eo legi et præfici ministros, qui vices ipsius gererent.

Haud multùm diversis imbutus principiis Richerius, in libro de Polit. ecclesiast. sequentes edidit propositiones : « Christus, priùs, « immediatiùs, et essentialiùs claves, seu ju- « risdictionem toti dedit Ecclesiæ, quàm Petro « et aliis Apostolis. » Tota jurisdictio ecclesiastica primariò, propriè et « essentialiter Ec- « clesiæ convenit ; Romano autem pontifici « atque aliis episcopis, instrumentaliter, mi- « nisterialiter, et quoad executionem tantùm, « sicut facultas videndi oculo competit. » Idem tamen Richerius affirmavit, Christum omnes « Apostolos atque discipulos, qui episcopalem « et presbyteralem ordinem referebant, im- « mediatè, individuè et collectivè » misisse, câque missione *potestatem dedisse* : alios deinceps patronos invenerunt relatæ mox propositiones.

Conclusio. — *In communitate Fidelium, tanquàm in* subjecto *sita non est spiritualis potestas, neque hanc ab illâ mutuantur pastores Ecclesiæ.* — Probatur 1° : Advocari hùc possunt omnia ferè Scripturarum testimonia, quibus assertum est collatam esse ab ipsomet Christo Apostolis eorumque successoribus solvendi et ligandi potestatem, non autem populo, cujus partes sunt episcopos, ut Dei legatos, ut ipsum audire Dominum : testantur perspicuè sacri codices, in ædificationem corporis Christi, datos esse ab eo quosdam pastores et doctores ; eisdem pascendi agnos et oves à redivivo Domino mandatum esse jus et officium ; positos esse à Spiritu sancto, qui regerent Ecclesiam Dei : hæc et similia demonstrant quàm longè ab Ecclesiæ constitutione et Christi proposito alienum sit, ut communi fidelium, tanquàm propria inhæreret potestas et jurisdictio ecclesiastica, cujus deinde muniis fungerentur ministerialiter et instrumentaliter ipsimet episcopi.

Ad hæc accedunt gregis, domûs, familiæ, civitatis, et regni appellationes, quibus in Scripturâ designatur fidelium cœtus ; ut enim ab ovili non manat pascendi potestas, non à servis, ipsisque filiis, regendæ domûs, non à civibus, gubernandæ civitatis proficiscitur auctoritas : regni spiritualis autem conditioni planè dissimilis est, popularis et democraticæ gubernationis forma, qualem à Christo inditam esse Ecclesiæ fatendum est, si populo christiano potestatem clavium dederit, in episcopos summumque pontificem, communitatis ipsius arbitratu conferendam.

Uno verbo, pastorum Ecclesiæ proprium est docere, dirigere, præcipere : populi autem auscultare et obsequi, quod quidem instanter admonet Apostolus : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*, ad Hebræos, cap. 13, v. 17. Hinc ad episcopos Apuliæ et Calabriæ ita scribebat Cœlestinus Papa : « Docendus est populus, non sequendus : « nosque si nesciunt, eos quid liceat, quidve « non liceat commonere, non his consensum « præbere debemus ; quisque verò conatus « fuerit tentare prohibita, sentiet censuram « sedis Apostolicæ minimè defuturam. » Eâdem mente loquebantur epistolâ ad regem christianissimum, anno 1728, Gallicani præsules : « C'est aux pasteurs que Jésus-Christ a dit : *Allez, enseignez, baptisez, et je suis avec vous jusqu'à la consommation des siècles ;* c'est par rapport à eux qu'il est dit : *Celui qui vous écoute, m'écoute, et celui qui vous méprise, me méprise ;* et encore : *Obéissez à vos pasteurs, et soyez-leur soumis.* »

Probatur 2° : Communitati fidelium si adjudicanda esset spiritualis auctoritas, vel eam haberet ex suâpte naturâ, vel ex voluntate Dei sufficienter declaratâ : hanc ipsi auctoritatem ex suâpte naturâ competere, quis crediderit, cùm ea potestas naturalem superet ordinem ; referatur intrinsecè ad animarum salutem, comparandumque repositam in cœlis coronam justitiæ ? Nemo nisi gratuito Dei beneficio, vocatur ad fidem et Ecclesiæ communionem : nemo igitur naturali jure obtinet in spiritualibus auctoritatem. Superest igitur ut spirituali et idoneâ regimini ecclesiastico potestate si prædita foret communitas fidelium, ea auctoritas accerseretur ex libero Dei decreto, quod certâ revelatione innotuerit ; talis autem revelationis quænam extant in Scripturis, aut Ecclesiæ annalibus vestigia ? Id genus argumenti more suo adornat, et instanter proponit doctissimus Bossuetius : « L'Eglise catholique « parle ainsi au peuple chrétien : Vous êtes « un peuple, et un état, et une société ; mais « Jésus-Christ, qui est votre roi, ne tient rien « de vous, et son autorité vient de plus haut : « vous n'avez naturellement non plus de droit « de lui donner des ministres, que de l'instituer lui-même votre prince ; ainsi ses ministres, qui sont vos pasteurs, viennent de « plus haut comme lui même, et il faut qu'ils « viennent par un ordre qu'il ait établi. Le « royaume de Jésus-Christ n'est pas de ce « monde, et la comparaison que vous pouvez « faire entre ce royaume et ceux de la terre « est caduque : en un mot, la nature ne vous « donne rien qui ait rapport avec Jésus-Christ « et son royaume : et vous n'avez aucun droit « que ceux que vous trouverez dans les lois « ou dans les coutumes immémoriales de votre « société : or, ces coutumes immémoriales, à « commencer par les temps apostoliques, sont « que les pasteurs déjà établis établissent les « autres : *Élisez*, disent les Apôtres, *et nous « établirons.* »

Probatur 3° constanti traditione ; de illâ quid sentiat oculatissimus Bossuetius mox audivimus ; de eâdem consulantur etiam duo viri ecclesiasticis in monumentis versatissimi. Thomassinus, Discip. ecclesiast. tom. 1, part 1, lib. 1, c. 50 : « Toute la tradition des con- « ciles, des Pères et des écrivains ecclésiasti-

« ques, nous apprend cette vérité constante, « et autrefois incontestable, que les évêques « ont été institués par une autorité divine, « pour être les vicaires de Jésus-Christ même « dans leurs diocèses, et les successeurs des « Apôtres. » Disertè autem asseruerat, « que « non seulement l'ordre, mais aussi la juris- « diction et l'empire des évêques était d'un « droit divin et de l'institution propre de Jé- « sus-Christ. » Peritissimus Petavius relatis cap. 9, lib. 3, de hierarchiâ ecclesiasticâ testimoniis quibus constat successisse in spirituali potestate Apostolis episcopos, subjicit c. 10 : « Ostendimus cum episcopatu, ex institutione « Christi, et origine primâ, connexam esse « spiritualem sacramque potestatem. » Hic est enim ordo ecclesiastici ministerii à Christo institutus, et continuâ serie ad nos usque propagatus : Apostolos elegit quos ad Ecclesiæ gubernationem necessariâ auctoritate muniendos curavit ; elegerunt Apostoli quos fundatis à se præficerent Ecclesiis : obeundi potestatem muneris eodem quo acceperant jure, in suorum quemque successorum trajicientes.

Quapropter rerum novarum cupidos sic urgebat S. Irenæus, de Hæresibus, lib. 4, c. 26, aliàs 43 : « Habemus annumerare eos qui ab « Apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis « et successores eorum usque ad nos, qui nihil « tale docuerunt. » Tertullianus, de Præscript. cap. 32 : « Evolvant ordinem episcoporum « suorum, ita per successiones ab initio de- « currentem, ut primus ille episcopus, aliquem « ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen « cum Apostolis perseveraverit, habuerit au- « ctorem et antecessorem. » Eodem sensu S. Cyprianus, Epist. 27 : « Inde per temporum « et successionum vices, episcoporum ordina- « tio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia « super episcopos constituatur, et omnis actus « Ecclesiæ per eosdem præpositos guberne- « tur. » — Porrò cum episcopali munere arctissimè conjunctam esse regendi auctoritatem perspectum est ex ipsiusmet naturâ et significatione. Eâ de connexione vide doctissimum Petavium eruditè et aptè disserentem in libris de Hierarchiâ.

Ab ipsâ fidelium communitate petendam esse administrandi spiritualia potestatem, id tam paradoxum et inordinatum, ut vix intelligatur quo pacto, quorumdam in mentes influere potuerit. Numquid enim universales particularesve synodi, sanciendis legibus, vim obligandi duxerunt à populi christiani suffragio expresso vel tacito esse hauriendam? Numquid vocatis in judicium quibusdam episcopis, causam putaverunt ejusdem auctoritate dirimendam? Persuasum habuêre inde suam oriri potestatem, unde ipse sumpsit episcopatus exordium.

Probatur 4° momentis quibusdam theologicis : primum, ut rectè observat doctissimus Petavius, priusquàm unum in corpus christiana coalesceret Ecclesia, destinatamque formam et statum obtineret, designati à Christo, atque idoneâ ipsi gubernandæ auctoritate induti sunt Apostoli ; eadem ita fuit constituta auctoritas, ut in episcopos usque ad consummationem seculi tanquàm illorum hæredes transfunderetur : non ergo primitùs communitati fidelium tradita est, ut in præponendos Ecclesiæ ministros tanquàm à promixo fonte traduceretur.

Secundum, notissima tria sunt rerum publicarum et gubernationum genera : monarchia videlicet, aristocratia, et democratia : certâ et speciali differunt inter se proprietate et essentiâ ; discrimen illud in diverso administrationis ac regiminis modo et ratione positum : in monarchiâ sita est penès singularem personam, in aristocratiâ penès solos optimates, in democratiâ penès totam pro indiviso communitatem ; in eorum quos impugnamus systemate, cùm ad ipsam communitatem et multitudinem pertineret tota imperandi et gubernandi auctoritas, nudumque ministerium ad ipsos episcopos, democratica foret Ecclesiæ gubernatio, quod ab Ecclesiæ constitutione quantùm discedat, facilè demonstratur. Namque, ut observat Bellarminus, quatuor sunt quæ inesse debeant in omni regimine populari : 1° magistratus ab ipsâ plebe constituuntur, cui acceptam referunt suam omnem auctoritatem ; sic olim in republicâ Romanâ suffragiis populi creabantur ipsi consules ; 2° à sententiâ magistratuum gravioribus in causis appellatur ad judicium populi : id consuetum fuisse eâdem in republicâ testatur Livius, lib. 2 et 4, quod idem de republicâ Atheniensium docet Plutarchus in Solone ; 3° leges quibus respublica gubernanda est, proponuntur quidem à magistratu, sed à populo probantur ac temperantur, ut constat ex eodem scriptore, lib. 3, atque ex Ciceronis orationibus de lege Maniliâ, et de lege agrariâ ad populum Romanum, 4° accusari solent magistratus apud populum, necnon dignitatibus privari et debitis ad nutum populi mulctari pœnis : exempla hoc in

genere suppetunt plurima.: sic Tarquinius Collatinus consul, sic decemviri à populo creati, ab eodem de suâ ipsorum dignitate dejecti sunt.

At in ecclesiastico regimine, quatuor illorum quæ exposita sunt nihil populo christiano convenit : 1° non ab eo constituuntur Ecclesiæ præpositi, sed ab episcopis, ductâ successione ab Apostolis, ut perpetuâ testatum traditione ostendimus, latiùsque in tractatu de sacramento Ordinis ostenditur ; 2° nusquàm est auditum in Ecclesiâ interjectam esse appellationem ab episcopis ad populum, neque absolutos à populo, quos episcopi ligaverant, aut ab eo ligatos esse quos absolverant episcopi : attamen si popularis esset Ecclesiæ status, quomodò labentibus seculis, nihil à populo fuisset judicatum spiritualibus in causis? 3° leges omnes ecclesiasticæ, vel à conciliis, vel à summis pontificibus aut à privatis ipsis episcopis profectæ sunt, nec unquàm expectatum est suffragium populi tanquàm ad illarum inducendam auctoritatem necessarium ; nec ulla lex verè ecclesiastica legitur, quæ nuncupari possit plebiscitum, quales in civilibus multas subministrat jus Romanum. 4° Nullus potest assignari episcopus, qui fuerit à populo depositus vel excommunicatus, cùm multi inveniantur à summis pontificibus excommunicati ac depositi.

Hic obiter adnotari potest quàm evidenter secum ipse pugnet Richerius, cùm jurisdictionem totam et potestatem ecclesiasticam, primariò, propriè et essentialiter Ecclesiæ convenire docet, Romano verò pontifici et episcopis non nisi instrumentaliter, et quoad executionem tantùm, effutierit, quamvis idem confiteatur Ecclesiam esse politiam monarchicam regimine aristocratico temperatam ; quamvis etiam affirmet Christum, omnes Apostolos atque discipulos qui episcopalem et presbyteralem ordinem referebant, immediatè et individuè, et collectivè misisse, eâque missione potestatem dedisse.

Tertium, jure divino primatum jurisdictionis ut et honoris, universâ in Ecclesiâ obtinere Romanum pontificem profitentur omnes Catholici ; at in systemate quod discussimus, cùm hæc potestas primariò et propriè inesset populo christiano, non nisi humano jure, proximè competeret episcopis spiritualis administratio, non alia foret origo primatûs ad quem esset provectus Romanus pontifex : non ad eos pertineret ipsa potestatis, ut ita dixerimus, substantia, sed sola obeundi muneris executio, possentque plecti atque in ordinem redigi, ad nutum communitatis fidelium : tam nefariis placitis, nonne susdeque tota everteretur christiana Religio ?

Ex his omnibus intelligere est quàm meritò doctrina hæc damnata sit à Joanne XXII in Marsilio de Paduâ, tùm in Luthero atque Antonio de Dominis à clero Gallicano pluribus in comitiis, quorum in illis quæ celebrata sunt anno 1715, cum expositis de præsenti negotio placitis auctoris libri cui titulus : *Le Témoignage de la vérité,* pronuntiant doctrinam libro isto « contentam totoque opere passim dissecminatam, esse seditiosam, temerariam, scandalosam, eâque subverti ordinem à Christo Domino in regendâ Ecclesiâ constitutum, eamdemque injuriosam sanctæ sedi Apostolicæ et episcopis, falsam, erroneam, schismaticam et hæreticam, atque à cunctis fidelibus rejiciendam. » (Novæ collect. act. verbalium, tom. 6.)

NOTABILE CONSECTARIUM.

Quibus evincitur argumentis non esse populo christiano divinitùs et propriè collatam auctoritatem jurisdictionemque ecclesiasticam, eisdem probatur non esse necessarium ejusdem consensum expressum vel tacitum, ut valeant auctoritatis, jurisdictionisque ecclesiasticæ statuta ; neque enim ad vim obligandi illis conciliandam necessum est, consensum istum accedere, nisi communitati fidelium potestatem totam ecclesiasticam, aut ejus partem essentialem contulisset Dominus, vel saltem prædictum consensum voluisset tanquàm conditionem haberi, quâ sublatâ vim nullam sibi vindicaret auctoritas ecclesiastica ; atqui ex hactenùs prolatis argumentis colligitur, neque totam, neque ex parte, populo christiano, sed Ecclesiæ præpositis collectam esse omnem regiminis ecclesiastici auctoritatem ; quod verò attinet ad populi consensum nobis objectum, tanquàm conditionem suscipiendis atque explendis muneribus sacris necessariam, hâc positâ necessitate, *theoreticè* gubernandi auctoritate pollerent Ecclesiæ præsules, reipsà tamen, et quoad praxim, à populo penderet ecclesiastica tota legislatio, ad eumque referendum esset extremum de legum opportunitate, ac earumdem æquitate judicium ; insuper, cùm tanti esset momenti præfata conditio, oporteret ut eam distinctè declarâsset Dominus Christus ; non enim per se, et jure natu-

rali, viget ac innotescit : divinæ autem revelationis nullum exhibetur de tali conditione testimonium ; neque hanc esse impositam vel ipsi suspicantur populi : quin etiam ut multa sunt Ecclesiæ dogmatica etiam decreta quæ illos vulgò lateant, ita et multi disciplinæ canones quos eorum plerique saltem penitùs ignorant.

Etverò, admissâ consensûs populorum necessitate, ad asserendam legibus ecclesiasticis vim obligandi, non ante iisdem obedire deberent, quàm maturo examine expendissent, utrùm evangelicis illæ congruant regulis, atque utrùm spectatis rerum adjunctis expediant : nec eas solummodò quæ ad populum, verùm etiam quæ ad Ecclesiæ ministros, ut mysteriorum Dei dispensatores pertineant, discutiendi munus incumberet fidelium communitati, aut illis qui ejus nomine et auctoritate, onus illud in se recepissent : ergo totius ecclesiasticæ disciplinæ judices et arbitri constituerentur populi ; atque ab eis penderet ecclesiasticæ auctoritatis tota efficacitas.

Solvuntur objecta.

Obj. 1° : Toti Ecclesiæ concessam fuisse potestatem clavium agnoverunt SS. Patres, quos inter inprimis S. Augustinus, lib. 1 de Christianâ doctrinâ : « Has igitur claves, in- « quit, dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in « terrâ, soluta essent in cœlo. »

Et sermone 26 de diversis : « Petrus enim « multis locis Scripturarum, apparet quòd « personam gestet Ecclesiæ, maximè in illo « loco ubi dictum est : *Tibi dabo claves regni* « *cœlorum : quæcumque ligaveris in terrâ, erunt* « *ligata et in cœlo.* »

Iis verbis non obscurè indicat S. Augustinus, Ecclesiæ personam sustinuisse S. Petrum ; quæ proinde spiritualem auctoritatem immediatè et propriè à Christo suscepit.

Resp. : Vel nomine Ecclesiæ significatos voluit S. Augustinus Ecclesiæ præpositos, quibus in Petro, salvo ejus primatu, ad ostendendam ministerii ecclesiastici unitatem, tradita fuerit regendi potestas ; vel Ecclesiæ nomine si intelligatur ipsa communitas fidelium, triplici ratione assertioni nostræ minimè contrariâ, dici potest eidem à Christo donata potestas clavium ; prima ratio hæc est, quòd illius communitatis causâ, et ad eam tuendam, regendam, propagandam potestas ecclesiastica fuerit ab omnium Salvatore instituta ; nam ut disserit eruditus Petavius (Hierarchiæ ecclesiast. lib. 3, cap. 14, n. 13), sicut « Deus in « humano fabricando corpore, non unam tan- « tùm partem destinavit, ad eamque primò, « ac per se consilium suum retulit... sed in « totum ipsum intuetur, ac totius gratiâ partes « elaborat singulas, ac quidquid in iis fingendo « molitur, id ad universi corporis structuram, « usum et utilitatem accommodat, eodem modo « Christus quæcumque in Ecclesiam commoda « et ornamenta contulit, omnia gratiæ benefi- « cia, sacramenta, potestatem, jurisdictionem, « ac reliqua, totius ad corporis emolumentum « ac fructum retulit, tanquàm primarium « ultimumque finem ; non enim Petrus *clavium* « *potestatem*, vel ligandi solvendique jus et « functionem propter se unum et suâpte causâ « consecutus est, sed Ecclesiæ gratiâ, et ut « Christianis omnibus in commune prodesset : « quò quidem illud Apostoli pertinet : *Omnia* « *enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive* « *Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive* « *præsentia, sive futura. Omnia enim vestra* « *sunt : vos autem Christi, Christus autem Dei.* » (1 ad Corinth. cap. 3, v. 22, 23.)

Secunda ratio ex eo ducitur quòd universalis Ecclesiæ partes sint Romanus inprimis pontifex, ipsius scilicet visibile caput, et episcopi tanquàm nobiliora ejusdem corporis membra : ideòque dici potest eam quæ pastoribus Ecclesiæ à Christo donata est, auctoritatem, ipsi communitati, seu fundatæ à Christo societati donatam esse ; id illustrari pronum est vel eâ quam à visu et oculis duxit, similitudine Richerius ; neque enim asseverari posset videndi facultatem quâ fruuntur et utuntur oculi, in toto fusam esse corpore, eâque pedem et manum exornari, quamvis generatim dicatur eam esse concessam homini. Quamobrem in sophisticis fallaciis numeratur tritum illud : *Æthiopem album esse, quia dentes ejus albi sunt.* Verè autem dicitur ac simpliciter : Homo videt, licet solos per oculos videat ; quia cùm de albedine vel nigredine quorumdam hominum quæritur, de qualitate agitur quæ totum penè corpus afficiat ; non ita de humano visu.

Tertia ratio sic adornatur ab auctore mox appellato : Patrum testimonio demonstratur sic affixam et addictam uni Petro ecclesiasticam jurisdictionem, « et quasi circumscriptam « unius personâ, ut eo sublato, etiam illa pe- « riret, nec ampliùs in Ecclesiâ maneret : ergo « eatenùs Ecclesiæ traditam fuisse intelligunt, « quòd perpetuò habet illa successores pote- « statis ac dignitatis istius : quemadmodùm « qui dicit Francorum populo regiam potesta-

« tem concessam fuisse, nihil significat aliud « nisi esse ibi semper aliquem qui regnet, ac « potestatem non exequatur modò, sed in se « hærentem ac residentem circumferat ; nec « propterea consequens erit penès communi- « tatem ipsam civium, supremum esse jus re- « gni, nec aliud esse regem quàm ministrum, « executoremque mandati popularis et impe- « rii. » (Hierarch. lib 3, cap. 16, num. 8.)

Nota : Si respiciatur ad Christum ecclesiasticæ potestatis fontem ac auctoritatem, Romanus pontifex et episcopi dicendi sunt ministri Christi : *Sic nos existimet homo*, inquit Apostolus, *ut ministros Christi..... pro Christo legatione fungimur.* Si verò attendatur ad fidelium societatem, vocari etiam possunt Ecclesiæ ministri, Romanus pontifex et episcopi, non quasi ab eâ auctoritatem suam accipiant, sed quòd ejus utilitatibus et sempiternæ saluti allaborent ; hinc S. Gregorius Magnus et ejus exemplo cæteri Romani pontifices, servos servorum Dei appellari se voluerunt.

Obj. 2° : Nomine Ecclesiæ vulgò intelligitur ea societas, quam esse unam, sanctam, catholicam et apostolicam profitemur ; hanc autem quæ communitas est fidelium, verâ præditam esse auctoritate spirituali, certum est ; vero potitur tribunali, ad quod jubetur deferri hominem reum et correptioni pertinaciter reluctantem, ut indicatur his verbis Christi : *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Hinc quotidie dicitur : Ecclesia tenet hæc et illa dogmata ; hæreticos anathemate percellit ; filios totum per orbem auctori suo parturit sacramento regenerationis : coram fidelium societate rationem reddidit Petrus administrati Cornelio centurioni baptismatis, in Act. Apost. cap. 11.

Resp. : Eâ de causâ, Ecclesiæ tribuitur potestas, solis illius concessa pastoribus, quòd ut diximus, corpori sive naturali, sive mystico et morali, proprietates illæ attribuantur quibus ejus membra, quamvis non singula donantur : tum quæ ad ipsius referuntur utilitatem et salutem. « Oculus solus videt in corpore, ait « S. Augustinus (Tract. 22 in Joan.); sed num- « quid soli sibi oculus videt? et manui videt et « pedi videt, cæteris membris videt. »

Quapropter ab Apostolo describitur Ecclesia tanquàm corpus, quod est variis partibus membrisque distinctum, quorum alia dignitate et ordine præstant, muneribusque defunguntur quæ cæteris negata sunt ; « quòd si, inquit, « essent omnia unum membrum, ubi corpus? » 1 ad Corinth. c. 12, v. 19. « Nunc autem multa « quidem membra non eumdem actum habent, » ad Roman. cap. 12, v. 4 ; neque eamdem potestatem : « Si totum corpus esset oculus, ubi « auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? » Ita in corpore Christi mystico quod est Ecclesia, « numquid omnes Apostoli? Numquid « omnes doctores? » 1 ad Cor. c. 12. Numquid omnes Ecclesiæ administrandæ præpositi ? Numquid omnes Apostolorum locum obtineant?

Coram societate fidelium, cùm rationem administrationis suæ reddidit Petrus, hoc præstitit ex laudabili humilitate, charitate et condescensu, non quasi fidelium communitati subditum sese agnoverit ; quemadmodùm nec populo inferiorem se exhiberet princeps, qui gubernationis suæ rationem coram eo exposuerit, ut quantùm bono publico consuluerit, notum faceret.

COROLLARIUM.

In ipsis secularibus principibus spiritualem haud inesse potestatem evincitur ex allatis tùm auctoritatis, tùm rationum momentis, quibus adjungi possunt, quæ adduximus, sive ad probandum eos non esse controversiarum de Religione constitutos à Christo judices, sive ad adstruendam Ecclesiæ in spiritualibus propriam, supremamque auctoritatem.

CAPUT V.

UTRUM IN CONSORTIUM GUBERNATIONIS ECCLESIÆ, DIVINA INSTITUTIONE VOCATI SINT PRESBYTERI.

Duplex eò loci agitari posset quæstio : quæri posset utrùm episcopis inferiores sint jure divino, ratione jurisdictionis presbyteri ; id controversiæ genus discuti solet in tractatu de Sacramento ordinis ; alterum quod nunc evolvendum suscipimus, in eo positum est, utrùm episcopis licet inferiores potestate jurisdictionis presbyteri, gubernationis Ecclesiæ sint divinâ institutione participes. Divinam pastorum secundi ordinis, seu parochorum originem oppugnare, aut in dubium vocare animus non est : hìc agitur *de foro externo :* quamvis autem testimonia quædam objiciantur, quæ parochis facultatem ferendæ excommunicationis asserere videantur, hanc tamen jure divino ipsis non competere, vel ex eo colligitur, quòd jamdudùm neque per se, neque per alios, eam jure proprio nusquàm exerceant.

Conclusio.—*In consortium gubernationis Ecclesiæ jure divino vocati non sunt presbyteri.*

Probatur 1° : Latè ostendimus potestatem ju-

dicandi de rebus fidei et morum, ita esse collatam episcopis, ut in ejus societatem, ex instituto Christi non fuerint adsciti sacerdotes secundi ordinis : eosdem verò et quidem solos gubernandæ præfecit Ecclesiæ, quos constituit in causis Religionis necessarios judices. Adeò firmum est istud argumentum, ut ad episcopos pertinere judicium in controversiis de fide, ex eo concluderet sacra Facultas Parisiensis, anno 1687, quòd essent auctore Spiritu sancto præpositi regendæ *auctoritate judiciali* Ecclesiæ : hinc

Probatur 2° : Hâc admonitione Apostoli, Act. Apost. cap. 20, v. 28 : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.* Verba hæc de episcopis interpretata est in concilio Tridentino Ecclesia universalis, cujus est profectò expromere genuinum Scripturarum sensum. Sess. 23, cap. 4.

Eamdem interpretationem attulerat in professione fidei Hunnerico regi oblatâ synodus nationalis ex variis collecta provinciis Africæ. Eamdem disertissimè ediderat S. Cœlestinus I, epist. ad synodum generalem tertiam et ab illius synodi Patribus comprobatâ : « Respicia- « mus, inquit, etiam illa nostri verba docto- « ris, quibus propriè ad episcopos utitur ista « prædicens : *Attendite vobis et universo gre- « gi,* » etc.

Præfatam expositionem confirmavit Martinus I, in oratione ad synodum Lateranensem anno 649, inter alia sic allocutus episcopos : « Et maximè habentes præceptum Apostolicum, « attendere nos ipsos et gregi, in quo nos Spi- « ritus sanctus posuit episcopos regere Dei Ec- « clesiam. »

Adhibendo textu illo Apostoli institerunt concilii Tridentini vestigiis synodi Gallicanæ. « Cùm episcopi, ait synodus Turonensis anno « 1583, tit. de Disciplinâ eccles., à Spiritu sancto « sint positi, ut Dei Ecclesiam regant, ac in « Apostolorum locum successerint, sintque in « eâ tanquàm patres superiores et pastores « constituti. »

Ita et synodus Bituricensis anno 1584, Burdigalensis anno 1624. Ex his omnibus monumentis quibus sincera consignatur verborum Apostoli expositio, constat ita mandatum fuisse episcopis catholicæ regimen Ecclesiæ, ut supremæ illius potestatis consortes proprio jure non habeantur presbyteri, neque ab eorum suffragiis decreta illius pendeant. Absolutis enim vocibus commendatur ipsius institutio, nec ulla in his habetur mentio conditionis interpositæ.

Probatur 3° ex manifestâ et cohærente traditione : præter jam advocata in exponendis Apostoli verbis testimonia, occurrunt alia non minùs accommodata. Ex canonibus Apostolicis, qui licet non sint Apostolorum fœtus, priorum nobis sub aspectum subjiciunt ætatum Ecclesiæ christianæ placita. « Presbyteri et « diaconi sine sententiâ episcopi nihil perfi- « ciant : ipse enim est cujus fidei populus est « creditus, et à quo pro animabus ratio exige- « tur. » Ita sentiebant Patres concilii Antiocheni anno 341, canone 24 : « Quæcumque res « Ecclesiæ sunt, eas gubernari et dispensari « oportet cum judicio et potestate episcopi, cui « commissus est populus, et animæ quæ in « Ecclesiâ congregantur. »

Ad auctoritatem et judicium episcopi totum ibi revocatur gregis dominici regimen, tota ratio et œconomia ecclesiasticæ disciplinæ. Divinam hanc institutionem apertè testatur S. Cyprianus : « Per temporum et successio- « num vices, episcoporum ordinatio et Eccle- « siæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episco- « pos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per « eosdem episcopos gubernetur. » Nihil significantius afferri potest ad vindicandam solis episcopis totius administrationem Ecclesiæ ; idem confirmatur canone 7 concilii Lateranensis I : « Cura et rerum ecclesiasticarum dis- « pensatio in episcopi judicio et potestate per- « maneat. »

Probatur 4° ex certâ et inveteratâ possessione : generalibus in conciliis conditi sunt disciplinæ canones, ut puta in conciliis Nicæno, Constantinopolitano I, Ephesino, Chalcedonensi, in secundo Nicæno, generali septimo (decreta disciplinæ non condiderunt Constantin. II et III) et aliis ; legantur etiam pristinis editi temporibus canones Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, Africani. Concilia autem illa non presbyterorum simul et episcoporum inscribuntur nomine, sed episcoporum tantùm : solis attribuitur episcopis totius ordinandæ disciplinæ auctoritas et officium : convocari non solent ad concilia, quasi jure proprio simplices ulli sacerdotes : non eorum ad sancienda conciliorum decreta expectatus est tanquàm necessarius consensus : neque, ut alibi adnotavimus, primis in synodis generalibus, si procuratores exceperis absentium episcoporum, judicandi munus concessum est presbyteris ; reducantur in memoriam

si placet, quæ, ubi de judice controversiarum attulimus. Numquid tot particulares, tot universales synodos accusare liceat violati aut ignorati juris quod Christus contulisset presbyteris, quodque voluisset intactum jugiter permanere?

Probatur 5° argumentis theologicis : primùm, in Ecclesiæ gubernatione, presbyteri, vel parem episcopali, vel minorem obtinerent jure divino auctoritatem (nam de superiori ne quidem venire potest in mentem); at certè *non parem*, ut demonstratur in tractatu de Ordine et sacrâ Hierarchiâ; deinde præ multitudine presbyterorum, necessariò vincerentur episcopi, quoties ingrueret conflictus, eorumque velut obruta jaceret auctoritas, tùm privatis in diœcesibus, tùm in Ecclesiâ universali. Si verò presbyterorum minor cogitetur auctoritas, dùm unius ordinis singuli cum singulis alterius conferuntur, quot reclamantium requirerentur presbyterorum suffragia, ut elidantur et superentur episcoporum decreta? An reponetur eam comparationem haud posse accuratè institui, at nihilominùs rectè intelligi reclamante toto moraliter ordine sacerdotali, nullius tunc fore auctoritatis ac momenti decreta ipsa Romani pontificis, confirmata quantùmlibet ordinis episcopalis consensu? Tale commentum qui inducere machinarentur, illi sanè non animadverterent perniciosa illius consectaria: unanimitate ipsâ episcoporum editi canones, et generali constituendæ disciplinæ destinati, penderent in eo quod ad auctoritatem et infallibilitatem attinet, ab ipsis subditis, eorumque standum esset judicio, postpositis summi pontificis, eique vel omnium illi adhærentium episcoporum institutionibus.

Quod objicitur, presbyteros succedere septuaginta Christi discipulis, quid inde consequitur quod nobis officiat? Septuaginta enim discipulis mandatas esse partes judicandi de fidei aut disciplinæ decretis episcopali auctoritate munitis, nullius indicari poterit Scripturæ aut probatæ traditionis testimonio: nec tradita est unquàm discipulis illis *activa* infallibilitas, ut eorum ministerii appendix ordinaria, eorumdemque ad successores trajicienda; si autem de *passivâ* instituatur sermo, eâ et populus donatur christianus, episcoporumque auctoritatem *cui tota innititur*, nedùm infringat aut deterat, ejusdem potiùs commendationem infert vel maximam.

Secundò, ut disserit Petrus ipse Aurelius adversùs Spongiam : « Hæc est eminentia dignitatis episcopalis supra sacerdotalem, quòd « sacerdotalis nullam per se jurisdictionem nec « includat, nec exigat, utpote inferior et epi« scopali subjecta, cujus nutu regi, et ad ope« rationes ac munia Ecclesiæ admoveri, non « ipsa prosilire debet, ut canones jampridem « sanxerunt, et episcopalis dignitas, ut summa « et in suo genere perfecta, jurisdictionem « complectatur, nec sine eâ consistat, non ma« gis quàm regia dignitas, cui sancti Patres « episcopalem dignitatem passim comparant, « sine imperio concipi potest. »

Quod à Petro Aurelio asseveratur de curâ et auctoritate quâ valent episcopi presbyteros ipsos regere, eosque sacris admovere muniis Ecclesiæ, id indubitatis perspectum est monumentis; eâ auctoritate ordinantur, canonicè mittuntur, in beneficiis instituuntur; eâdem potestate decernuntur ecclesiasticæ in eos pœnæ, qui sacro abutuntur ministerio, tum quorum vita pugnat turpiter cum officiis. Ita persuasum semper fuit in Ecclesiâ, episcoporum regimini subjectos esse presbyteros, ut generatim pronuntiatum fuerit à viro verè apostolico, S. Ignatio martyre, epist. ad Magnesianos : « Sine episcopo, nemo quidquam « faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. » Ac teste Tertulliano, de Baptismo, cap. 17, nisi ipsis annuentibus, ne baptismatis quidem sacramentum conferebatur à sacerdotibus et diaconis.

Non igitur eò usque conscendit auctoritas presbyterorum, ut episcopalis ordinis de ipsâ disciplinâ decretis possit vim obligandi detrahere, aut ab eorum suffragio suspensa fluctuent et incerta donec accesserit.

Tertiò, fac promulgari de disciplinâ generali decretum à Romano pontifice prolatum, approbantibus ultrò et constanter episcopis, ejusque executionem intentatâ etiam censurâ exigentibus : eidem decreto si refragarentur, et ab eo fidelium mentes retrahere contenderent presbyteri, quò tandem se proriperent christiani populi? Deserendos esse non crederent conjunctos Ecclesiæ capiti et Christi vicario episcopos, quos audierunt constitutos fuisse Apostolorum hæredes et magistros, qui ut credenda, ita et agenda fidelibus, ipsisque sacerdotibus præscriberent; si talem dixeris repugnare hypothesim, divinæ erga Ecclesiam providentiæ, hâc ipsâ illius repugnantiâ demonstratur, completam esse, atque in genere suo perfectam ordinis episcopalis auctoritatem, neque ut illius decretis obstringatur conscien-

tia, necessum esse, ut priùs accedat vel tanquàm causa, vel tanquàm conditio necessaria, presbyterorum approbatio. Quòd si emitteretur decretum disciplinæ quod regioni alicui orbis christiani non congrueret, providerent sanè episcopi, pro suâ sapientiâ, nec eâ in regione illius decreti urgerent executionem.

Solvuntur objecta.

Objicies 1° : Nascentis Ecclesiæ christianæ temporibus, antequàm diceretur in populis : ego sum Pauli, ego Apollo, communi consilio Ecclesiæ gubernabantur, ut peritissimus historiæ ecclesiasticæ testatur S. Hieronymus, in cap. 1 Epist. ad Titum; unde idem S. doctor epist. ad Evagrium seu Evangelum : « Quid « enim facit exceptâ ordinatione episcopus, « quod presbyter non faciat? » Imò quòd præpositi sint episcopi presbyteris, id profitetur humanæ attribuendum esse institutioni : « Si- « cut ergo, inquit, sciunt se Ecclesiæ consue- « tudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse « subjectos, ita episcopi noverint se magis con- « suetudine quàm dispositionis dominicæ veri- « tate presbyteris esse majores, et in com- « mune debere Ecclesiam regere. »

Hæc sanè indicant persuasum habuisse S. Hieronymum ex præscripto Christi administrandam esse, communi episcoporum et presbyterorum consilio atque auctoritate Ecclesiam.

Resp. : Argumentum istud quo utuntur Protestantes ad abjiciendam episcoporum supra presbyteros præstantiam, nostram quoque impugnat directè assertionem, ideòque non putavimus esse prætermittendum. Illud quidem attigimus in assignandis controversiarum de fide judicibus; eò tamen loci duximus revocandum, ut quæ præsenti specialiter congruant quæstioni subjiciamus.

Non ita episcopis assidebant et in consilium adhibebantur presbyteri, ut eo senatu sepositio, sic violaretur in Ecclesiæ gubernatione divina institutio, ut episcoporum statuta vim nullam obtinerent. Quâ enim ratione forma hæc Ecclesiam gubernandi, quæ fuisset à Christo constituta, potuisset secundo Ecclesiæ seculo, aut ad summum ineunte tertio, ita passim abire in desuetudinem, ut nullibi reclamatum fuerit, nusquàm expostulatum de subverso gubernationis genere quod jure divino constaret ac immutabili? Numquid tot sanctissimi doctrinæ apostolicæ hæredes episcopi, catholico in orbe conspirâssent in abolendum essentiale, traditumque ab Apostolis institutum? Quo pacto sibimet defuissent quasi ex condicto tam diversis in regionibus obmutescentes, suâ quantùmvis spoliati dignitate et auctoritate presbyteri? Si enim cupiditate ducerentur, tùm quæ sua sunt appetentes, quas non habuissent acriter querimonias, cùm id unum postulavissent, quod planè consonaret legibus æquitatis et recti? si autem sinceræ incitarentur Religionis pietatisque studio, nonne omni ope satagendum sibi putavissent, ut sartam tectamque servarent gubernandæ Ecclesiæ ordinatam divinitùs rationem, aut quamprimùm instauraretur quod esset violatum et iniquè detractum?

Denique aliud est convocatis presbyteris consilium ab iisdem in Ecclesiâ gubernandâ exquiri, aliud est eos haberi regiminis ecclesiastici jure divino participes ac veluti socios. Cùm princeps administrando in regno consiliarios advocat, non ideò communem sibi cum ipsis supremam esse arbitratur potestatem.

Quod verò attinet ad mentem S. Hieronymi, 1° S. hujus doctoris verba si premerentur, consequens id foret, pares esse auctoritate in ipsâ regendâ Ecclesiâ episcopis presbyteros, habitâ ratione divinæ institutionis, sed eâ institutione postpositâ, nec multùm disjunctis ab illâ temporibus, invectam esse aliam et contrariam, et comprimendis avertendisque schismatibus necessariam consuetudinem; at cujusnam reputandum esset momenti adductum S. Hieronymi testimonium, si voluisset ita constitutum ac destinatum fuisse à Christo Ecclesiæ regimen, ut illud penè statim deseri ac repudiari universâ probante Ecclesiâ debuerit, quasi aut non providisset Christus, conciliandæ et fovendæ paci non futurum illud esse constanter idoneum, aut non potuisset illius asserere ac promovere, conflatis etiam Ecclesiæ periculis vim et efficaciam?

2° Non solùm perpetuæ traditioni, ut ex probationibus nostris liquet, sed ipse sibi repugnaret S. Hieronymus, pares si existimaret jurisdictione presbyteros episcopis; namque post ultima ex relatis illius verbis et quidem explicatu specie tenùs difficiliora, continuò addit : « Imitantes Moysen, qui cùm haberet in « potestate solus præesse populo Israel, septua- « ginta elegit, cum quibus populum judicaret. » Quemadmodùm igitur auctoritatem ac potestatem retinuit Moyses tum in populum, tum in septuaginta quos in subsidium ac judiciarium

munus adsciverat, ita cum presbyteris communicatâ episcopalis regiminis potestate, ecclesiasticâ nihilominùs auctoritate antecellebant eisdem, Deo sic ordinante, episcopi.

3° Apostolicis etiam temporibus plures unâ in civitate fuisse presbyteros cùm fateatur S. Hieronymus, idem asseverat non fuisse plures episcopos (proprie dictos) : nam cùm ad probandum eumdem esse in mente S. Pauli, presbyterum et episcopum, attulisset testimonium ex capite Actuum Apost. 20, ubi presbyteri nominantur episcopi, id confestim præoccupat quod reponi posset : « Ac ne quis, ait, conten- « tiosè in Ecclesiâ plures episcopos fuisse « contendat, audi et aliud testimonium in quo « manifestissimè comprobatur eumdem esse « episcopum et presbyterum. » Jam plures in civitate unâ fuisse presbyteros cùm affirmaverit, sic plures in eâdem extitisse simul ad ejus regimen episcopos cur negaverit, eodem si utrosque gradu auctoritatis ex suâpte institutione præditos existimaverit ?

4° Diaconorum quorumdam pervicaciam cùm retunderet S. Hieronymus, eosdemque presbyteris et ordine et potestate inferiores esse ostenderet, commendare ultra modum videtur presbyterorum dignitatem, eosdemque pares episcopis facere : at cùm in hujusmodi lites aciem animi non intendit, tùm episcopalis ordinis præstantiam clarissimè prædicat : sic in epist. ad Eustochium de morte S. Paulæ, presbyteros vocat *sacerdotes minoris ordinis;* in epist. ad Evagrium, de sacerdote ad episcopatum promovendo, ait : « De minori ad « majus provehitur. » Commentario in cap. 6 Isaiæ, de episcopis hæc verba intellexit : *Ponam præpositos tuos justitiam;* in Dialogo contra Luciferianos absolutam et essentialem, nec proinde humanæ institutionis, necessitatem agnovit primas episcopo deferendi : « Ec- « clesiæ salus, inquit, in summi sacerdotis « dignitate pendet, cui si non exsors quædam « et ab omnibus eminens detur potestas, tot « erunt in Ecclesiâ schismata, quot erunt sa- « cerdotes. »

5° Consuetudinem quâ presbyteris præpositos fuisse episcopos dictitat S. Hieronymus, significat tùm esse inductam cùm jactari *cœptum est : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* At creati ante hoc tempus numerantur episcopi; verba enim ista reperiuntur in 1 ad Corinth. cap. 1. Hæc porrò epistola anno Christi 56 vel 57 scripta est; atqui, ut observat Morinus, de Ordine, exercitatione tertiâ, cap. 3, Hierosolymorum episcopus creatus est ab Apostolis Jacobus post ascensionem Domini : idque tradit ipse S. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis; Petrus Antiochiâ discedens, ubi primùm sedem sibi constituerat, Judæâque Romam discedens, Evodium creavit episcopum, suique successorem reliquit, sicut testantur tùm Eusebius in Chronico quod edidit S. Hieronymus, tùm S. Ignatius epist. ad Antiochenos ; Evodio autem mortuo, Ignatius Antiochensi præfectus est Ecclesiæ : Alexandriam Româ missus est à S. Petro Marcus Evangelista, ut ibi episcopum ageret, quo mortuo, anno scilicet Neronis Cæsaris octavo, viventibus adhuc Apostolis Petro et Paulo, ei successit Anianus; Evodii autem ipsius et Aniani ordinationes episcopales, octo vel novem annis Corinthiacum schisma præcesserunt, quod tamen si verba S. Hieronymi ad litteram accipiantur, episcoporum creationi occasionem et initium attulisset.

6° Schismatis Corinthiaci tempore, si contra morem prævium et universalem, qualem exhibet S. Hieronymus, inductum fuisset episcopale regimen, quod ubique nullo reclamante invaluerit, silentio tantam, tantique momenti mutationem non prætermisisset S. Lucas : eam procul dubio memoriæ prodendam curâsset, sicut apostolicum de legalibus decretum : illam saltem commemorâsset aliquis ex historiæ ecclesiasticæ scriptoribus : nonne commentum de itinere S. Pauli cum S. Theclâ explodit S. Hieronymus vel ipso auctorum ecclesiasticorum silentio? Obiter observa nihil proficere Blondellum et Salmasium fingentes contigisse mediante vel exeunte seculo secundo illam de quâ loquuntur regiminis ecclesiastici mutationem et quam comminiscuntur episcopalis auctoritatis eâ ætate constitutionem. Invictè refellerentur vel solo Apocalypseos testimonio de septem angelis, quos totidem fuisse episcopos tradit ipse S. Hieronymus, neque probabiliter negari potest.

7° Ad explanandam S. Hieronymi sententiam, secernenda est ab exercitio et usu potestatis gubernandi, ejusdem quasi radix et substantia : communem fuisse cum episcopo et presbyteris Ecclesiæ administrationem ante schisma Corinthiacum, autumavit S. Hieronymus , neque insimulandus est negatæ præcellentis auctoritatis, ad Ecclesiæ regimen episcopis divinitùs collatæ : abs re non erit in medium afferre interpretationem quam sub-

ministrat doctissimus Petavius, eccles. Hierarchiæ lib. 2, cap. 5. Nimirùm putat in animum sibi induxisse S. Hieronymum presbyteros quos commemorat Apostolus, non primi ordinis, sed secundi duntaxat ordinis fuisse; verùm in gubernandâ et administrandâ Ecclesiâ episcopales implevisse partes (eas tamen quæ communicari possint), et sic illam communi consilio et auctoritate rexisse : id verò factitatum esse in primordiis christianæ Ecclesiæ, et dùm adhuc superstites erant Apostoli, deinde variis in mundi partibus, in unum qui propriè haberetur, habendusque esset episcopus, translatam esse Ecclesiæ cujusque gubernandæ curam, ad præripiendum schismatibus germen et aditum.

Ad hunc modum plerisque in Ecclesiis recens conditis, non veri episcopi, sed sacerdotes duntaxat et diaconi creati fuerint, atque dicendum erit ad ea munera quæ primi ordinis antistitem postularent, identidem Apostolos accurrisse; vel ordinatos ab iisdem episcopos, ac diversa in loca esse dimissos, donec determinatis in sedibus consisterent, vel alii per civitates opportuno tempore constituerentur episcopi ; quam opinionem præter S. Hieronymum, inquit Petavius, tenuerunt S. Chrysostomus, Theodoretus, et cæteri plerique Græci interpretes. Theodoreti hæc est sententia ex Græco fideliter expressa : « Eosdem tunc « vocabant presbyteros et episcopos ; qui autem nunc vocantur episcopi, Apostolos appellabant : procedente autem tempore, « apostoli nomen veris reliquerunt Apostolis ; « appellationem verò episcopi illis imposuerunt quos olim nuncupaverint Apostolos. » In Epist. ad Timoth. Expositionem illam sequi satius esset quàm velle adæquatos episcopis auctoritate presbyteros.

Quod denique affirmavit S. Hieronymus, consuetudine magis quàm dominicæ dispositionis veritate, majores esse presbyteris episcopos, id certè emolliendum est, ne secum ipse confligere videatur ; attendebat potiùs, ut diximus, ad usum et exercitationem potestatis Ecclesiam administrandi, quàm ad ipsam potestatem ; cùm ad regendas Ecclesias convenirent cum episcopo presbyteri, tum sic viguisse presbyterium putat S. Hieronymus, ut constituta divinitùs ad Ecclesiæ regimen episcopalis auctoritas, usu ejusdem atque exercitio vix emineret; hanc verò deinceps manifestiùs apparuisse, priori mutatâ gubernationis formâ.

Inst. : Ex S. Hieronymo, Epist. ad Evangelum, Alexandriæ à Marco Evangelistâ « usque « ad Heraclam et Dionysium episcopos, pre« sbyteri semper unum ex se electum, in « excelsiori gradu collocatum, episcopum no« minabant, quomodò si exercitus imperatorem « faciat, aut diaconi eligant de se unum quem « industrium noverint, et archidiaconum vo« cent. » Ergo ex S. Hieronymo nulla est divina præceptio quæ solis episcopis tribuat regendæ Ecclesiæ jus ac potestatem, cùm humanâ sint creatione constituti.

Respondeo 1° : Eâ factâ solis à presbyteris electione, de quâ siluerunt S. Athanasius, Clemens Alexandrinus, Origenes, non conferebatur, neque conferri poterat, id quod ad episcopalis dignitatis essentiam pertinet ; hinc statim ipse subjungit S. Hieronymus : *Quid enim faciat exceptâ ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?* Idem S. doctor in Chronico ad annum 107 testimonium istud perhibet : *Alexandrinæ Ecclesiæ post Cerdonem quartus episcopus ordinatur nomine Primus.* Fatetur ergo et ordinandi potestate, et proprio ordinationis charactere, simplicibus præstare sacerdotibus episcopos; quemadmodùm autem electio episcopi, qualem Alexandrinæ Ecclesiæ attribuit S. Hieronymus, non excludebat necessitatem impositionis manuum in conferendo episcopatu adhibendæ, ita neque divinam repellebat institutionem episcopalis in administrandâ Ecclesiâ auctoritatis, quantùmvis à solâ quæ facta esset à presbyteris electione, proficisci videretur, si prout sonant, usurparentur S. Hieronymi verba; verùm in hoc commendatam voluit presbyterorum dignitatem, quòd soli, ut putat, à Marco Evangelistâ usque ad Heraclam et Dionysium eligerent Alexandriæ episcopos, quamvis eâ electione positâ derivaretur ab altiori principio character ac potestas episcoporum.

Respondeo 2° : Quidquid sentiat de illius divinâ origine S. Hieronymus, cujus quidem grave licet testimonium præponderare non potest ; universalis traditio Ecclesiæ id saltem docuit consuetudine catholici orbis factum esse, ut ad episcopos deferretur propter enascentia schismata, gubernandæ potestas Ecclesiæ, eamque diuturnitate temporum esse confirmatam ; hâc autem vel ipsâ sententiâ divinæ licet repugnante institutioni, revincerentur tamen illi qui presbyteros regendæ Ecclesiæ cum episcopis à Christo præpositos esse confinxerunt.

Objicies 2° : Vacante sede episcopali, in episcopi auctoritatem succedit cathedralis Ecclesiæ capitulum, quo repræsentatur presbyterium, administrandæ olim Ecclesiæ munere perfunctum.

Respondeo 1° : Non ille mos semper obtinuit, ut vacante sede episcopali, vices episcopi ejusque munia obiret capitulum Ecclesiæ cathedralis, vel à metropolitano vel à viciniori episcopo ut plurimùm gerebatur cura vacantis Ecclesiæ; post mortem Prætextati Rhotomagensis episcopi, Ecclesiam ipsius regendam suscepit Leudovaldus Bajocensis episcopus; metropolitano regimen vacantis Ecclesiæ attribuit synodus quinta Africana; utebantur eâdem disciplinâ Ecclesiæ orientales, ut observat P. Thomassinus ecclesiast. Discipl. tom. 1, parte secundâ, cap. 20. Jurisdictionem totam episcopalem non exercet capitulum; neque enim, quæ præcipua est, auctoritatem legislativam obtinet; neque dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, litteras, potest alicui concedere qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit; quin etiam cùm à synodo provinciali alicui episcopo sacris functionibus interdicitur, ab eâdem constitui vicarium generalem jubet generale concilium tertium Lateranense; hæc autem omnia evidenter arguunt, neque clero neque capitulo cathedralis Ecclesiæ adscribi *jure divino* vacantis Ecclesiæ gubernationem.

Objic. 3° : Presbyteri Romani contexendâ Marcionis historiâ episcopos vocant *collegas suos;* tum et ætate S. Cypriani, ordinandæ consulebant cum episcopis disciplinæ ecclesiasticæ ; *præsidentes* quoque vocati sunt. (Tertull. de Coronâ militis, Apolog. secundâ S. Justini.)

Resp.: Cùm episcopos vocaverunt *collegas suos* presbyteri Romani, insolitâ usi sunt appellatione, neque norma loquendi aut sentiendi, facto isto singulari constitui potest; neque episcopi vel maximè modestiâ et charitate commendati, presbyteros collegarum nomine exornandos duxerunt; imò et se solos eo compellandos esse nomine non obscurè significant; ita S. Cyprianus epist. 32 : « Si qui de peregrinis « episcopi collegæ mei, vel presbyteri, vel « diacones præsentes fuerint, vel supervene- « rint. » Ita etiam S. Augustinus, epist. 43, num. 7 : « Neque enim de presbyteris aut diaconis, « aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis « agebatur. » Præsidentium nomine aliquando presbyteri donati sunt, ut eos simplicibus fidelibus, quos ex præscripto episcopi moderabantur, ordine et dignitate superiores esse indicaretur, at in gradu ab episcopis diverso et longè illis inferiori, ut patet ex argumentis quæ congessimus; ubi cum episcopis communi consilio in gubernationem Ecclesiæ incubuerunt presbyteri, id neque necessariò præstiterunt, neque pari cum episcopis auctoritate; audiatur ipse qui nobis objicitur S. Cyprianus : « Ad id quod scripserunt mihi compre- « sbyteri nostri, Donatus, Fortunatus, etc., « rescribere non potui; quando à primordio « episcopatûs mei statuerim, nihil sine consilio « vestro et sine consensu plebis, meâ privatâ « sententiâ gerere. » Id testatur statuisse sibi ab initio episcopatûs S. Cyprianus, non autem divinâ sibi ordinatione præscriptum; numquid etiam divinâ institutione sancitum est ut nihil inconsultâ plebe perageret, nequidem cùm ipsa foret ab illicitis revocanda atque cogenda in ordinem?

Cætera quæ viderentur idem doctrinæ caput aliquâ ex parte attingere, vide supra, in dissert. de Judice controversiarum.

DE ECCLESIA CHRISTI,

PARS SECUNDA.

DE ROMANO PONTIFICE.

Sectio prima.

In hâc sectione agendum suscipimus 1° de primatu honoris et jurisdictionis quem à Christo Domino S. Petrus acceperit; 2° de primatu Romani pontificis, ut successoris et hæredis S. Petri Apostolorum principis; 3° de præcipuis hujusce primatûs consectariis.

CAPUT PRIMUM.

DE DIGNITATE ET AUCTORITATE, QUA S. PETRUS CÆTEROS ANTECELLEBAT APOSTOLOS.

CONCLUSIO. — *Omnes inter Apostolos dignitate et auctoritate præeminebat donante Christo S. Petrus.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — Cùm Apostolos suos interrogâsset Christus quem ipsum esse crederent, de quo variæ inter Judæos circumferebantur sententiæ, respondit confestim tanquàm os cæterorum, S. Petrus : *Tu es Christus Filius Dei vivi;* quâ editâ fidei professione, ita eum allocutus est Christus Jesus : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Matth. cap. 16. Ex insigni illo testimonio conficitur firmissimum istud argumentum : Ad personam S. Petri referenda est ea Christi promissio, quæ profectò non erat suo defraudanda exitu; ergo in Apostolorum cœtu donatus est à Christo Domino S. Petrus honoris ac potestatis verâ præcellentiâ.

1° Referenda quidem est ad S. Petrum adducta Christi Domini promissio; quod ut penitiùs intelligatur, recordandum est, vel in primo Petri congressu cum Salvatore Christo, quem Andreâ duce adierat, dictum ei fuisse à Domico : *Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas,* Joan. cap. 1, v. 42. « Multis, ut animadvertit S. Chrysostomus, homil. 18 in Joannem, à nativitate nomina Deus imposuit, ut Isaac, Samson, et iis quorum meminit Isaias et Oseæ; quibusdam quam acceperant à parentibus, appellationem mutavit, ut Abrahæ, Saræ et Israel; mos etiam antiquitùs erat, à rebus nomina imponi, quod et Helias fecit; hoc autem totum non temerè fit, sed ut ea appellatio imponatur, quæ divini beneficii perpetuum monimentum, et memoria, per prædicta nomina auditorum animis imprimatur. » Verùm quid eo nomine quo novum aliquid et singulare prænuntiabatur, designaverit Christus in loco citato S. Matth., jam exponendum est : significatum voluit, hoc sibi esse propositum, ut Apostolum illum quem, mutato nomine, appellavit *Cepham*, constitueret inconcussam velut petram super quam erat Ecclesiam suam ædificaturus; id perspectum est ipso contextu : hæc enim verba, *super hanc petram*, demonstrant aliquam petram de quâ paulò ante Dominus sit locutus; proximè autem Dominus Petrum vocaverat *petram;* certè si eum alloquendo dixisset : *Tu es petra! et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nemo dubitaret quin verbis illis, *hanc petram*, Apostolum illum designatum voluisset; at reipsà Apostolum de quo sermonem instituimus, ita compellavit : *Tu es petra, et super hanc petram*, etc.; Syriacè enim loquebatur, et Syriacâ linguâ *Petrus* dicitur *Cephas*, ut habetur Joan. cap. 1 : *Tu es Simon filius Jonas, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Vox illa *Cephas* originem duxit à voce Chaldæâ, *ceph*, vel *cepha*, quæ lapidem, seu rupem significat; verbo illo, *cephas*, petram significari observat S. Hieronymus in cap. 2 ad Galatas, nec de significatione istâ moveri potest controversia; dixit igitur Dominus : *Tu es cephas, et super hoc cepha*, etc., id est, latinè : *Tu es petra, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

At quare in editione Vulgatâ non legitur : *Tu es petra*, sed, *tu es Petrus?* quia Latinus interpres Evangelium S. Matthæi Hebraicâ, aut Chaldaicâ, aut Syriacâ linguâ scriptum, non vertit ex originali linguâ, sed Græcum codicem secutus est; apud autem Græcos, cùm synonyma sint, *petros et petra;* et pariter *lapidem* significent, maluit interpres nomen masculinum homini, quam fœmininum tribuere, et dicere, *tu es Petrus*, quàm, *tu es petra.* Deinde verò ad explicandam metaphoram, vimque ei subjectam meliùs aperiendam, subjunxit : *Et super hanc petram*, quæ vox latinâ in linguâ distinctè magis quàm vox *Petrus*, ideam ingerit firmitatis ac perpetuæ durationis Ecclesiæ.

Quam attulimus interpretationem, ea confirmari potest totius Ecclesiæ consensu; Chalcedonensi in concilio generali de Petro dicitur, actione tertiâ : « Qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum. » Eidem expositioni suffragantur Patres Græci et Latini : ex Græcis Origenes : « Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamento, et petræ solidissimæ super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino : « *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* » S. Chrysostomus homiliâ 55 in Matth. sic loquitur : « Dominus ait : *Tu es Petrus, et ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* » S. Gregorius Nazianzenus : « Petrus, inquit, petra vocatur; atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet. » Alios consule apud Bellarminum de Romano Pontifice, lib. 1, cap. 10. Ex Latinis Tertullia-

nus lib. de Præscriptione, cap. 22, his verbis percellit apostolicæ osores traditionis : « Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ « petram dictum? » S. Cyprianus in Epist. ad Quintum : « Petrum Dominus primum elegit, et super eum ædificavit Ecclesiam suam. » S. Ambrosius : « Pro soliditate, inquit, devotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait « Dominus : *Tu es Petrus*, » etc. Similia videre est apud citatum mox cardinalem testimonia SS. Hieronymi, Augustini, Leonis Magni, Gregorii item Magni.

2° Quid verò metaphorâ petræ et ædificatione Ecclesiæ Christus Jesus designaverit non est investigatu difficile et arduum; quod enim est in ædificio fundamentum, idem est in corpore caput, in civitate rector, in regno princeps, in domo pater familiâs; declaravit Christus traditurum se Petro gubernandam Ecclesiam, ac proinde auctoritatis apicem, tantæ haud imparem sustinendæ moli.

Objicies : Utrùm ad personam Petri spectent hæc verba : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non immeritò ambigi potest; namque hæc referri possunt ad confessionem fidei quam professus est Petrus; ita intellexerunt SS. Hilarius (lib. 6 de Trinitate), Cyrillus Alexandrinus (lib. 4 de Trinitate), Basilius (lib. 2 in Eunomium), Gregorius Nazianzenus (Oratione 26), Chrysostomus (homil. 55 in Matth.), Epiphanius (hæres. 59). Eadem verba possunt aptari Christo de quo dixit Apost. ad Corinth. 1, c. 10 : *Bibebant de spiritali consequente eos petrâ;* de quo idem Apost. id testatur : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (1 Corinth. cap. 3). Quin etiam possunt de omnibus Apostolis, ut indicatur Ephes. cap. 2, in quo dicuntur fideles *superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Imò et nonnulli, cum Origene, volunt *hanc petram* posse nuncupari ipsam fidelium societatem.

Resp. : Cum assertione nostrâ apprimè cohærent quæ ipsi objiciuntur interpretationes; diversâ quippe ratione sed non contrariâ, fundamentum Ecclesiæ appellari possunt, tum Christus Dominus, tum Apostolorum princeps, cæterique Apostoli, necnon ipsa confessio fidei catholicæ, et fidelium societas.

Ecclesiæ primarium et essentiale fundamentum dici potest ac debet Christus, supra omnem constitutus principatum, et cujus propriâ virtute totum coagmentatur atque sustentatur ædificium; secundarium et ministeriale Petrus, qui vim omnem suam et potestatem mutuatur à Christo; fundamenta quoque Ecclesiæ meritò vocati sunt alii Apostoli, quia et ad fulciendam, sustinendamque Ecclesiam, salvâ et integrâ dignitate et prærogativâ Petri maximè contulerunt; poterant omnes ubique verbum Dei prædicare, fundare Ecclesias, dispensare sacramenta, tutandis moribus ac fidei leges condere; omnes Apostoli ratione apostolatûs, pari honoris et potestatis consortio, ut ait S. Cyprianus, prædíti fuerunt; habuêre omnes plenitudinem auctoritatis, ita tamen ut Petrus esset eorum caput, et ab illo cæteris licet imperantes penderent. Ut enim ait S. Hieronymus, lib. 1 contra Jovinianum, « inter duodecim « unus eligitur, ut capite constituto, schismatis « tolleretur occasio. » Petra dici potuit ipsa confessio Petri, quia Petrus eatenùs sustentat Ecclesiam, quatenùs fideles rectè docet fidei dogmata, eosque continet et confirmat in verâ fide et vero Dei cultu; eo etiam sensu dixerunt aliqui Patres Petri fidem fundamentum esse Ecclesiæ, quòd Petrus ob meritum fidei suæ consecutus sit, ut Ecclesiæ fundamentum constitueretur. Denique fideles fundamentum Ecclesiæ dici nequeunt nisi materialiter et impropriè, quia ex fidelibus conflatur Ecclesia.

Verùm quantùmlibet diversa sit ratio fundamenti, ut jam expositum est, hæc nihilominùs Christi verba, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, directè ac propriò ad solam Petri personam referebantur; non ad cæteros apostolos, multò minùs ad fidelium societatem; namque adstantibus licet Apostolis, solum Petrum alloquitur Christus : *Tu es Petrus et super hanc petram;* nullus præter Petrum confessus tunc fuerat divinitatem Christi; nullus præter ipsum vocatus est *Cephas*. Non ad ipsum Christum Dominum; ut enim animadvertit Bellarminus, de Rom. Pont. l. 1, c. 10, « licet Christus dici possit petra, « tamen hoc loco non est vocatus petra à Petro confitente, sed Christus Filius Dei vivi; « debet autem referri verbum illud *hanc*, ad « eum qui nominatus est petra, non ad eum « qui non est appellatus hoc nomine. »

Modò vel tantisper attendatur ad verborum seriem, fateri necesse est, ad personam Petri, pronomen illud *hanc*, non ad Christum, immediato ac litterali sensu pertinere, postquàm enim divinitatem Christi confessus fuit Petrus, sic eum affatus est Dominus : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* (quod, ut probavimus, idem

sonat ac si dictum esset : Tu es petra), *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fac ista verba, *super hanc petram,* referri non ad Petrum, sed ad Christum, et videbis quàm distorta foret oratio Christi, et ab ejus proposito aliena ; etverò quem Christus declaravit esse petram super quam ædificaturus erat Ecclesiam, idem ille est cui pollicitus est claves regni cœlorum; namque post enuntiatam fundamentalem hanc petram et Ecclesiæ in eâ collocandæ stabilitatem, continuò subjungit : *Dabo tibi claves regni cœlorum ;* atqui non sibimetipsi promisit potestatem peccata remittendi vel retinendi ; ergo, etc. Rectiùs forsitan videretur ad fidei confessionem quam edidit Petrus etiam directè referenda esse, mox citata Christi verba, verùm ut etiam disserit ibidem Bellarminus, « illud pronomen, *hanc,* clarissimè ostendit « per petram non posse intelligi fidem absolutè ; nam refertur ad petram proximè « nominatam ; proximè autem dictum fuerat « Simoni : Tu es petra, non fidei (idem autem « significat petra quod Petrus); oportet igitur « posteriore modo accipere fidem, ac dicere, « non quamlibet fidem, sed Petri fidem, et « Petri non ut hominis privati, sed ut pastoris, « Ecclesiæ esse fundamentum ; id quod coincidit cum eo quod hactenùs diximus, Petrum « esse *fundamentum,* de quo locutus est Christus. »

Quod spectat ad aliud effatum Apostoli; *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus ;* quod pronuntiatum vehementer urget Calvinus, quasi absque blasphemiâ, nullo modo posset vocari Petrus fundamentum Ecclesiæ, hoc unum voluit Apostolus, ut ex antecedentibus et consequentibus colligere est, nullum posse constitui fundamentum quod vel à Christo alienum sit, vel Christo non subjaceat ; at fundamentum abnegari noluit, quod sit à Christo institutum et stabilitum, ipsique perpetuò subditum, perpetuò inhæreat. Hæc certè, quæ obvia sunt, non sibi mutuò repugnant. « Sicut ipse lumen, inquit S. Hieronymus, in caput 16 Evang. Matth., Apostolis « donavit ut lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula ; « ita et Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, et secundùm « metaphoram petræ rectè dicitur ei : *Ædificabo Ecclesiam meam super te.* » Sic et Christum loquentem inducit Leo Magnus (sermone 2 in Natali Petri et Pauli) : « Tu petra es qui « meâ virtute solidaris, ut quæ mihi potestate « sunt propria, sint tibi mecum participatione « communia. » Numquid blasphemiæ crimen inurendum est Apostolo, aut præcellentem Christi auctoritatem labefacere molitus est, dùm fideles exhibet, ut ædificatos super *fundamentum Apostolorum et prophetarum?*

Instabis : Depromptum ex celeberrimo de quo hactenùs, Christi oraculo, argumentum, nonne hoc ipso infirmatur quo discrepantes illius prolatæ sint interpretationes à SS. PP., quos inter S. Augustinus tractatu ultimo in Joannem, sic facit Christum cum Petro loquentem : *Super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam;* et lib. 1 Retract. cap. 21, retractandum curavit quod alibi dixerat, super Petrum ædificatam Ecclesiam : « Dixi, inquit, in quodam « loco, de Apostolo Petro, quòd in illo tanquàm in petrâ fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus « beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo « ait : Hoc ipsâ canente petrâ Ecclesiæ, culpam diluit; sed scio me postea sic sæpissimè « exposuisse... ut super hunc intelligeretur « quem confessus est Petrus; non enim dictum « est illi : Tu es petra, sed : *Tu es Petrus...* « petra autem erat Christus. » Aliorum non pauci quorum testimonia in objectione indicavimus, varias et à nostrâ dissentientes protulerunt interpretationes quas exposuimus; unius aut alterius ipsa verba exscribere, exempli causâ, operæ pretium est. S. Hilarius lib. 6 de Trinitate : *Super hanc confessionem Petri Ecclesiæ ædificatio est.* S. Ambrosius in Lucam lib. 6 : *Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam,* id est, *in catholicæ fidei confessione, statuam fideles ad vitam.* Appellari possunt qui de omnibus Apostolis, laudata Christi verba intellexerint : S. Hieronymus lib. 10 contra Jovinianum : *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat.* Idem profitetur S. Basilius in cap. 1 Isaiæ ; Theodoretus in psalm. 96. S. Augustinum audivimus, verba illa, *Super hanc petram,* de Christo Domino, in ipsis Retractat. libris exponentem.

Resp. 1° : Qui sanctis ex Patribus diversas à nostrâ interpretationes attulerunt, eam illi nullo modo excludere voluerunt. Ipsemet, qui primâ fronte hanc repudiare videatur S. Augustinus, postquàm in lib. 1 Retract. verbis istis, *hanc petram,* Christum Dominum esse intelligendum asseruit, statim id adjicit : *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit pro-*

babilior, eligat lector; quam sententiam loco citato secutus est S. Augustinus : ideò in eam descendit, quia linguam Hebraicam cùm non calleret, crediderit voce illâ, *cephas,* non significari petram, sed aliquid à petrâ derivatum, quomodò *christianus* non significat Christum, sed aliquid derivatum à Christo ; alterâ etiam de causâ de Christo prædicta verba interpretatus est, ne scilicet Donatistæ qui sacramentorum vim in ministrorum sanctitate collocabant, spiritale super eos fundari ædificium contenderent ; præfata itaque S. Augustini expositio eò tantùm spectabat, ut non propriâ virtute et seorsim à Christo fundamentum Ecclesiæ Petrus haberetur. Vide sermonem ejusdem 13 de Verbis Domini, quo in ipso sermone, dicitur Petrus *apostolatûs principatum tenens.* Quod idem alibi etiam disertissimè astruit.

Respondeo 2° : Præter quàm quòd unanimi consensu SS. Patres datâ occasione, primatum S. Petri commendandum curaverunt, promptum est reperire inter illos ipsos qui vel de confessione Petri, vel de cæteris Apostolis, vel de Christo, voces memoratas intellexerunt, easdem nihilominùs de personâ Petri, perspicuè exposuerint : sic S. Hilarius, qui ad confessionem Petri, voces illas, *hanc petram,* retulit, easdem de personâ Petri apertissimè interpretatus est. De illo enim Apostolorum principe ita locutus est in cap. 16 Matth. : « Ecclesiæ « fundamentum est, dignaque illius ædificatio- « ne, petra, quæ inferorum leges dissolveret ; « ô cœli janitor beatus Petrus ! » S. Ambrosius, qui similiter prædictis verbis confessionem Petri judicavit designari, personæ Petri eadem indubitanter serm. 47 adscripsit : « Pro « soliditate devotionis, inquit, Ecclesiarum « petra dicitur, sicut ait Dominus : *Tu es Pe-* « *trus.* » S. Leo inter alios, qui per *hanc petram* significari Christum arbitratus est, eodem in loco, personàm Petri affirmavit declarari. « Manet ergo inquit, depositio veritatis, et « beatus Petrus in acceptâ fortitudine perseve- « rans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non « reliquit ; sic enim præ cæteris est ordinatus, « ut dùm petra dicitur, dùm fundamentum « pronuntiatur, dùm cœli janitor constituitur, « qualis ipsi cum Christo esset societas, per « ipsa appellationum mysteria nosceremus. » S Hieronymus, qui ad omnes Apostolos tanquàm Ecclesiæ fundamenta, transtulit citata toties Christi verba, *hanc petram,* illicò subjungit quæ ex ipso deprompsimus : « Inter « omnes unus eligitur, ut capite constituto « schismatis tollatur occasio. »

Ex verbis Christi occasionem arripuêre nonnulli SS. Patres extollendi præcellentiam Christi, ejusdemque confitendæ divinitatis necessitatem, ut supra explicatum est, illæsâ litterali et propriâ eorumdem intelligentiâ.

Argumentum II.— Desumitur ex illis Christi verbis Petrum alloquentis : *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Apta inter se et inter se nexa cohærent sibi omnia Christi instituta : cùm Petrum eò usque provehendum constituerit, ut super eum christiana ædificaretur Ecclesia, tum proclive fuit et consentaneum, ut idoneam eidem gubernandæ suppeditaret illi potestatem ; hæc autem mox allato designatur splendidè testimonio ; claves enim cœlorum dare, quid est aliud quàm eximium aliquod largiri principatum, et auctoritatis præstantiam quâ cæteros etiam inter Apostolos præcelleret ? Isaiæ capite 22 metaphorâ clavium adumbratur et extollitur summi pontificis dignitas et potestas. *Et erit in die illâ, vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ, et induam illum tunica tuâ* (Sobnæ cujus degradationem prænuntiavit) ; *et angulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantibus Jerusalem, et domui Juda, et dabo clavem domûs David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.* Ibi suprema quâ defungebatur summus pontifex, delineatur auctoritas ; eâdem à clavibus ductâ metaphorâ utitur idem propheta ad commendandam Christi eminentem potestatem : « Quò illud pertinet, inquit Bellarminus : « *Factus est principatus super humerum ejus,* « Isa. c. 9 ? ideò enim dicitur principatus super « humerum impositus, quoniam claves quibus « principatus designatur super humerum poni « solebant. » Principatum Christi per claves significari compertum habetur, Apoc. cap. 3 : *Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit.* Profanis ipsis in rebus, præbendis clavibus superior honoris atque jurisdictionis declaratur quandoque gradus ; sic in ditionem alicujus principis cùm cesserint spontè deditæ aut armis subactæ aliquot urbes, offeruntur illi claves in subjectionis testimonium.

Cùm voluerit Christus fundandâ Ecclesiâ, monarchiam constituere (licet aristocratiâ temperandam), oportuit consequenter alicui eum conferre dignitatem et potestatem, quæ esset ad illud constitutionis genus accommo-

data ; quod quidem variis in unum collineantibus, significavit metaphoris, Petrum alloquendo, tum in adductis, tum in adducendis mox testimoniis. Quædam ubi de potestate ecclesiasticâ adhibuimus ex Scripturis, probandi causâ pro vero spirituali regno habendam esse Christi Ecclesiam. Sic Danielis cap. 2, v. 44, de adventûs Christi temporibus dicitur : *In diebus autem regnorum illorum* (quorum diversam conditionem exhibuerat), *suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur.* Lucæ cap. 1, de Christo è virgine nascituro hæc eloquitur angelus : *Hic erit magnus et Filius altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.* Quod certè oraculum ad Ecclesiæ fundationem ac perpetuitatem evidenter pertinet.

Objicies : Quid per potestatem clavium intellexerit Christus, ipse explanavit istis verbis : *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* At eamdem hanc potestatem omnibus et singulis promisit Apostolis. Matth. cap. 18 : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* » Ex potestate quæ fuit Petro cum Apostolis communis, quâ ratione potest ipsi attribui honoris auctoritatisque primatus ? hinc S. Hieronymus, lib. 1 contra Jovinianum, observat *cunctos* Apostolos claves regni cœlorum accepisse ; S. Augustinus affirmat non personæ Petri, sed toti Ecclesiæ, cujus ille figuram et vices gerebat, datam esse potestatem illam clavium tam latè patentem : « Si in Petro, in« quit tractatu 50 in Joannem, non esset Ec« clesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus: « *Tibi dabo claves ;* et si hoc Petro tantùm dic« tum est, non hoc facit Ecclesia; sed si in « Ecclesiâ hoc fit, Petrus quando claves « accepit, Ecclesiam sanctam significavit. » Idem et apertiùs asserit Enarrat. in psalm. 108 : « Quædam dicuntur quæ ad Apostolum « Petrum propriè pertinere videntur, nec ta« men habent illustrem intellectum, nisi cùm « referunt ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur « in figurâ gestâsse personam ; sicut illud est : « *Tibi dabo claves.* »

Resp. doctissimo cum Stapletono, controversiâ tertiâ de primo Subjecto potestatis ecclesiasticæ, quæst. 1, art. 1, illa verba : *Quodcumque ligaveris,* etc., non esse expositionem aliquam illorum verborum : *Tibi dabo claves,* sed rem planè distinctam promisisse Christum; id indicat particula, *et;* sicut enim cætera omnia præcedentia, per conjunctionem distinguuntur, ista videlicet : *Et ego dico tibi, et super hanc petram, et portæ inferi non prævalebunt, et tibi dabo claves;* Christus multa hoc loco per accumulationem Petro dixit, ita ut solvendi et ligandi potestas sit quidem pars potestatis clavium Christo concessæ, non autem tota et adæquata earum potestas ; potuit enim Petrus ipsis etiam Apostolis multa præcipere, modum quemdam in obeundis muneribus tenendum præstituere, in synodum cogere; leges universæ Ecclesiæ, quibus ipsi obstringerentur, auctoritate suâ sancire. Cæteri omnes Apostoli parem inter se potestatem, eamque illimitatam à Christo acceperunt ratione apostolatûs temporanei, non autem ratione officii pastoralis perpetuò duraturi ; at verò Petrus plenitudinem potestatis obtinebat tum in Apostolorum quemlibet exercendam, tum ad ordinarium Ecclesiæ regimen constitutam, ac proinde singulos ad ipsius successores, ut fusiùs exponetur, transfundendam. Hæc potest interpretatio accommodari ad testimonia SS. Cypriani, Hieronymi, etc., si qui objiciantur alii qui Apostolis omnibus parem cum Petro auctoritatem adsciscere videantur.

Ad explicandi modum quem inprimis S. Augustinus adhibuit, respondendum est claves quidem in personâ Petri datas esse Ecclesiæ, *quia ;* ut ait, *figuram gerebat Ecclesiæ,* verùm ipsas Ecclesiam in Petro accepisse tanquàm in capite quod earum potestate cæteros inter omnes Ecclesiæ pastores emineat ; sic enarratione in psalm. 108 docet S. Augustinus Petrum gestâsse personam Ecclesiæ *propter primatum quem in discipulis habuit.* Et tractatu 124 in Joannem : « Cujus Ecclesiæ Petrus « Apostolus propter apostolatûs sui primatum « gerebat figuratâ generalitate personam. » S. Leo sermone 3 in anniversario die assumptionis suæ ad summum pontificatum : « Per« transivit quidem, inquit, etiam in alios « Apostolos vis potestatis illius, et ad omnes « Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio « commeavit ; sed non frustra uni commenda« tur, quod omnibus intimetur ; Petro enim « ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis « Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur; « manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex « ipsius fertur æquitate judicium. »

Argumentum III. — Petitur istud ex cap. 21 Joan., in quo Christus Dominus gregem suum totum pascendum Petro commisit dicens:

Pasce agnos meos.... Pasce oves meas. Promissa duobus quæ jam exposuimus, celeberrimis Scripturæ testimoniis primatûs potestas, illo quod exponendum suscipimus, exhibetur tanquàm Petro data et plenissimè asserta; pro triplici negatione, nec sine grandi mysterio exegit à Petro Christus Dominus triplicem amoris et quidem præstantissimi confessionem; ad primam respondet: *Pasce agnos meos;* ad secundam: *Pasce agnos meos;* ad tertiam: *Pasce oves meas.* Quid per verbum *pasce* intelligendum sit, quid per illas voces, *agnos meos, oves meas,* significatum voluerit Christus, haud obscurè ex ipsis colligitur Scripturis, atque inde eâdem perspicuitate efflorescet primatus Petri. Verbum *pascere* et *regere* pro eodem in Scripturis passim accipitur. Sic lib. 2 Reg. cap. 5, v. 2, de Davide dictum est: *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.* Quibus verbis designatur concessus Davidi principatus. Isaiæ cap. 44, dicit Dominus: *Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis.* Idem efficacissimè confirmatur ipso verbo quo usus est S. Joannes in Evang. loco citato: scripsit enim ποιμαίνε, id est, pasce regendo et præsidendo: namque, ut scitè observat Bellarminus, Homerus lib. 2 Iliados frequenter vocat regem Agamemnonem ποιμένα λαών, id est, pastorem populorum. Matth. cap. 2, in versione vulgatâ legitur: *Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* In græco adhibetur vox ποιμανεῖ, quod significat regendo pascere. Et certè, per verbum *pascere* generaliter prolatum, communi ex usu intelligitur omnis actus pastoralis; idem enim est pascere quod agere pastorem: porrò actus pastoralis non est tantùm præbere cibum, sed etiam ducere, tueri, præesse, regere, castigare; verbum itaque *pascere* ad spiritualem potestatem translatum, omnes ecclesiastici regiminis actus et munia complectitur. Hinc S. Augustinus in hunc locum: *Oves ipsas,* inquit, *pascendas, id est, docendas regendasque committit.* Hinc opus eximium de regendis animabus S. Gregorius Magnus inscripsit: *De Curâ pastorali.*

Quid autem per hæc verba, *agnos meos, oves meas,* designatum voluit Christus, tam latè patent hæc verba, ut è Christianis nullus sit, nequidem sacerdos aut episcopus, aut Apostolus, qui Petro non teneatur tanquàm supremo pastori, subditum se profiteri; nullus enim est qui gloriari non debeat vocatum se ad illud ovile de quo dixit Christus: *Erit unum ovile et unus pastor.* Nullus est qui gratanter excipere hæc verba Christi non debeat: *Cognosco meas* (oves) *et cognoscunt me meæ,....* Joan. cap. 10: *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Hæc verba, *agnos meos, oves meas,* nullâ exceptione restringuntur, et quis est qui absque dispendio salutis velle possit, neque in agnis, neque in ovibus Christi supremi pastoris numerari? Porrò vicarium suum in regendis tum agnis, tum ovibus suis, Christus in cœlum non multò post ascensurus, constituendum curavit Petrum; licet enim tunc adessent tres insignes Apostoli, Jacobus, Joannes, Thomas, singulariter ei dictum est: *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* cui dictum fuerat: *Simon Joannis, diligis me plus his?* non quòd voluerit Christus, à regimine Ecclesiæ cæteros excludere Apostolos, id cogitatu nefas, sed primatum Petro, remotâ omni ambiguitate tribuere et asserere voluit.

Ita intellexêre adducta Christi verba SS. PP. S. Ambrosius in caput ultimum Lucæ, dixit per hæc verba: *Pasce oves meas,* relictum nobis esse Petrum tanquàm amoris Christi vicarium: *Quem elevandus in cœlum,* inquit, *amoris sui vicarium relinquebat;* et ibidem: *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* S. Leo sermone tertio de assumptione suâ ad pontificatum: « De toto mundo, inquit, « Petrus eligitur, qui et universarum gentium « vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque « Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis « in populo Dei multi sacerdotes sint multique « pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, « quos principaliter regit et Christus. » S. Bernardus, lib. 2 de Consideratione: « Cui « non dico episcoporum, sed etiam Apostolo- « rum, sic absolutè et indiscretè totæ commis- « sæ sunt oves? Si me amas, Petre, *pasce oves* « *meas;* quas? illius vel illius populos civitatis, « aut regionis, aut certè regni? *Oves meas,* « inquit. » Nihil excipitur, ubi nihil distinguitur.

Objicies 1°: Ex potestate pascendi gregis inferri non potest collatum esse divinitùs Petro jurisdictionis principatum; namque animarum alios pastores sic hortatur ipse Petrus: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* 1 Petri cap. 5. Pascendi gregis potestatem omnibus Apostolis, non secùs ac Petro datam esse docet S. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ: « Episcopatus, inquit, unus est, cujus « à singulis in solidum pars tenetur, et pas- « tores sunt omnes; sed grex unus ostendi- « tur qui ab Apostolis omnibus unanimi con- « sensione pascatur. » S. Augustinus, lib. de Agone Christiano, cap. 30: « Cùm ei (Petro)

« dicitur, omnibus dicitur : *Pasce oves meas.* »

Resp. : Supremum universâ in Ecclesiâ pastorem dùm Petrum asserimus, solum esse pastorem illum non dicimus, sed eâ potestate pascendi præditum, seu gubernandi quâ cæteros omnes pastores antecellat, habeatque sibi divinâ institutione subditos, ut probavimus; neque nocet quod à sancto Cypriano, neque quod à sancto Augustino prolatum est ; ab omnibus Apostolis pascebatur grex Domini, sed ipsos pascendi seu regendi jus ac potestatem acceperat à Domino Petrus, non ita tamen ut quâ pollebant, auctoritas derivanda esset à Petro : hanc enim à Christo immediatè collatam obtinebant; tenebatur in solidum episcopatus ab omnibus Apostolis; tenetur in solidum ab episcopis, quod quidem unitatem commendat Ecclesiæ, indivulsamque consensionem ministerii ecclesiastici, non æqualitatem auctoritatis : qui enim episcopatum in solidum teneri meritò asseruit S. Cyprianus, idem nihilominùs superiorem in Petro potestatem spontè profitetur : « Super illum unum (Petrum) ædifi- « cavit Christus Ecclesiam suam, et illi pa- « scendas mandat oves suas. » Deinde, postquàm dixit parem esse datam omnibus Apostolis auctoritatem, eo nempe sensu quem supra indicavimus, subjungit : « Tamen ut unitatem « manifestaret, unam cathedram constituit, et « unitatis ejusdem originem ab uno incipien- « tem suâ auctoritate disposuit. » (Lib. de Unitate Ecclesiæ.) Centrum unitatis vocat cathedram Petri, ipsumque Petrum Ecclesiæ post Christum esse positum enuntiat. S. Augustinus hoc de Petro testimonium perhibuit : « In « quo primatus Apostolorum tam excellenti « gratiâ præeminet. » (Lib. 2 de Baptismo, c. 1.)

Objicies 2° : Divinâ ordinatione ut gentium Paulus, ita et Judæorum Petrus constitutus est Apostolus : *Cùm vidissent*, inquit S. Paulus, Epist. ad Galatas, cap. 2, *quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro in apostolatum circumcisionis, quæ enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes... dexteras dederunt mihi et Barnabæ, societatis, ut nos inter gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Non igitur totius gregis cura commendata est Petro.

Resp. : Id argumenti genus, si urgeretur, inde concludi pronum esset, à ministerio evangelico excludendos esse omnes præter Petrum et Paulum Apostolos, cùm ille Judæis, hic verò præficiatur gentibus. Ubique poterant omnes Apostoli docere, sacramenta conferre, aliaque obire sanctificandis hominibus destinata munera; omnibus dictum est, Matth. 28, 19 : *Euntes ergo docete omnes gentes;* Marc. 16, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Attamen ut faciliùs et celeriùs disseminaretur Evangelium, facta est duodecim inter Apostolos divisio provinciarum, ut ex Origene refertur apud Euseb. lib. 3 Hist. cap. 1; ita ut Andreas Scythiam, Thomas Parthiam, Indiam Bartholomæus, Matthæus Æthiopiam, Joannes Asiam, atque alias alii nationes Evangelio imbuendas susciperent. Eodem consilio altera divisio invecta est, quâ nimirùm Petrus conversioni Judæorum de quibus dixerat ipse Dominus : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel,* præcipuè incumberet; Paulus verò gentilium saluti potissimùm foret addictus; at Paulus nonne Judæorum in synagogis, ut videre est in Actis Apostolorm, prædicavit Evangelium, quòcumque se conferret? nonne profitebatur sese teneri *Ecclesiarum omnium sollicitudine, factumque Judæis tanquàm Judæum, ut Judæos lucraretur?* In illo adimpletum est quod dixerat Christus : *Vas electionis mihi est iste ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.* Act. Apost. 9. Petrus profectò ex illis fuit de quibus id prænuntiatum : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Ejus ministerio usus est Christus ad manifestandam gentilibus salutem; post celeberrimam animalium mundorum atque immundorum visionem reseravit Cornelio et familiæ ejus placita fidei, eosque sic allocutus est : *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum gentes audire verbum Evangelii et credere.* Ergo.

ARGUMENTUM IV. — *Ex variis S. Petri prærogativis.*

Plurimæ recensentur à Bellarmino de Romano Pontifice lib. 1, cap. 17 : nonnullas ex illis duntaxat proponemus quæ primo à limine occurrunt. 1° Quotiescumque in Scripturis nominantur Apostoli, toties primo loco appellatur S. Petrus, quantùmcumque cæterorum varietur ordo Apostolorum : ita Matth. 10 Marci, 3, Lucæ 6, Actor. 1; ubi etiam duo vel tres recensentur, illis semper præponitur S. Petrus : sic Marc. 5, Luc. 8, Matth. 17, Marc. 13, Joannis 21; unus duntaxat adnotatur locus, in quo non appellatur ante omnem alium : sic ad Galatas cap. 2, dicitur Jacobus,

Cephas et Joannes, quod ideò evenisse crediderimus cum SS. Anselmo et Thomâ in hunc locum, quòd Hierosolymæ, ubi tunc versabantur illi de quibus loquitur S. Paulus, Apostoli, episcopatum speciatim gereret S. Jacobus; præterea, ut observat Bellarminus, SS. Ambrosius, Augustinus et Hieronymus, in textu et commentario legebant : *Petrus, Jacobus et Joannes.* Dicitur quidem ad Galatas 2 : *Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli et fratres Domini, et Cephas?* Textus ille favet nobis; arguit enim ibi Paulus à majori ad minus, quasi diceret : Si Apostoli, et quod plus est, Cephas mulierem circumducant sororem, quæ temporalium curam gerat, cur non mihi liceret? Joannis quoque cap. 1, legitur : *Erat autem Philippus à Bethsaidâ civitate Andreæ et Petri.* Tam levi in facto ad apostolatum nullo modo pertinente non attenditur scrupulosè ad dignitatem; ordinem nativitatis respexit potiùs Evangelista. Quòd autem S. Petro tam constanter primus à sacris scriptoribus assignetur locus, non casu factum est; nam præter quàm quòd nihil temerè ac fortuitò scripserint, non ita sibi constaret casus, ut primo loco apud Evangelistas nunquàm exciderit nomen S. Petri, dùm cæteris Apostolis nominandis ordinem plerùmque mutaverint. Namque Matth. 10, post Petrum ponitur Andreas; Marc. 3, post Petrum Jacobus; Act. 1, post Petrum ponitur Joannes. Nec prætermittendum videtur, Petrum enumerandis Apostolis vocari *primum*, cæteros autem non vocari, unum secundum, alium tertium, etc., sed absque ordinis observatione nominari.

Neque obtendas, recensendis Apostolis priorem appellatum fuisse Petrum eò quòd cæteros ætate aut apostolatu præiverit; primus enim vocatus est ad apostolatum Andreas, ut ex Evangelio colligitur; quod verò ad ætatem pertinet, hunc Petro ætate priorem testatur S. Epiphanius hæresi 51. Deinde apud Evangelistas multis præponitur Joannes, quibus profectò ætate minor erat; non ergo propter ætatem cæteris Petrum anteposuêre.

2° Ut ipsis utamur Bellarmini verbis, non solùm Petrus primo loco ponitur, et primus vocatur, sed etiam passim in Scripturis describitur, ut pater familiâs, ut dux et princeps reliquorum : nam quemadmodùm Apocal. c. 12, dicitur : *Michael et angeli ejus*, id est, dux et milites ejus; ita dicitur Marc. 1 : *Et prosecutus est eum* (Jesum) *Simon, et qui cum illo erant;* Lucæ 8 : *Dixit Petrus et qui cum illo erant;* Lucæ 9 : *Petrus verò et qui cum illo erant;* Act. 2 : *Stans Petrus cum undecim;* Act. 5 : *Petrus et Apostoli dixerunt.* Ad eamdem prærogativam pertinet quòd Petrus semper loquatur omnium nomine, quod præcipuè enituit die illâ Pentecostes, quâ confluentibus Judæis ex omni natione quæ sub cœlo est, promulgata est solemniter lex evangelica : *Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis,* Act. cap. 2.

3° Congregatâ Hierosolymis synodo ad dirimendam de legalium observatione controversiam, primus hoc in concilio quod generalibus ipsis synodis formam exhibuit, sententiam dixit S. Petrus eâ auctoritate quæ principem decebat Ecclesiæ. *Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes, et credere,* etc. His verbis indicatur haud mediocris præstantia dignitatis, quòd sicut Apostolorum omnium primus Evangelium accepto Spiritu sancto, prædicaverat Judæis Petrus, ita et gentilibus prædicare cœperit, admonitus mysticâ visione quæ refertur Act. 10.

4° Adeundum sibi Petrum existimavit S. Paulus, suo ut ministerio majorem etiam commendationem accerseret : *Post annos tres,* inquit, *veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim,* ad Galat. c. 1. De quo tam honorifico facto et proposito dixêre S. Chrys. homil. 87 in Joannem : « Os « erat Apostolorum et princeps, propterea et « Paulus eum præter alios visurus ascendit. » S. Ambrosius in cap. 1 ad Galat.: « Dignum « fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus « erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator « curam Ecclesiarum. » S. Hieronymus, Epist. ad S. Aug.: « Tantæ Petrus auctoritatis fuit, « ut Paulus in Epistolâ suâ, ad Galat. cap. 1, « scripserit : *Deinde post annos tres veni Hie-* « *rosolymam videre Petrum.* »

Argumentum V. — *Ex traditione.*

Exponendis Scripturarum locis quibus maximè adstruitur primatus auctoritatis et honoris, quo præditum esse voluit S. Petrum fundator, sponsusque Ecclesiæ Christus, multa prompsimus SS. Patrum diserta testimonia; quapropter nonnisi pauca opus est hìc attexere, plura facile invenire est nostros apud controversistas. Origenes in caput 6 Epist. ad Rom.: « Petro cùm summa rerum de pascendis ovibus

« traderetur, et super ipsum velut super pe-
« tram fundaretur Ecclesia, nullius confessio
« alterius virtutis ab eo, nisi charitatis exigi-
« tur. » S. Basilius sermone de Judicio Dei :
« Ille beatus qui cæteris prælatus discipulis
« fuit, cui claves regni cœlestis commissæ, »
etc. S. Epiphanius hæresi 51 : « Petrum elegit
« ut dux esset discipulorum ; » et in Ancorato :
« Hic est qui audivit : *Pasce agnos meos*, cui
« creditum est ovile. »

Hic gradum sistimus, ne in immensum pro-
vehatur tractatus ; se ipsos, non primatum
Petri destruunt qui hunc attentare audeant ;
ad hanc petram miserabiliter eos allidi necesse
est, dùm evertere, quod stabiliendum curavit
Dominus, insanè machinantur. Hinc meritò
sacra Facultas Parisiensis anno 1617 priores
quatuor libros Marci Antonii de Dominis ar-
chiepiscopi Spalatensis et apostatæ proscripsit ;
quinta novatoris hujus propositio hæc erat :
« Disparitas potestatis inter Apostolos huma-
« num est inventum, in sacris Evangeliis et
« divini novi Testamenti Scripturis minimè
« subsistens. » Hanc propositionem notâ istâ
perstrinxit sacra Facultas : « Hæc propositio
« est hæretica et schismatica, de jurisdictione
« apostolicâ ordinariâ, quæ in solo divo Petro
« subsistebat, intellecta. » Hinc anno 1647,
hæresis notam judicavit Innocentius X inu-
rendam eorum doctrinæ qui parem et æqua-
lem in omnibus auctoritatem Petro et Paulo
collatam effutiebant : « Propositionem hanc,
« inquit : S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ec-
« clesiæ principes, qui unicum efficiunt ; vel
« sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi, ac
« supremi duces summâ inter se unitate con-
« juncti ; vel sunt geminus Ecclesiæ vertex,
« qui in unum divinissimè coaluerunt ; vel sunt
« duo Ecclesiæ summi pastores et præsides qui
« unicum caput constituunt, » etc. Totidem
illis assertionibus unitatem cathedræ princi-
palis à Christo constitutæ, impugnabant libri
duo Gallico idiomate conscripti. Doctrinam
illam seu propositionem « ita explicatam ut
« ponat omnimodam æqualitatem inter S. Pe-
« trum, et S. Paulum, sine subordinatione et
« subjectione S. Pauli ad S. Petrum in po-
« testate supremâ et regimine universalis Ec-
« clesiæ, sanctissimus pontifex hæreticam cen-
« suit et declaravit. »

Solvuntur objecta.

Excussimus ea quæ probationibus nostris
obtrudebantur, detorquendis alienum in sen-
sum clarioribus etiam testimoniis ; superest ut
ea disjiciantur, quæ generatim primatum S.
Petri lacessere videantur.

Objicies 1° : Omnibus Apostolis dixit Chri-
stus : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*,
quibus verbis summam in omnes jurisdictionis
potestatem contulit ; nec est igitur unde pri-
matus attribuatur Petro. Hinc S. Cyprianus
lib. de Unitate Ecclesiæ : « Hoc erant utique
« cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari con-
« sortio prædîti et honoris et potestatis, sed
« exordium ab unitate proficiscitur. » S. Am-
brosius lib. de Incarnatione cap. 4 : « Hic
« (Petrus) ut audivit : *Vos autem quem me esse*
« *dicitis?* loci non immemor sui, primatum
« egit, primatum confessionis utique non ho-
« noris, primatum fidei, non ordinis. » Et qui-
dem auctoritatis primatu si Petrum donavisset
Christus, præsentibus et audientibus Apo-
stolis, non disputavissent *inter se quis eorum*
major esset, Marc. cap. 9, v. 33 ; primas, ne divi-
næ repugnarent institutioni, detulissent Petro.

Resp. : Pares fuerunt Petro cæteri Apostoli
ratione missionis, quatenùs immediatè missi
sunt à Christo, sicut ipse Petrus missus est, et
ligandi atque solvendi potestatem immediatè à
Christo acceperunt, sicut ipse Petrus accepit.
Fuerunt etiam pares potestate, ratione uni-
versalitatis, quatenùs prædicandi et ligandi ac
solvendi auctoritatem universalem, seu quam
in toto terrarum orbe exercere possent, sup-
peditavit illis Christus ; at simul Petro infe-
riores in duobus illos fuisse confitendum est,
1° in eo quòd universalem illam potestatem
ac jurisdictionem spiritualem ordinante Chri-
sto induerint exercendam cum quâdam debitâ
Petro subjectione ; quòd non solùm apostolatûs
honorem cum aliis Petrus acceperit, sed etiam
institutus sit à Christo fundamentum, caput
et pastor ordinarius universæ Ecclesiæ, proin-
deque et aliorum Apostolorum, cùm ipsi sint
de corpore Ecclesiæ et de ovili Christi perinde
ac alii fideles. Quod paucis docet S. Leo, Epist.
ad Anastasium episcopum Thessalonicensem,
his verbis : « Inter beatissimos Apostolos in
« similitudine honoris fuit quædam discretio
« potestatis, et cùm omnium par esset electio,
« uni tamen datum est ut cæteris præemine-
« ret. » 2° In eo minores erant Petro cæteri
Apostoli quòd Petro collata ad Ecclesiæ gu-
bernationem jurisdictio, in ejus omnes suc-
cessores jure ordinario eâ quâ pollebat aucto-
ritatis plenitudine, derivanda esset usque ad
consummationem seculi ; at singuli episcopi

licet Apostolorum successores, non tantâ exornantur potestatis amplitudine quantâ singuli potiebantur Apostoli.

Ex dictis intelligitur, quo sensu Apostolos omnes asseruerit S. Cyprianus hoc fuisse quod erat Petrus, honoris et potestatis pari præditos consortio; verbis subsequentibus, mentem suam perspicuè evolvit : « Sed exordium, in- « quit, ab unitate proficiscitur. Primatus Petro « datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra « una monstretur. » Alia possent in medium afferri ejusdem S. doctoris haud minùs aperta testimonia. Vide epist. 40 veteris edit. : « Deus « unus est et Christus unus, et una Ecclesia, « et cathedra una super Petrum Domini voce « fundata. » Epist. ad Jubaianum : « Petro pri- « mùm Dominus super quem ædificavit Eccle- « siam, et unde unitatis originem instituit et « ostendit, potestatem istam dedit, ut id solve- « retur in cœlis quod ille solvisset in terris. » Vid. hanc ejusdem Epist. ad Jubaianum; Exhortationem ad martyrium.

Ad S. Ambrosii objectum textum resp. : Id voluit, non sustinuisse Petrum ut gloriam confessionis Christi alius sibi præriperet, sed primùm voluisse Christi divinitatem sibi à Patre revelatam profiteri, atque ita gessisse primatum non honoris, sed confessionis, non ordinis, sed fidei; unde ibi non agitur de primatu jurisdictionis ac potestatis, quod patet ex istis verbis à S. Ambrosio subjunctis : « Hoc est di- « cere : Nemo me vincat; nunc meæ partes sunt. « Debeo compensare quod tacui. » Quin et eodem loco primatum innuit haud obscurè S. Petri; ait enim : « Hic est ergo Petrus qui respondit « præ cæteris Apostolis, imò præ cæteris, et « ideò fundamentum dicitur. » Aliis verò in locis manifestè ejus Apostoli primatum vindicat S. Ambrosius, v. g., serm. 11 : « Hanc so- « lam Ecclesiæ navem ascendit Dominus, in « quâ Petrus magister est constitutus, dicente « Domino : *Super hanc petram ædificabo Eccle- « siam meam :* » Epist. 2 : « Primatum non ac- « cepit Andreas, sed Petrus. » Jam verò quòd disputaverint inter se longè ante acceptum Spiritum Apostoli, *quis eorum major esset,* non istâ contentione abjudicatur Petro apostolicæ primatus auctoritatis; ea dignitatis præstantia cùm esset spiritualis, neque ad illud pertineret imperii genus quod ambiebant, vix qualis esset tunc perspexerunt; nec mirari subit, si cogitetur quàm difficilè non infrequenter caperent quæ minimè ardua intellectu videantur; sic Luc. cap. 18, quamvis mortem, et resurrectionem suam expressis verbis prænuntiâsset illis Christus, *ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.* Unum addemus quo inprimis S. Ambrosii objectum illustratur testimonium : scilicet, Petrus conversante in terris Christo, non habuit nec gessit primatum Ecclesiæ, sed tantùm post Christi mortem; nam Christus in terris mortalem vitam agens per se visibiliter regebat Apostolos, nec egebat vicario.

Objicies 2° : Quidquid sit de cæteris Apostolis, Paulum saltem fatendum est, nec potestate nec honore inferiorem fuisse Petro. Nam qui se jactanter extollere noluisset S. Paulus, Apostolis omnibus, ne excepto quidem S. Petro, æqualem confitetur. *Ego,* inquit ad Corinth. 2, c. 12, *à vobis debui commendari : nihil enim minùs fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli.* Ejusdem Epistolæ cap. 11, testatur mandatam sibi fuisse omnium curam Ecclesiarum : *Præter illa quæ extrinsecùs sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Patere latiùs non potuit jurisdictio S. Petri, quin etiam S. Paulus in illum quamdam videtur exeruisse auctoritatem : *Cùm autem,* inquit, *venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat; priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat; cùm autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.*

Resp. ad primum : In contemptionem Paulum adducere cùm eniterentur pseudoapostoli, id obtendentes, eum non esse conversatum cum Christo, nec primis adæquari posse Apostolis, coactus est ministerium suum commendare, atque ostendere nec minùs sibi ab ipso Christo traditum sibi munus Apostoli, nec splendore ac multitudine miraculorum, nec animarum zelo evangelicisque laboribus, aliis esse postponendum Apostolis; post enim objecta verba continuò additur : *Signa tamen apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ, in signis et prodigiis et virtutibus : quid est enim quod minùs habuistis præ cæteris Ecclesiis?* Quid inde detrahitur ex primatu S. Petri? Ad secundum : Meritò asserit concreditam sibi fuisse omnium sollicitudinem Ecclesiarum; nullis enim locorum spatiis erat circumscriptum Apostolorum ministerium, salvo tamen supremo ad quem provectus fuerat, auctoritatis gradu Petrus. Ad tertium : Reprehendit palàm S. Petrum S. Paulus, superiorem inferior. Hinc elucet et animi fortitudo in Paulo, et eximia modestia in Petro, qui, ut

observat S. Cyprianus epist. 71 ad Quintum, « non vendicavit sibi aliquid insolenter, aut « arroganter assumpsit, ut diceret se primatum « tenere, et obtemperari à novellis et posteris « sibi potiùs oportere, nec despexit Pau- « lum, » etc. « Est itaque, ut ait S. Augustinus « epist. 82 ad S. Hieronymum, laus justæ li- « bertatis in Paulo, et sanctæ humilitatis in « Petro. »

Inst. 1° : Apud SS. Patres parem obtinet cum Petro locum gentium Apostolus; refert S. Irenæus lib. 3 adversùs hæreses cap. 3, *Ecclesiam Romanam à SS. Apostolis Petro et Paulo institutam fuisse ac fundatam.* Eos vocat S. Epiphanius *primos omnium Apostolos et episcopos*, S. Cyrillus Hierosolym., catechesi 6, *capita Ecclesiæ;* S. Chrysost., *oculos Romæ et sanctorum coryphæos;* S. Leo, *Romanæ urbis Patres ac pastores;* S. Gregorius Magnus *in principatu apostolico fratres* : alios nonnullos eadem ferè profitentes auctores prætermittimus. Præterea cur per antonomasiam Paulus appellaretur Apostolus, si quemquam auctoritate apostolatûs vincentem agnosceret?

Resp. : Priusquàm generalem afferamus solutionem quæ per accommodam distributionem valeat objecta explanare SS. Patrum testimonia, operæ pretium duximus quædam ex doctissimis cardinalibus Bellarmino et Perronio delibare, quæ magis ac magis rationem naturamque primatûs Petro concessi explicare valeant; ex Bellarmino, de Romano Pontifice, lib. 1, cap. 17 : « Nihil Petri pontificatui offi- « ceret summa dignitas et auctoritas Pauli, « quoniam extraordinaria erat, quanta tandem « esset; quare, quemadmodùm in populo Ju- « dæorum major erat Moses, et nihilominùs « tamen Aaron verè ac propriè summus ponti- « fex fuit; et non Mosis, sed Aaronis posteri in « summâ illâ dignitate, patri successerunt, « quoniam potestas Mosis extraordinaria, Aaro- « nis ordinaria erat; ita quoque si admittere- « mus, extraordinario privilegio Paulum Petro « majorem fuisse, non propterea negaremus « Petrum ordinarium ac summum Ecclesiæ « pontificem fuisse. » Ex cardinali Perronio, *Réplique à la réponse du roi de la Grande-Bretagne:* Æquales fuerunt inter se omnes Apostoli quoad internam et essentialem apostolatûs auctoritatem, non verò quoad illam quæ externa et apostolatui adscita potest nuncupari : hoc est, pares erant potestate, sed non ordine potestatis exercendæ. Quod ut magis perspectum sit, animadvertendum est ad legitimum necessariumque muneris apostolici exercitium duo necessariò requiri, auctoritatem genuinâ missione conciliatam, quâ deficiente, usurpationis sacrilegæ crimen incurritur; hinc ad Hebr. 5, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron.* At præter auctoritatem necesse est ut in eâ exerendâ teneatur unitas ex quâ pendet totius Ecclesiæ immota firmitudo. Ad hanc autem servandam tuendamque unitatem, necessaria erat auctoritatis quædam præstantia, seu externæ atque superioris potestatis accessio, quæ avertendis dissipandisque schismatibus esset idonea, tum quæ omnibus coagmentandis apta Ecclesiæ partibus, ministros ipsos regendis populis præpositos, quantùmcumque aliunde præcellentes, valeret in officio continere, vel in ordinem cogere, si fortè aberrarent, aut in transversum abire parati viderentur. Eo quidem genere sanciendæ unitatis et disciplinæ opus non erat, ne à sancto proposito et à veritate deflecterent Apostoli, cùm eorum singulis in orbis christiani administratione speciatim adfuturus esset Spiritus veritatis et charitatis, sed erat præstituenda regiminis forma quæ rectæ institutioni rebusque Ecclesiæ perpetuò componendis esset accommodata; sic Jerosolymis habita est Apostolorum synodus, quamvis singuli divinitûs inspirati, potuissent elucidandam quæstionem irreformabili decreto dirimere. Porrò auctoritatem illam superiorem fovendæ et obfirmandæ unitati et paci necessariam contulit Dominus in Petrum; quâ de causâ, ut supra retulimus, dictum est à S. Cypriano, lib. de Unitate Ecclesiæ : « Exordium ab unitate profi- « ciscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia « una monstretur. » Jam ut exponantur illa SS. Patrum testimonia quæ S. Petro æqualem Paulum constituere videantur,

Resp. posse utrumque Romæ Apostolum pariter dici et episcopum, ordinarium quidem, S. Petrum, cujus amplissima auctoritas continuâ successione singulos ejus ad successores erat trajicienda; extraordinarium autem, S. Paulum, propter apostolicum munus, quod jus episcopale ubique terrarum Apostolis omnibus conferebat; quantùmque illi tribuat S. Epiphanius, cujus hìc pronuntiatum objicitur, ab eo nihilominùs in Anchorato vocatur S. Petrus Apostolorum princeps. Longè antea meritò docuerat S. Irenæus Ecclesiam Romanam à sanctis Apostolis Petro et Paulo institutam fuisse ac fundatam. Romanis evangelicâ doctrinâ imbuendis uterque allaboravit, pro-

tiosumque illud semen uterque sudore et sanguine suo irrigavit : suam ergo potest ac debet utrique referre acceptam originem Romana Ecclesia ; sic tamen ut constitutam in eâ sedem solus propriè obtinuerit S. Petrus. Eâdem ratione dici potuerunt ambo illi Apostoli, Romanæ urbis Patres ac pastores, quæ nomina per se non significant concessum divinitùs universâ in Ecclesiâ principatum, sicut neque adhibitæ à sancto Chrysostomo honorificæ illæ appellationes, *oculi Romæ, sanctorum coryphæi*. Neque magis utrumque auctoritate absolutè parem colligi ex eo potest, quòd eos in principatu apostolico fratres S. Gregorius Magnus nuncupaverit : hoc unum voluit, Ecclesiæ principes constitutos esse à Christo Apostolos, atque apostolicæ dignitatis consortes SS. Petrum et Paulum, singulari charitate fuisse conjunctos ; summus pontifex nonne episcopos fratres appellat? Nec ideò æqualem secum illis, ut notum est, potestatem asserit ; quin S. Gregorius Magnus S. Petri primatum agnoverit, dubitari minimè potest ; inter alia quæ suppetunt ejus testimonia, sit illud lib. 4, epist. 32 : « Cunctis « Evangelium scientibus liquet quòd voce Do- « minicâ sancto et omnium Apostolorum prin- « cipi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est : « ipsi quippe dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Aliquantùm in speciem adversariis favere videatur S. Cyrillus Hieros. quasi SS. Petrum et Paulum vocaret *Ecclesiæ capita*, quasi duplex fuisset constitutum à Christo universæ caput Ecclesiæ ; atque ideò nemini jure divino adjudicandus foret primatus. A S. Cyrillo, SS. Petrus et Paulus vocati quidem sunt *prælati et protostatæ :* nusquàm Ecclesiæ capita. Imò cùm de sancto Petro sermonem seorsim habuit, ipsum appellavit *protostatam*, id est, primum præsidem ac præfectum cœtûs apostolici. Tum catechesi secundâ Petrus ab eodem nuncupatur princeps apostolorum excellentissimus. Cùm igitur Petrum et Paulum adæquare videtur, hoc unum indicare voluit, ipsos eminere in collegio apostolico, salvo tamen Petri primatu. Quare autem Paulus dicitur quasi per antonomasiam *Apostolus*, paucis explicat S. Augustinus, lib. 3 ad Bonifacium cap. 3 : « Apostolus, inquit, « cùm dicitur, si non exprimatur quis Aposto- « lus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluri- « bus est epistolis notior, et plus omnibus aliis « laboravit. »

Inst. 2° : Ipsimet Romani pontifices non Petri solummodò, verùm etiam et Pauli gloriantur se successores : unde Paulus III in convocatione concilii Tridentini sic loquitur : *Auctoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quâ nos quoque in terrâ fungimur.* In sigillis pontificiorum diplomatum exprimi solent SS. Petri et Pauli effigies, atque interdùm Paulus, interdùm Petrus collocatur ad dextram, quasi pares honore et potestate. In officio Ecclesiæ, dùm collecta usurpatur in festo SS. Petri et Pauli, dicuntur ambo *gloriosi principes terræ, judices seculi*. Quibus verbis designatur eorumdem æqualitas.

Resp. : Cùm Petri et Pauli successores se dicunt Romani pontifices, *successionem* adscribunt sibi *realem*, at non utriusque *personalem*. Id est, vendicant sibi tum Petri, tum Pauli omnia jura, seu auctoritatem omnem quâ utebantur in ministerio ecclesiastico illi Apostoli ; at significatum non volunt sese in Ecclesiâ gubernandâ sustinere personam Pauli, atque sedem tenere quam propriè et speciatim Paulus occupaverit ; profitentur enim sedere se in cathedrâ Petri, ejusque solius personam genuinâ successione in seipsos jure ordinario quasi transfundi. Dùm in convocandis conciliis enuntiant se id præstare auctoritate SS. Petri et Pauli, duo reipsà declarant, scilicet sese in commisso sibi regendæ Ecclesiæ ordinario munere, non minorem obtinere auctoritatem quàm olim Petrum et Paulum ; præterea eorumdem inprimis in eminente quo funguntur, officio, ambire se atque invocare patrocinium. Summos inter pontifices extiterunt, qui non Petri duntaxat et Pauli, sed omnium sanctorum auctoritate munitos se prædicaverint : num inde concludetur aut omnes sanctos potestate æquales Petro esse habendos, aut omnibus sanctis, in ministerio gubernandæ Ecclesiæ Romanos pontifices succedere? Sic Joannes II, epist. 6 : « Ex auctoritate Dei, in- « quit, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, « et omnium sanctorum, jubemus te omni ec- « clesiasticâ communione privatum. » Nicolaus I, in sententiâ quâ Photium episcopali et sacerdotali munere dejiciendum curavit : « Sit, « inquit, Dei omnipotentis et beatorum Apo- « stolorum principum Petri et Pauli, et om- « nium simul sanctorum atque venerandorum « sex universalium conciliorum auctoritate, « necnon et Spiritûs sancti per nos judicio, « ab omni sacerdotali honore alienus. » Hinc promptum est colligi quid sentiat Paulus III, dùm se convocare dicit synodum Trid. *auctoritate Petri et Pauli ;* idem pontifex, ut ob-

servat Natalis Alexander, « cùm eodem in « diplomate de munere pontificio agit, solius « Petri meminit, non Pauli, ut qui soli Petro « successerit, non Paulo : alioquin non Pau- « lus III, sed IV dici debuisset, ad *gubernandum*, « inquit, *Petri naviculam vocati*. Viden' ut so- « lius Petri naviculam vocat Ecclesiam, non « Pauli? »

Quod spectat ad effigies SS. Petri et Pauli pontificiis in diplomatibus expressas, datamque aliquando lævam Petro et dexteram Paulo, multiplex potest afferri responsio : 1° In recolendâ sanctorum memoriâ, non tam honoris gradum quem in terris habuerunt, respicit Ecclesia, quàm vergentium in ipsius utilitatem sanctorum laborum; multis sanctis episcopis præponuntur, in eo quod ad cultum pertinet, S. Hieronymus et S. Thomas : cùm igitur plures ex gentibus ad fidem Paulus adduxerit quàm Petrus, plures provincias summo labore peragraverit, plura scripta, eaque utilissima, reliquerit, hinc factum est ut in diplomatibus pontificiis aliquando videatur honoratiore loco positus; at in omnibus aliis, quæ scilicet ad Ecclesiæ regimen ordinarium referuntur, præcedit et præ cæteris nominatur Petrus. 2° Usu antiquo receptum erat, ut cùm duo simul incederent senior et honoratior, ad lævam esset, junior autem latus ejus dexterum protegeret, et nonnihil præcederet in signum obsequii : hâc de causâ testatur Eusebius lib. 1 de Vitâ Constantini, à se visum esse Constantinum adolescentem in Palæstinâ obeuntem cum Augusto seniore provinciam, semperque ad dexteram ejus incedentem; potiorem tamen locum obtinere tum procul dubio censebatur senior Augustus. De Petro et Paulo, S. Leo, qui primatum Petri et Romani pontificis, tam disertè commendavit, hæc tamen asserere non dubitavit : « Hos gratia Dei in tantum apicem « inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut « eos in corpore cui caput est Christus quasi « geminum constitueret lumen oculorum, de « quorum meritis ac virtutibus, nihil adversum, « nihil debemus sentire discretum, quia illos « et electio pares, et labor similes, et finis fecit « æquales. »

Objicies 3° : Jacobus, si conferatur cum Petro, dignitate vincit et auctoritate : solus ille dicendus est Christi vicarius, cùm episcopatum Hierosolymæ sortitus sit, quem tenuit ipsemet Christus; accedit quòd Jerusalem omnium est mater Ecclesiarum; sic enim prænuntiatum fuit Isa. cap. 2 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem;* ergo et omnium Christianorum pater habeatur Jacobus necesse est. Hinc illud Clementis testimonium (lib. 6 Institutionum, apud Eusebium, lib. 2 Hist., cap. 1) : « Petrus, Jacobus et Joannes post « assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso « fuerint omnibus penè prælati, tamen non « sibi vindicabant primatûs gloriam, sed Jaco- « bum, qui dicebatur Justus, Apostolorum epi- « scopum statuunt. » S. Chrysostomus post laudatam Jacobi modestiam, statim adjicit : « Considera autem et aliorum discipulorum « modestiam : quo pacto concedunt ei solium, « nec ampliùs ambigunt disceptantes inter se, » (videlicet non contendentes de primatu.)

Resp. : Nullius particularis urbis episcopus fuit Christus, sed totius Ecclesiæ pontifex et caput; successorem habuit neminem; vicarium suum constituit Petrum, cui regendum jura ordinario totum gregem tradidit. Antiquitate mater est omnium Ecclesiarum, Hierosolymorum Ecclesia, magnis quidem nobilitata privilegiis : in eâ conversatus est Christus, maximaque eò loci adimplevit mysteria; nec tamen Jacobi successoribus alligatum voluit universâ in Ecclesiâ primatum; hinc lib. 2 de Consideratione dixit S. Bernardus : « Jacobus unâ « Hierosolymâ contentus, universitatem Petro « cedit. » Ad testimonium Clementis, resp. mendosum procul dubio esse et corruptum Eusebii textum : tametsi enim in Basileensi codice versionis Rufini, objecta legantur verba, in codice tamen Coloniensi non habetur vox *primatus;* nec legitur *Apostolorum*, sed *Hierosolymorum* episcopum, uti in quibusque optimæ notæ codicibus Eusebianis, quos Valesius inspexit et contulit; hæc eadem lectio inprimis probata est Nicephoro hunc locum alleganti, tum et optimè Eusebii consonat sententiæ, qui eodem in lib. 2, cap. 14, S. Petrum vocat *Apostolorum principem*. Cohæret etiam prædicta lectio cum græco codice Vaticanæ bibliothecæ, in quo dicuntur Petrus, Jacobus et Joannes, *non affectâsse gloriam, sed Jacobum Justum, episcopum Hierosolymorum elegisse*. Ad testimonium S. Chrysostomi dicentis Apostolos *concessisse Jacobo solium*, resp. locutum illum esse de solio particularis episcopatûs, nec ullo modo derogatum voluit S. Petri præcellenti auctoritati, cujus primatum plurimis in locis extollere studuit; idem homil. tertiâ in Act. Apost., post verba quæ objiciuntur, subjungit de Petro : « Meritò primus omnium auctorita- « tem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat

« in manu ; ad hunc enim dixit Christus : *Et « tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* »

Objicies 4° : Jurisdictione usi sunt Apostoli erga S. Petrum, ut infertur ex cap. octavo Act. Apost. : *Cùm autem audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem.* — Resp. : Inde ad summum colligeretur, collegio apostolico inferiorem fuisse S. Petrum ; nec idcircò orbatus est principatu in singulos, universâque in Ecclesiâ, solis Apostolis subditus *collectivè* sumptis. Deinde dici potest Petrum in Samariam non per mandatum, sed per consilium et suasionem missum esse, ut neophytos in fide confirmaret.

Objicies 5° : Discipulorum ut ambitionem comprimeret Christus Dominus, aiebat : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic.* Noluit ergo quemquam ex illis alios inter primatu potestatis insigniri ; ipsemet Petrus quidquid dominatum redolet, studiosè curat amoliendum : *neque ut dominantes in cleris*, inquit, sed forma facti gregis ex *animo ;* nec Apostolus ille primatum illum sibi unquàm adscivit aut exeruit. — Resp. : Fastum resecat Christus, et imperandi cupiditatem, non auctoritatis primatum, modestiâ et sincerâ humilitate temperatum : num Christus potestate suâ exutus est, cùm ad Apostolorum pedes quos ablueret, sese tanquàm famulus abjecit ? num etiam è medio tollendum est ministerium ecclesiasticum et pastorale, quia populis pastores præponantur et præcipere valeant? Quod objicitur Petrum jurisdictionis primatum non exercuisse in Ecclesiâ, præter quàm quòd gesta omnia Apostolorum non referuntur in Scripturis, primatus ille non tanquàm iners mansit et absconditus; statim post ascensionem Christi, summum Ecclesiæ pastorem se gessit et exercitio probavit Petrus; novi enim Apostoli proditori Judæ substituendi electionem solus proposuit et fieri jussit ; die Pentecostes tanquàm cæterorum princeps Christum Judæis primus annuntiavit, fratrumque defensionem suscepit ; primus primitias gentium Deo consecravit in Cornelio centurione quem cum totâ ejus domo baptizavit. In concilio Apostolorum et discipulorum celebrato præsidem egit, ut adnotavimus, atque, ut observat S. Lucas, auditâ Petri sententiâ, *tacuit omnis multitudo*, cùm antea *magna conquisitio fieret*, Act. 15.

CAPUT II.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS, UT SUCCESSORIS ET HÆREDIS S. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS.

CONCLUSIO. — *Primatum honoris et jurisdictionis obtinet jure divino universâ in Ecclesiâ Romanus pontifex.*

Ferè in immensum ne crescat dissertatio, ad duo revocabimus probationis genera, quidquid proposito destinavimus asserendo dogmati.

Argumenti primum genus.

Sic proponi potest palmare illud argumenti genus : Divinâ institutione transmittitur ad omnes Petri successores ille primatus honoris et jurisdictionis quem divino jure obtinuit in universâ Ecclesiâ ; atqui Petro verè successit Romanus pontifex; Romanum igitur in pontificem derivatur jure divino primatus honoris et jurisdictionis universâ in Ecclesiâ.

Collatum Petro primatum ad omnes ejus pertinere successores certò potest demonstrari, 1° verbis illis quæ supra exposuimus : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Matth. 16, 18. Clarè promittitur Petrum fore fundamentum Ecclesiæ, et eo innixam fundamento Ecclesiam, Christo ita ordinante et conservante, fore perpetuam, ut etiam continuâ traditione intellectum est ; cùm ergo perpetui ædificii perpetuum debeat esse fundamentum, necesse fuit vi promissionis Christi, ut Petrus fundamentum esset Ecclesiæ perpetuum, vel in propriâ personâ, vel in personâ successorum suorum : at non potuit esse perpetuum fundamentum Ecclesiæ in propriâ personâ; nam et moriturus erat et per mortem cessaturus ab officio fundamenti, seu capitis visibilis ac rectoris Ecclesiæ : ergo, etc. 2° Ut optimè disserit Bellarminus : « Certum est « pontificem esse propter Ecclesiam, non Eccle« siam propter pontificem : sic enim Augusti« nus lib. de Pastoribus cap. 1 : *Quòd Chris« tiani sumus*, inquit, *propter nos est; quòd præ« positi sumus, propter vos est ;* atqui Ecclesia « non minùs eget nunc uno pastore, quàm « tempore Apostolorum ; imò verò etiam ma« gis, cùm nunc sint Christiani, et plures, et « pejores. Non igitur moriente Petro, interire « debuit pontificatus, qui non in Petri commo« dum, sed in Ecclesiæ utilitatem institutus « erat, sed manere ac perseverare, donec ipsa « Ecclesia manet, aut certè donec in terris pere« grinatur et unius summi pastoris curâ et

« vigilantiâ opus habet. » de Romano Pontifice, lib. 2, c. 12, n. 6. 3° Quæ Christus Apostolis ut Ecclesiæ pastoribus concessit et mandavit, eorum quoque successoribus dicta intelliguntur : v. g. Matth. 18 : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo;* et Joann. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos..... accipite Spiritum sanctum*, etc. Ita quæ Petro non ut homini privato, sed ut Ecclesiæ præfecto commendavit aut contulit, ad ejus etiam successores oportet referri : tum enim Christus suæ constituebat formam Ecclesiæ, quæ nullis erat circumscribenda temporum spatiis. 4° Ad servandam in Ecclesiâ unitatem, ac præcludendum schismatibus aditum, voluit Christus unum haberi in Ecclesiâ supremum pastorem cui singuli obsequerentur ipsi episcopi, unamque principalem sedem cui adhærere singulæ tenerentur Ecclesiæ ; hinc inter cæteros S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ : « Petro, inquit, primùm Dominus, super quem « ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis ori« ginem instituit et ostendit, potestatem is« tam dedit. » S. Hieronymus lib. 1 in Jovinianum : « Inter duodecim unus eligitur, ut « capite constituto, schismatis occasio tolle« retur. » At quamdiù permanebit Ecclesia, vigere in eâ unitatem necesse est, atque nefariis occurrere molitionibus quibus mystici corporis Christi compages abrumperetur : fatendum est ergo superstitem Petro, ejusque in successoribus integrum esse debuisse auctoritatis primatum, ad illam tam necessariam unitatem sartam tectamque retinendam. 5° Ex his verbis : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, ostendimus Petro commissum esse, ne exceptis quidem Apostolis, totum ovile, neque totum ratione duntaxat loci, sed etiam temporis, cùm non minùs nobis quàm antiquis Christus prospectum velit ; pastoris autem officium, est officium ordinarium et perpetuum, siquidem ex naturâ rei, tamdiù durare debet officium pastorii, quamdiù manet ovile; ovile autem manet et manebit usque ad mundi consummationem; perpetuò igitur in successoribus Petri, summum istud pastorale officium manere necesse est. 6° Denique regendam Petro Ecclesiam cùm tradidit Christus Dominus, ejusdem Ecclesiæ visibile caput esse voluit S. Petrum : hæc autem ratio durationem omnem Ecclesiæ complectitur, cùm ætate nullâ possit Ecclesia sine præstituto sibi divinitùs capite consistere : hinc S. Chrysost., lib. 2 de Sacerdotio, circa principium : « Quânam, inquit, de causâ ille « sanguinem effudit suum ? certè ut pecudes « eas acquireret, quarum curam tum Petro, « tum Petri successoribus committebat. » S. Leo serm. 2 de anniversario assumptionis suæ ad pontificatum : « Perseverat videlicet Petrus, « et vivit in successoribus suis. » Cùm Ecclesiæ monarchicum sit regimen, aristocratiâ licet temperatum, agnoscatur in eâ oportet supremus rector qui clavum teneat tantæ navis, quæ nullis unquàm obruenda sit infestis quantùmlibet fluctibus.

Hactenùs de perpetuitate primatûs Petri per legitimam successionem ; quòd autem Petro Apostolorum principi verè succedat Romanus pontifex, id pariter certissimum est. Namque successor Petri in primatu Ecclesiæ habendus est vel Antiochenus vel Romanus episcopus ; nullibi nisi Antiochiæ et Romæ speciatim se gessit episcopum S. Petrus ; præter urbium illarum episcopos, alius nemo successorem Petri in primatu Ecclesiæ se unquàm asseruit, aut dicere potuit ; episcopus quidem Antiochenus Petro successit in particulari episcopatu Antiochenæ Ecclesiæ, non autem in primatu quem Petrus universâ tenuit in Ecclesiâ ; non enim succeditur nisi locum cedenti per mortem naturalem, vel per depositionem aut renuntiationem ; Petrus autem adhuc vivens, et pontificatum gerens, Antiochenam Ecclesiam reliquit, et Romæ sedem suam fixit, ibique mortuus est, ut invictis et manifestis probatur testimoniis ac monumentis. Hinc universæ pastor Ecclesiæ nunquàm habitus est in Ecclesiâ Antiochenus episcopus ; imò tertium duntaxat inter patriarchas locum obtinuit, ut constat ex concilii primi canone 6 et usu perpetuo ; at episcopus Romanus Petro succedit morienti, atque ideò locum cedenti tum quoad episcopatum Ecclesiæ Romanæ particularem, tum quoad pontificatum ac principatum quo universâ præditus erat in Ecclesiâ. Idem confirmari potest disertissimis probatissimisque testimoniis : pauca depromemus nunc è multis, quia eòdem plurima referuntur ex iis quæ in cæteris probationum generibus adducere propositum est. S. Cyprianus epist. 52, Romanam in sedem scripsit evectum esse Cornelium, tùm inquit, « cùm Fabiani locus, « id est, cùm locus Petri, et gradus cathedræ « sacerdotalis vacaret. » Ipsum ad Cornelium pontificem epistolâ, sic de Felicissimo et Fortunato schismaticis Africanis loquitur : « Pseu« do-episcopo sibi ab hæreticis constituto, na« vigare audent et ad Petri cathedram, atque

« Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » S. Optatus Milevitanus lib. 2 contra Parmenianum : « Cathedra unica « est, prima de dotibus;..... sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit « Clemens, Clementi Anacletus, etc.; Julio « Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, « hodiè qui noster est socius, cum quo nobis « totus orbis commercio formatarum, in unâ « communione concordat. » S. Petrus Chrysologus in epist. ad Eutychetem : « In omnibus « autem hortamur te, frater honorabilis, ut « his quæ à beatissimo Papâ Romanæ civitatis « scripta sunt, obedienter attendas, quoniam « beatus Petrus qui in propriâ sede et vivit et « præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. » Luculenta sunt quæ ad S. Damasum scripsit S. Hieronymus : « Cum successore « piscatoris, et discipulo crucis loquor; ego « nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri commu« nione consocior : super illam petram ædifi« catam Ecclesiam scio. » Epist. 11, edit. Bened. S. Augustinus epist. ad Generosum, quæ est 165 : « Si ordo, inquit, episcoporum « sibi succedentium considerandus est, quantò « certiùs et verè salubriter ab ipso Petro nu« meramus, cui totius Ecclesiæ figuram ge« renti, Dominus ait : Super hanc petram « ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam? Petro enim successit « Linus, Lino Clemens, Clementi Anacle« tus, etc.; Damaso Siricius, Siricio Anasta« sius. » Tam constanti prævià traditione concilium Lugdunense primum, cap. *Periculum* de electione, in 6, Romanum pontificem vocat *vicarium Christi, successorem Petri, rectorem universalis Ecclesiæ.*

Concilium Florentinum consentientibus Græcis et Latinis, sic in definitione fidei pronuntiat : « Definimus sanctam Apostolicam sedem « et Romanum pontificem in universum or« bem tenere primatum, et ipsum pontificem « Romanum successorem esse beati Petri prin« cipis Apostolorum, et verum Christi vica« rium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium « Christianorum patrem et doctorem, et ipsi « in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi « universalem Ecclesiam, à Domino nostro « Jesu Christo, plenam potestatem traditam « esse, quemadmodùm etiam in gestis œcu« menicorum conciliorum, et in sacris canoni« bus continetur. »

Objicies : Incert tenderit Petrus, ibique suam constituerit et fixerit episcopalem sedem. Namque 1° dissentiunt inter se auctores ecclesiastici de tempore quo illam in urbem se contulerit : adventum ejus refert Orosius ad exordium regni Claudii : S. Hieronymus ad ejusdem imperatoris annum secundum. 2° S. Petri nullam injecit mentionem S. Paulus in Epist. ad Romanos, quamvis cap. 16 multis salutem dici præceperit. De Petro tacuit etiam Lucas, dùm Pauli Romam adventum enarravit. Quare et Paulus profectionem principis Apostolorum amplissimam in hanc civitatem, suumque cum eo ibidem consortium silentio prætermiserit? Deinde Romæ rogatur à Judæis Paulus, ut eis sententiam suam de societate Christianorum aperiat : *Roganus,* inquiunt, *à te audire quæ sentis ; nam de sectâ hâc notum est nobis, quia ubique ei contradicitur,* Act. 28. Frustra id quærunt Judæi, si Romanis Evangelium Petrus annuntiaverit.

Resp. leviora esse hæc objecta quàm ut constantis et manifestæ traditionis fidem labefacere valeant; mox audivimus S. Cyprianum locum Petri S. Fabiano et Petro cathedram Romanam adscribentem; audivimus et SS. Augustinum, Chrysologum, Optatum Milevitanum, recensentes in Romanâ sede continuam successorum Petri seriem, ut omnibus patentem et exploratè perspectam. Tanti momenti testimoniis promptum est alia superaddere non minùs perspicua : sic S. Irenæus lib. 3 adversùs hæreses, cap. 3 : « Quoniàm valdè « longum est in hoc tali volumine omnium « Ecclesiarum enumerare successiones, ma« ximæ et antiquissimæ, et ab omnibus cogni« tæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro « et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Eccle« siæ, eam quam habet ab Apostolis traditio« nem, et annuntiatam hominibus fidem, per « successiones episcoporum pervenientem us« que ad nos, indicantes, confundimus omnes « eos qui quoquo modo vel per sui placentiam « malam, vel vanam gloriam, vel per cæcita« tem et malam sententiam, præter quàm opor« tet, colligunt. » Tertullianus de Romanâ sic loquitur Ecclesiâ, lib. de Præscript. cap. 36 : « Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde « nobis quoque auctoritas præstò est. Ista « quàm felix Ecclesia, cui totam doctrinam « Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi « Petrus passioni Dominicæ adæquatur, » etc. Ibidem Tertullianus, cap. 32 : « Edant hæretici origines Ecclesiarum suarum; evolvant

« ordinem episcoporum suorum ita per suc-
« cessionem ab initio decurrentem, ut primus
« ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apo-
« stolicis viris, qui tamen cum Apostolis perse-
« veraverit, habuerit auctorem et antecessorem:
« hoc enim modo Romanorum Ecclesia Cle-
« mentem à Petro ordinatum refert. » Hegesippus lib. de Excidio urbis Jerosolymitanæ c. 1, testatur captum Romæ à persecutoribus Petrum, atque cruci inversis vestigiis affixum. Eusebius lib. 2 Histor. ecclesiast. cap. 14 : « Sub ipso, inquit, Claudii imperio, benigna
« et propitia Dei, totius universitatis rectoris,
« erga humanum genus providentia, fortem ac
« præpotentem, et reliquorum omnium Apo-
« stolorum propter virtutis amplitudinem,
« facilè principem Petrum, Romam versùs, ad
« ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corrupte-
« lam (Simonem Magum), delendam, quasi
« manu deduxit. » S. Hieronymus in Catalogo script. ecclesiasticorum : « Simon Petrus post
« episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, et præ-
« dicationem dispersionis eorum qui de cir-
« cumcisione crediderant, in Ponto, Galatiâ,
« Cappadociâ, Asiâ et Bithyniâ, secundo Clau-
« dii anno, ad expugnandum Simonem Magum,
« Romam pergit, ibique viginti quinque annis
« cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad
« ultimum Neronis, id est, decimum quartum. »
S. Leo serm. de SS. Apostolis Petro et Paulo :
« Beatissimus Petrus princeps apostolici ordi-
« nis ad arcem Romani destinatur imperii, ut
« lux veritatis, quæ in omnium gentium reve-
« labatur salute, efficaciùs se ab ipso capite
« per totum mundi corpus effunderet. » S. Prosper in carmine de Ingratis :

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Venisse Romam Petrum, eamque urbem mundi dominatricem, illustri consecrâsse martyrio clamant ut vetusta, sic notissima monumenta ; habet præterea (urbs illa), inquit Theodoretus Epist. 113 ad S. Leonem Magnum, communium Patrum magistrorumque veritatis, Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia.

Jam paucis refellenda quæ objecta sunt : obtenditur *dissentire inter se auctores circa epocham adventûs S. Petri Romam.* De tempore illius adventûs etsi nonnihil dissentiant, de ipsomet adventu planè consentiunt : nihil morte Christi certius est ; quot tamen variæ prodierunt de tempore pretiosæ illius mortis opiniones ! Tertullianus namque, Clemens Alexandrinus, et Lactantius mortuum esse docent anno 15 Tiberii, ætatis suæ 30; Ignatius Martyr, Eusebius et alii, anno Tiberii 18, ætatis suæ 33; S. Irenæus ad annum 50 ipsum vitam produxisse contendit, recentiores plerique ad annum 34, nonnulli viri eruditi ad annum 37. Cæterùm referri ad exordium regni Claudii, adventum Petri Romam, aut eum ad ejusdem imperatoris annum secundum, hæccine multùm inter se discrepant? — *Qui in epistolâ ad Romanos, multis jubet nomine suo dici salutem Paulus, ne verbum unum quidem de Petro :* eâ ratione arguendi concluderetur neque Jacobum fuisse episcopum Hierosolymæ, quia licet in vivis ageret, cùm exarata fuit Epistola ad Hebræos, altum est in illâ de ipso silentium ; neque Timotheus Ephesinæ obtinuisset unquàm pontificatum Ecclesiæ, quia in Epist. S. Pauli ad Ephesios, nusquàm appellatus sit. Profectus erat Româ S. Petrus versabaturque in Oriente, tùm cùm ad Romanos scripsit Paulus, nec ad illam urbem quâ expulsi fuerant Judæi, tam citò redierat, quàm Aquila et Priscilla et alii, quos salutari jubet prædictâ in Epist. gentium Apostolus. — *Tacuit S. Lucas in Actis Apostolorum de itinere Petri apud Romanos, et constituto apud eos speciali ejusdem episcopatu.* Multa silentio præteriit gravis etiam momenti; hinc observat S. Hieronymus, lib. 1, in Epistolam ad Galatas, cap. 2, de reprehensione S. Petri factâ à S. Paulo occasione legalium, « mirum non esse, si Lucas hanc rem tacuerit,
« cùm et alia multa, quæ Paulus sustinuisse se
« replicat, historiographi licentiâ prætermise-
« rit, et non statim esse contrarium, si quod
« alius ob causam dignum putavit relatu, alius
« inter cætera dereliquit; denique primum
« episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum
« fuisse accepimus, et Romam exinde transla-
« tum, quod Lucas penitùs omisit. » Gesta inprimis S. Pauli describenda S. Lucas sibi constituerat ; longè tamen abfuit ut memoriæ proderet gesta ejusdem omnia ; v. g., profectionem S. Pauli Hierosolymam ut videret Petrum, et dexteram societatis à SS. Petro, Jacobo et Joanne, Paulo datam, ipsiusque S. Pauli in Galatiam iter non enarravit. An hæc idcircò falsitatis arguantur? Nec magis mirandum, suî cum S. Petro Romæ congressum non commemorâsse S. Paulum in Epist. ad Galatas, cùm scripta fuerit antequàm Romam adierit Paulus. — *A Paulo Judæi rogaverunt*

Romæ quid sentiret de societate Christianorum? Quid verò? num inde consequitur non fuisse antea Romæ prædicatum Evangelium? Quid igitur his verbis Paulus Romanos alloquitur in Epist. ad Romanos : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo?* Cæterùm nec ipsa Scriptura silet de collocatâ Romæ sede episcopali Petri; primâ enim ejusdem Epistolâ, cap. 5, hæc leguntur : *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Conferatur textus ille cum isto Apocalyp. cap. 17, ubi dicitur *Babylon magna sedere super septem montes, et habere regnum super reges terræ*, et statim intelligetur in utroque textu Romam indicari; nec sanctitati Ecclesiæ Romanæ, ut obloquuntur Protestantes, officiunt verba hæc in Apocalypsi sequentia : *Exite de illâ, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus;* vel minimâ attentione refellitur inanis hæc cavillatio, cùm apertè distinguatur Ecclesia Romanorum ab urbe in quâ fuerat collecta; sanctitatem spirabat Ecclesia; urbs autem Roma maximâ ex parte anhelabat idololatriæ nefarium cultum.

Nota cum Paulo Gabriele Antoine, tractatu de Fide : Post Christi mortem, Petrus annis ferè quinque mansit in Judæâ; anno quinto Antiochiam migravit, et hujus urbis episcopus fuit annis ferè septem, quo tempore Evangelium in variis regionibus, nempe in Asiâ Minore, Bithyniâ, Ponto, Galatiâ, Cappadociâ et aliis prædicavit; septimo Antiochensis episcopatûs anno, Jerosolymam rediit, ubi ab Herode Agrippâ in carcerem conjectus, et paulò post ab angelo liberatus est; eodem anno, qui erat Claudii secundus, Jerosolymâ Romam profectus, ibi sedem fixit; Româ post septem annorum commorationem à Claudio, anno imperii ejus nono, et à morte Christi decimo octavo, cum cæteris Judæis expulsus est; unde Jerosolymam rediit, et concilium celebravit. Post Claudii mortem Romam reversus est, ubi ultimo Neronis anno, martyrio coronatus est, atque ita Romanæ Ecclesiæ episcopatum annis 25 tenuit : quæ omnia congruunt cum Eusebio, S. Hieronymo aliisque probatis auctoribus.

Objicies 2° : A facto humano derivata est Romanos in pontifices Petri successio : non jubente, non revelante Deo, sedem suam Romæ ponendam, figendamque curavit; potuisset eam aliò transferre; potuisset Antiochiæ episcopatum ad extremum usque retinere; ergo jure divino non succedunt Petro pontifices Romani, nec igitur divinâ institutione primatum universâ obtinent in Ecclesiâ. — Resp : Aliud est successio, aliud ratio successionis : successio ipsa in primatu S. Petri, ad institutionem Christi omninò referenda est, seu Christus ipse instituit, ut primatus Petri ad ejus omnes successores transeat, cùm, ut inculcari sæpiùs oportet, ordinarium et perpetuum esse voluerit illius pontificatum; at quòd episcopus Romanus sit Petri successor, id ex facto Petri sedem suam Romæ constituentis ac figentis ortum habuit, sive jubente Christo, sive non jubente, hanc illâ in urbe constituerit. Si Petrus nullam sedem unquàm habuisset particularem, sicut talem non habuit primis quinque annis, tunc moriente Petro, non episcopus Romanus, neque Antiochenus illi successisset, sed is quem sibi elegisset Ecclesia; si verò semper mansisset Antiochiæ, tunc sine dubio successor illius habendus fuisset Antiochenus episcopus : quia autem Romæ sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est ut Romanus ei succedat episcopus in primatu quem universâ in Ecclesiâ obtinuit. Quapropter primatus ille qui fuit initio privilegium merè personale, per factum Petri mutatus est in privilegium locale, seu potiùs in privilegium mixtum ex personali et locali. Nam per factum Petri alligatus est Romanæ sedi, ita ut episcopatus particularis Romanus conjunctus sit cum summo pontificatu, neque possit aliquis in Romanum eligi episcopum, quin simul et indivisibiliter eligatur in summum totius Ecclesiæ pontificem et rectorem. Quam supremam dignitatem et auctoritatem, etiam urbe Româ pereunte sibi vindicaret, quisquis in serie successorum Petri legitimè collocaretur : ab illâ enim civitate cui promissa divinitùs perpetuitas non fuit, planè distinguitur Petri sedes, nullo unquàm inferorum impetu dejicienda. Invictum itaque istud argumentum : Jure divino ad omnes Petri successores pertinet honoris et jurisdictionis primatus universâ in Ecclesiâ; atqui Romani pontifices veri sunt Petri successores; ergo jure divino ad eos pertinet honoris et jurisdictionis primatus universâ in Ecclesiâ.

Argumenti alterum genus. — Tum in Occidentis, tum in Orientis episcopos auctoritate pollent Romani pontifices, quam nec usurpârunt, nec ab hominibus acceperunt; ergo jure divino primatum auctoritatis obtinent toto in orbe christiano.

Romanum pontificem ut Occidentis patriar-

cham, usum esse auctoritate Occidentalem intra Ecclesiam, ne ipsi quidem diffiterentur Protestantes; at in Orientales episcopos veram illum potuisse depromere jurisdictionem ostenditur.

De S. Irenæo hæc scribit Eusebius, lib. 5 Hist. cap. 24 : « Victorem decenter admonet, « ne integras Dei Ecclesias, morem sibi à majoribus traditum custodientes, à communione « abscindat (vel ut alia habet versio) ne tam « multas Ecclesias, à corpore universæ Christi « Ecclesiæ penitùs amputet. » Agnovit igitur S. Irenæus Romano in pontifice potestatem ab Ecclesiæ corpore Asianos abscindendi episcopos; loquitur enim de Asianis morem suum celebrandi quatuordecimâ lunæ paschatis deserere nolentibus. S. Athanasius in Epistolâ ad Felicem Papam : « Ob id vos prædecessoresque « vestros, apostolicos videlicet præsules, in « summitate arcæ constituit, omniumque Ec« clesiarum curam habere præcepit, ut nobis « succurratis. » Ergo Ecclesiarum tum Orientis tum Occidentis caput et rector divinitùs constituitur Romanus pontifex.

S. Basilius epist. 52 ad Athanasium : « Visum est consentaneum scribere ad episcopum « Romanum, ut videat res nostras, et judicii « sui decretum interponat, ut quia difficile « est aliquos inde de concilii sententiâ mitti, « ipse auctoritatem rei tribuat delectis viris « qui laborem itineris perferre possint. » Hìc Romano tribuitur pontifici potestas, Orientis Ecclesias visitandi, et quæ opportuna essent, judicandi et statuendi. S. Chrysost. in epist. secundâ ad Innocentium Papam, ipsum rogat, ne inimicos suos tametsi anathemate dignos, à communione Ecclesiæ repellat : « Vestram « oro vigilantiam, ut licet omnia tumultibus « impleverint, si tamen curari morbo voluerint, non affligantur, neque è cœtu ejiciantur. » Potest ergo Romanus pontifex excommunicationis pœnam Orientalibus ipsis episcopis infligere.

Theodoretus in Epist. ad Renatum presbyterum Romanum, conquestus de persecutionum quas passus est procellis, subjungit : « Quamobrem te precor ut sanctissimo archi« episcopo Leoni persuadeas, ut apostolicâ « utatur auctoritate, jubeatque ad vestrum « concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes « gubernacula regendarum cunctarum orbis « Ecclesiarum. » Cunctarum orbe Ecclesiarum continentur profectò Orientales ut Occidentales episcopi. Sozomeni Hist. consule lib. 3, c. 7 : « Cùm propter sedis propriæ dignitatem « cura omnium ad ipsum spectaret, singulis « Ecclesiam suam restituit. » Id adnotat de Julio I, qui episcopatum Athanasio Alexandrino et Paulo Constantinopolitano restituendum auctoritate suâ curavit. Suæ Romanam in sedem reverentiæ significandæ certatim studuerunt veteres Græci, ut testatur Pelagius II in epist. octavâ ad Joannem Constantinopolitanum : hinc meritò Græcos ipso in concilio Florentino sic alloquitur S. pontifex Eugenius IV : « Optimè scitis quantum honorem haberent « semper Orientales, Romanæ Ecclesiæ, quan« tamque obedientiam illi exhiberent. » Non ante Photianum schisma, primatum Romanæ sedis lacessere cœperunt Græci; eo autem conflato, tam protervè erratum est apud eos, ut, sicut exprobravit Nicolaus I in epist. ad Hincmarum, privilegiorum Romanæ Ecclesiæ *invasor Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham*, appellaret. Ad confirmandam auctoritatem quâ valent in Orientales ipsas Ecclesias Romani pontifices, plurimùm conferunt sanctissimorum ex illis pontificibus probatissima exempla. S. Leo in Epist. ad Anastasium episcopum Thessalonicensem : « Sicut, inquit, prædecessores mei præ« decessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, « priorum secutus exemplum, vices mei mode« raminis delegavi, ut curam quam universis « Ecclesiis principaliter ex divinâ institutione « debemus, imitator nostræ mansuetudinis « effectus, adjuvares, et longinquis ab Apo« stolicâ sede provinciis præsentiam quodam« modò nostræ visitationis impenderes. » Et iterùm : « Vices nostras ita tuæ credidimus chari« tati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, « non in plenitudinem potestatis. » Mandata ex divino instituto omnium cura Ecclesiarum, concessaque divinitùs plenitudo potestatis, nonne aperto sunt argumento primatûs, qui ut Occidentales, ita et Orientales complectatur regiones? S. Gelasius in Epist. ad episcopos Dardaniæ : « Cuncta per mundum novit Ecclesia, quo« niam quorumlibet sententiis ligata pontificum, « sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolven« di. » Quibusnam hìc locorum spatiis constringitur Romani auctoritas pontificis?

Legi possunt apud Bellarminum testimonia in idem conspirantia, Joannis II ad Justinianum seniorem Augustum; Anastasii II, Epist. ad Anastasium imperatorem; Pelagii II Epist. ad episcopos Orientis. S. Gregorius Magnus, lib. 2, epist. 37, ad Natalem : « Postquàm ad beati-

« tudinem vestram, inquit, et decessoris mei « et meâ in causâ Honorati archidiaconi scri- « pta directa sunt, tunc contemptâ utriusque « sententiâ, præfatus Honoratus proprio gra- « du privatus est; quod si quilibet ex quatuor « patriarchis fecisset, sine gravissimo scanda- « lo tanta contumacia transire nullo modo « potuisset. » Se patriarchis omnibus præposi- « tum esse, clariùs asserere non potuit. Epist. 65 ad Joannem Syracusanum, lib. 7: « De « Constantinopolitanâ Ecclesiâ, quis eam du- « bitet Apostolicæ sedi esse subjectam? quod et « dominus piissimus imperator, et frater noster « Eusebius ejusdem episcopus assiduè profi- « tetur. » Potestatem summi pontificis Orientales ad Ecclesias pertingere confirmatur actis conciliorum generalium. Inter cætera, concilium Constantinopolitanum primum in epist. ad Damasum: « Quoniam vos, nos velut mem- « bra propria per Deo amantissimi imperatoris « litteras accersivistis. » Se membra esse Damasi agnoverunt Orientales episcopi; ergo et eumdem pro capite habuerunt; deinde hæc addunt: « Constantinopolim conveneramus « mandato litterarum superiorum à vestrâ re- « verentiâ ad imperatorem Theodosium missa- « rum. » Parebant igitur auctoritati Romani pontificis. Eamdem obtemperandi necessitatem testantur Patres Ephesini, act. primâ in sententiâ depositionis Nestorii: « Coacti, inquiunt, « per sacros canones Patris nostri et comminis- « tri Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ episcopi, « ad lugubrem hanc contra eum (Nestorium) « sententiam venimus. »

Eâdem in synodo præclarum extat de sede Romani pontificis testimonium Juvenalis Hierosolymitani: « Apud quam, inquit, maximè « mos est ex apostolico ordine et traditione, « ut ipsa sedes Antiochena dirigatur et apud « eam judicetur. » Romano igitur episcopo subjiciuntur ipsi Antiocheni patriarchæ. Approbata est in concilio Nicæno II Epist. Adriani I ad Tarasium, in quâ de Romano pontifice hæc leguntur: « Cujus sedes per totum orbem « terrarum primatum obtinens lucet, omnium- « que Ecclesiarum Dei caput existit. » Lugdunensis primi et Florentini conciliorum retulimus jam testimonium. Assertionis nostræ ex eo etiam desumitur insignis probatio, quòd generalibus conciliis per se vel suos per legatos præfuerit Romanus pontifex. Hinc ad S. Leonem Epistolâ synodicâ concilium Chalcedonense, de Patribus concilii loquens, ait: « Quibus tu quidem, sicut membris caput, « præeras in his qui tuum tenebant ordinem « (nempe in legatis). » Dioscori sic redarguunt pervicaciam: « Insuper et contra ipsum (Leo « nem) cui vineæ custodia à Salvatore commissa « est, extendit insaniam. » Definitionibus concilii ut assentiatur, instanter postulant: « Ro- « gamus igitur, et tuis decretis nostrum honora « judicium; et sicut nos capiti in bonis adje- « cimus consonantiam, sic et summitas tua « filiis, quod decet, adimpleat. » At non invasisse, non sibi per vim aut subdolis machinationibus Romanos pontifices arrogâsse honoris jurisdictionisque primatum, probatu opus non est, quippe cùm id statim intelligatur, tum ex SS. Patrum quæ retulimus testimoniis, summam illam dignitatem et auctoritatem in singulas omnes Ecclesias ultrò et spontè profitentium, tum ex agendi ratione et consensione eorum pontificum quos commemoravimus, qui licet ab omni fastu et ambitione abhorrentes, hanc sibi dignitatem, non reclamante, imò in conciliis generalibus plaudente Ecclesiâ, strenuè sibi vindicârunt.

Amovendo usurpationis crimini, ea penitùs sufficerent, quæ divinam illius adstruunt primatûs originem: hanc jam in primo argumenti genere demonstravimus: aliâ etiam viâ confirmari potest. Illius enim dignitatis nullus auctor, nullum quo inducta fuerit tempus assignari potest, nisi ad Christum ipsum conscendatur: quem nisi auctorem habeat, undenam emanare censebitur? Num ab ipsis Apostolis? num ab aliquo generali concilio? num denique, ut hæretici multi comminiscuntur, à seculari potestate introductus fuerit ille primatus? At non ab institutione Apostolicâ duxit exordium: non enim Apostoli, sed Christus Dominus fundamentum Ecclesiæ posuit S. Petrum; totius ovilis eumdem, ordinarium pastorem non Apostoli, sed Dominus constituit: atque ante omne Apostolorum decretum Petrus, ut ostendimus, primatum suum datâ occasione exeruit; esto, determinavissent Apostoli collocandam esse ac figendam Romæ sedem Petri; hoc tamen posito, Romanos ad pontifices, institutione divinâ, ut exposuimus, devolveretur primatus Petri quem ad omnes successores principis illius Apostolorum perpetuâ serie transmitti voluerit. Non ab aliquo etiam generali synodo petendum est primatûs ejusdem initium; altiorem enim illius duci originem admonent ac testantur ipsamet generalia concilia. Nicæni primi concilii can. 6, qualis refertur actione 16 concilii Chalcedo-

nensis, sic legitur : *Ecclesia Romana semper habuit primatum ; teneat autem Ægyptus, ut episcopus Alexandriæ*, etc. Sive autem priora hujus canonis verba ad corpus canonis pertineant, sive sint per modum inscriptionis, perinde est ad vim probationis, ut ritè observat Honoratus Tournely. Hinc in istum canonem Nicolaus I, in epistolâ octavâ ad Michaelem imperatorem : « Si, inquit, instituta Nicænæ « synodi diligenter inspiciantur, invenietur « profectò quia Romanæ Ecclesiæ nullum « eadem synodus contulit incrementum ; sed « potiùs ex ejus formâ, quod Ecclesiæ Alexan- « drinæ tribueret particulariter, sumpsit exem- « plum. » In synodo Sardicensi quæ tanquàm Nicæni concilii censetur appendix, sic habetur : « Hoc optimum et valdè congruentissimum « esse videtur, si ad caput, id est, ad Petri « Apostoli sedem de singulis quibusque provin- « ciis referant Domini sacerdotes. » En traditus Petro primatus, Romanosque trajectus ad episcopos. In Ephesinâ synodo, Philippus Presbyter et sedis Apostolicæ legatus, art. 3 : « Nulli, « inquit dubium est, imò seculis omnibus « notum est, quòd sanctus, beatissimusque « Petrus Apostolorum princeps et caput fidei- « que columna, et Ecclesiæ catholicæ funda- « mentum à Domino nostro Jesu Christo, Sal- « vatore humani generis ac Redemptore, cla- « ves regni accepit, solvendique ac ligandi « peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc « usque tempus et semper, in suis successori- « bus vivit, et judicium exercet. » Eodem in concilio lectâ S. Leonis epistolâ, « reverendis- « simi episcopi clamaverunt : Hæc Patrum « fides..... *Petrus per Leonem locutus est ;* » quâ confessione declarabant, non conciliorum instituto, sed viâ successionis à Petro transvectum esse Romanos in pontifices primatum auctoritatis universâ in Ecclesiâ. In synodicâ epistolâ concilii generalis sexti ad Agathonem Papam, primatus ejus ad eumdem revocatur fontem ad quem suprema B. Petri potestas : « Tibi, inquiunt, ut primæ sedis antistiti univer- « salis Ecclesiæ, quid gerendum sit relinqui- « mus, stanti super firmam fidei petram ; li- « benter perlectis veræ confessionis litteris, à « vestrâ paternâ beatitudine ad piissimum im- « peratorem missis, quas ut à summo Aposto- « lorum vertice divinè perscriptas agnoscimus, « per quas exortam nuper multiplicis erroris « sectam depulimus. » Concilium Lateranense quartum, cap. 5, de Romanâ Ecclesiâ sic loquitur : « Disponente Domino super « omnes alias, ordinariæ potestatis obtinet « principatum, utpote mater universorum « Christi fidelium et magistra. » Divinam in dispositionem refunditur Romanæ sedis principatus, cum primatu Romani pontificis necessariò conjunctus. Si quando igitur videantur conciliorum canones tribuere Romano pontifici eam quâ præditus est auctoritatem, intelligendum est eam in illis declaratam fuisse et assertam, quemadmodùm Verbi divini consubstantialitas dicitur à Nicæno definita concilio, quamvis semper totâ in Ecclesiâ Christi fides illa viguerit ; unde Joannes II in epistolâ ad Justinianum imperatorem, postquàm dixit Romanam Ecclesiam caput esse Ecclesiarum, subjungit : « Sicut Patrum regulæ et statuta « declarant. »

Non immorabimur in refellendo eorum figmento, qui primatûs Romani pontificis originem effutiunt ad principes seculares esse revocandam : Scripturæ et traditioni quàm immanè repugnet illa commentatio, ex adductis argumentis satis superque innotuit. Præterea, ubi de potestate ecclesiasticâ disseruimus, demonstratum est à seculari et temporali potestate non esse accersendam spiritualis, et ad regimen ecclesiasticum ordinatæ potestatis constitutionem : non igitur primatûs quem Romanus obtinet pontifex, causam et originem. Unum eò loci animadvertere juvat : diversi quidem constituti sunt patriarchatus in Ecclesiâ : non idem omnibus impensus est honoris gradus ; non æqualibus omnes definiuntur limitibus ; at unus alteri, vi patriarchatûs, non subjicitur. Romani patriarchatus episcopi non ultra Occidentales protenditur Ecclesias : undenam universâ in Ecclesiâ, primatum et honoris et jurisdictionis, nisi divinâ institutione comparavit Romanus pontifex ?

Solvuntur objecta.

Episcopos omnes, si præscindatur humana institutio, æquales esse habendos, tum ex traditione constat, tum ex momentis verè theologicis. Objicitaque 1° : S. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ sic pronuntiat : *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* — Resp. : Pronuntiatum illud, ubi de primatu S. Petri, quantùm instituti ratio postulabat, exposuimus ; illud nunc paulò latiùs explanare operæ pretium est ; haud significatum voluit S. Cyprianus unum esse unitate numericâ episcopatum ; alioquin singuli episcopi non es-

sent verè episcopi, sed partes episcopi, nec tenerent partem episcopatûs in solidum; declaravit ex multis particularibus episcopatibus in Ecclesiâ quasi coalescere episcopatum unum unitate radicis, fundamenti, capitis et rectoris : sicut multis ex ramis una efficitur arbor, quia radice unâ procreantur, sustentantur, nutriuntur et reguntur : ad unitatem episcopatûs ultrò accommodantur comparationes quibus S. Cyprianus unitatem egregiè adumbrat totius Ecclesiæ : « Quomodò, inquit, solis multi radii, sed lumen unum : et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum : et cùm de uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. » Dici etiam potest episcopatum esse unum specie, seu ratione ordinis et characteris : idem enim est in episcopis et in summo pontifice, non diversus, totusque inest singulis quibus confertur, nec divisus esse potest ratione sui. A singulis autem tenetur in solidum episcopatus, quia singuli episcopi participes sunt universalis illius moraliterque unius episcopatûs, ideòque integrè ac totaliter episcopi, paresque inter se, quoad episcopalem ordinem; at in eâ ordinis et characteris æqualitate, nihilominùs occurrit constitutus divino jure unus episcopus auctoritate superior, cui cæteri tanquàm capiti adhærere se profiteantur, fidelium quidem ipsi pastores, ad ovile tamen pertinentes, eidem divinâ institutione commendatum. « Primatus, inquit S. Cyprianus, Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. »

Inst. 1° : In celebri de baptismo hæreticorum controversiâ, multa protulit S. Cyprianus quæ cum primatu Romani pontificis nullo modo possunt conciliari : « Superest, inquit, ut de hâc ipsâ singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit amoventes; neque enim quisquam nostrûm episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat episcopus pro licentiâ libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tanquàm judicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum judicare; sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ gubernatione, et de actu nostro judicandi. » Posito Romani pontificis primatu, posset singulos judicare episcopos, à jure communionis eosdem, si justa incideret excommunionis causa, repellere; posset episcopus episcoporum nuncupari; posset collegas suos ad obsequendi necessitatem adigere; potestatem haberet, quos idoneos existimaret, Ecclesiis præponendi atque in eorum inquirendi vitæ rationem et institutum.

Resp. : Cum assertione nostrâ si componi non valerent textus S. Cypriani, non esset eò loci audiendus, quia sibi manifestè repugnaret, erroremque de invaliditate baptismi ab hæreticis collati, alio errore tueretur; tum hìc aptari meritò possent quæ dixit S. Augustinus eodem de sancto episcopo : « Jam illa quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia et non opus est : eadem quippe ipsa dicuntur, quæ jamjam satis discussa sunt. » At responsione non carent quæ ex S. Martyris operibus objiciuntur. Cùm episcopum innuere videtur à nemine judicari, soliusque Dei expectandum esse de illius sententiâ, aut agendi ratione judicium, manifestum est, hoc pronuntiatum non esse strictè et prout sonat, usurpandum : non ipsum latebat episcopum à metropolitano suo, synodisque vel provincialibus posse judicari; Romano autem pontifici nedùm abrogaret jus ac potestatem ferendi de causis episcopalibus judicii, ipse Stephanum adhortatus est ut Marcianum Arelatensem episcopum, qui ad Novatianos defecerat juberet in ordinem redigi, et alium ejus loco constitui. « Dirigantur, inquit, à te litteræ in provinciam, et ad plebem Arelatæ consistentem, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. » Epist. 67 ad Steph. I. Id unum igitur voluit S. Cyprianus, in controversiâ de quâ dissiderent pietate et doctrinâ laudabiles episcopi, hoc est, in quæstione de baptismate hæreticorum, relinquendam esse suam unicuique sentiendi et agendi licentiam, expectandumque Dei judicium, qui, cùm solus arcana mentis habeat cognita et perspecta, solus etiam potest certò dijudicare quo studio et affectu unusquisque probata dogmata, vel genuina prosequatur disciplinæ placita; unde S. Cyprianus ægrè ferebat intentatas à sancto Stephano rebaptizantibus excommunicationis minas; nolebat quemquam episcoporum, ad obsequendum compelli *in his quæstionibus quæ nondùm eliquatissimâ perspectione discussæ sunt* (S. Aug.

l. 3 de Baptism. c. 3), qualis erat tunc agitata causa de non iterando hæreticorum baptismate.

Neque verò primatum Romani pontificis impugnavit S. Cyprianus, quando de Christo Domino dixit : *Unus et solus habet potestatem præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione.* Videtur enim illum respicere locum, Act. Apost., in quo dicitur : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Episcoporum auctoritatem existimaverit ab ipso Domino *immediatè* profluere, hæc procul dubio sententia rectè consociatur cum primatu Romani pontificis, cui singulos illorum subjectos esse Christus ipse voluerit. Cùm adnotavit Africanos inter præsules neminem se constituere *episcopum episcoporum,* non primatum reprobat summi pontificis, sed eum redarguit, quem animo sibi finxerat, primatûs abusum; præjudicatâ enim abductus opinione, in mentem sibi induxerat, S. Stephanum suâ quasi per ostentationem abuti cæteros in episcopos auctoritate, cùm iterari administratum ab hæreticis, adhibito ritu essentiali baptismum graviter prohiberet. Denique ut jam subindicavimus, catholico sensu si textus S. Cypriani intelligi non possent, responderetur cum S. August. lib. 2 contra Cresconium, cap. 32 : « Litteras Cypriani non ut canonicas habeo, « sed eas ex canonicis considero, et quod in « eis Scripturarum divinarum (et traditionis) « congruit, cum laude ejus accipio ; quod « autem non congruit, cum pace ejus re- « spuo. »

Inst. 1° : S. Hieronymus Epist. ad Evagrium : « Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, « sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Re- « gii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem « meriti, ejusdem est sacerdotii ; potentia « divitiarum, et paupertatis humilitas, vel « sublimiorem, vel inferiorem episcopum « non facit. » Omnes igitur, ne excepto quidem Romano episcopo, dignitate et potestate pares arbitratur S. Hieronymus. — Resp. : Pares quidem existimavit, potestate ordinis, non jurisdictionis : non ipsum latebat unâ civitate conclusam fuisse auctoritatem Tanensis episcopi ; tres verò magnas provincias, Ægyptum scilicet, Libyam et Pentapolim Alexandrino fuisse subditas patriarchæ, ex canone 6 concilii Nicæni : commemorare iterùm opus non est quid de primatu Romani pontificis sentiat, præsertim in Epist. ad Damasum

Inst. 2° : Episcopos esse Apostolorum successores tota consonat traditio : S. Cyprianus, epist. 69 : « Christus dicit ad Apostolos, ac « per hos ad omnes præpositos qui Apostolis « vicariâ ordinatione succedunt : *Qui audit vos, « me audit.* » S. Hieronymus, epist. 54 : « Apud « nos Apostolorum locum episcopi tenent. » Ecclesiam sic alloquitur S. Augustinus : « Quid « est, *pro patribus tuis nati sunt tibi filii?* Patres « missi sunt Apostoli ; pro Apostolis filii nati « sunt tibi, constituti sunt episcopi. » Alios enumerare nihil attinet. Ex illis testimoniis sic argui potest : Ex eo quòd Apostolis succedant episcopi, vel plenitudinem potestatis, qualis collata fuit Apostolis, consequuntur, vel eamdem hæreditatis jure non obtinent ; si plenitudine potestatis ut hæredes Apostolorum donentur, auctoritate non vincuntur à Romano pontifice : si verò Apostolorum licet successores, plenitudine tamen illâ potestatis careant quæ vigebat in Apostolis, nec eamdem cum Petro auctoritatem, quantùmvis ejus successor, Romanus accipit episcopus.

Resp. 1° : Potestatis plenitudinem quamvis episcopi jure hæreditatis acciperent, qualem habuerunt Apostoli, non ideò eximerentur singuli à Romani pontificis auctoritate, cùm et ipsi Apostoli beatum Petrum principem agnoverint, ejusdem jurisdictioni divinâ institutione subditi. 2° In Apostolis duplex erat spectanda potestas, episcopatûs nimirùm et apostolatûs : singulos in episcopos non tota transfunditur auctoritas, quam ratione apostolatûs vindicabant sibi auctore Christo, Apostoli, nationes omnes terræ complectentem ; hæc singulis in Apostolis fuit *extraordinaria,* atque idcircò singulos in eorum successores non transit : jam ab Ecclesiæ incunabulis certis Ecclesiis singuli præficiebantur episcopi ; hinc Titum sic admonet Apostolus : *Hujus rei gratiâ, reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Epist. ad Tit. cap. 1. Jam etiam ab apostolicis temporibus, regendæ metropolitanis et patriarchis adscriptæ sunt certæ quædam provinciæ, nec in alias poterant jurisdictionem exercere : quapropter inhibuit concilium Nicænum, can. 15, *ne episcopus à civitate in civitatem transiret.* Hâc inveteratâ disciplinâ innixus S. Hieronymus, sic Joannem Hierosolymitanum episcopum, Alexandrino patriarchæ omnium quasi Ecclesiarum curam attribuentem compellabat : « Responde mihi, « ad Alexandrinum episcopum Palæstina quid

« pertinet ? Ni fallor, hoc tibi decernitur, ut « Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, et totius « Orientis Antiochia. » Eâdem ratione, apud Innocentium I conquerebatur S. Chrysostomus quòd Theophilus et episcopi Ægypti aliena in jura involarent, cùm de Constantinopol. episcopo judicare aggrederentur : « Neque « enim, inquiebat, congruum est, ut hi qui in « Ægypto sunt, judicent eos qui in Thraciâ. » Suâ quisque è probatis episcopis, ditione contentus, ultra excurrere nefas duxit : quo quidem ordine dilapso, tota dissiparetur Ecclesiæ ipsa constitutio. At, sicut ostendimus ubi de primatu S. Petri, voluit Christus tanquàm *ordinariam* haberi, illam quam ei contulit auctoritatis plenitudinem, eamdemque ad successores ejusdem Apostoli transmittendam curavit, christianæ quam regendam illi mandabat, Ecclesiæ durationi adæquandam et propagationi.

Inst. 3° : Petri successores vocantûr passim episcopi, tum et dicuntur vices Christi gerere, necnon universalis curam Ecclesiæ sustinere : æqualem igitur cum Romano pontifice auctoritatem sortiuntur. S. Cyprianus ait epist. 27: « Dominus noster cujus præcepta metuere et « observare debemus, episcopi honorem, et « Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evan« gelio loquitur et dicit Petro : *Ego dico tibi*, « *quia tu es Petrus*, etc. Inde per temporum et « successionum vices, episcoporum ordinatio, « et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super « episcopos constituatur. » Certâ igitur successionis lege manat ad episcopos suppeditata divinitùs Petro ad Ecclesiæ regimen auctoritas. Non de solo Romano pontifice dixit S. Hieronymus : « Non est facile stare loco Pauli, « tenere gradum Petri. » Vicarios Christi habendos esse episcopos significat epist. 55 appellatus jam toties S. Cyprianus : « Neque « enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata « schismata, quàm inde quòd sacerdoti Dei « non obtemperatur, nec unus in Ecclesiâ ad « tempus sacerdos, et ad tempus judex, vice « Christi cogitatur. » Monachorum abbates, quòd immunitatem à jurisdictione episcoporum affectarent, sic redarguebat S. Bernardus : « Ite nunc, resistite Christi vicario, cùm « nec suo adversario (Pilato) Christus resti« terit. » Universæ curam Ecclesiæ singulis etiam fuisse traditam episcopis, declarant S. Ignatius Epist. ad Philadelphios : « Conspecto « inquit, vestro episcopo, cognovi quòd non « à seipso, neque per homines ad dignitatem « evectus est, ut susciperet ministerium hoc « communis Ecclesiæ. »

S. Alexander patriarcha Alexandrinus, in epist. encyclicâ, ut zelum episcoporum in hæresim Arianam nascentem incitaret et acueret : « Cùm in sacris, inquit, litteris sit unum « corpus Ecclesiæ, nobis traditum, et præ« ceptum ut concordiæ ac pacis vinculum fir« mum teneamus, » etc.

Resp. : Petri successores non eâdem ratione quâ Romanus pontifex, nuncupati sunt cæteri episcopi ; qui eos hoc nomine appellaverunt, SS. Cyprianus, Hieronymus, iidem, ut videre est nostras inter probationes, primatum Romani episcopi profitentur ac splendidè prædicant ; cæteros autem episcopos, Petri successores dixerunt, habitâ ratione potestatis episcopalis quâ donati sunt in Apostolis, ac præsertim in Petro, qui primas tenebat, totamque repræsentabat Ecclesiam ; at Romanus pontifex sedem occupat, quam Spiritu sancto impellente elegerat Petrus, et sanguine suo consecravit, ideòque potitur concessâ Petro ad ordinarium et perpetuum Ecclesiæ regimen auctoritate. Certè nequeunt Petro in ipsius sede, et quem acceperat universâ in Ecclesiâ principatu succedere singuli episcopi ; imò cùm Apostoli ferè omnes, fixas non habuerint sedes, episcopi Apostolorum successores vocari propriè non possunt, nisi in genere ; id est, dici non possunt speciatim successores Andreæ, vel Philippi, sed generatim Apostolorum, in quibus muniebantur Christi inconcussis promissionibus. Episcopos nonnulli vocârunt *Christi vicarios*, eò quòd Christi vices unusquisque suâ in Ecclesiâ gerit episcopus, at in orbe toto christiano Romanus pontifex ; quare in concilio Florentino simpliciter definitum est Romanum pontificem esse *verum Christi vicarium*. Dicuntur episcopi, *universalis Ecclesiæ curam sustinere, ratione charitatis*, quâ totius Ecclesiæ bonum debeant pro viribus promovere ; non autem quasi singuli universalem regendam susceperint Ecclesiam. Singulis assignata est ejusdem gubernandæ portio ; unde dixit S. Cyprianus : « Episcopa« tus unus est, cujus pars à singulis in solidum « tenetur. »

Inst. 4° : Episcopi præeunte legitimâ electione et confirmatione, jurisdictionem suam accipiunt à Christo Domino ; ergo non pendent à Romano pontifice. — Resp. : Jurisdictionem episcoporum immediatè à Christo manare concedimus, et propriis asseremus argumen-

tis; at ex ipsâmet Christi institutione, à B. Petri auctoritate pendentem.

Objicies 2° : A consuetudine, ab humanâ concessione ortum duxit primatus Petri : ut Roma caput est mundi, ita proclive fuit, primatum deferre Romano episcopo ; id constat tum ex conciliorum decretis, tum ex imperatorum constitutionibus. Concilium Nicænum sic statuit canone 6 ex veterum interpretatione : « Mos antiquus perduret in Ægypto, « vel Libyâ, et Pentapoli, ut Alexandrinus « episcopus horum omnium habeat potestatem, « quoniam quidem et episcopo Romano parilis « mos est et apud Antiochiam. » Sic adornatur interprete Rufino canon ille (lib. 11 Hist. ecclesiasticæ, cap. 6) : « Ut apud Alexandriam, « et in urbe Româ vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. » Utràque illâ in versione refertur ad invectam consuetudinem origo primatûs Romani pontificis, sicut et patriarchatûs Alexandrini et Antiocheni : quin etiam ex primâ interpretatione, intrà fines Occidentis, ex alterâ intrà suburbicarias Ecclesias continetur, hoc est, intrà decem provincias urbis vicario addictas; quo igitur pacto fingi potest jure divino constitutus, et nullis coarctatus mundi regionibus? Ex canone 28 concilii Chalcedonensis : « Antiquæ « Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure « Patres privilegia tribuerunt ; et câdem consideratione moti centum quinquaginta Deo « amantissimi episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, « rectè judicantes urbem, quæ et imperio et « senatu honorata sit, et æqualibus cum anti- « quissimâ reginâ privilegiis fruatur, etiam in « rebus ecclesiasticis, non secùs ac illam ex- « tolli ac magni fieri, secundam post illam « existentem. » Illo in decreto nonne Romano et Constantinopolitano episcopis æqualia tribuuntur privilegia, et æquale fundamentum ac principium dignitatis auctoritatisque eorum assignatur? Accedunt imperatorum constitutiones; sic Justinianus novellâ 100, ait : « Decernimus secundùm sacrarum synodorum « decreta, sanctissimum veteris Romæ episcopum, primum esse omnium sacerdotum. » Ergo à jure divino haud exoritur primatus Romani pontificis.

Resp. : Canonem sextum concilii Nicæni primi, ex Romanæ scriniis Ecclesiæ depromptum Paschasinus S. Leonis legatus in concilio Chalcedonensi, act. decimâ sextâ, citavit in hunc modum : « Trecentorum decem et octo « Patrum canon sextus, quòd Ecclesia Ro- « mana semper habuit primatum. Teneat autem et Ægyptus, ut episcopus Alexandriæ « omnium habeat potestatem, quoniam et Ro- « mano episcopo, hæc est consuetudo. » Eo decreto nihil confertur Romano pontifici : nullis definitur potestas ejus temporibus aut regionibus ; consuetudine confirmatum, non inductum significatur illius primatum; proponitur autem ille tanquàm forma et exemplum auctoritatis quam Alexandrinus per Ægyptum, Libyam et Pentapolim exercere debeat. Adversùs lectionem canonis mox advocatam nemo reclamavit, reposueruntque Patres synodi Chalced. : « Perpendimus quidem omnem pri- « matum et honorem præcipuum, secundùm « canones, antiquæ Romæ archiepiscopo con- « servari. » De interpretatione illius canonis consule quid ex Nicolao I supra retulerimus. Deinde ad summum decreto illo significatur Romanum episcopum, ut Occidentis patriarcham, non ultra certas regiones, curam suam specialem et auctoritatem promovere; quod non impedit, ne ut caput Ecclesiæ, sollicitudinem et jura divinitùs concessa intendat universum in orbem christianum ; si quæ igitur instituatur comparatio Romanum inter et Alexandrinum episcopum, ea spectat duntaxat ad patriarchalem dignitatem, longè etiam Romano in antistite præstantiorem, cùm et post conflatum schisma, Græci totum illi Occidentem adscribere non dubitaverint, ut ostendit Tournely ex testimonio Zonaræ in canonem sextum concilii Nicæni ; Nili lib. 2 de Primatu Papæ, Balsamonis in citatum canonem ; meritò etiam observat idem doctor Sorbonicus Rufino qui Romanum patriarchatum Ecclesias intrà suburbicarias cohiberi scripserat, non magnam fidem esse adhibendam, tum quia per Anastasium pontificem à communione Romanæ Ecclesiæ exclusus fuerat antequàm suam scribe ret historiam, tum ob ejus inscitiam et in interpretandis auctoribus audaciam, teste S. Hieronymo in Epist. ad Ctesiphontem, et apologiâ secundâ adversùs Rufinum.

Quod spectat ad objectum canonem 28 quasi concilii Chalcedonensis fœtum, duplex suppetit responsio : 1° si valeret ille canon, nullum inde detrimentum pateretur Romani pontificis primatus : potest enim intelligi de privilegiis patriarchatûs, quæ jure ecclesiastico Romanæ etiam sedi concedi potuissent ; at humanam omnem concessionem præverterunt primatûs

privilegia, de quibus meritò ita pronuntiavit Nicolaus I, in Epist. ad imperatorem Michaelem (tom. 8 Concil. pag. 514) : « Ista privilegia huic sanctæ Ecclesiæ (Romanæ scilicet) à Christo donata, à synodis non donata, sed jam solummodò celebrata et venerata. » 2° Canon ille quo paria privilegia Romano et Constantinopolitano tribuuntur episcopo, editus fuit ab Anatolio Constantinopolitano præsule, absentibus legatis Romanis concilii Chalced. præsidibus, ab iisdem statim repudiatus, à S. Leone in suâ ad concilium Epistolâ improbatus, nunquàm in Ecclesiâ receptus : imò ab ipsis synodi Patribus nulla facta est mentio parium privilegiorum; sed solùm declarant à se renovari canonem concilii Constantinopolitani, quo secundus honor Constantinopolitano episcopo adscribitur. En canon ille synodi Constantin. : « Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, propterea quòd sit nova Roma. » Parem dignitate Romano pontifici, Constantinopolitanum episcopum non cònstituit decretum illud, nec tamen nisi tempore Innocentii III Ecclesia Latina consensit, ut Constantinopolitanus episcopus primum inter Orientales patriarchas locum post Romanum pontificem obtineret. Humanæ institutioni adjudicandum esse primatum Romani pontificis, nullo modo colligitur, neque ex indicatâ novellâ Justiniani, primatum illum profitentis secundùm sacrarum synodorum decreta, neque ex constitutionibus Valentiniani, aut Phocæ; id unum voluerunt, non ut spiritualem aliquam potestatem Romano subministrarent pontifici (quod præstare non poterant), sed ut notum facerent paratos se ad eorum comprimendam audaciam qui sedis Apostolicæ dignitati et auctoritati repugnarent.

Objicies 3° : Episcopum vocari universalem Romanum pontificem nihil vetaret, si jure divino primatum honoris et jurisdictionis universâ donaretur in Ecclesiâ; hanc tamen appellationem, tanquàm alienam, et à pietate abhorrentem mirum in modum repulerunt; ita S. Gregorius Magnus in Epist. ad Mauritium imperatorem (lib. 4, epist. 32), conqueritur de temeritate et præsumptione Joannis Constantinop. episcopi, eumque insectatur quòd se universalem episcopum diceret; nomen illud respicit tanquàm *blasphemiæ* plenum; tum epist 43, aliàs 36, docet è prædecessoribus suis Romanis pontificibus nullum usum fuisse tam profano vocabulo.

Resp.: Episcopus universalis, ne ipse quidem Romanus pontifex vocari potest, si nomen istud ita usurpetur, ut cæterorum episcoporum detrahatur jurisdictioni, et haberi eos volueris tanquàm Romani pontificis delegatos duntaxat et vicarios. « Nullus unquàm decessorum meo- « rum, inquit S. Gregorius Magnus, tam pro- « fano vocabulo uti consensit, quia videlicet « si unus patriarcha universalis dicitur, pa- « triarcharum nomen cæteris derogatur. » Hæc autem appellatio sic intellecta, ut per eam significetur, nullum esse episcopum qui Romani pontificis auctoritatem detrectare valeat, nihil exhibet, quod temeritatem, nedùm blasphemiam reipsà contineat; hanc tamen ad præcavendum abusum, et retundendam episcopi Constantinopolitani superbiam ac proterviam, rejecit constanter S. Gregorius Magnus, adnotatque illud vocabulum, licet à synodo Chalcedonensi Romano pontifici oblatum, neminem è suis prædecessoribus assumere sibi voluisse : « Certè inquit, pro beati Petri, « Apostolorum principis, honore, per vene- « randam Chalcedonensem synodum Romano « pontifici oblatum est (prædictum nomen), « sed nullus eorum unquàm hoc singularitatis « nomen assumpsit, nec uti consensit, ne, « dùm privatum aliquid daretur uni, honore « debito privarentur universi. » (Epist. 32 consulatur et epist. 38 ad ipsum Joannem.

Nota : Nec ipse Joannes IV cognomento Jejunator, quo nullus ex Constantinopolitanis episcopis ambitiosiùs nomen *patriarchæ œcumenici* affectavit et invasit, primatum universâ in Ecclesiâ, aut arrogabat sibi, aut Romano episcopo ademptum volebat; sed præfatam appellationem S. Leoni à presbyteris et diaconis Ecclesiæ Alexandrinæ, datam actione tertiâ concilii Chalced. inani tumentes fastu, Constantinop. episcopi, tribuendum quoque sibi putaverunt, quidquid reclamaverint verbis et factis Romani pontifices. Quòd autem patriarchæ ipsi Constantinopolitani pontificem Romanum, ut caput universalis Ecclesiæ tunc agnoscerent, id testatur Pelagius II, Epist. ad Joannem Constantinop., et aliunde constat.

Inst. : Ipse S. Gregorius Magnus satis innuit episcopos quidem singularium esse capita Ecclesiarum, universalisque membra Ecclesiæ, eorum autem neminem caput totius Ecclesiæ : « Petrus, inquit, primum membrum sanctæ et « universalis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, « Jacobus, quid aliud quàm singularium ple- « bium sunt capita? Omnes tamen sub uno

« capite membra Ecclesiæ sunt. » Hormisdas etiam summus pontifex æqualem facit Romano pontifici, Constantinop. episcopum : « Simi-« lem, inquit, jam fidei curam gerentes per re-« ligiosam patientiam, par etiam præmium « de boni operis speramus effectu. Ergo par « studium sollicitudinis assumentes, quibus « est in unâ communione et credulitate socie-« tas, curemus. »

Resp. ad primum cum Bellarmino (de Romano Pontifice, lib. 2, cap. 31, n. 10 et seq.): « Aliquem esse caput totius Ecclesiæ dupliciter « intelligi potest : uno modo ut ita sit caput, « ut ipse solus sit caput et princeps, et cæteri « omnes inferiores non sint capita nec princi-« pes, sed solùm ejus vicarii ; altero modo, ut « ipse quidem sit caput, sed generale, ita ut « non tollat inferiora particularia et vera ca-« pita, quomodò causæ universales non tollunt « particulares, et quomodò in exercitu impe-« rator non tollit particulares duces legionum « et cohortium ; et quidem primo modo, solus « Christus est caput omnium Ecclesiarum, si « quidem comparati ad Christum omnes sunt « vicarii et administri, nec ullus dici potest « collega ejus vel coepiscopus : et Petrus hoc « modo non est caput nisi Romanæ Ecclesiæ « particularis ; solùm enim hujus Ecclesiæ est « particularis et solus episcopus et caput, cæ-« terarum autem particularia capita sunt, ipsa-« rum episcopi, qui sunt veri principes, et Petri « non vicarii, sed collegæ et coepiscopi, et de « hâc significatione agit hoc loco B. Gregorius. « Altero modo Petrus fuit, et nunc est Ro-« manus pontifex, verè caput omnium Ec-« clesiarum, ut ipse idem Gregorius his verbis « docet lib. 11 epist. 42 : Apostolicæ sedis « reverentia nullius præsumptione turbetur ; « tunc enim membrorum status integer per-« severat, si caput fidei nulla pulset injuria. » « Et epist. 54 : Sedes apostolica omnium Ec-« clesiarum mater est. » — Resp. ad secundum : Non communem paremque secum auctoritatem tribuit episcopo Constantinop. Hormisdas, cùm eidem vicariam auctoritatem mandâsset, quâ diversarum Ecclesiarum lapsis communionem catholicam posset impertiri. « Personam meam, inquit, in hoc te opor-« tet subintrare. » Sed hortatur ut « communi « studio et charitate, pro sui muneris ratione, « subjectarum sibi Ecclesiarum saluti curam « impendere non desinat. »

Objicies 4° : Universali jurisdictione singuli carent episcopi, eò quòd licet succedant Apostolis, non tamen sunt Apostoli : Romanus ergo pontifex, cùm non sit Apostolus, jurisdictionem universâ in Ecclesiâ non consequitur, quantùmvis dicatur Petri successor : primatum Petri cum universali jurisdictione conjunctam quis negaverit prærogativam esse apostolicam? — Resp. : Primatum Petrus jurisdictionemque universâ in Ecclesiâ, Christo largiente non accepit, solùm ut Apostolus Christi, verùm ut Ecclesiæ universalis caput, et ratione muneris supremi Ecclesiæ pastoris ac principis ; quod munus, ex institutione Christi fuit in Petro ordinarium, ut probavimus, indivulsè cum Ecclesiæ constitutione conjunctum, ideòque ad Petri successores perpetuò transmittendum ; at cæteris in Apostolis, ut non semel observatum est, ordinaria non fuit ea quam in orbe toto singuli exercere poterant : eam pro se solis acceperunt ; unde cum illis expiravit, neque ad eorum successores transiit. Apostolica prærogativa dici potest primatus Romanum ad pontificem, viâ successionis derivatus ; nec tamen propriè nuncupari potest Apostolus Christi, Romanus pontifex, quia propriè illi vocantur Apostoli Christi, qui fuerunt à Christo immediatè electi, edocti, et missi ad prædicandum omni creaturæ Evangelium, qui libros sacros scribere potuerunt.

Objicies 5° : Si verbo Dei tum scripto tum et tradito apertè constaret de primatu Romani pontificis, consentirent inter se theologi catholici de privilegiis inde scaturientibus : quanta autem inter se in illis assignandis dissideant, satis superque colligetur ex dicendis in decursu tractatûs. — Resp. : Non de primatu dissentiunt inter se theologi catholici : sed de quibusdam ejusdem occasione disserendis, quæ loco suo suis ponderare momentis adnitemur.

Nota : Quæ ad appellationes in causis episcopalibus, objecta pertineant, aptiùs proponentur, ubi insignem hanc quæstionem tractandam suscipiemus.

Ad absolvendam momentosam de primatu Romani pontificis controversiam, quæritur utrùm *fide catholicâ* tenendum sit Romanum pontificem, universâ in Ecclesiâ obtinere primatum honoris et jurisdictionis? Eâ quidem dignitate et prærogativâ illum esse divinâ institutione præditum, plurimâ quidem asseruimus auctoritate et ratione ; hæc utrùm assertio catholicis in dogmatibus numerari debeat, dubitandum quibusdam fortè videatur, quia

non ita ut Petrum, Romanum pontificem, ad supremum honoris ac potestatis apicem esse provectum immediatâ revelatione appareat.

Resp. : Catholicâ fide credendum est, jure divino Romanum pontificem toto in orbe christiano primatum habere honoris et jurisdictionis : hoc enim ipso quo immediatè revelatum est, primatum illum ita fuisse S. Petro collatum, ut ex divino instituto ad ejus omnes legitimos successores trajiceretur, Romanis pontificibus, cùm S. Petro certissimè succedant, adjudicari credendum est, præstantissimum illud munus. Propositio quippe singularis formaliter et immediatè continetur in revelatâ universali, tanquàm pars in toto ; unde contradictoria est hæretica. Revocentur, si placeat, in memoriam quæ diximus ubi de notis theologicis, antequàm ageretur de condemnatione propositionum in globo. Non propriè dicto discursu ex universali propositione eruuntur singulares propositiones quibus intrinsecè illa constituitur, sed mera illic observatur expositio, evolutio, enumeratio partium; nec abstractè aut confusè in mente divinâ versatur, aut credenda exhibetur universalis hujusmodi propositio ; sed cum individuis omnibus propositionibus revelata est, quas certò constiterit in illâ contineri.

CAPUT III.

DE PRÆCIPUIS CONSECTARIIS PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Romanus pontifex, Romana Ecclesia, seaes Apostolica, centrum est communionis catholicæ. (Hæc ibi passim promiscuè usurpantur.)

Catholicæ centrum communionis ille intelligitur episcopus, cui communione devinctos oportet esse singulos episcopos, catholicæ ut societatis censeantur et sint reipsà compotes ; illa autem cum Romano pontifice conjunctio obtinetur et innotescit profitendâ eâdem cum ipso fide, iisdem retinendis religiosè sacramentis, tum ipsi adhærendo et obsequendo, ut Apostolorum principis legitimo successori, et universalis Ecclesiæ capiti. Unde usus invaluit ut episcopus nemo consecretur nisi Romanum ad pontificem miserit confessionem fidei, ab eoque litteras acceperit quæ institutionem canonicam seu tituli collationem comprehendant. Neque episcopos solos, sed universos etiam qui velint catholicæ adunari Ecclesiæ, necesse est, sedi Apostòlicæ obsequentes se addictosque præstare. Ex primatu summi pontificis spontè sequitur communionis illius necessitas. Namque suâpte constitutione, cùm Ecclesiæ sit grex præpositis sibi conjunctus pastoribus, ex eo maximè pendet unitas catholica, quòd fideles communione obstringantur Romano pontifici, qui principatum inter pastores tenet, Deoque instituente, universo gregi pascendo et regendo præpositus est. Totum id confirmatur ac declaratum est constanti traditione.

Ita de Romanâ Ecclesiâ S. Irenæus, lib. 3 adversùs hæreses, c. 3 : « Ad hanc Ecclesiam « propter potiorem principalitatem necesse est « convenire omnem Ecclesiam, hoc est, eos « qui sunt undique fideles, in quâ semper ab « his qui sunt undìque conservata est ea quæ est « ab Apostolis traditio. » S. Cyprianus, epist. 45, ad Cornelium : « Placuit, ut per om- « nes omninò istic positos episcopos, litteræ « fierent, ut te universi collegæ nostri et com- « municationem tuam, id est, catholicæ Eccle- « siæ unitatem, pariter et charitatem proba- « rent firmiter ac tenerent. » Communicare cum Romano pontifice, et communicare cum Ecclesiâ catholicâ, idem esse sancto Cypriano videbatur. S. Ambrosius Oratione seu libro de excessu fratris sui Satyri, n. 47 : « Advocavit, « inquit, ad se episcopum, nec ullam veram « putavit nisi veræ fidei gratiam, percontatus- « que ex eo est, utrùmnam epistolis catholicis, « hoc est, cum Romanâ Ecclesiâ conveniret? » Hunc in modum tam solidè quàm eleganter S. Hieronymus in Epist. ad Damasum : « Ego « nullum primum nisi Christum sequens, (hoc « est, Christo præ omnibus addictus) beatitu- « dini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione « consocior : super illam petram ædificatam « Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc do- « mum agnum comederit, profanus est; si quis « in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante di- « luvio. » Alterâ ad eumdem epistolâ, sciscitatur de unâ vel triplici dicendâ in Deo hypostasi : « In tres partes scissa Ecclesia ad se « rapere me festinat, inquit, monachorum circa « manentium antiqua in me surgit auctoritas ; « ego interim clamito : Si quis cathedræ Petri « jungitur, meus est. » Nihil apertius ad inculcandam communionis cum sede Apostolicâ securitatem ac necessitatem. S. Optatus Milevitanus, refellendis Donatistis, revocat in mentes, cathedram episcopalem in quâ sederit omnium Apostolorum caput, Petrus : « In quâ « unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur. »

Deinde commemoratâ successorum Petri continuâ serie, sic pergit : « Damaso (successit) « Siricius, hodiè qui noster est socius, cum « quo nobiscum totus orbis commercio formatarum, in unâ communionis societate concordat. » In cathedrâ et successione Petri, fundamentum catholicæ communionis repositum docet S. Optatus. Culpâ vacare Cœcilianum, vel hoc inprimis posse convinci arbitratur S. Augustinus, quòd Romanæ frueretur Ecclesiæ communione : « Qui posset, inquit, « non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, « in quâ semper apostolicæ cathedræ viguit « principatus, et cæteris terris unde Evange« lium ad ipsam Africam venit, per communi« catorias litteras esse conjunctum. » Aliis quæ conspiranter suppetunt prætermissis, afferre juvat egregium testimonium concilii Constantinop. quarti ann. 869 : « Sequentes in omni« bus, inquiunt synodi illius generalis Patres, « act. 1, Apostolicam sedem, et observantes « omnia ejus constituta, speramus ut in unâ « omnium communione quam sedes Apostolica « prædicat, esse mereamur, in quâ est integra « et vera christianæ Religionis soliditas ; pro« mittentes etiam, sequestratos à communione « Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes « sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra « non recitanda esse mysteria. » Sententiâ œcumenici illius concilii, eòdem recidit, exulare ab universalis Ecclesiæ societate, et orbari sedis Apostolicæ communione.

Quanti facienda sit ineunda cum Romanâ sede communio, demonstratur insignibus ex Hist. ecclesiast. monumentis : inter cætera paulisper hìc attendatur ad factum Acacii, quem ut obstinatum Petri Moggi Eutychianistæ fautorem, et Zenonis auctorem Zenonitici, anathemate perculerant Romani pontifices. Hâc occasione, à consortio Romanæ sedis segregatæ fuerant multæ Orientales Ecclesiæ : quam disjunctionem pati cùm diù non possent, pristinam ut in societatem restituerentur, enixè sic rogabant in Epist. ad Symmachum : « Hæc diximus, sanctissimum ausi supplicare, « non pro perditione unius ovis, sed pro amicâ « nobis salute non Orientalis tantùm, sed om« nium propè plagarum habitabilis mundi red« emptarum pretioso sanguine Dei, sicut docuit « beatus gloriosorum episcoporum princeps, « cujus cathedram beatitudini tuæ commisit « Christus optimus pastor, quem imitatus « festina ad adjuvandum nos. » Disrupta ut resarciretur unitas, instaurandæ quæ priùs in illis regionibus viguerat communioni cum Romano pontifice incubuerunt pro viribus imperatores Justinianus, Justinus, tum et patriarchæ Constantinop. Joannes et Epiphanius, in Epist. ad Hormisdam. Noverant quæ malorum ingluvies Ecclesias maneat à sede Petri divulsas, quod certiori atque frequentiori, ut adnotat Bellarminus, experientiâ compertum est : « Videmus, etiam inquit, omnes illas Ec« clesias, quæ ab isto capite (Romano ponti« fice) se diviserunt, tanquàm ramos præcisos « à radice, continuò aruisse : certè Ecclesiæ « Asiaticæ et Africanæ, quæ quondam ita flore« bant, ut numerosissima concilia celebrarent, « et semper haberent multos homines vel do« ctrinâ vel sanctitate, vel utroque Dei munere « clarissimos, ab eo tempore quo à Romanâ Ec« clesiâ schisma fecerunt, nulla concilia cele« brârunt, nullos habuêrunt homines famâ « sanctitatis aut doctrinæ, toti orbi notos, et « nunc in summâ ignoratione versantur. » Ut observat Joannes Gerbasius, de Causis majoribus art. 4, ipsi hæretici Apostolicæ sedis communionem quandoque ambiverunt, satis fore sibi credentes ad vitandas impietati suæ debitas pœnas, si cathedræ Petri adhærere viderentur. Ita Montanistæ qui ex Phrygiâ et Asiâ erant, pacis communionisque litteras à Zephyrino erogitârunt, Tertulliano teste lib. adversùs Praxeam cap. 1 ; ita Eutyches Apostolicam sedem appellâsse vulgò jactatur, ubi à Flaviano dejectus est. Addere possumus constare nimiùm ac in propatulo esse, quot errorum exitiosis et collidentibus se fluctibus jactati sint, qui Lutherum et Calvinum sectati, Romanam Ecclesiam deseruerunt, eamdem si potuissent, exscindere conati.

Superest, ut admirationis et gratitudinis sensu affecti et meritò incitati exclamemus cum illustriss. Bossuetio : « Sainte Église Ro« maine, mère des Églises et mère de tous les « fidèles, Église choisie de Dieu pour unir ses « enfants dans la même foi et dans la même « charité, nous tiendrons toujours à ton unité « par le fond de nos entrailles. *Si je t'oublie*, « Église Romaine, *puissé-je m'oublier moi-même !* « *que ma langue se sèche et demeure immobile* « *dans ma bouche, si tu n'es pas toujours la pre*« *mière dans mon souvenir, si je ne te mets pas* « *au commencement de tous mes cantiques de ré*« *jouissance. Adhæreat lingua mea faucibus meis.* » Oratione de Unitate Ecclesiæ, habitâ in Comitiis Cleri Gallic. ann. 1681. Ad elevandam

Romanæ sedis auctoritatem solent objici facta S. Cypriani, qui S. Stephano in causâ rebaptizantium palam restitit; tum etiam Euphemii, Macedonii, tum et Meletii Antiocheni, quos nemo dixerit à catholicæ extorres Ecclesiæ communione, quamvis Apostolicæ sedis communione caruerint. Hæc facta discussimus ubi de Unitate Ecclesiæ, nec ampliùs nobis disceptanda. Aliud occurrit gravissimum argumentum ex eo desumptum, quòd ea quam vindicavimus ecclesiasticæ centri communionis natura, summaque dignitas, stare posse non videatur, nisi Romano pontifici infallibilitas tribuatur, quam ipsi adscribendam non ducit Gallicana Ecclesia. Opportunè magis hâc de operosâ quæstione disseretur in sectione secundâ de Romano pontifice.

Articulus II.

Conclusio. — *Ratione primatûs potest summus pontifex decreta condere quæ ad omnes pertineant Ecclesias.*

Quæ in Ecclesiâ feruntur leges, decreta, vel in iis quæ ad fidem, vel in iis versantur quæ ad disciplinam pertineant.

1° Posse pro jure primatûs Romanum pontificem condere in controversiis fidei decreta quæ ad omnes pertineant Ecclesias, id expressè continetur Cleri gallicani Declaratione anni 1682: *In fidei quoque quæstionibus, præcipuas summi pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.* Hâc sepositâ auctoritate concideret ipse translatus ad Petri successores, jure divino, primatus. Ut enim officio tenetur, ita et potestate donatus est Romanus pontifex, providendi, ne insidiante, aut palam erumpente vesanâ innovandi libidine, deteratur fidei depositum, omnique vento doctrinæ fideles circumferantur; quod ut præstare valeat, necesse est, ut dogmaticis, christianumque per orbem divulgandis decretis, gliscenti larvam detrahat errori, formam sanorum proferat verborum, et apostolicæ hostes doctrinæ spiritualibus pœnis coerceat: quo munere pro variis emergentium hæresum molitionibus, et Ecclesiæ necessitatibus defunctos esse Romanos pontifices, obviis, si opus esset, confirmaretur Hist. eccles. monumentis: v. g., notum est quid in causâ Nestorianæ hæresis à Cœlestino, quid in causâ Eutychianismi à Leone traditum, definitumque fuerit; neminem latet quid ad comprimendos Pelagianos errores decernendum curaverint Innocentius I, Zozimus, etc. Hinc Gelasius in Epist. ad Honorium Dalmatiæ episcopum: « An fortè « inquit, nescitis hanc hæresim (Pelagianam) « ab Apostolicâ dudùm sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, continuis et incessabilibus sententiis fuisse « prostratam? »

2° Eodem jure primatûs, potest Romanus pontifex, disciplinæ sancire leges quæ servatis servandis, vim obligandi tum in interno, tum in exteriori foro sibi vindicent. Petro ejusque successoribus, generatim mandata est cura gregis Dominici: *Pasce agnos meos, pasce oves meas:* ea igitur tradita potestas quæ sit regendæ societati christianæ accommodata, vetando quæ ordinem perturbare, jubendo quæ ipsum fovere ac tueri queant. Talem potestatem, condendis imparem esse legibus quis cogitaverit? Rem ut funditûs aggrediamur, quid requiritur ad legis constitutionem atque sanctionem? Oportet *ut ab eo qui perfectæ,* ut aiunt, *communitatis curam gerit, imponatur præceptum ex se stabile, ad publicam ordinatum utilitatem,* propositisque munitum pœnis. Quin perfectæ communitatis curam gerat summus pontifex dubitari nequit, cùm primatum jurisdictionis universâ possit expromere in Ecclesiâ: perfecta enim vocatur ea communitas, in quam suum ad scopum confluunt sufficientia præsidia: inde evidenter concluditur posse Romanum pontificem vera populo christiano præcepta imponere: quominùs verò stabilia sint nihil prohibet, cum stabilitatem hanc postulare ipsa quandoque poscat sapientis ac salutiferæ ratio gubernationis, licet, mutatis rerum adjunctis, immutari, aut etiam abrogari queant quæ suis congruenter temporibus fuerant constituta. De potestate spirituales decernendi pœnas, vel hoc solo constaret pronuntiato: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Legislatoris egisse partes Romanum pontificem, vel à prioribus Ecclesiæ seculis, demonstrat vel simplex relatio exortæ de celebrandi die paschatis controversiæ; cujus dirimendæ gratiâ, excommunicationis minas, Asiaticis Victor intentavit Ecclesiis: conciliandis animis quantùmvis strenuam S. Irenæus et alii impenderint operam, nullam tamen moverunt de ipsâmet sanciendi leges auctoritate quâ utebatur sedes Apostolica. Verùm illius auctoritatis tot in variis juris canonici collectionibus obversantur monumenta, ut ambigendi nullus omninò sit locus.

Objicies fortassè, leges inter à Romanis editas pontificibus, multas esse quæ in Galliis, aliisve regionibus, nunquàm observatæ sunt, multas etiam quæ penitùs exoleverunt. — Resp.: Ipsorum etiam conciliorum generalium, non ubique aut perpetuò vigere omnia disciplinæ decreta : sapienter enim quantùmvis sint condita, multa sunt quæ quarumdam regionum moribus, consuetudinibus approbatis, ac publici conditioni regiminis, minùs congruere videantur; sunt et alia quorum si urgeretur executio, plus detrimenti quàm boni ex animorum procrearetur affectu, atque avellendis zizaniis eradicaretur et triticum.

Articulus III.

Potest Romanus pontifex, ratione primatûs dispensare, ubi legitimæ locus est dispensationi à legibus generalis ipsius synodi.

Postulat ipsa regiminis ecclesiastici natura, et humanæ vitæ conditio, ut aliquando quibusdam in casibus, remittatur legis vinculum, tametsi ab œcumenicâ constitutæ synodo : at quotiescumque dispensatione indigebunt homines nonnulli privati, neque ad hanc impetrandam cogetur generale concilium, neque totum disseminata per orbem adeunda erit Ecclesia : cujusnam ergo erit eximere, quando opus est, à lege aliquâ œcumenici etiam concilii, si tum dispensandi potestate careat ipse summus pontifex, ad quem maximè pertinet generalis cura disciplinæ? Hanc auctoritatem diximus summo pontifici competere ratione primatûs : hæc enim, cùm sit Ecclesiæ necessaria, manat à jure divino; eodem quidem jure concilio ipsum generali subditum esse putat Gallicana Ecclesia, verùm hæc subjectio pontificis non obstat dispensationibus. « Absit, « inquit doctiss. Bossuetius : has enim nemo « catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut « rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit : « has toto animo complectitur, ea quam pon« tificiæ potestati maxime adversari putant, « Basileensis synodus, sic enim loquitur : *Per « concilium autem statuta in nullo derogant suæ « potestati, quin pro tempore, loco, causisque et « personis, utilitate vel necessitate suadente, « moderari, dispensareque possit, atque uti « summi principis epikeiâ (æquo moderamine), « quæ ab eo auferri nequit.* » Defens. Declarat. Cleri Gallic. parte 3, lib. 11, cap. 16. Fatente igitur ac profitente ipsâ Basileensi synodo, à summo pontifice *auferri nequit* potestas dispensandi à decretis disciplinæ concilii ipsius generalis : hæc potestas cum instituto divinitùs primatu indivulsè conjuncta est. Ad jus ergo divinum pertinet : neque tamen ullam in concilium generale auctoritatem tùm exerit summus pontifex, cùm dispensat à concilii generalis legibus : illius enim potestas ordinatione divinâ, ut deinceps ostendetur, generali concilio subjicitur : nihilque eo renitente Romanus ipse pontifex voluntate dispensandi pro ficeret.

2° Diximus posse illum ab ipsis synodi generalis legibus dispensare, ubi legitimæ locus est dispensationi; publico enim bono promovendo, non impediendo, destinata est dispensandi potestas. Hinc præclarum illud S. Cœlestini pronuntiatum : *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur.* Epist. 1 ad Illyricos. Hinc notum illud S. Bernardi placitum : « Ubi « necessitas urget, excusabilis dispensatio est; « ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio « est : utilitas dico, communis, non propria, « nam cùm nihil horum est, non plane fidelis « dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » De Consid. lib. 3, cap. 4.

Nota tùm haberi rationem communis utilitatis, cùm dispensatur erga privatos etiam homines, sive ad depellendum quo laborant grave incommodum, sive ad avertendum quod intentatur illis periculum : namque, ut animadvertit Bossuetius : « Non desunt quæ indul« gere privatis publica etiam utilitas postulat, « ne pereant, *ne abundantiori tristitiâ absorbean« tur,* ne Ecclesia infirmis materna viscera « claudere videatur, excidatque ab ecclesiastico « regimine apostolicum illud : *Infirmum autem « in fide assumite.* » Addit Bossuetius : « Illud « prætermittere non possumus, aliud esse quod « Ecclesia jubeat, aliud quod indulgeat, aliud « quod toleret. Id jubet, ut quàm maximè ob« serventur canones; id indulget ut causis « necessariis interdùm relaxentur; id tolerat « quod sine gravi perturbatione punire non « potest. » Defens. Declarat. Cleri Gallic. part. 3, lib. 11, c. 16.

Articulus IV.

Ratione primatûs potest summus pontifex synodos generales convocare, eisdemque præesse sive per semetipsum, sive per legatos.

Probatur 1° : In omni benè institutâ et moderatâ societate, generalia convocare comitia pertinet, naturâ ipsâ docente, ad eum qui honore et jurisdictione cæteris antecellit : jure

ergo primatûs, quo sedet ad universalis gubernacula Ecclesiæ summus pontifex, generales convocare synodos potest, eisdemque præsidere.

Probatur 2° : Naturali isti, et subnixo ratione placito, consonat perpetua traditio et praxis : sic concilio Nicæno generali I præfuit Silvester per legatos, Osium scilicet episcopum Cordubensem, Vitum et Vincentium presbyteros. Vi convocationis, solius Orientis fuit concilium Constantinop. generale secundum, quæ tamen œcumenica evasit, accedente Romani pontificis approbatione, et Occidentalis Ecclesiæ consensu. Concilio Ephesino præfuerunt nomine S. Cœlestini, S. Cyrillus Alexandrinus, Arcadius et Projectus episcopi, et Philippus Presbyter : Chalcedonensi generali quarto præfuit S. Leo per suos legatos, Paschasium et Lucentium episcopos, et Bonifacium presbyterum : Constantinopolitano II, generali quinto, præfuit Mennæ successor Eutychius, consentiente summo pontifice Vigilio, ut constat ex Vigilii ad Eutychium epistolâ : Constantinop. III, œcumenico sexto, Agathonis nomine præfuerunt Theodorus Georgiusque presbyteri, Joannesque diaconus. Consulantur de aliis quæ patent collectiones conciliorum.

Articulus V.

De causis majoribus ad sedem Apostolicam ratione primatûs referendis.

Ad sedem Apostolicam quasdam causas jure primatûs esse referendas, indubitatum est, atque omni ævo constitit. Attamen tum de notione quæ sit apta designandis omnibus majoribus causis, tum de ipsarum numero, non consentiunt theologi et canonistæ. *Causarum majorum* nomen primus adhibuit Innocentius I, anno circiter 404; in Epist. ad Victricium Rothomagensem episc. ita loquitur : « Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam (sicut synodus statuit) post episcopale judicium referantur. » De causis majoribus hæc nobis adnotanda generatim videntur.

I. Ecclesiasticis in monumentis, causis accensentur majoribus negotia, quæ sive ob rei præstantiam, sive ob difficultatem judicandi, Romanam ad sedem deferri oporteat. Ita appellatus mox Innocentius I, in Epist. ad Felicem Nucerianum episcopum : « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta majorum, omniaque quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatûs referre, ut consulta videlicet sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. » Zozimus, in Epist. ad episcopos Galliæ, emergentia in Galliis negotia jubet ad episcopi Arelatensis notitiam referri, *nisi*, inquit, *magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen.* Leo Magnus epist. 84, quæ est ad Anastasium Thessalonicensem, cap. 11 : « Si autem quod cum fratribus tractandum, definiendumve credideris, diversa eorum fuerit à tuâ voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificationem referantur. » Hilarius Papa epist. 8, quæ est ad plures Galliæ metropolitanos : « In dirimendis sanè gravioribus causis, inquit, et quæ illîc non potuerint terminari, Apostolicæ sedis sententia consuletur. » Vigilius in epist. septimâ, quæ est ad Auxanium Arelatensem : « Si quæ verò ait, certamina aut de Religione fidei (quod Deus auferat), aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussâ, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ sedi terminanda servate. » Gregorius Magnus epist. 54, lib. 5, Galliarum episcopos sic alloquitur : « Si quam verò contentionem (quod longè faciat divina potentia) de fidei causâ evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit forte dubietas, et pro suî magnitudine judicio sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ diligentiùs veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem. » Alia legere est testimonia apud Joannem Gerbais tract. de Causis majoribus.

II. Nihil prohibet quominùs causarum majorum nomine donandas censeamus, non modò fidei causas, depositiones episcoporum, et quæstiones ambiguæ disciplinæ, ut Innocentius I veteresque alii pontifices docuerunt, sed etiam episcoporum translationes, controversias quæ ex episcoporum electionibus oriuntur, et coadjutorum institutiones, ut placuit recentioribus. Omnibus in Ecclesiis non eadem est causas omnes majores dijudicandi ac finiendi ratio : eadem est una fides, non eadem vivendi forma in iis quæ jure divino sancita non sunt : variam, eamque contrariam non rarò secutæ sunt disciplinam numerosæ et insignes Ecclesiæ. Lege Concordatorum, quæ viget in Galliis, determinata est ratio agitandi et componendi causas quæ ad episcoporum

translationes, electiones, et coadjutorum institutiones pertinent. Partim à rege Christianissimo, partim à Romano pontifice pendent episcoporum translationes : ad regem spectat transponendi designatio episcopi, ad pontificem, institutio, ut prioris solutio vinculi. Abrogatæ sunt in Galliis electiones episcoporum : nominantur à rege, instituuntur à Romano pontifice ; de coadjutorum designationibus tacent quidem concordata, regi tamen illæ vindicantur ; nec argui potest cum Rebuffo, tum non vacare episcopatum, quo non vacante, regia submoveatur nominatio : quando enim cum securitate futuræ successionis datur coadjutor, tum licet reipsà non vacet episcopatus, ut vacaturus consideratur, atque ut vacaturo providetur episcopus. De episcoporum judiciis ac depositionibus latè mox disseretur, ubi de appellationibus. Quod verò spectat ad controversias de fide, vel disciplinâ generali, in quæstionibus ejusmodi dijudicandis, principatum tenere summum pontificem ut caput Ecclesiæ jam demonstratum est ; at easdem quoque controversias ad episcoporum judicium pertinere, tot comprobatur, quot habitæ sunt œcumenicæ et particulares synodi, in quibus sedent et pronuntiant tanquàm veri judices : hanc autem auctoritatem, ut successores Apostolorum, immediatè ab ipso Christo Domino esse mutuatos, haud multò post ostendetur : id apertè colligitur ex principiis jam constitutis ubi de judice controversiarum, de infallibilitate Ecclesiæ, etc. Idque ut planum fieret, satis esset in medium proferre tum hæc placita Christi Apostolos, et in illis eorumdem hæredes episcopos alloquentis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan 20 : *Euntes ergo docete omnes gentes ;* tum et acta synodi Hierosolymis celebratæ ab Apostolis, quæ cæteris exemplo fuit. Hinc mirari subit cum Joanne Gerbais, quosdam eam in mentem venisse, ut fidei causas, eo uno nomine quòd *majores sunt,* ad Apostolicam sedem unicè attinere prodiderint : cæteros autem episcopos in illis decidendis nihil posse, nisi forsan imperio et nutu Romani pontificis.

Objicies 1° : Talibus de causis ferre judicium si valeant, et quidem jure divino, episcopi, quid igitur iisdem in dijudicandis privilegii Romano superererit pontifici ? — Resp. omnium episcoporum ita esse fidei curare integritatem, ut in eo tamen munere Apostolicæ sedis auctoritas longè præfulgeat ; tametsi enim Christus Evangelii doctrinam fideique mysteria omnibus Apostolis commiserit, attamen singulariter Petro dixit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ;* singulariter ei dixit : *Pasce oves meas :* itaque fidei causæ ad Petri successores spectant, non modò quia communes sunt (quo quidem nomine universi Ecclesiæ episcopi satagere illarum possunt ac debent), sed et quia fides ipsa singulari ac præcipuo titulo in Petro stabilita est. Unde S. Augustinus lib. 1, ad Bonifacium, cap. 1, sic eum de Pelagianis affatus est : « Cùm verò non desinant ad Domini « gregis causas, atque ad diripiendas tanto « pretio redemptas oves aditus undecumque « rimari, curaque sit omnibus nobis qui fungimur episcopatûs officio, quamvis in eo « ipse præemineas celsiori fastigio speculæ « pastoralis, facio quod possum pro mei parti», etc. Alterum quoque discrimen observandum est episcopos inter et summum pontificem, nempe quòd cogere illi ad judiciorum suorum executionem non possint, proprias extra diœceses ; at eâ quâ pollet toto in orbe christiano auctoritate summus pontifex, jubere potest, ut decreta quòcumque opus fuerit, perferantur, promulgentur, eisdemque debitum exhibeatur obsequium.

III. Explicanda est clausula quæ generalis synodi Basileensis sessioni 31 inseritur, et quâ nonnullis videatur auctoritati episcoporum esse detractum in causis majoribus : expositis illa synodus incommodis ac detrimentis quæ ex frequentioribus, frivolisque ad Romanam sedem appellationibus effluxerint, pravam ut hanc consuetudinem aboleat, « statuit et de« cernit, quòd in partibus ultra quatuor diætas « à romanâ curiâ distantibus, omnes quæcumque causæ, *exceptis majoribus in jure expressè « enumeratis,* et electionum ecclesiarum cathedralium et monasteriorum, quas immediata « subjectio ad sedem Apostolicam devolvit, apud « illos judices in partibus, qui de jure aut « consuetudine præscriptâ vel privilegio co« gnitionem habent, terminentur et finian« tur. »

Hoc in decreto id unum voluerunt Patres Basileenses, ut præfatam emendarent consuetudinem, quâ nempe leviora minimaque negotia remotissimis etiam à partibus trahebantur Romam, oppressis inde pauperibus, confuso judiciorum ordine à synodo Nicænâ præscripto, atque contemptâ et afflictâ episcoporum ordinariorumque jurisdictione. Neque habuerunt in animo quidquam de causis majoribus statuere, cùm de illis tum nihil ambigeretur ;

memoratam itaque clausulam istam, *exceptis majoribus* (causis) *in jure expressè enumeratis*, ideò inseruerunt, ut legem decreto quod edebant constitutam, indicaretur ad id causarum genus non pertinere. Concinit illud decretum prudenti æquè ac forti S. Bernardi admonitioni, de futilibus appellationibus Eugenium III sic interpellantis : « Quousque murmur uni-« versæ terræ aut dissimulas aut non advertis? « quousque non evigilat consideratio tua ad « tantam appellationum confusionem atque « abusionem? Præter jus et fas, præter mo-« rem et ordinem fiunt : non locus, non mo-« dus, non tempus, non causa discernitur et « persona. » At jus nullum novum invectum aut stabilitum fuit majoribus de causis, per synodum Basileensem, neque per concordata : deinde quis credat hanc synodum, cui nihil fuit antiquius quàm legitimam judiciorum formam reducere, episcoporumque præsertim jura sarta tectaque præstare, ademptam voluisse episcopis majorum causarum omnem notitiam, dum leviorum etiam judicia ipsis restituit?

Objicies 2° : In synodo Basileensi et in Pragmaticâ Sanctione, causæ majores eâdem in classe reponuntur cum electionibus Ecclesiarum cathedralium et monasteriorum, *quas causas*, ut ibid. habetur, *immediata subjectio ad sedem Apostolicam devolvit*. Inde concludunt adversarii, extra cognitionem tum episcoporum, tum synodorum provincialium, omninò positas esse causas omnes quæ majores nuncupantur. — Resp. : In Concordatis resecta sunt, quæ in concilio Basileensi, et in Pragmaticâ Sanctione habentur de causis electionum Ecclesiarum cathedralium et monasteriorum : verùm hâc omissâ responsione, dicimus hæc verba decreti Basileensis, *quas causas immediata subjectio ad sedem Apostolicam devolvit*, pertinere ad causas quarumdam Ecclesiarum cathedralium et monasteriorum ; quæ causæ in clausulâ proximè designantur, non verò ad causas majores quæ in priori clausulæ parte efferuntur.

Ex simplici lectione decreti Basileensis, colligitur excipi in eo causas majores ab illâ lege, quæ cæteras causas finiri jubet in partibus, hoc est, in regionibus in quibus sunt exortæ : an verò inde consequitur majorum omnium causarum cognitionem primam, solius esse summi pontificis? certè, ut disserit Joannes Gerbais, quicumque decreti verba sic detorquent, eumdem admittunt paralogismum, ac si quis ex eo quòd graviores causæ in curiis præsidialibus non sic finiantur apud Gallos, quin ad supremas curias vocari possint, concludere inde tentaret, præsidiales curias ejusmodi causarum cognitionem primam non posse suscipere.

Articulus VI.

De appellationibus.

Appellatio definiri potest provocatio, seu recursus ad superiorem judicem propter gravamen illatum vel inferendum. Hæc sunt quæ statuuntur appellationem inter et meram revisionem discrimina : 1° *in appellatione*, ut ex ipsâ definitione patet, causa traducitur ad tribunal cui alterum subjaccat in eo etiam causarum genere, quod dijudicandum susceperit ; at *revisione* non arguitur, supremâ potestate decernendi illos caruisse judices, de quorum sententiâ intentatur querela. 2° *In appellatione*, integram ad se causam evocat superior qui invocatur judex, ut eam discutiat et auctoritate suâ dirimat, sive per semetipsum, sive per legatos, sive in loco ubi sedem suam habeat, sive in partibus appellantium : hæc enim varietas ad naturam appellationis non pertinet, et receptas ad consuetudines revocatur : *in revisione* autem definitivum judicium relinquitur priori jurisdictioni, eâ tamen ratione ut prioribus judicibus alios adjungere valeat judex ad quem provocatum est. 3° *In appellatione*, ea vis est *regulariter* ut priori interim sententiæ supersedendum sit, quod aliter obtinet in *revisione ;* nam confugium ad aliud tribunal, ad eam impetrandam, non impedit quominùs interim executioni mandetur illud de quo conqueritur accusatus judicium. Diximus inesse *regulariter* appellationi vim suspensivam anterioris judicii : quibusdam enim in casibus appellatio sententiam non suspendit : de illis vide Cabassutium, Juris canonici theoriæ et praxis lib. 4, cap. 12. De judiciali appellatione loquimur, et quæ fit inchoatâ jam causâ : etenim alia est quæ *extrajudicialis* dicitur, et quæ ad normam appellationis propriè dictæ non exigitur.

Haud mirum est Calvinum, Romano ut pontifici primatum jurisdictionis adimeret, nervos intendisse ut illi abrogaret jus de appellationibus judicandi : « Multi, inquit ille « hæresiarcha, Romanum pontificem appellâ-« runt : ipse quoque causarum cognitionem ad « se trahere conatus est, sed semper fuit de-« risus, quoties suos fines excessit » Lib. 4,

Inst. cap. 7. Sanè dolendum, quòd inter illos qui institutum divinitùs illum primatum spontè agnoverunt, occurrerint nonnulli qui supremo pontifici potestatem admittendæ appellationis nihilominùs abjudicârunt, quos inter eminet illustriss. de Marca : ei si credatur, origo prima juris summi pontificis quoad judicia canonica episcoporum, Sardicensi debetur synodo, nec tamen jus illi concessum est proferendi de appellationibus judicii : « Fateor equidem, « ait, hactenùs universis persuasum fuisse, « repertam esse in synodo Sardicensi legem « de appellationibus adversùs episcoporum ju- « dicia, easque à summo pontifice judicandas « esse ex præscripto hujus concilii ; verùm ut « ab eâ persuasione recedam facit quod à me « observatum est, nempe jus tantum conce- « dendi revisionem à synodo Sardicensi intro- « ductum esse et in gratiam sedis Apostolicæ, « et in quoddam velut detrimentum aucto- « ritatis imperatoriæ ; hæc interpretatio mea « est. » De Concordiâ sacerdotii et imperii, l. 7, cap. 3, n. 6. Audax certè parùmque consulta, licet ab erudito et catholico auctore profecta interpretatio ! Quin etiam in retractatione causarum episcopalium, plus tribuit auctoritatis imperatori quàm Romano pontifici vicario Christi, et Ecclesiæ universalis capiti : « Magnum, inquit, discrimen intercedit inter « jus quod imperatoribus competebat, et illud « quod Romano pontifici tribuitur : imperato- « res enim, cùm retractari negotia præcipie- « bant, majus concilium congregabant, ad quod « evocabant episcopos ex diversis provinciis, « prout eis libuerat ; at canones Sardicenses « modum adhibent auctoritati episcopi Roma- « ni, cui nihil aliud licere volunt, quàm ut « novos judices donet ex vicinâ provinciâ, qui « unà cum prioribus judicibus intersint reno- « vationi concilii et judicii. » Ibid. num. 16. Illaud prætereundum est auctorem mox citatum confiteri, ad sedem Apostolicam antiquioribus etiam Ecclesiæ seculis relatas fuisse causas majores ; at eas contendit tunc « restri- « ctas ad duo capita, ad dubia videlicet fidei et « disciplinæ, tumque depositiones episcoporum « inter causas majores non fuisse relatas tem- « pore concilii Nicæni, neque deinceps per « multum ævi. » Ibid. cap. 13, num. 8.

Non abs re videtur eò loci referre quid de illustris. de Marca pronuntiet ipse Bossuetius dissertatione Defensioni Cleri Gallicani præviâ, cui titulum fecit : *Gallia orthodoxa ;* indicato ejusdem auctoris quodam testimonio, sic prosequitur : « Neque tamen hujus viri verbis « commovemur, cujus apud nos clarissimum « ingenium, sed in theologiâ non satis exerci- « tatum ; ad hæc versatile ac lubricum, et ni- « miâ facilitate per varias ambiguasque senten- « tias de re ecclesiasticâ ludere solitum habea- « tur. » D. de la Chambre dissertationem edi- dit, in quâ concessum quidem esse Romano pontifici à concilio Sardicensi in causis episcoporum personalibus, affirmat jus non revisionis duntaxat, sed etiam appellationis excipiendæ et judicandæ ; sed vetustiorem juris illius institutionem non agnoscit. Unum superest observandum, nempe non hìc moveri quæstionem de appellationibus presbyterorum et minorum clericorum ad Romanum pontificem, sed de appellationibus episcoporum, non eò quòd requiratur auctoritas major ad causas presbyterorum, quàm episcoporum dijudicandas, sed quia canonibus, ad præcavendam appellationum multitudinem astringendamque disciplinam, ita sancitum est : sic, licet declaraverit concilium Sardicense episcopos ad Romanum appellare pontificem, idem tamen voluit causas presbyterorum et minorum clericorum apud vicinos terminari episcopos, ita ut illis à suo episcopo ad alios episcopos ejusdem provinciæ appellare liceat, ut habet can. 17. Duo jam præstare aggredimur : ostendemus, vi ipsâ primatûs, seu divinâ institutione, Romano pontifici competere jus appellationes in causis episcopalibus discutiendi et judicandi ; deinde celeberrima defendemus facta, quæ ad appellationes episcopales pertineant.

Conclusio. — *Vi primatûs, ac proinde jure divino, appellationes episcopales admittere et dijudicare potest summus pontifex.*

Probatur 1° : Id postulat æquitas naturalis, idque usu comprobatum est fori, tum ecclesiastici, tum civilis, ut ab inferiorum judicum sententiis, quæ grave aliquod damnum intulisse videantur, possit superiorem ad judicem appellari : cùm igitur primatu honoris et jurisdictionis, episcopos omnibus divisim sumptis, conciliis etiam provincialibus ac nationalibus, auctoritate antecellat summus pontifex, inde conficitur posse depositos ab ipsis provincialibus aut nationalibus conciliis episcopos Romanam ad sedem appellare, ejusque auctoritate priorem infringi aut confirmari sententiam. Præterea, cùm sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerat, et gerere debeat Romanus pontifex invigilare, et quoad fieri potest providere

tenetur, non solùm ne quid detrimenti capiat depositum fidei, aut ne generalis corrumpatur disciplina, verùm etiam ne in causis particularibus violentur moderandis aptati judiciis canones; si quid ergo gravaminis priorum judicum sententiis irrogatum sit, patere necesse est aditum superius ad tribunal quo illata resarciri injuria, mulctari auctores damni, pristinumque in statum possint insontes vindicari. Ergo ad tribunal summi pontificis, cui nulla præstat nisi universalis Ecclesiæ synodus, possunt se sistere, ut iniquè prolatum disturbetur judicium. Neque reponatur ad id efficiendum sufficere jus præcipiendæ *revisionis*; nam qui opinionem illam consectantur, illi hanc ipsam non profitentur à divino instituto derivari; ac reverà, si proprio divinitùsque collato jure possit summus pontifex delatas ad se causas episcopales discutere, decernere utrùm malè judicatum sit, et consequenter *revisionem præcipere*, cur easdem non poterit auctoritate suâ dirimere? Deinde appellationis incitamentum nonnunquàm oritur ex depravato priorum judicum per invidiam aut odium affectu, ut contigisse certum est in conflatis contra SS. Athanasium, Chrysostomum aliosque judiciis: quid tunc proderit, causam *revisioni* obnoxiam prioribus judicibus retractandam committere, ut postulat revisionis ipsa ratio? Cumulabunt, si contumaces sint, injurias et scandala, nedùmque releventur, opprimentur magis, et afflicti jacebunt, qui perfugium quæsierant. Si futurum dicatur, ut summus pontifex prioribus judicibus novos adjungat, qui cohibeant iniquitatem et propulsent; tum si tot adjungantur ut numero et auctoritate prævaleant, jam summus pontifex, cujus legatione tunc fungerentur, causæ ventilatæ judex reipsà et propriè agnoscitur: si verò nequeat tot delegare, ut appellantibus possint efficaciter opitulari, quid proficiet, superante priorum judicum iniquitate, quia numero vincent?

Probatur 2°: Ex naturâ laudati mox primatûs, necessariò colligitur Ecclesiæ regimen esse divino instituto verè monarchicum, licet, ut postea ostendetur, aristocratiâ sit temperatum: hinc meritò reprobata est Antonii de Dominis commentatio, qui regimen illud simpliciter et absolutè aristocraticum esse voluerit, quo in genere et gubernandi formâ, omnes quibus regendi munus incumbit, sunt auctoritate et jurisdictione pares; eumdemque novatorem sacræ Facultati Parisiensi suum imponentem figmentum sic ea repellebat in suâ contra quatuor auctoris illius de republicâ christianâ libros censurâ: *Mera est contra Facultatem Parisiensem impostura.* At dictu absonum est, eum qui monarchico in regimine principatum tenet, ac potestatis plenitudine præcellit, non eò usque valere, ut subditis suis iniquâ laborantibus judicum sententiâ opitulari queat, mittendo in irritum dissentaneo legibus judicio. Supremæ potestatis genuina est appendix ista quâ se ipsam abdicare non possit: hinc in causis civilibus celebri consultatione D. d'Héricourt fundamentale hoc urget principium: « Le souverain ne peut même renoncer « à l'exercice du droit de casser et d'annuler « ce qui a été fait par les magistrats, au préjudice des lois auxquelles ils sont obligés de « se conformer, et de protéger les membres de « l'état contre les entreprises de ces magistrats, sans renoncer à la souveraineté même. » Œuvres posthumes d'Héricourt, tom. 1, p. 545 et 546. Vide et quam subjungit decerptam ex Salgado in epilogo procemiali adnotationem. Haud quidem cogitatione nostrâ excidit, regimen Ecclesiæ differre à regimine simpliciter monarchico, de quo loquitur d'Héricourt; at ecclesiastico regimini licet admisceatur aristocratia, hæc non invertit, non labefacit rationem ac fundamentum divinitùs constitutum, quo innititur illud quod obtinet Romanus pontifex, jus de appellationibus episcoporum auctoritate suâ decernendi: ea enim ratio non impedit quominùs provincialibus nationalibusque synodis divino jure habeatur ille superior, earumque sententias confirmare possit aut rescindere. Ut quibusdam occurratur difficultatum nubeculis, revocandum est in memoriam, id quod jam observavimus, aliud esse jus ipsum appellationes admittendi et dijudicandi, aliud esse juris illius exercendi quæ sit ratio et modus; in Galliâ ex Concordato Bononiensi non valet appellatio, omisso medio tribunali; id etiam vetat jus Cæsareum L. *præcipimus*, cod. de Appellat. Item quando ex partibus Gallicanis, appellatio interjicitur ad Papam, committit Papa judices in ipsis partibus, ne cogantur Franci extra regnum causas suas prosequi; ita statuitur Concordato Leonis X et Francisci I, tit. de Causis; verùm juris appellationum Romano tribuendi pontifici originem ac substantiam non attingit gallicana hæc jurisprudentia.

Probatur 3°: Potest summus pontifex leges disciplinæ condere, quæ servandis servatis, vim obligandi universâ obtineant in Ecclesiâ;

vi primatûs auctoritate præditus est agnos et oves pascendi, eaque pastoralis auctoritas et vigilantia ipsos complectitur episcopos, vel in nationalibus congregatos conciliis : hæc apertè constant ex multis quas asseruimus propositionibus ; eò pariter spectant sensa ista quibus sedis Apostolicæ majestatem et potestatem egregiè commendat doctiss. Bossuetius. « Hic « subit admirari Romanam potestatem uniendæ « Ecclesiæ natam, unde perducamur ad æternam charitatem, quâ in Deo unum sumus. « Petrus ergo et Petri successor, ne inter se « dissentiant Ecclesiæ, communis traditionis « interpres, ne incertis motibus fluitent, com- « munium canonum executor, sede Apostolicâ « auctore vel probante, confectos custodit et « vindicat. » Deinde exposito quantâ auctoritate causam fidei adversùs imperatores ac regiæ urbis antistites veneranda illa sedes propugnaverit, sic prosequitur Bossuetius : « Nec minùs invicti fuerunt Romani pontifices, « cùm canones ab Ecclesiis, sede Apostolicâ « sive auctore, sive probante susceptos vindi- « cârunt ; his Constantinopolitanos præsules « alta spirantes, et principum gratiâ ferocien- « tes, et à Nestorianis, Acacianisque usque « temporibus, Ecclesiæ graves, tanquàm in « schisma erupturos, animo providerent, quâ « gravitate poterant, coercebant.... Itaque eo- « rum tanta vis fuit, ut Agapetus Papa exûl et « supplex Constantinopolitanum episcopum ad « pristinam Trapesuntinam sedem contra ca- « nones dimissam amandaret; ab hâc quoque « dejiceret, nisi rectam profiteretur fidem, ejus « sociis certis conditionibus veniam indulgeret. » Corollarium Defensionis Cleri Gallicani, cap. 10, edit. 1745. Quâ autem ratione id consequens, ut Romanus pontifex potestate legislativâ, vi primatûs, universo donatus in orbe christiano, eâque auctoritate, ut vel patriarchas in ordinem cogere, et à sedibus dejicere valeat, episcopales non possit appellationes jure divino admittere et judicare?

Probatur 4° : Quis verè catholicus dubitaverit, quin majoribus de causis summus pontifex, interjectâ præsertim appellatione, ipsius vi primatûs judicare possit? Episcopi autem depositio majores inter causas numeranda est; ergo, etc. Totum hoc argumenti genus vehementer premit Nicolaus I, veneratione omni dignus ille pontifex, in definiendâ causâ Rothadi Suessionensis episcopi, qui malignis artibus Hincmari Rhemensis archiepiscopi unâ in synodo fuerat communione privatus, in alterâ depositus, et Romanam ad sedem instanter appellaverat : « Ecce, inquit in Epistolâ ad Galliæ « episcopos, sedem Petri caput appellatam, cui « de singulis provinciis Domini referre sacer- « dotes debent : » sic deindè præsules perstringit qui Rothadum damnaverint, ac dejecerint : « E contra vos adeò hanc (sedem Apostolicam) « despicitis, ut ad eam nihil de majoribus Ec- « clesiæ negotiis referre curetis, ac episcopum, « inconsultâ et contemptâ illâ, deponere præ- « sumatis, et præcipuè sedem Apostolicam àp- « pellantem. Sed dicitis judicia episcoporum « non esse majora negotia, nec difficiliores « causarum exitus : at nos horum meritò judi- « cia, majora negotia dicimus, et difficiliores « causarum exitus judicamus, qui quantò gra- « dûs sunt præcipui, et in Ecclesiâ Christi « sublimiores, tantò cùm de eorum casu vel « statu agitur, majora negotia, et difficilio- « res causarum exitus agitari vel haberi cre- « duntur. » Feliciter composita est causa Rothadi, qui Româ in Gallias reversus, sedi suæ auctoritate apostolicâ restitutus est; dejectis autem episcopis jus appellationis ad Romanam sedem non detrectabant qui illum deposuerant, ut demonstrari potest ex ipsâ Hincmari ad Nicolaum epistolâ ; sed, ut scitè observat Natalis Alexander, idcircò Rothadi consenserunt depositioni, « quia ipsis persuaserat Hinc- « marus Rothadum judices elegisse, et ab ele- « ctis judicibus deinde Romam appellâsse, quod « Africanis canonibus in Ecclesiâ Gallicanâ re- « ceptis et longo usu consecratis repugnabat. » Majores inter causas collocandam esse privationem episcopatûs, testatus est datâ occasione Clerus Gallicanus, tum etiam quantùm cathedræ Petri in causis episcopalibus deferret honoris et obsequii. In exemplum afferre juvat, quod gestum est in causâ Renati de Rieux Leonensis (de Léon) episcopi : læsæ majestatis regiæ accusatus, sede suâ privatus fuerat à quatuor episcopis, quos anno 1632 delegaverat Urbanus VIII, quorum à sententiâ appellavit : de formâ quidem judicii conqueruntur apud Innocentium X, Urbani successorem, Gallicani episcopi, postulantes, vocatus ut in crimen episcopus judicetur à comprovincialibus episcopis, adjunctis si opus fuerit nonnullis vicinâ ex provinciâ, ut duodecim habeantur judices ; at de Romani pontificis, episcopalibus in causis auctoritate quid sentiant, patet istis inter cætera testimoniis : « Beatissime Pater, inquiunt « in Epist. ad Innocentium X, juris et inno-

« centiæ præsidium, à sanctâ Petri sede fra-
« ter noster reverendissimus Leonensis in
« appellationis causâ diu præstolatus, nunc
« tandem ejus prosequendæ moras et impedi-
« menta, amoliente Christianissimo rege, ad
« summum Ecclesiæ tribunal iterùm recurrit,
« vestræque sanctitatis pedibus non jam solus,
« sed Cleri Gallicani comitantibus votis advol-
« vitur, ut servato juris ordine, quod fas et ratio
« postulat, iterùm delegati judices, nocens sit,
« an insons, auctoritate vestrâ decernant. »
Quibusdam interpositis, sic prosequuntur :
« Sistit ergo se, beatissime Pater, imò verò pro
« illo nos sistimus tuæ sanctitati, ut honoretur
« beati Petri Apostolorum principis memoria,
« Ecclesiæque Romanæ cui præsedit, privile-
« gium, ac vestri nominis auctoritas, sitque
« salva et integra sanctis canonibus ac decretis
« Spiritu Dei conditis ac totius mundi reve-
« rentiâ consecratis sua ratio, quæ majora ne-
« gotia ac difficiliores causarum exitus sanctæ
« sedis judicio usquequàque servari volue-
« runt. »

Probatur 5° : Qui potestatem appellationes episcoporum confirmandi aut infirmandi, et de illis statuendi, noluerunt pontifici Romano ut necessariam primatûs appendicem attribuere, aut primam juris illius institutionem referunt Sardicensem ad synodum, aut jus illud penitùs negaverunt, ac vel ipsâ in synodo Sardicensi, de solo *revisionis* jure sancitum esse arbitrati sunt : certis utrumque argumentis refelli potest. Falsum est quidem ante Sardicensem synodum caruisse pontificem Romanum jure de appellationibus episcopalibus decernendi; si enim jus appellationum episcopalium ad sedem Apostolicam fuisset à synodo Sardicensi institutum, quâ ratione Julius Romanus pontifex, pluribus annis ante præfatum concilium, ita scribere potuisset ad Eusebianos : « Oportuit
« secundùm canonem, et non isto modo judi-
« cium fieri ; oportuit scribere omnibus nobis,
« ut ita ab omnibus, quod justum esset, decer-
« neretur; episcopi enim erant, et non vulgares
« Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi
« Apostoli suâmet operâ ad fidem instruxerunt;
« cur igitur et inprimis de Alexandrinâ civi-
« tate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari
« estis hanc consuetudinem esse, ut primùm
« nobis scribatur, ut hinc quod justum est de-
« finiri possit? Quapropter si istic hujusmodi
« suspicio in episcopum concepta fuerat, id
« hùc ad nostram Ecclesiam referre oportuit. »
Apud S. Athanasium apologiâ 2. Sive ergo appellaverit propriè S. Athanasius, sive non, ex eâ tamen epistolâ manifestè colligitur inditam esse Apostolicæ sedi potestatem episcopales causas auctoritate suâ dirimendi, easque ad eum referri solitum esse, ut supremo definirentur judicio. Eamdem consuetudinem confirmat Bonifacius I in litteris ad vicarium suum Rufum et cunctos Orientalis Illyrici episcopos : « Sed quia res postulat, inquit epistolâ
« decimâ, approbandum documentis est, maxi-
« mas Orientalium Ecclesias magnis negotiis
« in quibus opus esset disceptatione majori,
« sedem semper consuluisse Romanam, et quo-
« ties usus exegit, ejus auxilium postulâsse. »
Tum id magnis curat adstruendum exemplis, ac præsertim mox relato S. Athanasii. De S. Athanasio hæc refert Socrates, lib. 2 Hist. cap. 11 : « Eusebius verò cùm quæcumque
« voluerat perfecisset, legationem misit ad Ju-
« lium Romanæ urbis episcopum, rogans ut
« causæ Athanasii judex ipse esse vellet, et co-
« gnitionem negotii ad se traheret. » Adducit etiam epistolam ejusdem pontificis ad Alexandrinos pro S. Athanasio, de quo id testatur : « Quid de tanto viro pro dignitate dici possit,
« qui tot malis periculisque superatis, nunc
« tandem vobis restituitur, non solùm nostro
« judicio, sed etiam universæ synodi sententiâ
« innocens declaratus? » Lib. 2 Hist. cap. 23. Eodem de negotio id asseverat Sozomenus, Hist. ecclesiasticæ lib. 3, cap. 8 : « Athanasius
« Alexandriâ profugus, Romam venit; eodem
« quoque tempore Paulus quoque Constanti-
« nopoleos episcopus, et Marcellus Ancyræ eò
« accessit, et Asclepas Gazæ, qui cùm adversa-
« retur Arianis, à quibusdam contrariæ factio-
« nis hominibus accusatus quòd altare subver-
« tisset, depositus fuerat ; in ejus autem locum
« subrogatus Quintianus Gazæorum Ecclesiam
« rexit ; Lucius præterea Adrianopoleos epi-
« scopus ob aliud crimen Ecclesiâ suâ spolia-
« tus, Romæ degebat; episcopus igitur Roma-
« nus, cùm singulorum causas cognovisset,
« omnesque in Nicænæ fidei doctrinam con-
« sentientes reperisset, tanquàm idem cum ipso
« sentientes, in communionem recepit; et quo-
« niam propter sedis dignitatem, omnium cura
« ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam
« restituit; scripsit etiam Orientalibus episco-
« pis, reprehendens eos quòd in supra dictorum
« causis non rectè judicâssent. » Quid disertius et propositæ controversiæ magis accommodatum? Vexatos iniquè episcopos restituit S. pontifex, et judicum à quibus fuerant condem-

nati, coarguit ac dissolvit sententias, idque propter suæ dignitatem sedis, et quòd ad eum cura omnium pertineret, in iis etiam Ecclesiis quæ non vi patriarchatûs, sed collati divinitùs primatûs, ejus auctoritati subjacebant.

Appellationes episcopales judicandi potestate præditum fuisse ante synodum Sardicensem Romanum pontificem, insigni argumento est causa Cœciliani Carthaginensis episcopi, de quo ita S. Augustinus Epist. veter. edit. 162 : « Non mediocris utique auctoritatis habebat « (Carthago) episcopum, qui posset non curare « conspirantem multitudinem inimicorum, cùm « se videret et Romanæ Ecclesiæ, in quâ sem- « per Apostolicæ cathedræ viguit principatus, « et cæteris terris unde Evangelium ad ipsam « Africam venit, per communicatorias litteras « esse conjunctum, ubi paratus esset causam « dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias « alienare conarentur. » Memorari potest antiquius etiam factum quod nostro non minùs conducit proposito; Asianis episcopis Romanæ, in celeberrimo paschatis negotio, consuetudini refragantibus, aut inflixit, aut saltem comminatus est anathema Victor summus pontifex, quos ne ab Ecclesiæ communione removeret, rogavit S. Irenæus, potestatem hanc eos excommunicandi minimè inficiatus; excommunicationis quoque minas intentavit S. Stephanus S. Cypriano, ejusque in defendendâ baptismi ab hæreticis administrati iteratione collegis. At quomodò d judicandis appellationibus episcoporum in causis personalibus, impar fuerit pontificia illa auctoritas, quæ Africanis, quæ Orientalibus tot Ecclesiis, gravissimam omnium pœnam irrogare potuerit? Quod verò spectat eos qui ne quidem concedunt, adscriptum fuisse Romano pontifici à Sardicensi concilio jus de appellationibus episcoporum statuendi, imputationem hanc aptiùs refellemus ubi speciatim tractabimus quæ ad hanc synodum pertinent.

Solvuntur objecta.

Objicies 1° : Concilio Nicæno primo generali ignotum fuit, aut minimè probatum jus appellationum quod summo pontifici attribuitur; en hujus synodi quintus canon : « De his qui com- « munione privantur, seu ex clero, seu ex laico « ordine, ab episcopis per unamquamque pro- « vinciam, sententia regularis obtineat, ut ii « qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. « Requiratur autem ne pusillanimitate, aut « contentione, aut alio quolibet episcopi vitio « videantur à congregatione seclusi; ut hoc « ergo decentiùs inquiratur, annis singulis « placuit per unamquamque provinciam bis in « anno concilia celebrari, ut communiter om- « nibus simul episcopis congregatis provinciæ, « discutiantur hujusmodi quæstiones, et sic « qui suo peccaverunt evidenter episcopo, « excommunicati rationabiliter ab omnibus « æstimentur, usquequò vel in communi, vel « episcopo placeat humaniorem pro talibus « ferre sententiam. » — « Canon ille, inquit « D. de Marca, confirmat auctoritatem unius- « cujusque provinciæ in judicandis definitivo « decreto causis ecclesiasticis quæ ad clericos « aut laicos spectant; et per consequentiam « idem statuitur quoad correctionem et depo- « sitionem episcoporum, tametsi casus ille di- « sertis verbis non extet in canone; sanè « dubitari non potest quin hic canonis sensus « sit et ea mens, ut in generali hâc lege com- « prehendantur judicia adversùs episcopos, « cùm eorum mentionem aliàs nuspiam faciat « synodus Nicæna. »

Resp. : Allato in canone de clericorum inferiorum et laicorum, non de episcoporum causis agitur; prohibet ne clericus aut laicus à suo episcopo communione privatus, recipiatur ab aliis : ne tamen ad ferendam excommunicationis sententiam, irâ vel alio vitio episcopus fortè incitatus fuerit, jubet Nicæna synodus concilium provinciale bis celebrari per singulos annos, ibique judicia episcoporum singulorum ad trutinam revocari. Hunc esse objecti canonis sensum certò suadetur, his verbis : *Requiratur autem ne* (clericus aut laicus) *pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio videatur à congregatione seclusus.* Idem demonstratur istis vocibus : *Et qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur.* Examen præcipitur lati in inferiores ab unoquoque episcopo judicii, non ergo sententiæ quâ condemnatus fuerit aliquis episcopus, cùm ab uno episcopo, tametsi metropolitano, episcopus non possit excommunicari.

Quod verò D. de Marca obtendit, præfato in canone idem statui de episcopo, quod de inferioribus clericis, quoad correctionem et depositionem, quamvis casus ille disertis verbis haud in illo extet decreto, eamque esse Nicænæ synodi mentem, cùm aliàs nullam injecerit mentionem de episcoporum condemnatione, infirmum est prorsùs ac imbelle istud ratiocinium; nam præter quàm quòd adnotatis mox

verbis apertè refellitur, numquid necesse fuit idem statui de episcopis quod de clericis inferioribus, ipsisque laicis, ne expressâ quidem de dignitate episcopali mentione? nedùm verò supremam in episcopalibus causis jurisdictionem provinciali synodo tribuerit Nicæna synodus, eas iterùm examini subjici permisit eadem synodus. Id testatur Julius summus pontifex in Epist. ad Orientales : « Quocirca, inquit, episcopi in magnâ synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt, prioris synodi acta, in aliâ synodo examinari. . . . . Quòd si istius modi consuetudo olim fuit, ejusque memoria renovata est, et scripto tradita in magnâ synodo, » etc. Nec profectò canonem suum infringere voluit illa synodus examinandâ Meletii causâ, in concilio episcoporum depositi.

Probandum susceperat Julius, potuisse retractari prolatam contra S. Athanasium ab Eusebianis sententiam : quod ut evincat, alludit ad canonem quintum Nicænæ synodi, colligendo ex datâ ipsi laico quem suus condemnaverit episcopus, licentiâ provincialem ad synodum appellandi, posse condemnatum à provinciali synodo episcopum, superius ad concilium provocare; quâ facultate si defraudaretur, longè deterior esset episcopi judicialibus in causis quàm laici conditio; primo enim in judicio damnatus, statim absque perfugio iniquitati occumberet; forsitan etiam alludit Julius ad causam Meletii Nicæno in concilio, ut diximus, agitatam.

Inst. 1° : Quæ fuerit mens concilii Nicæni primi generalis declarant concilium secundum œcumenicum, Africana synodus, et Innocentius I, summus pontifex; tutior nulla exoptari potest interpretatio. In tertio canone Constantinopolitani primi, generalis secundi concilii hæc leguntur : « Non invitati episcopi ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus vel disponendis quibuscumque ecclesiasticis causis, servatâ regulâ quæ supra scripta est de unaquâque diœcesi. Manifestum namque est quòd per singulas quascumque provincias, provincialis synodus administrare et gubernare omnia debeat secundùm ea quæ sunt in Nicænâ definita. » Gradus jurisdictionis luculentiùs explicantur in canone sexto ejusdem concilii, qui extat in collectione Græcâ, licet desideretur in Dionysianâ. « Jubet sancta synodus primùm quidem apud provinciæ episcopos accusationem persequi, et apud eos probare crimina episcopi qui accusatur; quòd si evenerit ut provinciales episcopi crimina quæ episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tum ipsos accedere ad majorem synodum diœceseos illius episcoporum pro hâc causâ convocatorum. »

Ad intelligentiam illorum canonum animadvertendum est *diœcesis* nomine in iisdem significari tractum quemdam et diversarum provinciarum collectionem, quæ præfecto prætorio aut ejus vicario parebat in causis civilibus, exarcho autem in causis ecclesiasticis; itaque cùm imperium Orientis divisum esset illâ tempestate in quinque diœceses, Ægyptiacam videlicet, Orientalem, Thraciam, Ponticam et Asianam, concilium diœceses ecclesiasticas ordinavit ad exemplum dispositionis civilis diœceseon, ita ut prima criminum episcoporum cognitio pertineret ad synodum provinciæ; si verò de injusto judicio querela moveretur, deferri illa debebat ad synodum diœcesanam, quam exarchus convocabat absque speciali permissu imperatoris.

Revera in quinto canone mentio diserta non habetur judiciorum quæ in episcopum sævierint: habetur æquivalenter; canon quippe ille concilii Constantinopolitani apertè testatur administrationem et gubernationem Ecclesiarum, canone Nicæno 5 mandatam esse unicuique provinciæ; administrationis autem vocabulo Patres Constantinopolitani comprehendunt judicia adversùs episcopos, æquè ac alia politiæ et regiminis ecclesiastici capita; tum in sexto canone distinctè assignantur duo in accusationibus episcoporum jurisdictionis gradus, et quæ servanda esset in iisdem dijudicandis regula; damnatis in provinciali synodo episcopis, permittitur duntaxat « accedere ad majorem synodum diœcesecos episcoporum pro hâc causâ convocatorum. Si quis autem, inquiunt patres Constantinop., spretis iis quæ, ut priùs declaratum est, statuta sunt, ausus fuerit vel imperatoris aures obtundere, vel secularium magistratuum tribunalia, vel synodum œcumenicam perturbare, contemptis omnibus diœceseos episcopis, hic omninò ad accusationem non est admittendus. »

Diœcesanæ seu patriarchali synodo ultimum in causis episcopalibus adjudicatur judicium; ulteriori recursu interdicitur accusato episcopo; ergo et ad sedem Apostolicam appellatione, cujus quidem subsidii procul dubio, in assignandis causarum episcopalium judicibus, mentionem synodus injicere debuisset; altum tamen apud eam talibus in causis, de Romani

pontificis auctoritate silentium; imò statuit non esse audiendum episcopum qui damnatus à diœcesanâ (qualem exposuimus) synodo, aliud ad tribunal provocare audeat.

Resp. 1° : Contradictione implicatur ea objectio quam tantoperè attollunt D. de Marca et D. de la Chambre; adhibent secundum canonem concilii Constantinop. ad probandum supremâ, in causis episcoporum, auctoritate valere synodum provincialem; adjungunt autem in suî patrocinium, sextum quem huic concilio tribuunt canonem, in quo permittitur provocatio ad majorem seu patriarchalem synodum. 2° Fatemur interpretante concilio generali Constantinop., declaratum esse à Nicænâ synodo, omnia singularum provinciarum gravis momenti negotia posse ac debere in provinciali synodo agi et expediri; quibus negotiis et administratione comprehendi potest ipsa episcoporum accusatio et condemnatio; sed non inde sequitur ultimum de causis episcoporum adjudicatum fuisse judicium concilio provinciali; imò contrarium, ut diximus, evincitur ex canone sexto quem Constantinop. synodo attribuunt adversarii. 3° In secundo canone concil. Constantinop. singulis patriarchis et exarchis limites præscribuntur jurisdictionis; de Romano autem pontifice, aut de ultimâ causarum episcopalium cognitione, ac de exaggeratâ synodorum provincialium auctoritate, ne levissimum quidem est verbum; en ille canon : « Episcopi qui super diœcesim sunt, non accedant neque confundant et permisceant Ecclesias secundùm regulas constitutas. Alexandriæ quidem episcopus ea quæ sunt in Ægypto tantùm gubernet; Orientis autem episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus Ecclesiæ Antiochenæ, quæ in regulis Nicænæ synodi et continentur, sed Asianæ diœcesis episcopi ea quæ sunt in Asiâ, et ad Asianam tantùm diœcesim pertinent, gubernent; Ponti autem episcopi Pontice tantùm diœcesis habeant curam : Thraciæ verò ipsius tantùm Thraciæ; non invitati episcopi, » etc. 4° In sexto canone non agitur propriè de appellationibus episcoporum, sed de conflatâ in episcopos accusatione; idque perspicuum ex tenore canonis, ibique decernitur, ne à concilio provinciali ad œcumenicum interjiciatur appellatio, sed non prohibuit ne ab illâ provocaretur ad synodum diœcesanam, seu patriarchalem; imò hanc licentiam expressè impertitur; nec vetuit ne Romanum ad pontificem appellaretur; id quidem genus appellationis in citato canone non commemorat, quia in iis commemorandis sistendum sibi censuit, quæ ordinanda susceperat in partibus Orientalium, nec ea quæ divinâ institutione sancita erant, qualis est primatus summi pontificis, hujusque dignitatis appendices, attingit, nihilque ex iis molitur detrahere.

5° Ut scitè observat Natalis Alexander, negarî potest sextum canonem esse decretum synodi œcumenicæ Constantinopolitanæ primæ, quæ tres duntaxat canones edidit, ut viri eruditi contendunt, freti auctoritate codicis Ecclesiæ Græcæ, qui in concilio Chalcedonensi actione 16, lectus est; item versione Dionysii Exigui, Cresconii Collectione, Ferrandi Breviario, aliisque minimè spernendis monumentis.

Quæ ad expositionem canonis quinti Nicænæ synodi objiciuntur ex Africanâ synodo et Innocentio I, ea opportunè magis tractabimus ubi speciatim de celebri contentione Africanos inter et summos pontifices Zozimum, Bonifacium et Cœlestinum, atque de sententiâ Innocentii I agendum nobis erit.

Objicies 2° : Ex ipsâmet synodo Sardicensi tam religiosè propensâ et affectâ Romanam in sedem, colligitur jus appellandi quod ab eâ tribuitur summo pontifici, non à divinâ institutione esse repetendum, nec ante illam viguisse synodum; cùm diversis technis et dolis S. Athanasium aliosque orthodoxos opprimerent Eusebiani, seu Ariani, indictum est generale concilium apud Sardicam, quæ urbs est Illyrici, flagitante per litteras Constante Constantini Magni filio, imperatore Occidentis, et ultrò annuente Constantio Orientis imperatore; in tertio hujus concilii canone, hæc de Osio episcopo referuntur : « Si quis autem episcopus « in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, et existimet se non malam, sed bonam « causam habere, ut etiam rursùs judicium « renovetur; si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis « qui judicaverunt, scribatur Julio Romano« rum episcopo, et per propinquos provinciæ « episcopos, si opus sit, judicium renovetur, « et cognitores ipse præbeat; si autem probari « non potest, causam ejus esse talem, ut eam « rursùs judicari opus sit, quæ semel sunt ju« dicata, non infirmentur, sed rata sit lata « sententia. » In quarto canone : « Gaudentius episcopus scripsit : Si videtur necesse « esse adjici huic sententiæ, quam sincerâ « dilectione plenam protulisti, ut si quis « episcopus fuerit depositus judicio episco-

« porum qui sunt in vicinià, et dicat rursùs sibi definitionis negotium competere; « non priùs in cathedram alius substituatur, « quàm Romanus episcopus, causâ cognitâ, « sententiam tulerit. » In canone quinto, aliàs septimo apud Dionysium et Isidorum : « Osius « episcopus dixit : Placuit ut si quis episcopus « delatus fuerit, et congregati ejusdem religionis episcopi eum gradu moverint, et ve« luti appellans confugerit ad beatissimum « Romanæ Ecclesiæ episcopum, et velit ipsum « audire, et justum esse existimaverit ejus rei « examinationem renovari, coepiscopis scri« bere dignetur, qui sunt propinqui provinciæ, « ut ipsi diligenter et accuratè singula perscrutentur, et ex veritatis fidè de re senten« tiam ferant. Si quis autem postulet suum « negotium rursùs audiri, et ad suam supplicationem Romanorum episcopum judicare « visum fuerit, ut à proprio latere presbyteros « mittat, et sit in potestate ipsius quodcumque « rectè habere probaverit; et si decreverit « oportere eos mitti qui cum episcopis sint « judicaturi, habentes auctoritatem ejus à quo « missi sunt, et hoc ponendum est. Si autem « sufficere putaverit ad rei cognitionem, et « episcopi sententiam, faciet quod prudentis« simo ejus concilio rectè habere videbitur. « Responderunt episcopi : Quæ dicta sunt, « placuerunt. » Integros oportuit canones illos exscribere, quia recensentur inter monumenta quæ maximè ad explanandam appellationum causam pertineant. At ex illis argumenta prodeunt quæ Romano pontifici jus illas admittendi et judicandi abjudicare videantur; de jure quod esset à Christo Domino derivatum, et usu confirmatum, non ita locutus fuisset Osius Cordubensis episcopus : *Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli memoriam honoremus.* Nonne his verbis significatum voluit, collegis suis facultatem suppetere juris illius comprobandi, vel repudiandi, quod sanè de institutione divinâ proponi non potuisset? Præterea his vocibus, et toto canonum contextu, indicatur voluisse Patres concilii jura summi pontificis augere novâ concessione; hinc nominatim ad Julium præfatam potestatem deferunt, quasi ante ipsius pontificatum Romana sedes illâ caruisset.

Resp. : Adnotatu dignum est, ex tribus jam relatis canonibus concilii Sardicencis, quintum tertio esse immediatè subjiciendum; in utroque enim idem statuitur, nempe condemnatum à synodo provinciali episcopum posse summum ad pontificem confugere, qui causam illius jubeat iterùm expendi, eamdemque si voluerit discutiendam judicandamque committat vicinæ episcopis provinciæ, adjunctis, si placuerit, quibusdam legatis. In quarto autem canone decernitur, eidem episcopo proscripto in hâc alterâ synodo, concedendam esse licentiam, iterùm Apostolicæ sedis invocare præsidium, cujus ante sententiam nemo in locum accusati substituatur.

Nunc ad objectionem diluendam dicendum est, à canonibus synodi Sardicensis ortum non duxisse jus appellationum quo pollet summus pontifex, sicut nec ipsius primatum juris illius verum indeficientemque fontem, ut ex assertionis nostræ probationibus constat. Si quid verò novi in decretis illis constitui videatur, id in eo positum est, quòd lege positivâ et expressâ definiat et evolvat Romani pontificis insignem illam prærogativam, quæ, licet cum ipsi mandatâ divinitùs Ecclesiæ universalis gubernatione arctissimè cohæreat, deductâ duntaxat ex illo primatu consequentiâ et consuetudinis traditione innotuerat; tum etiam distinctè prædictis in canonibus decernitur, id quod expedire non ita erat perspicuum, videlicet posse non à provinciali duntaxat synodo, sed à majori ad quam fuisset provocatum, appellationem adhiberi.

Neque, ut observat cardinalis Perronius, insuetum est conciliis, ut cùm de aliquo disciplinæ capite jam Ecclesiæ probato legem aliquam proponendam curant, suffragia exposcant, quasi jus aliquod novum esset constituendum; in hunc eloquendi modum citari potest canon imprimis 16 synodi ipsius Sardicensis, quo id quod jam fuerat canone quinto concilii Nicæni ordinatum, prohibetur ne, sive *diaconus, sive presbyter, sive quis clericorum*, à suo excommunicatus episcopo, communionem impetret ab altero. *Hoc quoque omnibus placeat*, inquiunt Patres Sardicenses, ut sive *diaconus*, sive *presbyter*, etc.

Etsi nominatim in vindicando sedi Apostolicæ appellationum jure, adscribant illud Julio summo pontifici, quid inde inferatur contra divinam ipsius originem? Ideò nominatur quia tum Ecclesiam regebat et administrabat; nec minùs accuratè dictum est à Patribus synodi Sardicensis : *Petri Apostoli memoriam honoremus*, quasi dicerent : Splendidum exhibeamus reverentiæ nostræ, et obsequii testimonium erga successorem Petri, vicarium Christi et universæ caput visibile Ecclesiæ.

Inst. : Nedùm summo pontifici divinitùs collatum esse jus appellationum agnoverint Patres Sardicenses, ne quidem jus illud ipsi concedere voluerunt; jus tantùm *revisionis* ad honorandam sedem Petri largiuntur; namque in appellatione superiorem ad judicem transfertur integra causæ cognitio; non remittitur ad priores judices; ipsius auctoritate excutitur et definitur quæstio; atque donec proferatur decretorium judicium, priore supersedendum est sententiâ; at Patres Sardicenses integram causæ cognitionem non transferunt ad summum pontificem; eam volunt mandari prioribus judicibus, quibus ille, si opportunum existimet, novos adjungat; causæ tantùm retractationem decernit; jubere duntaxat potest ut *renovetur judicium*, can. 3; judicare utrùm justum sit *rei examinationem renovari*, can. 5, quæ quidem simplicem ad revisionem spectant.

Resp. : Summo pontifici à Patribus Sardicensibus concilii asseritur ipsamet potestas appellationes episcopales judicandi; namque agnoscunt in eo potestatem confirmandi prolata in synodo provinciæ judicia : « Si autem « probaverit, inquiunt, talem causam esse, ut « non refricentur ea quæ acta sunt, quæ de- « creverit, confirmata erunt, » can. 3; agnoscunt pariter in eo potestatem assignandi vicinis ex provinciis episcopos, et legatos si voluerit mittendi, qui cum illis causam auctoritate sedis Apostolicæ perpendant, et quid ipsis æquum esse videatur statuant : « Placuit « autem ut si episcopus accusatus fuerit, et « judicaverint congregati episcopi regionis « ipsius, et de gradu suo eum dejecerint; si « appellaverit qui dejectus est, et confugerit « ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit « se audiri; si justum putaverit ut renovetur « judicium, vel discussionis examen, scribere « his episcopis dignetur, qui in finitimâ et « propinquâ provinciâ sunt, ut ipsi diligenter « omnia requirant.... et si decreverit mitten- « dos esse qui præsentes cum episcopis judi- « cent, habentes ejus auctoritatem à quo « destinati sunt, erit in suo arbitrio, » can. 7. Nec solùm jus novos dandi judices attribuitur sedi Apostolicæ à patribus Sardicensibus, sed potestas etiam illorum sententiam vel confirmandi vel rescindendi, ex canone 4 supra relato; nec ulla in tribus adductis canonibus occurrit mentio de prioribus judicibus, et de necessitate remittendi ad illos iterùm causæ episcopalis examinis ac judicii : nec ea necessitas colligi potest ex his verbis, ut *renovetur judicium*, ut *rei examinatio renovetur*. Hæc enim verba ritè intelliguntur de altero præstando à judicibus quos designaverit summus pontifex, examine et judicio.

Objic. 3° : 12, 14 et 15 canones concilii Antiochensis celebrati anno 341, ac proinde ante concilium Sardicense, arreptâ occasione ex dedicatione templi à Constantino Magno inchoati et Constantis curis ac magnificentiâ absoluti, quod *Dominicum aureum* nuncupatum est; interfuit ipse Constantius huic solemnitati cujus causâ convenerunt Antiochiam episcopi nonaginta, et synodo coactâ ediderunt canones 25 sinceram et accuratam spirantes disciplinam, ideòque in codicem Ecclesiæ universalis adscriptos, et à Chalcedonensi laudatos concilio ut regulas sanctorum Patrum; id constat ex actione quartâ et undecimâ et ex canone primo; namque, v. g., actione quartâ, « sancta synodus dixit : Sacri Patrum canones « legantur, et commentariis inserantur; sum- « ptoque libro Aetius archidiaconus et primi- « cerius magnæ Ecclesiæ legit. » Tum recitati sunt canon quartus et canon quintus synodi Antiochensis; in synodo Romanâ sub Leone IV commendati sunt *unanimiter* tanquàm SS. Patrum decreta; neque hic opus est ut recenseamus omnes tum veterum, tum recentiorum canonum collectiones, quibus genuinas inter ecclesiasticæ disciplinæ regulas comprehenduntur. Eorum auctoritatem adstruendam duximus, ne illis detrahatur propter Eusebianorum in synodo Antiochensi machinationes.

Hujus concilii hic est canon duodecimus : « Si quis à proprio episcopo presbyter aut « diaconus, aut à synodo fuerit episcopus fortè « damnatus, et imperatoris auribus molestus « extiterit, oporteat ad majus episcoporum « converti concilium; et quæ putaverint ha- « bere justa, plurimis episcopis suggerant, et « eorum discussiones et judicia præstolentur; « si verò hæc parvi pendentes, molesti fuerint « imperatori, hos nullâ veniâ dignos esse, nec « locum satisfactionis habere, nec spem futuræ « restitutionis.... dijudicamus. » Eo in canone, ab omni spe restitutionis excluditur damnatus tum à synodo provinciæ, tum à majori synodo alterâ episcopus; prohibetur ergo ad sedem Apostolicam recursus.

Canon decimus quartus : « Si quis episcopus « de quibusdam criminibus judicetur, deinde « contingat episcopos provinciæ de eo disside- « re; illis quidem eum de quo fertur sententia,

innocentem pronuntiantibus, his verò reum; « pro totâ componendâ controversiâ placuit « sanctæ synodo, ut episcopus metropolitanus « è vicinâ provinciâ judices alios convocet, « qui controversiam tollant, et quod cum pro- « vinciæ episcopis probatum fuerit, confir- « met. » Hoc est, ultimo judicio id censeatur comprobatum.

Canon decimus quintus : « Si quis episcopus aliquorum criminum accusatus, ab omnibus provinciæ episcopis condemnatus fuerit, et « omnes unam consentientem adversùs eum « sententiam tulerint, is ne ampliùs ab aliis « judicetur ; sed provinciæ episcoporum firma « maneat sententia. » Prohibetur ne consentiente provinciæ episcoporum sententiâ proscriptus episcopus ab aliis judicetur, ac ne infirmari possit illud episcoporum provinciæ judicium ; ergo tum intercluditur omnis ad Romanum pontificem appellatio.

Resp. : In synodo Antiochenâ, cui interfuerunt non pauci catholici præsules, dominati fuerunt favente inprimis Constantio imperatore, Eusebiani, odio et invidiâ perciti in sanctum Athanasium causam suam ipsius ad Apostolicæ sedis tribunal agentem, cujus in locum Gregorium Cappadocem hominem peregrinum et Arianum Alexandrinæ præfecerunt Ecclesiæ ; haud tamen inficiamur inter ecclesiasticæ disciplinæ regulas cooptatos fuisse memoratæ synodi canones ; at per objectos ex illis, contendimus non labefactari appellationum jus, Petro, ejusque successoribus, ex divinâ institutione attributum. Ideò enim canones illi objiciuntur, ut provinciali synodo suprema in causis episcopalibus judicandis asseratur potestas ; at vel ipso duodecimo canone declaratur posse damnatum à synodo provinciæ episcopum, *majus ad concilium* causam suam transferre ; ibi enim agitur de damnato episcopo, ad alteram confugiente, sed ampliorem synodum, et de sententiâ provincialis synodi confirmandâ vel rescindendâ ; neque ab illo concilio invecta est ea disciplina, ut patet ex epistolâ Julii summi pontificis ad ejusdem concilii episcopos.

In decimo quarto canone statuitur, ut dissidentibus inter se prioris auctoribus judicii, vicinæ convocentur provinciæ judices ad componendam controversiam ; cum jure in appellationibus episcoporum, attributo sedi Apostolicæ, rectè consociatur caput illud disciplinæ. In decimo quinto canone decernitur quidem ut condemnatus unanimiter ab omnibus provinciæ episcopis, non ampliùs *ab aliis* judicetur, *sed provinciæ episcoporum firma maneat sententia*. Hæc verba : *Non ab aliis judicetur*, significant, ut patet, si cum decimo quarto canone decimus quintus iste conferatur, non esse convocandos *vicinæ provinciæ episcopos*, quando eamdem in sententiam priores conspiraverint judices : idcircò autem additur, *firmam tum manere episcoporum provinciæ sententiam*, quia tunc, regulariter loquendo, meritò præsumitur veritate et æquitate innixum esse illud judicium ; nec nisi ad protrahendum perperàm negotium, debitamque subterfugiendam pœnam appellatum iri. Verùm si re ipsâ posset probatâ aliquâ ratione in suspicionem erroris vel iniquitatis adduci, lata consentientibus licet judicibus sententia, tum nihil vetaret quominùs ad summum pontificem provocaretur, ut alios constitueret judices qui laboranti et perversè proscripto opem ferrent ; neque concilio Chalcedonensi eo sensu accepti sunt canones Antiochenæ synodi, ut provinciæ synodi judicio, quamtùmlibet damnatus, jaceret absque spe restitutionis episcopus, atque rector ipse, caputque Ecclesiæ defraudaretur potestate, oppresso, ipsiusque auctoritatem imploranti episcopo, juridicè opitulandi, sive indicendâ majori synodo, sive aliâ quam rerum adjunctis opportunam arbitretur, viâ. Itaque si ritè componatur concilii Antiocheni canon decimus quintus cum decimo quarto, intelligetur voluisse synodum Antiochenam, in decimo quarto dissentientibus inter se judicibus convocandos esse vicinæ provinciæ episcopos, eò quòd dijudicata nondùm fuerit causa ; consentientibus autem prioribus judicibus, firmam tunc regulariter, ut diximus, haberi sententiam, sed ab eâ sententiâ superius ad tribunal si nunquàm posset appellari, quâ ratione canon iste cohærere posset cum canone duodecimo asserente simpliciter, causam damnati à provinciæ synodo episcopi, ad majus episcoporum concilium traduci? Non obstiterunt synodi Antiochenæ canones, quæ, ut diximus, habita est anno 341, quominùs S. Athanasium, aliosque depositos ab Arianis episcopos restitueret, anno 342, aut potiùs in episcopali dignitate, suffragante Ecclesiâ, confirmaret Julius summus pontifex. Non retardârunt synodum Sardicensem ab asserendo jure appellationes episcoporum judicandi, Apostolicæ sedi inhærente ; non prohibuerunt ne ad hanc altissimam sedem potuerit teste S. Augustino, epist. 162, provocare Cœcilianus Carthaginen-

sis episcopus, à multis Donatistarum exagitatus, damnatusque conciliis; non dimoverunt ab appellandâ et invocandâ Romani pontificis, communis Christianorum patris ac defensoris auctoritate SS. Chrysostomum, Flavianum, etc., quorum facta ad propositum nostrum spectantia suo loco tractabimus.

Objicies 4° famosam episcoporum Africanorum cum Romanis pontificibus Zozimo, Bonifacio, Cœlestino contentionem, quâ sæpiùs et procaciter abutuntur hæretici ad impugnandum ipsum summi pontificis universâ in Ecclesiâ primatum : Africani præsules, quos inter eminebat S. Augustinus, cùm perspexissent Nicænos inter canones, quorum exemplaria curaverant ab Alexandriâ et Constantinopoli accersenda, non recenseri canones quorum auctoritate, quasi Nicænæ fœtûs synodi, innixus, profitebatur Zozimus, admittendas episcoporum ad sedem Apostolicam appellationes, tum decreverunt ab illis appellationibus esse abstinendum; quibus ducebantur momentis, candidè ac generosè exposuerunt in Epist. ad Cœlestinum pontificem, Bonifacii, qui Romanam post Zozimum sedem tenuerat, successorem; ideòque eorum epistolæ testimonia quædam licet prolixa operæ pretium est depromere. « Impendio deprecamur, inquiunt, « ut deinceps ad vestras aures, hinc venientes « non faciliùs admittaris, nec à nobis excom- « municatos in communionem ultra velitis ex- « cipere, quia hoc etiam Nicæno concilio « definitum advertet venerabilitas tua; nam « etsi de inferioribus clericis vel laicis, videtur « ibi præcaveri, quantò magis hoc de episcopis « voluit observari, ne in suâ provinciâ, com- « munione suspensi, à tuâ sanctitate vel festi- « natò, vel præproperè, vel indebitè videantur « communione restitui? Presbyterorum quoque « et sequentium clericorum improba refugia, « sicuti te dignum est, repellat sanctitas tua, « quia et nullâ Patrum definitione, hoc Eccle- « siæ derogatum est Africanæ, et decreta Ni- « cæna, sive inferioris ordinis clericos, sive « ipsos episcopos, metropolitanis suis apertis- « simè commiserunt; prudentissimè enim jus- « tissimèque providerunt, quæcumque negotia « in suis locis ubi orta sunt, finienda; nec « unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritûs « defuturam, quâ æquitas à Christi sacerdoti- « bus, et prudenter videatur, et constantissimè « teneatur; maximè quia unicuique concessum « est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad « concilium suæ provinciæ, vel etiam univer- « sale provocare. » Ad vim eludendam illius testimonii responderi non potest cum eruditissimis cardinalibus Bellarmino, Baronio et Perronio, improbari à Patribus Africanis, non ipsam juris appellationum quasi substantiam, sed nimiam in illis et recipiendi facilitatem, et in judicandis festinationem : namque asserunt appellationes illas concilii Nicæni definitionibus adversari, per ejus decreta, *sive inferioris ordinis clericos, sive ipsos episcopos, metropolitanis suis apertissimè committi, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt esse finienda; nec unicuique provinciæ gratiam Spiritûs sancti defuturam.* Tum etiam arguunt ex ipsâmet, quæ aliunde accerserentur judiciorum, in causis personalibus conditione : « Aut quo- « modò, aiunt, ipsum transmarinum judicium « ratum erit, ad quod testium necessariæ per- « sonæ, vel propter sexûs, vel propter se- « nectutis infirmitatem, multis aliis interve- « nientibus impedimentis, adduci non pote- « runt? » Cùm verò intellexerint huic incommodo remedium obtendi posse, mittendis à Romanâ sede legatis qui causas appellationum accuratè, iis in locis ubi enatæ fuerint discutiant, remedium illud etiam repudiant, tanquàm auctoritate sufficienti destitutum : « Nam, in- « quiunt, ut aliqui tanquàm à tuæ sanctitatis « latere mittantur, nullâ invenimus Patrum « synodo constitutum. » Tum indicant illud Nicænæ synodo, cujus genuina acceperant exemplaria, fuisse incognitum; alteram ejusdem rejiciendi causam antea subministraverant maximè, scilicet *quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.* Nullam ibi interserit appellationum ad sedem Apostolicam mentionem; totum condemnatis ipsis episcopis perfugium significant in concilio provinciali majore, aut nationali esse repositum. Hinc liberè sic admonent summum pontificem : « Executores etiam clericos vestros, « quibusque petentibus nolite mittere, ne fu- « mosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, « quæ lucem simplicitatis, et humilitatis diem, « Deum videre cupientibus præfert, videamur « inducere. »

Enarratæ contentioni exordium quidem attulerat interjecta Romanum ad pontificem appellatio Apiarii presbyteri Siccensis Ecclesiæ et à suo episcopo, cui nomen Urbanus, condemnati; quem relapsum, suâque propriâ confessione convictum, restituere iterùm noluerunt episcopi Africani, quantocumque stu-

dio restitutionem exposceret Faustinus sedis Apostolicæ legatus; verùm, ut excitatâ eorum ad Cœlestinum Epistolâ perspectum est, non presbyteris tantùm, sed ipsis episcopis, interponendâ ad sedem Apostolicam appellatione interdictum esse voluerunt.

Resp. : Priusquàm afferatur responsio, quædam sunt elucidanda, scilicet, quare sub nomine Nicænorum canonum miserit ad Africanos Zozimus tria synodi Sardicensis decreta quibus appellationes ad summum pontificem diserte vindicantur; quo pacto contigerit ut Africanam Ecclesiam latuerint tunc illi canones; quâ tandem ratione, non ex primatu summi pontificis, at ex auctoritate concilii argumentum duxerint pontifices Romani, ad juris illius de appellationibus statuendi patrocinium.

Ad primum : Romanâ in Ecclesiâ inoleverat ea consuetudo, ut Nicænæ synodi appendix et complementum haberetur concilium Sardicense, quia non aliud fidei symbolum, seu aliam à Nicænâ professionem fidei ediderat, quam strenuè propugnavit et confirmavit; convocata est etiam ad retractandam S. Athanasii, Marcellini Ancyrani, Asclepæ Gazensis, et aliorum episcoporum causam, qui ob defensionem divinitatis Christi fuerant ab Arianis exauctorati; hinc factum est ut à Zozimo, Bonifacio, Cœlestino, necnon ab Innocentio I Epist. ad Victricium, et Leone I ad imperatorem Theodosium II, canonibus synodi Sardicensis, inscriptum sit nomen concilii Nicæni; Justinianus ipse imperator, qui synodum Sardicensem vocat *œcumenicam*, non nisi quatuor numerabat concilia œcumenica, eò quòd à Nicænâ Sardicensem non distingueret. Præterea quo pacto, fallere si voluisset Zozimus, tacuissent arrecti ad illius obviam vituperationem Pelagiani? quomodò eam instaurare ausi fuissent ejusdem successores, quasi tanto temporis spatio minimè potuisset esse comperta? quâ ratione pontificem illum laudibus extulissent SS. Augustinus et Prosper, sanctum, venerabilem, beatissimumque post mortem ejus appellantes? Accedit quòd nihil causæ occurrat cur Nicænæ synodo Sardicenses canones falsò attribuerent : nam præter summam auctoritatem quâ ut Nicænum, ita et Sardicense, quemadmodùm statim ostendemus, valebat concilium, istud speciatim debuit acceptum esse Africanæ Ecclesiæ, cujus 36 episcopi, quos inter Gratus, Carthaginis metropolitanus, in hoc idem confluxerant, unus verò Africanus episcopus, nempe Cœcilianus, Nicæno interfuerat concilio.

Ad secundum : Sicut observat cardinalis Perronius, quando ad Africanos misit canones Sardicenses Zozimus, jam Africanis in provinciis decreta illa non reperiebantur: eos dolosè abstulerant Donatistæ, eorumdemque in locum, canones pseudosynodi Sardicensis Arianæ propè Sardicam celebratæ suffecerant, eò quòd in istis mentio facta esset Donati Donatistarum Carthaginensium episcopi; idque certis adstruitur momentis; testatur enim evidenter, nec semel S. Augustinus, illos quos cerneret disseminatos in Africam canones sub nomine Sardicensium, ipsos esse Ariani concilii decreta, quibus cum Nicænâ synodo proscriberetur S. Athanasius; totâ autem antiquitate declaratur, tum Nicænam fidem, tum S. Athanasii causam in vero Sardicensi concilio, constanter fuisse vindicatam. At quomodò factum est, ut illius synodi canonum elapsa tum fuerit Africanam apud Ecclesiam notitia? namque celeberrimæ illi synodo, non solus Africanæ Ecclesiæ archiepiscopus Gratus, sed insuper plures adfuerant gentis illius episcopi, nec dubitandum est quin acta synodalia et nominatim canones secum deportaverint. Id quidem admirationi proximum est; verùm præter desumpta mox argumenta, illud accedit quòd, ut observat Bellarminus, « Africani « in Epistolâ ad Cœlestinum, bis repetunt, « in nullâ Patrum definitione, et in nullâ synodo se invenisse illos canones, ex quo apparet eos non habuisse canones Sardicensis « concilii, in quibus tres canones (à Zozimo « laudati) disertis verbis numerantur. » Dicendum ergo non multa ex synodo Sardicensi asportata fuisse in Africanam Ecclesiam ejusdem synodi exemplaria, eademque fuisse Donatistarum pravitate, ut adnotavimus, fraudulenter erepta.

Ad tertium : Voluisse Zozimum concilii sive Nicæni, sive Sardicensis auctoritatem adhibere ad juris defensionem quod in appellationibus episcoporum summo competit pontifici, non est quod mirum esse videatur; nonne vel ad asserenda religionis maxima dogmata, in medium adducuntur conciliorum canones, ut retundatur efficaciùs eorum pervicacia qui Scripturas ipsas adulterinum in sensum detorqueant? deinde, cùm probandum esset non licere duntaxat summo pontifici, sed aliquando etiam expedire, de appellationibus episcoporum ferendam sententiam, opportunè admo-

dùm proferebantur à Zozimo editi tam probatâ auctoritate canones, ut concepta quædam avelleretur ex Africanorum mentibus offensio et repugnantia.

Jam probandum est nihil ex illâ Ecclesiæ Africanæ contentione inferri posse, quod adscripto sedi Apostolicæ juri de appellationibus episcoporum decernendi, officere valeat. 1° Quidquid statuerit de jure illo Africana Ecclesia, anteponi debet statutis ejus, tum Romanæ Ecclesiæ, tum concilii Sardicensis auctoritas, cui suffragatur inprimis synodus Chalcedonensis œcumenica; multos etsi complectebatur dignos veneratione præsules Africana Ecclesia, fatentibus tamen omnibus Catholicis, Romanæ subjacebat sedi, cui ut in controversiâ de baptismo hæreticorum, ita et in contentione de jure appellationum, cedere illam oportuit.

Quod verò attinet Sardicensem ad synodum, auctoritate quoque præponderat synodis Africanis: concilio illi præfuerunt Julii Romani pontificis nomine, Osius Cordubensis, Archidamus et Philoxenus presbyteri; ita S. Athanasius apolog. 2; Theodoretus lib. 2 Hist. cap. 15; Adrianus in Epitome canonum. Aderant per se aut per legatos omnes patriarchæ, uno excepto patriarchâ Antiocheno Ariano; id testificantur S. Athanas, Socrates, Sulpitius Severus; coaluit ex Galliæ, Hispaniæ, Macedoniæ, Thessaliæ, Achaiæ, Ægypti, Africæ, Palæstinæ, omniumque imperii Romani provinciarum episcopis, et quidem plusquàm trecentis, qui ex plusquàm triginta et quinque provinciis convenerant; pro unâ duntaxat provinciâ habebatur Africa; pro unâ Galliæ, etc.; hinc synodum illam vocat *synodum magnam* S. Athanas apolog. 2; *œcumenicam* Socrates l. 2, c. 2; Justinianus imperator, Edicto de tribus capitulis. Hinc *Sardicam convenisse ex orbe toto episcopos* testantur Theodoretus, Severus Sulpitius, Vigilius Tapsensis. Frustra opponit D. de Marca convocatione quidem œcumenicam fuisse synodum Sardicensem, non autem celebratione et exitu, quia divortium ante contigerit inter utriusque imperii episcopos quàm concilium foret ex ipsis constitutum; pauci illi episcopi, ut rectè adnotat cardinalis Peronius, qui dissidentes Philippolim secesserunt, vel erant hæretici, vel hæreticorum partibus addicti; at œcumenicitatem concilii ex orbe universo convocati potestne impedire paucorum episcoporum secessio, aut hæresi mancipatorum, aut hæreticis apertè faventium? Ex dictis liquet, longè præstare Africanis synodis concilium Sardicense, cujus proinde standum est canonibus de jure appellationum. Jus idem confirmatur auctoritate concilii Chalcedonensis œcumenici, ex 636 episcopis constituti, annis 30 post sextam synodum Carthaginensem nationalem celebrati; in generali illâ synodo vim habuisse appellationes tum ad fidem, tum ad personam episcoporum attinentes, colligitur ex epistolâ imperatoris Valentiniani III, omnibus præfixâ illius exemplaribus concilii tum Græcis tum Latinis; sic alloquebatur Theodosium imperatorem; sui esse officii præfatus conservare intemeratam beati Petri Apostoli dignitatem, subjungit: « Quatenùs beatissimus Romanæ civitatis episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide et sacerdotibus judicandi. » Eò referri possunt quæ testatur de synodo Chalcedonensi imperator Marcianus: « Quæ dùm fidem, inquit, diligenter inquirit, auctoritate beatissimi Leonis episcopi æternæ urbis Romæ, et religionis fundamenta constituit, Flaviano et ante actæ vitæ palmam, et mortis tribuit gloriosæ. » Eòdem spectant quæ actione primâ ejusdem concilii ordinata sunt de Theodoreto qui sedis Apostolicæ judicium invocaverat: « Gloriosissimi judices, et amplissimus senatus dixerunt: Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo, et sacratissimus, et piissimus imperator sanxit eum adesse sanctæ synodo. » Denique ipsa hæc sanctissima synodus, in relatione ad Leonem summum pontificem, ita conqueritur de violatâ ejusdem à Dioscoro sententiâ contra Eutychetem, quæ in appellationis causâ versaretur. « Eutychetem, inquit, pro impietate damnatum, suæ tyrannidis decretis, innoxium statuit, et dignitatem quæ à vestrâ illi ablata fuerat sanctitate, quippe ut ab eo qui hâc gratiâ erat indignus, ille restituit. »

2° Tametsi potestatem appellationes judicandi, Romano pontifici divinitùs collatam inficiata videretur Africana Ecclesia, errore facti decepta, dicendum foret, eam jus illud non multò post agnovisse ac veneratam fuisse sublatâ erroris causâ, nec proinde quidquam probabilis argumenti ad juris illius impugnationem erui posse, ex brevi quæ jactaretur Africanorum repugnantiâ; quòd quidem jus illud non multò post agnoverit ac venerata fuerit, Africana Ecclesia, constat ex iis quæ

sub ipso Cœlestini pontificatu contigerunt in causâ Antonii Fussalensis episcopi qui Apostolicam ad sedem appellaverat; ne à synodo Africanâ exauctoratum sedi suæ illum Cœlestinus restitueret, sic instanter rogavit S. Augustinus, ut de ipsâ restituendi potestate non ambigeret; cùm præfatus Antonius, cui servato episcopatûs honore adempta erat episcopalis sedes, conquereretur et clamaret, ut refert S. Augustinus: *Aut in meâ cathedrâ sedere debui, aut episcopus esse non debui;* ita eum refellit S. doctor : « Existat exemplo, ipsâ sede Apostolicâ judicante, vel aliorum judicata firmante, « quosdam pro culpis quibusdam, nec episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos; quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia « memorabo. » Deinde varia subjicit exempla S. Augustinus : cujus eâdem ad Cœlestinum epistolâ innotescit, primatum Numidiæ acquievisse episcopi Fussalensis appellationi, atque ejusdem gratiâ scripsisse Romanum ad pontificem; viguisse in Africanâ Ecclesiâ jus appellationum sub pontificatu Leonis I, qui post Sixtum III Cœlestino successerat, ostendit illius ad episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos epistola, quæ est 87 : « Causam quoque Lupicini episcopi, inquit, illic jubemus audiri, cui multùm et sæpiùs postulanti, communionem « hâc ratione reddidimus, quoniam ad nostrum « judicium provocâsset (1). » Fac, Romano episcopo abjudicatum reipsà voluisse Africanam Ecclesiam jus appellationes admittendi et judicandi, eò adducta fuisset, quòd eam, ut ostendimus, laterent canones Sardicenses, et aliunde desiderarentur tum in exemplaribus Nicænæ synodi, à Cæcilio Carthaginensi episcopo ex illâ synodo cui interfuerat, in Africam delatis, tum inter ejusdem canones ex Alexandrinâ et Constantinopolitanâ Ecclesiis advectos; at postquàm compertum habuerunt Africani episcopi, quid in Germanâ synodo Sardicensi gestum et statutum esset, atque certò intellexerunt, quâ ratione canones illius synodi commendarentur sub nomine decretorum Nicæni concilii, tum proclive fuit ut jus illud appellationum confiterentur, de quo exorta fuisset contentio.

3° Jus ipsum appellationum, seu collatam à Christo appellationes judicandi potestatem Romanæ sedi concessam expugnare haud sibi constituerunt Africani episcopi, sed in votis habuerunt ut illius usus temperaretur, et quantùm fieri posset, restringeretur. Probatur : Nullum unquàm decretum ediderunt quo potestati illi detraherent, aut appellationes ipsas ad sedem Apostolicam prohiberent; imò antequàm ab Oriente allata fuissent, quæ postulaverant, Nicænæ synodi decreta, profitebantur sese paratos ad id omne servandum quod illis contineretur, interim se præstituros quod legatorum summi pontificis commonitorio erat præstitutum, seu canonem à Zozimo missum de appellationibus episcoporum, executioni mandaturos; hæc omnia constant tum ex actis concilii sexti Carthaginensis, tum ex Epistolâ synodicâ ad Bonifacium. Postquàm verò expetitos Nicæni concilii canones acceperunt, inter quos non extabat ille quem Zozimi jussu Faustinus protulerat, ne quidem tunc episcoporum, aut etiam sacerdotum appellationes, ullo statuto reprobaverunt. Sed cùm Apiarii ob nova crimina iterùm ab episcopo suo depositi appellatio esset Romæ admissa, et qui eum restituendum curaret Faustinus adventâsset in Africam, novum congregaverunt concilium, in quo damnati instauraretur causa; quem nefandorum criminum propriâ convictum confessione, indignum judicaverunt qui ablatam sibi sedem reciperet; tumque memoriâ repetentes scaturientia nonnunquàm ex appellationum usu detrimenta, nullo tamen decreto, sed supplicationibus institerunt, ut ea, quantùm in ipsis erat, præcaverent : « Impendio deprecamur, « inquiunt, ut deinceps ad vestras aures hinc « venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos, in communionem ultra « velitis excipere. » Haud fuisse proscriptum jus ipsum appellationum ab episcopis Africanis testantur Patres concilii Constantinop., cui cognomen *in Trullo*, et quod à Græcis pro sextâ habetur œcumenicâ : asserunt enim sese conditis tum in Sardicensi, tum in Carthag. synodo canonibus suffragari; possunt igitur,

(1) Authenticitatem illius Epistolæ vocare in dubium conatus est Paschasius Quesnellus, quam adstruere videatur vel ipsis quas in Leonem Magnum conjicit temerè suspicionibus : « Et certè, inquit, valdè Leonis nostri solertiæ ac ingenio consentaneum mihi videtur, « ut temporis opportunitatem captaverit ad « confirmandam sedis suæ auctoritatem in Africanas Ecclesias; nemo est qui nesciat, quoties, quantisque conatibus id tentaverint « Leonis prædecessores, quantùmque Leonis « ipsius ætate Bonifacius et Cœlestinus in eam « rem laboraverint. » Plura vide apud Christianum Lupum à quo vindicatur prædictæ integritas Epistolæ.

quod ad controversiæ caput attinet, secum invicem conciliari.

Ne disciplina relaxaretur ecclesiastica, in hoc incubuerunt Patres Africani, ut et sacerdotes et episcopos averterent, quantùm liceret, à transferendis Romam causis quæ essent in provinciis dijudicatæ ; at Romanæ sedi non ademptam voluerunt potestatem causas etiam personales suum ad tribunal evocandi ; id patet, tum Constitutione imperatorum Theodosii et Valentiniani, quâ jubetur, ut à gubernatore provinciæ Romam adire cogatur evocatus quilibet à summo pontifice episcopus ; tum Zozimi mandato de Urbano Siccensi episcopo Romam transmittendo, nisi ea quæ corrigenda viderentur, emendaret ; neque enim illi evocationi restiterunt Africani episcopi ; sed responderunt in Epist. ad Bonifacium : « Prior « autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, « quod in eo corrigendum visum est, sine ullâ « dubitatione correxit. » Verisimile igitur non est jus appellationum ab episcopis Africanis fuisse Romano pontifici denegatum ; Africana namque Ecclesia, ut apositè animadvertit Christianus Lupus, de Africanæ Ecclesiæ Rom. appellat. cap. 29 : « Est Romani patriarchatûs « diœcesis, ideòque Romanus pontifex est ejus « patriarcha, ac supremus metropolitanus ; « proinde ad ipsum appellatio ex nullo colore « potuit episcopis interdici. » Quæ tamen argumenta ex Africanâ synodo objiciuntur, si valerent ad evertendum jus appellationum, quo potitur summus pontifex, hoc illi detraherent non duntaxat, ut successori principis Apostolorum, verùm etiam ut patriarchæ cui subjacebant Africani. Superest igitur ut intacto appellationum ipso jure, putaverint illius usum talem non expedire, qualem à temporibus multis animadvertere sibi videbantur : quod significârunt his verbis Epist. ad Bonifacium : « Quia verò paci et quieti Ecclesiæ « non tantùm in præsens, sed etiam in poste- « rum prospiciendum fuit, quoniam talia multa « præcesserant, ut vel similia vel etiam gra- « viora præcaveri oporteret. »

Eas appellationes ad sedem Apostolicam improbaverunt, quæ immediatè contingerent ante concilii provincialis, aut universalis concilii Africæ examen et judicium, ut eorum auctoritas declinaretur ; noluerunt faciliùs et frequentiùs admitti, atque maturatam ante discussionem accuratamque factorum exploratione, judicari appellationes episcoporum aut presbyterorum ; ponderanda sunt hæc verba eorum Epistolæ ad Cœlestinum : « De- « precamur ut deinceps ad vestras aures hinc « venientes non faciliùs admittatis. » Tum ex Nicæno concilio, cujus se fretos decretis arbitrantur, id inferunt : « Voluit observari, ne « in suâ provinciâ communione suspensi, à « tuâ sanctitate, vel festinatò, vel præpro- « perè, vel indebitè videantur communione « restitui. »

Inst. : In Epistolâ Ecclesiæ Africanæ ad Cœlestinum multa leguntur, quæ suadeant jus ipsum appellationum etiam episcopalium negatum fuisse, et repudiatum Africanis ab episcopis :

Nam 1° concilii Nicæni definitionibus repugnare asserunt disciplinam faventem appellationibus episcoporum, aut presbyterorum : *Hoc etiam*, inquiunt, *concilio Nicæno definitum facilè advertet venerabilitas tua ;* et rursùs : *Decreta Nicæna, sive inferioris ordinis clericos, sive ipsos episcopos, metropolitanis suis apertissimè commiserunt.* 2° Contendunt finiendas esse iisdem in locis causas ecclesiasticas, ubi natæ sunt : *Quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda ;* nullam posse proferri legem ecclesiasticam quæ causas episcoporum finiendi jus eripuerit Africanæ Ecclesiæ : *Nullâ Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Neque singulis defuturam esse provinciis gratiam Spiritûs sancti, quâ lites dijudicandas perficere valeant : *Nec unicuique provinciæ gratiam Spiritûs sancti defuturam.* Tum quibus obnoxiæ sint incommodis appellationes ad sedem Apostolicam, indicant his verbis : « Quomodò judicium transmarinum « ratum fuerit, ad quod testium necessariæ « personæ, vel propter sexûs, vel propter se- « nectutis infirmitatem, vel multis aliis impe- « dimentis adduci non poterunt ? » Denique viam subministrant quâ possit impetrari suspectæ aut iniquæ retractatio sententiæ. Quia unicuique concessum est, si judicio fuerit offensus cognitorum, vel ad concilia suæ provinciæ, vel etiam ad universale provocare. At hæc omnia, ipsam, ut ita loquamur, essentiam juris appellationum attingunt et impugnant.

Resp. : Videbant Africani episcopi, inter canones concilii Nicæni, quod ab initio habuerant, aut ab Oriente accerserant, non versari decreta quæ synodo illi œcumenicæ attribuebant summi pontifices (1). Molestissimè fere-

(1) Quâ ratione inniteretur attributio illa, supra exposuimus.

bant non episcopos duntaxat ad sedem provocare Apostolicam, verùm etiam, et quidem leviùs ac frequentiùs, id appellationum genus adhibere presbyteros; atque inter illos maximè Apiarium, propter immania scelera bis deturbatum ab episcopali sede, cujus tamen restitutionem urgeret ultra modum Faustinus Romani legatus pontificis; recurrebant mentibus alia multa de quibus conquerebantur, inflicta disciplinæ ecclesiasticæ per appellationes vulnera; his gravissimè commoti rationibus, congerunt omnia quæ ad moderandum, et quantùm assequi possint, deterrendum usum appellationum ad sedem Romanam; quæ tamen objiciunt, possunt probabiliter ita exponi, ut cum jure ad hanc appellandi, ejusque juris, si quando necessitas urgeat, ipso usu cohærere possint.

Declarare videntur Africani præsules adversari concilii Nicæni decretis, appellationes etiam episcoporum; at id asserunt non expressa proferendo decreta, sed usurpando ratiocinio, et quidem non efficaci ad excludendam juris appellationum divinam originem et quasi substantiam : « Nam, inquiunt et si, « synodum Nicænam respicientes, de inferio- « ribus clericis vel laicis, videtur ibi præcave- « ri, quantò magis hoc de episcopis voluit « observari, ne in suâ provinciâ communione « suspensi, à tuâ sanctitate, vel festinatò vel « præproperè, vel indebitè videantur commu- « nioni restitui! » Diximus ratiocinium illud non esse invictum; quinimò pugnat cum præcipuis disciplinæ ecclesiasticæ placitis, quæ eamdem ad normam exigi non patiuntur episcoporum et presbyterorum condemnationem : pugnant etiam speciatim cum undecimo concilii primi Carthaginensis, et cum decimo secundi statutis, quibus ad primum de episcopo judicium requiruntur duodecim saltem episcopi, et sex duntaxat ad judicandam simplicis presbyteri appellationem.

Cæterùm, ut neque Nicænum, neque Sardicense concilium interdicendis simplici presbytero, ad sedem Apostolicam appellationibus, noluerunt, eas recipiendi ipsam potestatem Romano pontifici abjudicare, nec ipsum illius potestatis usum, si quando eum postularent adjuncta temporum; ita nec Africani præsules ex Nicænæ synodi decretis argumentando, voluerunt eâ potestate destitutum esse caput Ecclesiæ, aut ejusdem potestatis usum semper et absolutè, quantacumque necessitas ingruat, esse reprobandum. Ipsos dixerunt episcopos à Nicænâ synodo, *suis metropolitanis* apertissimè esse *commissos;* id concludendum putârunt ex quarto et sexto canone concilii Nicæni; ejusdem enim synodi decretum aliud nullum est, quo agatur de metropolitanorum in episcopos potestate. At in illis canonibus, ne unum quidem verbum injicitur de appellationibus; speciatim habetur mentio confirmandæ à metropolitano ordinationis episcopi; tum etiamsi intelligendi videantur de judicandis à metropolitano appellationibus, non ideò illis adscribitur ultimum in omni casu judicium. Nonne et ipsi Africani episcopi declarant posse judicatam in provinciali synodo causam, ad concilium universale Ecclesiæ Africanæ, interpositâ appellatione transferri?

Arctè tenent ac defendunt Africani episcopi ibi finienda esse negotia, *ubi nata sunt;* impediri sexûs aut senectutis infirmitate causabantur multos testes ne Romam se conferrent; legatos sanctæ sedis qualem Faustinum experti sunt, dominatum quasi affectantes refugiebant; hæc omnia non pertinent ad appellationes quæ ab episcopis, quos assignaret summus pontifex, judicarentur in locis ubi nata essent dirimenda negotia.

Denique, dùm appellare cupientibus patere declarant perfugium ad provincialem, deinde ad nationalem synodum; quamvis optarent non incidere temporum adjuncta quibus ad ulterius tribunal appellationes promoveantur, nec illud commemorandum tribunal sibi putaverint, ne propositum suum infirmare videantur, nullo, ut observavimus, decreto, recursum ad sedem Apostolicam, absolutè prohibuerunt; quæ jam exposuimus, conferantur cum aliis quas attulimus responsionibus.

Explicandæ Africanorum episcoporum, ad Cœlestinum Epistolæ operam impendimus, quasi Epistola ista genuinus certò esset Ecclesiæ Africanæ fœtus. Abs re forsitan non erit indicare momenta rationum, quibus, teste cardinali Perronio, nonnullis vocata est in dubium Epistolæ illius authenticitas; in illâ nulla concilii habetur mentio ex quo sumpta sit; in eâ concluditur prohibitis à synodo Nicænâ presbyteris ne extra singulorum provincias judicarentur, idem potiori jure de episcopis esse constitutum; contrariam planè disciplinam in utrisque judicandis teneri declarat S. Augustinus exponendâ Cœciliani causâ, ut jam animadvertendum curavimus. Eâdem in Epistolâ Africanorum ad Cœlestinum, decernitur posse

damnatos provocare, non solùm ad synodum provincialem, verùm etiam ad nationalem; at duodecim ante Cœlestini pontificatum annis statutum fuerat non annuatim habenda esse concilia Africæ generalia, nec nisi ob causas extraordinarias et universales : præterea neque initio, neque in fine memoratæ Epistolæ nominatur S. Augustinus, in primis tamen commemorandus, atque ordinatione antiquior Theasio, Vincentio, Fortunatiano et aliis ibidem nominatis.

Inst. iterùm : In synodo Milevitanâ, canone vigesimo, prohibitæ sunt appellationes ad transmarina judicia, adeòque ad Romanam sedem; verùm, cùm responderi possit prohibitionem ad presbyteros, diaconos, clericosque duntaxat inferiores pertinere, qui soli reipsà objecto in canone commemorantur, idem canon in collectione canonum Ecclesiæ Africanæ extenditur ad episcopos; ita enim refertur : « Quòd si ab « eis (judiciis episcoporum suorum) provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates provinciarum « suarum, sicut et de episcopis sæpè constitutum est. »

Resp. cum Patre Alexandro : *Clausulam istam, sicut et de episcopis sæpè constitutum est*, spuriam meritò reputari, « cùm nec in canone « Milevitano habeatur, nec à Cresconio Africano in suâ canonum Collectione referatur, « nec ullius Africani concilii canon proferri « possit, quo appellationes ad Apostolicam sedem vetitæ sint. » Quis enimverò credat sextâ in synodo Carthaginensi, in quâ prædicta collectio fuit adornata, citatam clausulam fuisse adjectam, ideòque omnem ad Romanum pontificem prohibitam fuisse appellationem, cùm in Epistolâ ad Bonifacium I sese obstringerent ad servandum jus appellationum, si Nicæni concilii decretis congrueret? Præterea in codice quem Adrianus I misit ad Carolum Magnum, sic enuntiatur objectus canon, ut eo non omnes reprobarentur appellationes, sed quæ veluti per saltum, ac postposito primatuum et conciliorum Africanorum tribunali, interjicerentur. En ipsius verba : « Ut clerici qui ad « transmarina, non ad primates suos provocaverint, in communionem non reci- « piantur. »

Inst. denique : Codicis Africani canone 96 vetatur ne à judicibus electis appelletur : « Si « autem fuerit provocatum, eligat qui provocaverit, judices, et cum eo et ille contra « quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps « nulli liceat provocare. » Ejusdem codicis canone 105 dicitur : « Quicumque non communicans in Africâ, in transmarinis ad communicandum obrepserit, jacturam clericatûs « accipiat. »

Respondeo : Appellationis juri censebantur hoc ipso partes renuntiâsse, quòd de judicibus qui causam dirimerent, conventum inter illas fuisset; neque inde concludi potest, vetitas esse in omni causarum statu appellationes. Deinde canones illi intelligi possunt de profanis clericorum causis, quibus dijudicandis, sancitum fuit Ecclesiæ Africanæ disciplinâ, ut judices arbitri ex clericorum cœtu eligerentur, ne seculares ad magistratus deferretur in cleri dedecus illarum cognitio : quæ disciplina, canone 9 concilii Carthaginensis tertii significatur his verbis : « Cui enim ad eligendos « judices undique patet auctoritas, ipse se « indignum fraterno consortio judicat, qui de « Ecclesiâ malè sentiendo, de judicio seculari « poscit auxilium, cùm privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri « atque ibi determinari præcipiat. »

Objicies 5° canonem nonum concilii Chalcedonensis : « Si clericus adversùs clericum habeat negotium, non relinquat suum episcopum, et ad secularia judicia non concurrat; « sed priùs negotium agitetur apud proprium « episcopum, vel certè (si fuerit judicium ipsius « (episcopi) apud arbitros ex utrâque parte « electos audiatur negotium; si quis verò contra hæc fecerit, canonum subjaceat correptionibus. Et si clericus adversùs suum, vel « alium episcopum habeat causam, apud audientiam synodi provinciæ ejus conquiratur. « Si verò contra ipsius provinciæ metropolitanum episcopum, episcopus, sive clericus habeat controversiam, ad ipsius diœcesis « primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ « regiæ civitatis sedem, ut eorum ibi proprium « negotium exquiratur. » Eumdem in scopum adducitur canon ejusdem synodi 17, in quo id legitur : « Si quis putaverit se à proprio metropolitano gravari, apud primatem diœceseos, aut apud Constantinopolitanæ civitatis « agat judicium, sicut dictum est. » His duobus decretis manifestè excluduntur appellationes ad transmarina, ut vocabant, judicia, seu Romanam ad sedem.

Respondeo 1° : Ut rectè animadvertit Bellarminus, de Romano Pontifice, lib. 2, cap. 22, concilii Chalcedonensis canon 9 (idem dicendum de canone 17) *non est de appellatione*, sed

de *primo judicio;* nec quidquam eo statuto exhibetur, quo prohibeantur appellationes ad sedem Apostolicam; non hanc ipsi prohibitionem affingere possis, nisi pariter volueris, à primo judicio nullum patere conquerentibus recursum ad superius aliquod tribunal; quæ responsio, ut rationi, ita et disciplinæ ecclesiasticæ, et receptis ubique principiis repugnat.

Respondeo 2° : Citatos duos canones, testatur Liberatus, in Breviario, cap. 12, constitutos esse absentibus Papæ legatis, qui tamen alioqui concilio præsidebant; conditi sunt ad asserendum episcopo Constantinop. dignitatis et auctoritatis incrementum, quo foveri ambitio, et fortè schismatis semen, Romanæ videbatur Ecclesiæ; hinc sanctus Leo epist. 61 ad episcopos synodi Chalcedonensis, et epist. 62 ad Maximum Antiochenum, et aliis fatentibus omnibus, vigesimum octavum rejecit canonem, quo duorum patriarcharum Alexandrini et Antiocheni privilegia à concilio Nicæno eis data infringebantur, et episcopo Constantinopolitano primatus in Ecclesiâ post Romanum tribuebatur pontificem. Quid igitur mirum si duos objectos canones, eumdem saltem in finem 28, in mente adversariorum collineantes, summus idem pontifex, cui profectò non dissentiebant occidentales episcopi, minimè sibi approbandos duxerit, maximè cùm declaraverit epistolâ 61 sese Patrum Chalcedonensium adhærere sententiæ, *in solâ videlicet fidei causâ,* et epist. 62 : « Si quid sanè, inquit, « ab his fratribus quòs ad sanctam synodum « vice meâ misi, præter id quod ad causam « fidei pertinebat gestum esse perhibetur, nul« lius erit penitùs firmitatis. » Fatemur in antiquis collectionibus Græcis et Latinis occurrere objectos duos canones, quamvis vigesimum octavum non complectantur; quod argumento esset non eos illum præ se ferre sensum quem ipsis adscribendum volunt juris appellationum impugnatores.

Respondeo 3° : Relatis in canonibus præcipitur, ut qui de metropolitano expostulat episcopus vel clericus, *pergat ad ipsius diœcesis primatem,* aut *certè ad Constantinopolitanæ regiæ civitatis sedem;* in illis decretis, si non agatur de appellationum jure, ut quid tam confidenti opponuntur nobis animo ? Si autem ad jus illud convellendum afferantur, quid ex his tandem concludi valeat, perpendatur; numquid inferre juvat, ex omni orbe christiano, solum ad episcopum Constantinopolitanum appellari posse? id procul dubio absonum est, neque seriò refellendum; si verò dicatur in Oriente potuisse ad eum provocari, quia jure ecclesiastico primas partes in orientalibus regionibus obtineret, quare non licuisset provocare Romanum ad pontificem, qui jure divino primatum universâ obtinet in Ecclesiâ?

Respondeo 4° cum D. David, in adductis canonibus non haberi sermonem de causis ecclesiasticis et canonicis, sed de causis civilibus et profanis, dissidentes inter clericos agitatis; tum etiam neque de judiciis, quæ ad normam et rigorem juris exerantur, sed de judiciis quæ ab episcopis, de quibus litigantes inter partes convenerat, profanis in causis ferebantur; atque deterrentur clerici à secularium judicum adeundis tribunalibus; id certè indicatur ipsis qui objiciuntur, canonibus : « Si clericus « adversùs clericum habeat negotium, non re« linquat suum episcopum, et ad secularia ju« dicia non concurrat. » Id sibi constituerunt Patres Chalcedonensis synodi, ut commendata olim à S. Paulo disciplina confirmaretur, componerentur scilicet à pastoribus Ecclesiæ lites à fidelibus intentatæ; quam disciplinam christiani imperatores, profanis ipsis in causis, auctoritate suâ muniendam curaverunt; quos inter emicuit pietas Constantini Magni, Honorii ac Theodosii Junioris.

Objicies 6° : Supremam conciliorum provincialium auctoritatem in dijudicandis episcoporum causis, profitetur Siricius ipse pontifex maximus, in Epistolâ ad Anysium Thessalonicensem, cæterosque à synodo Capuensi deputatos ad gesta Bonosi hæretici discutienda, Illyrici episcopos : « Cùm hujusmodi, inquit, « fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi « Bonoso atque ejus accusatoribus judices tri« buerentur, et præcipuè Macedones, qui cum « episcopo Thessalonicensi de jus factis vel scrip« tis cognoscerent, advertimus, quòd nobis judi« candi forma competere non posset. » Agnovit ergo Siricius imparem esse admittendis judicandisque episcoporum appellationibus, potestatem Romani pontificis. Hinc Bonosi causam à solis Capuensis synodi delegatis esse judicandam : « Vestrum est igitur qui hoc recepistis « judicium, sententiam ferre de omnibus. » Cui sententiæ postea innuit paratum se adhærescere : *Unde* (hæc sunt ejus verba) *vestræ normam expectamus sententiæ.* Hoc est argumentum impensè à nonnullis ostentatum; quàm inani conatu jam videndum : itaque

Respondeo 1° : Hâc eâdem Epistolâ quâ deprimi obtenditur auctoritatem summi pontificis, atque jus appellationum Romanam ad sedem abnegari, eâdem disertè prædicatur hæc auctoritas : namque primò attendatur ad hæc Siricii verba ibidem enuntiata : « Si integra « esset hodiè synodus, rectè de iis quæ com- « prehendit vestrorum scriptorum series, de- « cerneremus. » Itane potuisset pronuntiare Siricius, nisi de causis episcoporum, ipsisque eorum appellationibus decernendi potestate, præditum se existimavisset Romanus pontifex? 2° Auctoritati suæ non minùs apertum perhibet testimonium idem pontifex, dùm sic deputatos à synodo alloquitur : « Vos enim totius, « ut scripsimus, synodi vice decernitis, nos « quasi ex synodi auctoritate judicare non con- « venit. » Suâ indignum sede affirmat, quasi demandatâ sibi à synodo auctoritate, non ut sibi propriâ, et à Christo immediatè collatâ judicare; hinc intelligitur, quâ mente, quo sensu dixerit : *Advertimus quòd nobis judicandi forma competere non posset.* Non decernendi auctoritatem sibimet abjudicavit, sed judicandi talem formam, seu instar delegatorum à synodo pronuntiandi, alienam esse à sedis Apostolicæ præstantiâ confirmavit. 3° Istis verbis : *Ideò primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data* (à synodo), satis significat, commissam esse Macedoniæ episcopis, ac inprimis Anysio Thessalonicensi, primam causæ prædictæ contestationem, primamque instruendæ cognitionis curam, at sibi ultimum reservari, de causâ illâ ferendum judicium, atque de appellatione, si fortè appellationem adhibere Bonosus voluerit. 4° Ad hæc accedit testimonium S. Ambrosii, et Innocentii I : epistolâ quidem ad Theophilum Alexandrinum, quem componendis Ecclesiæ Antiochenæ dissidiis Capuana synodus delegaverat, ita scripsit S. Ambrosius : « Sanè referendum « arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Ro- « manæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsu- « mimus ea te judicaturum quæ etiam illi dis- « plicere nequeant. » Innocentius I decretum ab Anysio et episcopis Macedoniæ in causâ Bonosi, quamvis à synodo Capuensi delegatis, editum abrogavit, nec voluit in clerum recipi, quos ab hæretico illo ordinatos, sanciverant, ut paci consuleretur, esse recipiendos : « Ergo « inquit, Epist. ad Rufum, Anysii successorem « in sede Thessalonicensi, et alios Macedo- « niæ episcopos, quod necessitas pro remedio « invenit, cessante necessitate, debet utique « cessare pariter quod urgebat, quia alius est « ordo legitimus, aliâ usurpatio quam ad præ- « sens fieri tempus impellit. »

Objicies 7° : Testatur Innocentius I, Epist. ad episcopos Macedoniæ, graviter eos tulisse, retractatam Romanâ in sede fuisse causam Bubalii et Tauriani, quam ipsi damnaverant : « Grave, inquit, non oportuit videri piissimis « mentibus vestris, cujuscumque retractari « judicium, quia veritas exagitata sæpiùs, ma- « gis splendescit in luce, et pernicies revocata « in judicium, graviùs et sine illius qui primus « judicavit, pœnitentiâ condemnatur. » Cur de istâ retractatione, seu iteratâ discussione, quasi de novitate conquesti forent episcopi Macedoniæ, si Romani pontificis in appellationibus episcoporum, auctoritatem agnovissent? aut quare, si tum in causis episcopalibus viguisset ea auctoritas, ejusdem jura querelis retundendis non opposuisset Innocentius?

Resp. : Bubalii et Tauriani causam ab Innocentio I retractari non ægrè tulerunt Macedoniæ episcopi, cùm potiùs ad eum contra utrumque, semel et iterùm querimonias detulissent, eodem teste summo pontifice : « Mora coepis- « coporum nostrorum Maximiani et Eumenii, « inquit, vel potiùs importunitas temporum « fecit, ut vos iteraretis de Bubalio et Tau- « riano querimoniam, et nos iterùm in homines « perditissimos insurgeremus. » (Eâdem Epist. ad Macedoniæ episcopos.) Cur adeò conquererentur Macedoniæ episcopi, notum facit ipse Innocentius I his verbis : « Verùm illud « video movisse animos vestros, quòd in mul- « tis Bubalius fallaciis sæpè deprehensus, obje- « cerit exemplaria fictarum quasi à nobis litte- « rarum, cùm pro consuetudine hominis, nihil « quod proferret, jam fide dignissimum videre- « tur. » Haud igitur necesse fuit Romanæ ut sedis auctoritatem tum commemoraret summus ille pontifex, quam asserendam curavit, ubi opportunum censuit; sic in Epist. ad Victricium Rothomagensem (quæ à nonnullis juri appellationum objicitur) : « Si quæ causæ, « inquit, vel contentiones inter clericos tam « superioris quàm inferioris ordinis fuerint « exortæ, ut secundùm Nicænam synodum « congregatis ejusdem provinciæ episcopis jur- « gium terminetur, nec alicui liceat, sine præ- « judicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in om- « nibus causis debet reverentia custodiri, re- « lictis his sacerdotibus, qui in eâdem provinciâ « Dei Ecclesiam divino nutu gubernant, ad « alias convolare provincias. »

Obj. 8° : Epistolâ 7 ad Cornelium, S. Cyprianus, de quibusdam in Africâ damnatis et à communione rejectis, qui ad cathedram Petri, impetrandæ restitutionis causâ, navigaverant, ita conqueritur, ut pluribus rationum momentis edisserat, non posse Romanam apud sedem appellationes deferri ac judicari : « Nam, inquit, cùm statutum sit omnibus nobis, et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actûs Domino redditurus, oportet utique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint, nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africâ constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, et eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnaverunt; jam causa eorum cognita est; jam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum, mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi. » Illo in testimonio multa observantur quæ cum jure appellationum sedi Romanæ adscripto cohærere non possint : 1° statutum esse declaratur, et *æquum ac justum* dicitur *ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi crimen est admissum;* 2° singulos pastores rationem sui actûs, seu administrationis suæ, Domino (non Romano pontifici) reddituros; 3° non minorem esse auctoritatem episcoporum in Africâ constitutorum, auctoritate videlicet Romani episcopi; 4° levitatis et inconstantiæ arguendam fore episcoporum sententiam, si extra provinciam esset retractanda.

Resp. : Locutus est S. Cyprianus de simplicibus presbyteris, quibus sancitâ disciplinâ prohibebatur ne ad sedem Apostolicam provocarent, ut adnotavimus. Agebatur causa Fortunati, Felicissimi et aliorum de quibus citatâ in Epistolâ sic affatur Cornelium summum pontificem : « Maximè quando et Fortunati nomen jam satis nôsses, qui est unus ex quinque presbyteris, jampridem de Ecclesiâ profugis, et sententiâ coepiscoporum nostrorum, multorum et gravissimorum virorum nuper abstentis. » At episcopis licitas esse ad Romanum pontificem appellationes nedùm inficiaretur S. Cyprianus, disertè testificatus est eâ quam ad Stephanum scripsit Epistolâ de Marciano qui ad castra Novatiani defecerat : « Dirigantur, inquit, in provinciam et ad plebem Arelate consistentem, à te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus, contemnitur, colligatur. » Vocatur quidem à sancto Cypriano *pseudoepiscopus*, Fortunatus, nullâ habitâ, quoad jus appellandi, consecrationis illius ratione, eò quòd à paucis fuerit constitutus hæreticis et schismaticis suî sociis : « Ili quinque, ait Epist. ad Cornel., cum paucis vel sacrificatis, vel malè sibi consciis, Fortunatum sibi pseudoepiscopum cooptârunt, ut criminibus in unum convenientibus, talis esset rector, quales qui reguntur. » Dixit etiam loco citato idem S. doctor : « De istis quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo navigaverunt, legati à Fortunato pseudoepiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes, quàm est et ipse, cujus litteræ, falsus? » Hâc de causâ Fortunatum S. Cyprianus quasi in simplicibus presbyteris numeravit, quos Romam appellare jam prohibuerat Africanæ consuetudo Ecclesiæ.

At, inquies, quamvis ab hæreticis et schismaticis Fortunatus ordinatus, non idcircò episcopali vacabat charactere; neque vetitum erat ne ut episcopus, appellationis causâ, Romanam adiret sedem. Difficultatem hanc sic elevat Christianus Lupus : « S. Cyprianus assidue urget Fortunatum fuisse consecratum ab hæreticis, ideòque non esse nisi imaginarium episcopum; etenim non duntaxat collatum ab hæreticis baptisma, sed etiam impressos ab ipsis ordines censebat irritos et nullos..... Licet enim de his quæstionibus contendere primùm cœperit cum papâ Stephano, semper tamen errorem mente tenuit, edoctus ab Agrippini successoribus; hinc clamat Fortunatum non esse episcopum, ideòque ad Petri cathedram ac principalem Ecclesiam non potuisse navigare. »

Inst. 1° : Dùm generatim pronuntiat S. Cyprianus « æquum esse et justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi crimen est admissum, » satis indicat, ut non presbyteris, ita nec episcopis licere ad Romanum provocare pontificem ; quam enim rationem pronuntiati sui attulit, hæc eadem, ut perspicuum est, ad utrosque potest accommodari. — Resp.: Vindicando quod in Africanâ Ecclesiâ vigebat statuto, operam impendit S. Cyprianus, de

Africanæ Ecclesiæ Appellationibus, cap. 18; *justum* illud et *æquum* vocat, ut scilicet presbyterorum causa non ultra regionem judicanda deferatur, ubi exorta est; ipso enim in testimonio quod objicitur, haud obscurè significat sese de simplicibus loqui presbyteris : « Cùm « statutum sit, inquit, ab omnibus nobis, et « æquum sit pariter et justum ut uniuscujusque « causa illìc audiatur, ubi crimen est admis- « sum..., oportet utique eos quibus præsumus, « non circumcursare, nec episcoporum con- « cordiam cohærentem suâ subdolâ et fallaci « temeritate collidere. » His verbis satis apertè designantur presbyteri, nec voluit S. Cyprianus ademptum fuisse ipsis episcopis jus Apostolicam appellandi sedem; de iis enim nullam injicit mentionem, et quos tantoperè contendit non esse Romæ audiendos, expressis illos verbis *presbyteros* nuncupavit. Noverat profectò Africanæ disciplinam Ecclesiæ S. Augustinus, qui de Cœciliano per secundi Tigisitani episcopi synodum damnato, ad quosdam Donatistarum episcopos istis scripsit verbis, quæ iterùm oculis subjicere non pigeat : « Neque enim « de presbyteris, aut diaconis, aut inferioris « ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui « possent aliorum collegarum judicio, præser- « tim apostolicorum, causam integram reser- « vare. » Primatûs verò auctoritatem Romanâ in sede agnovisse S. Augustinum, exploratè perspectum est.

Cæterùm hæc verba S. Cypriani: *Æquum est et justum ut causa illìc audiatur, ubi crimen est admissum*, significant quidem æquitati et rationi illud esse consentaneum, non autem *ex ipsâ rei naturâ* necessarium, saltem si primâ in contestatione; audita jam illìc fuerit causa, ubi crimen patratum est, et agatur de appellatione; quid enim obstabat, quominùs Romam mitterentur et accusantium testimonia et accusati responsa; aut Româ delegarentur qui auctoritate summi pontificis litem instruerent atque dirimerent, in locis ubi enata fuisset; aut etiam eâdem auctoritate nominarentur judices qui loca illa incolerent? Alia quidem invaluerat quoad presbyteros disciplina, quæ rationabilis, quæ justa meritò dicitur, hoc est, gravibus innixa momentis, verùm ad episcopos neque extensa, neque extendenda, ut abundè probatum est.

Inst. 2° : Non minorem esse innuit Africanæ quàm Romanæ auctoritatem Ecclesiæ : « Nisi, « inquit, si paucis desperatis et perditis, minor « videtur esse auctoritas episcoporum in Africâ « constitutorum, qui jam de illis judicaverunt. » — Resp. : Eâdem in Epistolâ ex quâ ista depromuntur verba, primatum auctoritatis S. Cyprianus Romanæ adscribit Ecclesiæ : « Adhuc « insuper, inquit, pseudoepiscopo sibi ab hæ- « reticis constituto, navigare audent et ad Petri « cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, « unde unitas sacerdotalis exorta est. » Dùm autem dixit : *Nisi si paucis desperatis et perditis, minor videtur*, etc., nullam instituit comparationem Africanam inter ac Romanam Ecclesiam : huic voci *minor* eamdem subjicit, ut ex antecedentibus patet, significationem, quam præ se fert vox *impar, insufficiens*. Quasi diceret : Numquid pauci desperati et perditi putabunt sibi judicandis, imparem esse ac insufficientem Africanæ auctoritatem Ecclesiæ? Aut si volueris, hâc voce, *minor*, comparationem exhiberi, dicendum erit ibi asserere S. Cyprianum majorem esse Africanorum episcoporum auctoritatem, quàm paucorum desperatorum atque perditorum; consonat hæc interpretatio verbis quæ mox sequuntur : « Si eorum, ait, qui de « illis priore anno judicaverunt, numerus cum « presbyteris et diaconis computetur, plures « tunc affuerunt judicio et cognitioni, quàm « sunt iidem isti, qui cum Fortunato nunc vi- « dentur esse conjuncti. »

Inst. 3° : Docet S. Cyprianus uniuscujusque episcopi esse adscriptam sibi gregis portionem regere; cujus regiminis Domino rationem (non Romano pontifici) redditurus sit. — Resp. prædictâ in Epistolâ nihil occurrere quod debitum Romano pontifici detrahat obsequium, nec velle S. Cyprianum soli Domino subjectos esse singulos episcopos; nonne possunt à provinciali judicari synodo? quidni etiam à Romano pontifice, synodis provincialibus, imò et nationalibus superiore? At studet commendandæ singulorum episcoporum auctoritati, ut inde magis etiam venerationem accersat Africanæ statuto Ecclesiæ, de prohibendis à Romanâ sede appellandâ, simplicibus sacerdotibus.

Obj. 9° : Basilides et Martialis nefando idololatriæ libello fuerant contaminati; Basilides insuper præter libelli maculam, cùm in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverat; Martialis quoque præter gentilium turpia et lutulenta convivia, Christum negaverat; multis aliis et gravibus delictis uterque implicatus ab episcopis provinciæ Bæticæ (1) dignitate

(1) Complectebatur civitates Legionensem (Léon), Asturicensem (Astorga), Emeritensem (Mérida).

episcopali orbatus est : Stephanum summum pontificem gestæ rei ac veritatis ignarum fefellerunt, ut reponi se in episcopatum exambirent. Consultus ab episcopis Hispanis S. Cyprianus, multis probat Scripturæ testimoniis, primo quod tulerant judicio firmiter esse inhærendum. Supremam ergo agnovit provincialibus in synodis auctoritatem.

Resp. : Hoc dedit responsum S. Cyprianus, non quasi recipiendæ et judicandæ appellationis auctoritatem Stephano abrogaret, sed eò quòd detestandâ obreptione, irritam substantiali errore sententiam obtinuerint, « nec re- « scinderet, inquit S. Cyprianus, ordinationem; « jure factum potest, quòd Basilides post cri- « mina sua detecta, et conscientiam etiam pro- « priâ confessione nudatam, Romam pergens, « Stephanum collegam nostrum longè positum, « et gestæ rei veritatis ignarum fefellit, » etc. (et infra) neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus qui fraudulenter obrepsit : « Obrepere « autem si hominibus Basilides potuit, Deo « non potest, cùm scriptum sit : *Deus non ir-* « *ridetur;* sed Martiali potest profuisse falla- « cia. » Adnotat præterea S. Cyprianus, jamdudùm à Cornelio proscriptos fuisse Basilidem et Martialem, « maximè, inquit, cùm jampri- « dem nobiscum et cum omnibus omninò epi- « scopis in toto mundo constitutis, etiam Cor- « nelius collega noster, sacerdos pacificus ac « justus, et martyrio quoque dignatione Do- « mini honoratus, decreverit ejusmodi homines « ad pœnitentiam quidem agendum posse ad- « mitti; ab ordinatione autem cleri atque sa- « cerdotali honore prohiberi. » Denique Basilides crimina sua *confessus, episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere deposuerat* ad agendam *pœnitentiam conversus, satis sibi gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret.* « Causa « itaque Basilidis, ut scitè observat Natalis « Alexander, finita erat, ipsomet judicante, « sententiam adversùs semetipsum proferente, « atque executioni mandante; nec quæstio « erat de synodi provincialis judicio, quod « nullum habitum latumque fuerat; unde S. « Cyprianus non ait Stephanum rescindere « non potuisse sententiam contra Basilidem à « synodo provinciæ Bæticæ latam, sed restitu- « tionem Basilidis ab ipso per obreptionem im- « petratam, non potuisse rescindere ordina- « tionem secundùm Ecclesiæ regulas factam : « *nec rescindere*, inquit, *ordinationem jure factam* « *potest.* »

Objicies 10° : Jus appellationum expugnant ea quæ favente atque probante Constantino Magno gesta sunt in causâ Cœciliani Carthaginensis episcopi; argumentum istud sic premit Calvinus lib. 4 Institutionum cap. 7 : « Ac- « cusaverat Cœcilianum Carthaginensem epi- « scopum Donatus à Casis Nigris; damnatus « fuerat reus indictâ causâ. Nam cùm sciret « conjurationem contra se ab episcopis factam, « comparere noluit. Ventum inde est ad Con- « stantinum imperatorem; ille cùm vellet « causam ecclesiastico judicio finiri, cognitio- « nem mandavit Melchiadi Romano episcopo, « cui addidit collegas nonnullos ex Italiâ, ex « Galliâ, ex Hispaniâ episcopos. Si id erat ex « ordinariâ Romanæ sedis jurisdictione audire « appellationem in causâ ecclesiasticâ, cur alios « sibi adjungi patitur imperatoris arbitrio? « imò cur ipse jussu magis imperatoris quàm « ex officio suo suscipit judicium? sed audiamus « quid post ea contigerit. Vincit illic Cœcilia- « nus, Donatus à Casis Nigris cadit actione « calumniosâ. Provocat. Constantinus appel- « lationis judicium demandat episcopo Arela- « tensi; sedet ille judex, ut post Romanum « pontificem, quod visum fuerit, pronuntiet.... « Cur sibi tam insignem ignominiam irrogari « patitur Melchiades, ut sibi episcopus Arela- « tensis præferatur? » Ex hâc historiâ palam fieri constat nullum esse Romano pontifici divinitùs collatum jurisdictionis primatum; illibatusque licet maneat primatus, stare cum ejusmodi factis non posse jus appellationum Romanæ sedi attributum.

Respondeo : Hic solùm attendimus ad ea diluenda quæ juri appellationum directè officere videantur; cætera quæ supremam Ecclesiæ lacessunt auctoritatem, aut Romani primatum pontificis, aliàs excutienda curavimus. Quæ autem juri appellationum in speciem adversantur, in duobus posita sunt : 1° quòd imperator Constantinus judices assignaverit qui cum Melchiade agitatam Cœciliani causam expenderent ac judicarent; 2° et hoc præcipuum est, quòd à Romanæ synodi sententiâ provocantibus Donatistis, causa translata sit Arelatensem ad synodum, quasi supremo hæc synodus litem esset diremptura judicio, postpositâ Romanæ sedis sententiâ. Quod ad primum attinet abundè explanatum fuit et solutum, ipsius Constantini testimoniis et gestis, quæ retulimus in refellendâ objectione quintâ contra supremam et independentem Ecclesiæ in spiritualibus potestatem. Quod ad secundum,

propriè à Romano concilio appellationem interposuerunt Donatistæ, sed, ut refert ipse Constantinus in Epistolâ ad Elaphium, seu, ut alii legere malunt, ad Abladium vicarium Africæ, « cùm res fuissent ab idoneis episcopis « terminatæ, pertinaciter respondendum æsti- « maverunt, quòd omnis causa non fuisset « audita; sed pauci quidam episcopi quodam « loco se clausissent, et prout ipsis aptum « fuerat, judicâssent. » At sivè propriè appellaverint à Romano concilio Donatistæ, sivè illius sententiâ exasperati et efferati, satis habuerint querelis insistere, novosque tumultus concitare, quid concludi potest ex insanis hominum perduellium criminationibus, judices suos à quibus profligati sint, accusantium, ac pervicacibus impetentium dicteriis? Non habitum est Arelatense concilium, tanquàm necessarium emendandæ Romanæ sedis sententiæ, sed frangendæ, si fieri posset, Donatistarum pertinaciæ; audiatur S. Augustinus epist. 162: « Dedit ille (Constantinus), aliud Arela- « tense concilium, non quia jam necesse erat, « sed eorum perversitatibus cedens, et omni « modo cupiens tantam impudentiam cohibe- « re. » At quomodò ex hujusmodi gestis inferri posset supremam esse conciliorum provincialium auctoritatem, cùm ab ipsâ synodo Arelatensi provocaverint Donatistæ, et Constantinum appellaverint, qui causam eorum, quasi coactus indignatus judicavit. « Neque enim, « inquit S. Augustinus, ausus est christianus « imperator sic eorum tumultuosas et fallaces « querelas suscipere, ut de judicio episcoporum « qui Romæ sederant ipse judicaret, sed alios, « ut dixi, episcopos dedit, à quibus tamen illi « ad ipsum rursùm imperatorem provocare « maluerunt, quâ in re illos quemadmodùm « detestatur, audistis epist. 162. »

Defenduntur celeberrima quædam facta quæ ad appellationes episcopales pertinent.

DE FACTO S. ATHANASII.

Missis ad Julium summum pontificem litteris et legatis, Eusebiani nihil non moliti sunt, eum ut à communione S. Athanasii deterrerent, quem oppressum extinctumque voluissent; ad synodum utrosque contendentes vocavit Julius; Romam ultrò advolavit S. Athanasius, commune tanquàm ad præsidium innocentiæ; iniquitatis autem suæ conscii, traxerunt fallaces inanesque moras Eusebiani; octodecim frustra mensibus expectati sunt: litem adjudicavit S. Athanasio Julius, debitisque illum extollendum curavit laudibus. Utrùm Romanum pontificem verè appellaverit sanctus ille doctor, vel ad sedis Apostolicæ confugerit arcem, absque appellatione propriè dictâ, haud improbabiliter disputatum videtur; appellationem tunc fuisse interpositam existimant Baronius et Bellarminus; negat inter alios Natalis Alexander, tum quia ex quo tempore ab exilio revocatus est S. Athanasius, anno scilicet 338, nullum editum fuerit judicium à quo appellare potuisset; tum quia anno tantùm 339 querimonias, seu calumnias contra ipsum ad Julii tribunal detulerint Eusebiani, eodemque anno vertente, ad propulsandas illas criminationes. Romam profectus fuerit.

Quidquid sit de istâ quæstione,

Conclusio. — *Ex facto S. Athanasii astrui potest jus appellationum Romano pontifici divinitùs collatum.*

Probatur: Romano in pontifice non minor requirebatur potestas, ad judicandam litem S. Athanasio ab Eusebianis intentatam, quàm ad judicandam quæ ab ipso interponeretur, appellationem: nonnisi jure primatûs à Christo Domino accepti, poterat in eos tanquàm proprius judex sententiam proferre; neque enim ipsi ut patriarchæ subjacebant, cùm ejus patriarchatus Orientem non complecteretur; attamen definiendâ in causâ S. Athanasii, ut proprium judicem se gessit Julius, nec precariâ auctoritate usus est; id manifestè colligitur 1° ex Epistolâ Julii ad Orientales: « Si igitur « inquit, Martyrio et Hesychio (Eusebianorum « legatis) nullam synodum postulantibus, ad- « hortatus fuissem, ut ad synodum qui ad me « scripsissent convocarentur, idque in gratiam « fratrum qui se injuriam pati conquerebantur, « etiam vel ita æqua et justa fuisset nostra co- « hortatio, cùm ea sit et ecclesiastica et Deo « grata; jam ubi iidem illi qui à vobis pro « gravibus viris et fide digni habiti fuêre, au- « ctores mihi fuerint, ut vos convocarem, « certè id à vobis ægrè ferri non debuit, sed « potiùs alacriter ad citationem occurrere; qua- « propter indignatio eorum qui hâc citatione « offenduntur, temeraria, et tergiversatio si- « stendi se in judicio, inhonesta et suspiciosa « videtur. » Ægrè ferebant Eusebiani, convocatos se et citatos ad synodum, licet hanc postulavissent eorum legati; hæc, illis quantùmvis tergiversantibus, habita est; invitis quoque illis

retractata est S. Athanasii causa, eidemque restituta communio ecclesiastica et episcopalis dignitas; ea omnia præstare non potuit Julius nisi apostolicâ primæ sedis auctoritate. Etverò si non alio fuisset quàm arbitri munere perfunctus, nec aliâ quàm ab ipsis litigantibus derivatâ instructus potestate, electionem istam et concessionem silentio non præterisset, quâ quidem nihil aptius commemorari potuisset retundendis Eusebianorum increbrescentibus de causæ S. Athanasii retractatione querimoniis.

2° Idem probatur ex Epistolâ Gelasii summi pontificis ad episcopos Dardaniæ : « Aposto-« lica sedes, inquit, frequenter more majorum, « etiam sine ullâ synodo præcedente, et absol-« vendi quos synodus iniquè damnaverat, et « damnandi, nullâ existente synodo, quos « oportuit, habuit facultatem; sanctæ memo-« riæ quippe Athanasium synodus Orientalis « addixerat, quem tamen exceptum sedes Apo-« stolica, quia damnationi Græcorum non con-« sensit, absolvit. » Haud obscurè ibi commendatur Romanæ indita sedi potestas dirimendi judicatas ipso in Oriente episcopales causas.

3° Idem evincitur ex testimonio Socratis et Theodoreti. Agendi rationem Julii erga episcopos ab Eusebianis condemnatos ita narrat Socrates lib. 2 Hist. eccles. cap. 11 : « Ille verò, « quoniam Ecclesia Romana privilegium præ-« ter cæteras obtinebat, litteris suos ad epi-« scopos Orientis liberiùs rescriptis, illorum « (episcoporum quos injustè proscripserant) « partes tueri studet; in Orientem litteras « mittit, quò et suus cuique locus restituere-« tur, et eos qui illos abdicaverant, graviter « reprehendit. » Hanc Romani pontificis auctoritatem ea decernendi in causis episcoporum, etiam Orientalium, quæ congruere æquitati arbitraretur, non ex adventitiâ concessione, sed ex privilegio quod Romanam in Ecclesiam primatus invexerat, desumi significat vulgatâ innixus traditione Socrates. Paria loquitur Theodoretus de Julio : « Ille, inquit, Ecclesiæ « canonem secutus, et eos (Eusebianos) jussit « Romam venire, et divinum Athanasium, quò « pro se in judicio ipse responderet, vocavit. » Theodoreto et Socrati consentit Sozomenus lib. 3, cap. 9.

Objicies : Teste sancto Athanasio, ideò judicavit, quia munus et potestatem arbitri detulerant ad eum Eusebiani : « Quin et Eusebiani « ad Julium litteras misêre, et ut nos terrerent « synodum jusserunt convocari, et ipsi Julio, « si vellet, arbitrium causæ detulerunt. » Accedit testimonium Socratis et Sozomeni, quorum fidem interposuimus : « Eusebius, inquit « Socrates, simul atque ea quæ volebat confe-« cerat, legatum ad Julium episcopum Roma-« num, oratum misit ut ipse in causâ Athanasii « judex esse vellet, litisque dijudicationem ad « se transferret. » Hist. eccles. l. 2, c. 9. « Eu-« sebius, referente Sozomeno Hist. lib. 3, « cap. 6, scripsit ad Julium, ut ipse decre-« torum Tyri de Athanasio sancitorum judex « esset. »

Respondeo : Ea vigebat disciplina, ut si quis patriarchalis et Apostolicæ sedis episcopus condemnatus fuisset, rata non haberetur ipsius condemnatio, nisi primæ sedis episcopis proposita fuisset et probata; idque tùm maximè obtinebat, cùm agitatæ causæ adjuncta esset causa fidei; disciplinæ inveteratum istud caput omittere cùm non auderent Eusebiani, *officium arbitri, litis dijudicationem Julio* adscripsisse dicuntur. Hæc autem verba sic intelligenda sunt, ut expositæ disciplinæ in speciem obsequi voluerint, et Julii, quod tamen vix sperabant, suffragium captarent, ad ea confirmanda quæ Tyriâ in synodo contra sanctum Athanasium machinati fuerant; at sibi non constituerant ipsi veri judicis partes et auctoritatem impertiri; namque 1° noverant eum sancto Athanasio impensè patrocinari, cujus innocentiam eximiasque virtutes effuso corde prædicaverat; acerbè insuper indignabantur, discutiendam, judicandam et retractandam eum suscepisse causam Athanasii; legatur Orientalium seu Eusebianorum synodica, Philippolitano in concilio scripta Epistola, quam refert in Fragmentis S. Hilarius : « Non enim, inquiunt, « Ecclesiis consulunt, qui leges juraque divina, « cæterorumque decreta dissolvere conantur : « propterea hanc novitatem moliebantur indu-« cere, ut in concilio Orientales episcopi quid-« quid fortè statuissent, ab episcopis occiden-« talibus refricaretur. » Non aliter quàm à nobis expositum est, delatam ipsi ab Eusebianis, contestatæ litis dijudicationem intellexit Julius summus pontifex, quos sic redarguit citatâ jam ad Orientales Epistolâ : « An ignari « estis hanc consuetudinem esse ut primùm « nobis scribatur, ut hinc quod justum est de-« finiri posset; quapropter si istìc hujusmodi « suspicio in episcopum concepta fuerat, id « hùc ad nostram Ecclesiam referri oportuit; « nunc autem nos, quos certiores minimè fece-

« runt, postquàm jam exegerint quod libuit, « suffragatores suæ damnationis cui non inter- « fuimus, esse volunt; non ita se habent Pauli « ordinationes; non ita Patres docuerunt. » Non mentionem ullam injicit concessæ sibi arbitrariæ alicujus potestatis; tanquàm prius judex et summo jure pronuntiat; tum etiam significat, sese Eusebianorum dolis et cavillationibus non decipi, ac probè perspectum habere, hanc esse illorum mentem, ut suæ ipsorum nequitiæ suffragatorem eum, et non propriè judicem experirentur.

Inst. : Conquesti sunt Philippolitanâ in synodo, præter veterem Ecclesiæ consuetudinem, contigisse ut in Occidente retractarentur Orientalium episcoporum judicia; verba synodi supra retulimus; atque reipsà inconsulto Romano pontifice, Orientalium causæ, ut puta Pauli Samosateni Antiochenis in conciliis proscripti, judicatæ et finitæ sunt ante Julii tempora. — Resp. : Julio sanctissimo pontifici adhiberi oportet potiùs fidem quàm tumultuantibus atque in defensorum Nicænæ doctrinæ perniciem continuò imminentibus Eusebianis, eòque provectis audaciæ, ut Julium ipsum et alios tum pietate, tum scientiâ insignes viros anathemate percellere dictâ in synodo attentârint; sic autem eos perstringit jam non semel indicatâ ad Orientales Epistolâ : « Oportuit se- « cundùm canonem, et non isto modo judicium « fieri; oportuit scribere omnibus nobis, ut ita « ab omnibus quod justum est decerneretur. » Si quando excitatæ orientalibus plagis episcopales et quidem graves causæ, non fuerint Apostolicam ad sedem delatæ, id factum est quòd tunc non impenderet schismatis periculum, et facilè ac tutò malum comprimi potuerit Orientalis Ecclesiæ expresso judicio, tacitè consentiente Occidentali Ecclesiâ, ac præsertim Romanâ, inconcusso ecclesiasticæ centro communionis, *ad quam propter potiorem principalitatem,* ut ait S. Irenæus, *necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

DE FACTO S. CHRYSOSTOMI.

Flagranti studio incubuerat S. doctor in mores clericorum emendandos, comprimendam procerum superbiam, disturbandam hæreticorum colluviem ; imperatricis Eudoxiæ odium incurrerat; offensionem subierat Theophili patriarchæ Alexandrini; habitâ ad *Quercum*, qui locus Chalcedonis suburbium est, synodo, ejusdem Theophili, conjuratorumque episcoporum malis artibus, depositus est, et in exilium ablegatus; ex quo mox revocatus ingenti terræ motu excitato, eximiique pastoris exauctorationem impatienter ferente populo, novâ tempestate jactatus est iterùmque condemnatus, causantibus adversariis eum, utpote ab episcoporum synodo depositum, suam in sedem restitui non potuisse absque majoris auctoritate concilii.

Conclusio. — *Semel et iterùm Apostolicam sedem appellavit damnatus iniquè S. Chrysostomus, semelque et iterùm juridicè et honorificè absolutus est.*

A sententiâ pseudo-concilii ad Quercum provocâsse ad sedem Romanam S. Chrysostomum, ejusque ab eâ, ut par erat, judicatam esse appellationem, probatur 1° ex Epistolâ Honorii ad Arcadium Orientis imperatorem : « Missi, inquit, ad sacerdotes urbis æternæ, « atque Italiæ utrâque ex parte legati (à S. « Chrysostomo et Theophilo), exspectabatur « ex omnium auctoritate sententia informa- « tura regulam disciplinæ. » Deinde vituperatâ adversariorum sancti Chrysostomi in eo insectando festinatione, subjungit : « Hi quorum « expectabatur auctoritas (nempe Romanus « pontifex et ejus assessores), pacificâ Joanni « episcopo communione permissâ, faciendam « concordiam censuerunt, nec quemquam pu- « târunt ante judicium consortio repellendum. » Delata est igitur ad supremam sedem S. Chrysostomi agitata in Oriente causa; sedis illius auctoritate ecclesiasticam in communionem vindicatus est, ac proinde rescissa synodi ad Quercum perversa sententia.

Probatur 2° ex Dialogo Palladii de Vitâ S. Joannis Chrysostomi; in eo legitur : « Ad hæc « rescripsit beatus Innocentius papa, commu- « nioneque utriusque partis admissâ, Theo- « phili judicium cassum atque irritum esse « decrevit. »

Probatur 3° ex Epistolâ Innocentii I ad Theophilum : « Frater Theophile, inquit apud « Palladium, nos et te et fratrem nostrum « Joannem, communionis nostræ esse decre- « vimus, sicuti et in prioribus litteris apertè « satis expressimus, et nunc in sententiâ no- « strâ et voluntate perdurantes, rursùs eadem « scribimus. »

Alterum pariter judicium, quod in S. Chrysostomum instigante Theophilo à conjuratis quibusdam episcopis prolatum est, à Romano pontifice excussum ac reprobatum est.

Probatur : Appellatum quidem tum fuisse à

sancto Chrysostomo Romanam ad sedem, evidenter constat ex illius Epistola ad Innocentium I, qualis hæc à Palladio refertur : « Scribite, precor, inquit, et auctoritate vestrâ « decernite, hujusmodi iniquè gesta nobis absentibus, et judicium non declinantibus, « nullius esse roboris; porrò qui talia gessêre, « eos Ecclesiæ censuræ subjicite, nos autem « insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, « Ecclesiis nostris jubete restitui, ut charitate « frui et pace cum fratribus nostris consuetâ « possimus. » Sententiam de quâ eò loci expostulat S. Chrysostomus, improbatam quoque fuisse et in irritum missam ab Innocentio I, constat ex ejusdem pontificis ad ipsius legatos Constantinopolim profecturos commonitorio; inter alia statuit, « non oportere Joannem « judicium aggredi, nisi illi priùs Ecclesia « communioque redderetur, ut omnis dilatio- « nis occasione sublatâ, suâ sponte concilium « ingredi posset. » Optabat exponendas mox propter causas Innocentius I, haberi generale concilium, in quo consentientibus inter se Occidentalibus Orientalibusque episcopis, solemniter absolveretur S. Chrysostomus; jubet ut eidem antequàm ingrediatur synodum, Ecclesia ejus, communioque restituatur; quæ quidem restitui non possunt, nisi antea rescissum fuerit injustum quo utrâque privatus fuerat, judicium. Eo in proposito ac decreto ita perstitit summus ille pontifex, ut apostolicam in communionem adsciscere Alexandrum Antiochenum patriarcham et Acacium Beroensem episcopum noluerit, nisi curam gererent sarciendæ illatæ S. Chrysostomo injuriæ, ejusque nomen sacra in dyptica retulissent. Id testatur manifestè Theodoretus his verbis : « Episcopi Occidentis non priùs cum « episcopis Ægypti et Orientis, et Bosphori « atque Thraciæ communicare voluerunt, « quàm nomen illius sanctissimi viri (S. Joannis Chrysostomi) in tabulas in quibus nomina « episcoporum mortuorum continebantur, re- « tulissent. » Idem confirmatur Innocentii I ad Alexandrum patriarcham Antiochenum Epistolâ : « Multùm in gestis, inquit, ut sub- « scripta testantur, sollicitus exquisivi, utrùm « omnibus esset conditionibus satisfactum in « causâ beati et verè Deo digni sacerdotis « Joannis; et cùm per singula assertio legato- « rum ex voto esse completa fateretur, gratias « agens Domino, communionem Ecclesiæ ve- «stræ recepi. » Neque patriarcham illum, neque Acacium Beroensem Innocentius, ut ejusdem ad hunc Epistolâ ostenditur, communione suâ donavisset, nisi priùs S. Chrysostomi memoriæ satisfactum esse constaret. Eò referri potest, quam ubi de facto S. Athanasii advocavimus, Gelasii ad episcopos Dardaniæ Epistola : « Sanctæ memoriæ nihilominùs Joannem « Chrysostomum Constantinopolitanum, inquit, « synodus etiam catholicorum præsulum certè « damnaverat, quem simili modo sedes Apo- « stolica, etiam sola (hoc est, absque universali « synodo), quia non consensit, absolvit. »

Objicies : Innocentius I Epistolâ ad clerum et populum Constantinop. ita scribit : « Cæterùm, quid contra istos (adversarios S. « Chrysostomi) in præsentiâ agendum? Syno- « dali cognitione peropus est, quam dudùm « etiam cogendam esse censuimus, sola enim « illa talium procellarum motus sopire potest. » Ergo non eo valet sedis Apostolicæ auctoritas, ut appellationem à S. Chrysostomo interjectam, si tamen reipsà appellaverit, judicare potuerit : atque solam ad synodum vel nationalem, vel universalem, pertinebat illud judicium.

Resp. : Haud existimavit Innocentius I sibi jus non competere admittendæ et judicandæ, quæ Romanam ad sedem delata esset, appellationis; vidimus quâ determinatione ac firmitate mentis reponendum suam esse in sedem S. Chrysostomum judicaverit, et huic suæ auctoritate apostolicâ sententiæ obtemperari voluerit; sed in votis habuit generalis celebrationem synodi, ut efficacius ingravescentibus malis adhiberetur remedium, exacerbati faciliùs ad concordiam inducerentur animi, et impendentis, aut potiùs jam enascentis schismatis fomenta penitùs extinguerentur.

Inst. : Non à cathedrâ Petri causæ suæ authenticam definitionem expectabat S. Chrysostomus, sed ad synodum provocabat, cui soli tale reservandum erat judicium. « Licet « absentes, inquit, essemus, et ad synodum « appellaremus, et judicium inquireremus, et « non auditorium, sed manifestas inimicitias « fugeremus, ipse tamen accusatores suscepit, « meos excommunicavit. »—Resp. : Verba hæc S. Chrysostomi non propriam significant appellationem, sed ad primam referuntur litis contestationem; tùm enim cùm prolata sunt, nullum prodierat judicium, nulla contra ipsum lata sententia, sed parabatur quædam concilii infesta species, quæ nihil non sinistri et iniqui comminaretur; hanc ut præverteret S. Chry-

sostomus, proclamabat se *manifestas ut inimicitias fugeret, judicium* inquirere et non auditorium; postulabat ut legitimum, imò et generale haberetur concilium, cujus ultrò subiret decreta: « Cùm autem, inquit, contestaremur « paratos nos ad diluendà crimina, et ad in- « nocentiam, sicut et innocentes sumus, de- « clarandam coram centum vel mille episco- « pis, non assentit (Theophilus). »

DE FACTO S. FLAVIANI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

Damnatus in synodo Flaviani, patriarchæ Constantinopolitani, Eutyches, à Theodosio impetravit aliud ut haberetur concilium, ut in eo primatum obtineret ac munus præsidendi Dioscorus Alexandrinus omni penè sensu religionis exutus et humanitatis; tali præside et inventore, quas direxerat ad synodum litteræ S. Leo, ne quidem in eâ lectæ sunt; quos ad eamdem miserat legati debitis caruerunt honore et sede; quinimò nefariis Dioscori molitionibus generosè obluctati eodem impotenter desæviente detrusi sunt miserabiliter in custodiam, uno duntaxat fugâ elapso, qui de omnibus Ephesi vesanâ in hâc tempestate gestis summum pontificem certiorem faceret; sanctum in Flavianum præsertim debacchata est iniquitas et tyrannis; posthabito jure omni divino et humano depositus est, atque injuriis ac verberibus sic affectus, mortem ut non multò post in conspectu Domini pretiosam oppetierit. Romanam ab eo sedem appellatam fuisse negârunt nonnulli, contra quos sit sequens propositio:

S. Leonem, tanquàm legitimum auctoritate apostolicâ judicem, appellavit S. Flavianus, eamque appellationem judicandam excepit summus pontifex.

Romanam quidem ad sedem provocâsse S. Flavianum, probatur 1° Epistolâ S. Leonis ad Theodosium imperatorem in quâ hæc leguntur: « Omnes partium nostrarum Ecclesiæ, « omnes cum gemitibus et lacrymis mansuetu- « dini vestræ supplicant sacerdotes, ut quia et « nostri fideliter reclamârunt, et eisdem libel- « lum appellationis Flavianus episcopus dedit, « generalem synodum videatis intra Italiam « celebrari.... Quia autem post appellationem « interpositam hoc necessariò postuletur, ca- « nonum Nicææ habitorum decreta testantur. » Præfato libello S. Leonem censebatur appellare S. Flavianus, cùm legati apostolici, de quibus hìc agitur, appellationem hanc admittere non potuerint nisi potestate à summo derivatâ pontifice. Accedit quòd factum S. Flaviani asserat S. Leo canonibus synodi Sardicensis congruere, quos secundùm suæ morem sedis, Nicænos nuncupat; illorum autem canonum quartum respicit qui episcopo deposito licentiam tribuit ad summum provocandi pontificem.

2° Assertionis positæ illustri est argumento Valentiniani ad Theodosium Epistola: « A « Romano, inquit, episcopo et aliis cum eo ex « diversis provinciis rogatus sum scribere ve- « stræ mansuetudini de fide quam nos debemus « cum omni competenti devotione defendere, « et dignitatem propriæ venerationis beato « Petro Apostolo intemeratam, et in nostris « temporibus conservare, quatenùs beatissi- « mus Romanæ civitatis episcopus, cui prin- « cipatum sacerdotii super omnes antiqui- « tas contulit, locum habeat ac facultatem de « fide et sacerdotibus judicare; hujus enim « gratiâ et Constantinopolitanus episcopus eum « per libellos appellavit, propter contentionem « quæ orta est de fide. » Ibi disertè agnoscitur et interjectam esse ad sedem Romanam appellationem, et eam suscipiendi potestatem inesse summo pontifici, utpote qui beato Petro successerit, et propter primatum quem universa in illius Apostoli successoribus antiquitas agnoverit.

3° Ex litteris Gallæ Placidiæ ad Theodosium filium in quibus de Dioscoro dicitur: « In « synodo Ephesinæ civitatis odium et conten- « tiones potiùs exercuisse narratur, militum « præsentiâ et metu impetens Constantinopo- « litanæ civitatis episcopum Flavianum, eò « quòd libellum ad Apostolicam sedem miserit, « et ad omnes episcopos harum partium, per « eos qui directi fuerunt ad concilium à re- « verendissimo Romæ, qui secundùm definitio- « nes Nicæni concilii consueti sunt interesse, « domine sacratissime fili, venerabilis impe- « rator. » Cùm asseritur missum esse à Flaviano libellum ad Apostolicam sedem, et ad omnes episcopos harum partium, intelligendum est gravissimam illam S. Flaviani causam, ut alias similes, non esse à Romano pontifice judicandam absque synodo; ea interpretatio confirmari potest verbis paulò post subjectis: « Hâc ita- « que gratiâ, tua mansuetudo tantis turbis « resistens, veritatem fidei catholicæ religionis « immaculatam servari præcipiat, ut secundùm « formam et definitionem Apostolicæ sedis, « quam et nos tanquàm præcellentem simili- « ter veneramur, in statu sacerdotii illæso ma-

« nente per omnia Flaviano, ad concilium « Apostolicæ sedis judicium transmittatur, in « quâ primus ille, qui cœlestes claves dignus « fuit accipere, principatum episcopatûs ordi- « navit. » Ibi liquet causæ S. Flaviani judicium adscribi sedis Apostolicæ auctoritati, propter primatum ac principatum Petro à Christo Domino collatum, et ad Petri successores continuâ serie transvectum. Ejusdem Gallæ Placidiæ ad Pulcheriam Augustam scribentis juvat istud etiam referre testimonium; post deploratam Ephesinæ pseudo-synodi turbulentam calamitatem, ita concludit : « Igitur tua « clementia secundùm catholicam fidem, quod « semper nobiscum fecit, et nunc similiter « confirmare dignetur, ut quidquid illo tumul- « tuoso miserrimoque concilio constitutum « est, omni virtute removeatur, ut omnibus « integris permanentibus, ad Apostolicæ se- « dis (1) in quâ primus Apostolorum, beatus « Petrus, qui etiam claves regni cœlestis sus- « cipiens, sacerdotii principatum tenuit, epi- « scopatûs causâ mittatur. »

4° Ex Liberati Breviario cap. 12, cujus hæc sunt verba : « Locum obtinentes papæ Leonis, « omnibus quæ gesta sunt contradixerunt, « Flavianus autem contra se prolatæ sententiæ, « per ejus legatos ad sedem Apostolicam ap- « pellavit libello. »

Jam probandum est delatam ad S. Leonem S. Flaviani causam, ab eodem fuisse susceptam et judicatam, etiam ante concilium Chalcedonense.

Probatur 1° ex Epistolâ S. Leonis ad clerum et plebem Constantinopolitanum : « Quisquis « incolumi atque superstite Flaviano episco- « po vestro, sacerdotium ejus ausus fuerit in- « vadere, nunquàm in communione nostrâ « habebitur, nec inter episcopos poterit nume- « rari. » Ergo rescissa est sedis Apostolicæ auctoritate sententia quâ Flavianum dejectum à sede suâ voluerat latrocinium Ephesinum. Judicium suum idem summus pontifex Epist. ad Theodosium imperatorem enuntiaverat : « Obsecramus, inquit,... ut omnia in eo statu « esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judi- « cium, donec major ex toto orbe sacerdotum « numerus congregetur. » Suum interposuerat judicium, suamque auctoritatem S. Leo, sed propter causas mox assignandas, illæsâ suâ auctoritate peroptabat haberi generale concilium.

2° Sanctissimus idem pontifex in Epist. ad Pulcheriam, de quibusdam episcopis reconciliationem communionemque ecclesiasticam poscentibus, qui impiis Dioscori contra S. Flavianum molitionibus subministrâsse viderentur assensum, sic loquitur : « Quorum desideriis « sic præbemus effectum, ut correctis et quæ « malè sunt facta propriâ subscriptione dam- « nantibus, participatâ nostrorum quos misi- « mus curâ, supra dicto episcopo pacis gratia « tribuatur. »

3° Eamdem ad Pulcheriam, quæ contra Dioscorum ejusque assentatores statuta sint Romæ, Hilarius diaconus scripsit, legatus ille sedis Apostolicæ, qui sese in fugam dederat, ne damnationi S. Flaviani subscribere cogeretur. « Vestra itaque, inquit, veneranda cle- « mentia cognoscat, à præfato papâ (S. Leone) « cum omni occidentali concilio reprobari omnia « quæ in Epheso contra canones per tumultus « et odia secularia à Dioscoro episcopo gesta « sunt, et nullâ ratione hæc in his partibus « suscipi posse, quæ per potentiam prædicti « non sine læsione fidei et præjudicio sanctis- « simi viri innoxiique commissa sunt. » Absolutum esse à S. Leone in suâ synodo et apostolicâ auctoritate S. Flavianum, perspectum est præfati testimonio legati, qui per invia loca Romam se ex Ephesino latrocinio contulerat, et summo pontifici synodi illius flagitia exposuerat.

4° Idem apertè colligitur ex Epist. Gelasii papæ ad episcopos Dardaniæ: « Item, inquit, « sanctæ memoriæ Flavianum pontificum con- « gregatione damnatum, pari tenore, quoniam « sola sedes Apostolica non consensit, absol- « vit (1), potiùsque qui illic receptus fuerat « Dioscorum secundæ sedis præsulem suâ au- « ctoritate damnavit, et impiam synodum non « consentiendo submovit. »

5° Absolutum esse à S. Leone S. Flavianum asserit etiam Justinianus in edicto de Fide.

Solvuntur objecta.

Objic. 1° : Quod esset appellationis S. Flaviano adscriptæ probabilius argumentum, illud desumeretur ex his verbis quibus Dioscorum pronuntiatâ ab eo sententiâ, compellavit : Καταίτουμαι σε, quæ voces sic vertendæ in Latinam linguam videantur : *Recuso te;* at significant duntaxat, non haberi à S. Flaviano tanquàm judicem Dioscorum.

(1) Deest vox *judicium*, aut verbum æquivalens.

(1) Id est, non opus fuit generali synodo ut absolveretur, satis erat in Apostolicâ sede auctoritatis.

Resp. : Adeò non pendet ab illo argumenti genere assertio nostra, ut nequidem illud inter probationes advocandum duxerimus; alia, ut videre est, suppetunt efficaciora; cæterùm antiquis in omnibus codicibus Latinis legitur : *Appello à te;* eamque genuinam esse significationem ex eo invictè colligitur quòd objecta verba prolata sint à S. Flaviano, post pronuntiatam contra ipsum à Dioscoro sententiam; si quando enim recusandus judex aliquis esse videatur, recusatio hæc fieri non potest nisi nondùm latâ sententiâ, ut ostenditur ex lege 16 et 18, cod. de Judiciis, et lege ultimâ de Sententiis.

Objicies 2° : Non ad Romanum duntaxat pontificem provocavit S. Flavianus, verùm etiam simul ad occidentales omnes episcopos, quibus tamen non adjudicabis supremam rescindendi Orientalium judicii potestatem; id patet ex Epistolâ quam retulimus Gallæ Placidiæ, in quâ commemorat exarsisse Dioscori in S. Flavianum contentionem et odium, *eò quòd libellum ad Apostolicam sedem miserit, et ad omnes episcopos harum partium.*

Resp. : Objectionem hanc jam præoccupavimus, et elevandam curavimus, in probatione tertiâ : adjici potest, etsi ad episcopos occidentales tanquàm ad summi pontificis assessores, vel suos apud ipsum mediatores jurisque sui promotores, causam suam detulerit S. Flavianus, persuasum tamen illum habuisse, supremam inter illos auctoritatem obtinere summum pontificem, talibus causis judicandis aptam, divinitùsque comparatam : « Causa « enim inquit, eget solummodò vestro solatio, « atque defensione, quâ debeatis consensu « proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta « perducere : sic enim hæresis et turbæ quæ « propter eam factæ sunt facillimè destruen- « tur, Deo cooperante per vestras sanctissimas « litteras. » Præterea Romanum pontificem à S. Flaviano appellatum esse tanquàm supremum causæ judicem, manifestè suadet tota gestorum series; solis enim legatis Apostolicæ sedis libellum appellationis obtulit S. Flavianus; eam judicandam suscepit summus pontifex; datis ad imperatorem litteris indefesso studio, in eam promovendam incubuit; S. Flavianum iniquè damnatum, auctoritate suâ absolvit; ejusdem ita sanxit nomen sacris esse dypticis inserendum, ut quicumque renuerit, communionis suæ noluerit haberi participem.

Objicies 3° : Ideò tantùm appellandam esse censuit Apostolicam sedem S. Flavianus, et appellari reipsà potuit, quia causa illius episcopi arctissimè cum fidei causâ esset conjuncta; idcircò enim tantis conflictatus est injuriis, quia Eutychianos errores strenuè et constantissimè debellavisset; hinc ad Theodosium imperatorem scribebat Romanâ cum synodo S. Leo, *talem* (à Dioscoro) *prolatam esse sententiam, ut dùm homo unus* (S. Flavianus) *impetitur, in omnem Ecclesiam sæviretur.* Hinc etiam Valentinianus in Epist. ad Theodosium, appellationis S. Flaviani ad S. Leonem sic rationem et fundamentum exposuit : « Hujus enim rei « gratiâ et Constantinopolitanus episcopus, per « libellos appellavit, propter contentionem quæ « orta est de fide. » Potuit autem ad sedem Apostolicam deferri negotium fidei, utpote causam inter majores maximam, quin tamen de causâ depositionis episcopi, ad eamdem provocaretur sedem.

Resp. : Quamvis fidei causa adjuncta esset causæ S. Flaviani, haud tamen propter solam fidei causam appellavit ad Romanam sedem, sed quia iniquè fuerat ab episcopali dejectus dignitate; argumenti solutionem hanc indicant verba hæc Epistolæ Valentiniani ad Theodosium : « Quatenùs beatissimus Romanæ sedis « episcopus, cui principatum sacerdotii super « omnes antiquitas contulit, locum habeat et « facultatem de fide et sacerdotibus judicandi. » Agnoscitur Romano in pontifice tanquàm proprietas primatûs indivulsa potestas judicandi non de causâ solùm fidei, verùm et de *personalibus* episcoporum causis, qualis est *depositio.* Hinc etiam hortatur Pulcheriam Augustam Galla Placidia, ad operam navandam, ut eam ad sedem in quâ beatus Petrus *sacerdotii principatum tenuit, episcopatûs causâ mittatur.* Deinde ubi de appellationibus agitur, ne quidquam distinguendum putaretur inter causas fidei et causas disciplinæ, cùm utriusque sit vindex ex officio summus pontifex, primasque partes in utrâque defendendâ sortitus, sententiam proferre in utrâque valeat; nec ulla præfatæ distinctionis extant in concilio Sardicensi vestigia, quorum canones deprompsit S. Leo firmissima tanquàm monumenta, quibus appellationum jus ex professo commendatum est.

Objicies 4° : Ad judicandam S. Flaviani causam, necessarium arbitratus est concilium generale ipse S. Leo; esto enim nulla fuerit necessaria talis synodus ad profligandos Eutychetis errores, ut asserebat summus ille pontifex tum in Epist. ad Flavianum, tum in Epistolâ ad Theodosium Augustum, in quâ dici-

tur tam esse fidei quam lacessebat Eutyches, apertam causam, ut *rationalibus causis ab indicendâ synodo fuisset abstinendum*; aliter sentiebat de judicandâ S. Flaviani appellatione. Theodosium enim precatus ut concilium generale intra Italiam celebrari permittat, sic prosequitur : *Quia autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur.* Utquid generali opus esset synodo, si propter primatum potuisset S. Leo appellationes episcopales supremâ judicare auctoritate?

Resp. : S. Flaviani appellationem quamvis judicaverit auctoritate apostolicâ, ut probavimus, S. Leo; licet eumdem suam in sedem vindicandum, ejusque nomen sacris inferendum dypticis statuerit; gravibus tamen de causis postulavit generalis ut celebraretur synodus, et quidem propter memoratam etiam appellationem. Pro certo tenebat Theodosius imperator œcumenicam fuisse, omnibusque absolutam numeris illam quæ *latrocinium* Ephesinum nuncupari solet synodus; tum ab illâ meritò proscriptum et à sede suâ deturbatum S. Flavianum : « Omnis igitur contentio, inquit, sacro judicio examinata est. Flavianus autem, « qui reus inventus est, læsibilis novitatis debitam pœnam recepit, et hoc remoto, omnis « pax et omnis concordia regnat in Ecclesiis, « et nihil aliud quàm veritas viget. » Similia scripsit idem imperator ad Gallam Placidiam Augustam, adversariorum S. Flaviani calumniis deceptus et incitatus; præjudicatam illam exitiosamque opinionem ex ejus animo avelli non posse intellexit S. Leo, sedisque Apostolicæ auctoritatem in pseudo-synodo Ephesinâ pro nihilo habitam, redintegrari, nisi generali et canonicè celebrando concilio, in quo consentientibus in condemnationem Dioscori ac S. Flaviani absolutionem Orientalibus et Occidentalibus, discordiæ componerentur fluctus, atque restitueretur vera pax, quæ est tranquillitas ordinis. Hinc Theodosium ad imperatorem ita scribebat : « Ut quia et nostri fideliter « reclamârunt, et eisdem libellum appellationis « Flavianus episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ « omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, « vel in charitate divisum, convenientibus utique orientalium provinciarum episcopis. » In causis ipsis fidei, de quibus judicandi potestatem summo pontifici nemo negavit catholicus, haud semel contigit, ut pronuntiatâ à summo pontifice sententiâ, eadem à concilio generali confirmaretur, illæsâ prorsùs capitis Ecclesiæ auctoritate; nonne à Leone X damnati fuerant errores, antequàm à synodo Tridentinâ œcumenicâ contererentur? Nihil igitur appellationum juri sedi Apostolicæ divinitùs suppeditato detractum esse, inferatur ex eo quòd ad ejus confirmandum judicium, S. Leo congregari postulaverit generale concilium, quod reipsà Chalcedone congregatum est.

Objicies denique : Compellente necessitate appellavit Romanum pontificem S. Flavianus; non alia offerebatur recuperandæ sedis via; nam ejus condemnationi cæteri consenserant patriarchæ. — Resp. : Ut quid profuisset hæc appellatio, quamvis urgente necessitate usurpata? Quænam ratio illius potuisset haberi, si et prohibita foret ad summum pontificem appellatio, et ejusdem judicandæ potestate careret summus pontifex?

DE FACTO THEODORETI.

Ut S. Flavianum, ita et Theodoretum fuisse condemnatum ac depositum à latrocinio Ephesino, non ex actis quidem pseudo hujus synodi constat, verùm ex aliis monumentis mox referendis vel indicandis.

Ad Romanum pontificem appellavit Theodoretus à sententiâ pseudo-Ephesinæ synodi, et ab illo fuit sedi suæ restitutus.

Appellationem testatam facit Epistola Theodoreti ad S. Leonem : « Oro et obtestor, inquit, sanctitatem tuam, ut rectum ac justum « tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam « apostolicis vestigiis inhærentem ostendere. » Postea subjicit : « Vestram enim sententiam « expecto : quòd si in judicatis manere me « jusseritis, manebo, neque ulli hominum « deinceps molestus ero, sed rectum Dei Salvatorisque nostri judicium expectabo. » Romanum ad pontificem provocat igitur Theodoretus, non, quemadmodùm comminiscuntur nonnulli, opportunum ut ab eo nebulosis in temporibus eliciat consilium; namque post hæc verba quibus abutuntur : « Ante omnia, « ut à vobis docear oro, an me oporteat in hâc « injustâ depositione acquiescere, an non, » proximè subjungit ea quæ retulimus : *Vestram enim sententiam expecto.* Tribunalque antea commemoravit sedis Apostolicæ, cujus adeundæ mandatum postulavit. Quòd autem appellationem præfatam judicaverit S. Leo, ac sedi

suæ Theodoretum restituerit, haud minùs clarè demonstratur testimonio concilii Chalcedonensis; actione etenim primâ gloriosissimi judices dixerunt : « Ingrediatur et reverendissimus episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo, et sacratissimus et piissimus imperator sanxit eum adesse sanctæ synodo. »

Actione octavâ ab iisdem judicibus pronuntiatum est : « Omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendissimo episcopo est soluta, quippe et Nestorium coram nobis anathematizavit, et à sanctissimo et amantissimo archiepiscopo senioris urbis Romæ Leone susceptus est, et definitionem fidei à vestrâ religiositate prolatam libenter suscepit, et insuper Epistolæ memorati sanctissimi archiepiscopi Leonis subscripsit; deest igitur ut sententia proferatur à reverentiâ vestrâ, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut et sanctissimus Leo archiepiscopus judicavit; omnes reverendissimi episcopi clamaverunt : « *Theodoretus dignus est sede! Ecclesia pastorem recipiat.* » Quis significatum verbis illis non intelligat susceptam fuisse à S. Leone Theodoreti appellationem, et summi pontificis judicio episcopalem illum recuperâsse dignitatem? jubet quidem concilium Chalcedonense amissam ut recipiat Ecclesiam; sed *sicut judicavit* S. Leo; ergo illud ante concilium judicaverat summus pontifex, ejusque sententiam confirmavit œcumenica synodus,

Solvuntur objecta.

Objicies 1° : Non ad Romanum solum pontificem, verùm etiam ad occidentales episcopos appellavit Theodoretus; id manifestè declarat Epist. ad Renatum : « Oro sanctitatem tuam, sanctissimo et beatissimo archiepiscopo persuadeat, ut apostolicâ utatur potestate, et ad concilium vestrum advolare præcipiat; habet enim sanctissima illa sedes Ecclesiarum quæ in toto orbe sunt, principatum. » In Epist. ad Anatolium : « Tuam, inquit, magnitudinem obtestor, ut in Occidentem veniam, ibique à Deo, charissimis sanctissimisque episcopis judicer. »—Resp.: Ut jam adnotavimus ubi de facto S. Flaviani, à Romano pontifice in synodo tractari, non fidei solùm, sed quæ ad conciliandam Ecclesiæ pacem, negotia pertineant; nec inde minùs emicat auctoritas apostolica, quam expressè invocat Theodoretus, nec idcircò minùs indubitatum est jus appellationum cum primatu indivulsè conjunctum.

Inst.: Si jure illo, divinâ concessione polleat summus pontifex, ut quid obtestatur Theodoretus ut sedem Apostolicam adire sibi liceat, causamque suam defendendam illi tradere? — Resp. : Preces adhibuisse Theodoretum, tum quia in suspicionem erroris Nestoriani vocatus fuerat, tum etiam quia pseudosynodum de quâ meritò conquerebatur, legitimam, et studiosè tuendam putaret imperator; adde quòd instantibus illis precibus profiteatur Theodoretus vigere Romanâ in sede eminentem auctoritatem, quæ causas episcopales evocare suum ad tribunal et judicare valeat; ad hanc provocare si minùs liceret, non sollicitâ utendum esse cogitâsset obtestatione.

Inst. iterùm : Proscriptus contra normam æquitatis et recti fuerat Thodoretus in latrocinio Ephesino; nullius momenti latam in eum sententiam, nihil necesse fuit rescindere; non ergo veram interjicere appellationem voluit. — Resp. : Valida et justa ducebatur à plurimis illa sententia; imperator, ut diximus, Theodoretum habebat episcopali sede jure privatum; in locum episcoporum quos è sedibus suis dejecerat adulterina synodus Ephesina, multæ alios ordinaverant Ecclesiæ. Suberant igitur haud spernendæ rationes, cur prædictam ut sententiam infringeret, rogaretur summus pontifex; nec immeritò ad eum esse tanquàm ad judicem confugiendum sibi existimavit Theodoretus. Diximus, tanquàm ad *judicem*, non verò tanquàm ad arbitrum duntaxat : neque enim arbitrum judicem, inconsultis partibus eligere potuisset; præterea, ut ex relatis ipsius verbis inter probationes exploratum est, causam suam judicandam detulit ad sanctum Leonem, propter ipsum auctoritatis principatum, quâ cæteris Ecclesiis antecellit sedes Apostolica : « Habet enim, inquit, sanctissima illa sedes Ecclesiarum quæ in toto orbe sunt, principatum. »

Objicies 2° : Non ad Romanum duntaxat concilium appellavit Theodoretus, sed etiam ad universalem synodum; in Epistolâ ad Anatolium : Deo dilectam, inquit, eorum sublimitatem obtestamini, ut rectè institutis finem imponant et synodum convocent. » Idem colligere est ex illius Epist. ad Asparem consulem, et Epist. ad Vincomacum; nec profectò consensu imperatoris opus fuisset ad congregandum quod Romæ solitum est gravibus in negotiis haberi concilium. — Resp. : Etiamsi

benixè postulâsset Theodoretus ut ab imperatore convocaretur generalis synodus, non inde consequens foret, non potuisse illum ad sedem Apostolicam primùm et quidem efficaciter appellare; deinde cùm desæviret suborta tempestas, nec ab iniquis institutis desisterent efferati rebellantium animi, impetrare conatus est generale ut convocaretur concilium, quod finem turbulentis motibus imponeret; deviantes revocaret ad unitatem fidei Eutychianos, editamque à sancto Leone de restituendis, qui pravè profligati essent, episcopis, sententiam, universalis auctoritate Ecclesiæ muniendam curaret. Hanc induisse mentem Theodoretum, ipsius testificantur Epistolæ; ita enim loquitur epist. 138 ad Anatolium : « Ad hæc Deo di- « lectam illorum sublimitatem obtestamini, ut « rectè institutis finem imponant et synodum « convocent; » Epist. ad Asparem consulem, sollicitè rogat ut congregetur concilium « eo- « rum qui cum quiete, illorum qui divina sunt « edocti, et Apostolica dogmata confirmant. » Idem postulat Epist. ad Vincomacum; illas autem Epistolas, quæ frustra nobis objiciuntur, scripsit jam à S. Leone absolutus, et ab exilio jussu imperatoris revocatus : id patet ipsius ad Anatolium Patricium Epistolâ : « Nos, inquit, « quam nacti sumus quietem, libenter sumus « amplexi, utilesque ac suavissimos ejus fruc- « tus percipimus. Christi autem amans impe- « rator noster, pietatis fructum adeptus impe- « rium, obtulit Ecclesiarum quæ jactabantur « tranquillitatem, oppugnatæ fidei trium- « phum. » Epist. ad Vincomacum : « Magnitu- « dinem oro vestram, inquit, ut gratias meis « verbis agatis Christi amanti, victòrique im- « peratori, et religiosissimæ Augustæ, illorum- « que potentiam exoretis ut firmam Ecclesiæ « pacem efficiat, et synodum congregari ju- « beat, non tumultuantium rursùs hominum « qui conventum perturbent, sed veritatis « amantium qui doctrinam apostolicam stabi- « liant, novamque istam et adulterinam hæ- « resim exterminent. » His verbis indicatur Theodoreti suam in sedem reditus, atque intelligitur quâ mente, quem ad finem congregari synodum tantoperè exposceret.

Obj. 3° : Ante concilium Chalcedonense, non habitus est absolutus ac sedi suæ restitutus Theodoretus; quod multa quidem persuadent, namque ne synodi Patribus adunaretur, obstiterunt multi exclamantes : *Miseremini, fides perit; istum canones rejiciunt;* atque, ut referunt acta concilii, non ut judex, *sed in locum accusatoris ingressus est.* Actione 8, sua illi sedes, postquàm Nestorium damnavit, à Patribus synodi restituitur : « Omnes reverendissimi epi- « scopi clamaverunt : Theodoretus dignus est « sede; Ecclesia orthodoxum, Ecclesia pasto- « rem recipiat, orthodoxum doctorem Ecclesia « recipiat; Theodoretus dignus est sede! » — Resp. : Non synodi universalis, sed quorumdam sunt ista duntaxat episcoporum, ex Ægyptiis, Illyricianis et Palæstinis, Dioscoro assentantium; quos ita redarguit synodus : « Accla- « mationes istæ populares neque episcopos « decent, neque partes juvant. » Non accusatoris duntaxat, sed et judicis personam sustinuit Theodoretus; namque actione primâ « gloriosissimi judices et amplissimus senatus « dixerunt : Ingrediatur et reverendissimus epi- « scopus Theodoretus, ut sit particeps synodi, « quia et restituit ei episcopatum sanctissimus « archiepiscopus Leo. » Actione secundâ expressè numeratur inter judices ante Rufinum Samosatensem; actione pariter sextâ eodem loco nominatur; eâdem actione dixit : « Theo- « doretus episcopus Cyri definiens subscripsi.

In causâ Theodoreti duo spectanda sunt : ipsius depositio facta in latrocinio Ephesino, et quam incurrerat Nestorianæ suspicio hæresis; de abstergendâ suspicione illâ plurimùm interpellatus est à Chalcedonensi synodo, et quidem ab ejus communione repellendus, nisi apertè dixisset anathema Nestorio; at de expendendâ et judicandâ Theodoreti memoratâ depositione agendum propriè non putavit; nedùmque voluerit novum ad examen revocari illam quâ restitutus fuerat, S. Leonis sententiam, ad synodum admissus est, ut exposuimus, Theodoretus, atque sedit inter judices, *quia et restituit ei episcopatum sanctissimus archiepiscopus Leo.* Adnotârunt etiam synodi Patres, omnem de illo solutam esse dubitationem, quia et Nestorium anathematizavit, et à sanctissimo et Dei amantissimo Leone susceptus est. Sententiam summi illius pontificis ratam habuit, non discussit Chalcedonense, cui per suos legatos præfuit, generale concilium.

Inst. : Hæc duo quæ diximus, in causâ Theodoreti esse secernenda, in unum reipsà coalescunt; depositus enim fuerat ut Nestoriano contaminatus errore; non ergo poterat suam in sedem vindicari, nisi discusso ac depulso tanto crimine; quam discussionem cùm adhibuerit synodus Chalcedonensis, causam Theodoreti, ipsamque proinde S. Leonis sententiam examini censuit esse subjiciendam.

— Resp. : Compertum cùm haberet S. Leo impactum Theodoreto non fuisse Nestoriani crimen erroris, nisi à Dioscoro ipsique adstipulantibus Eutychianis, eam duxit postponendam accusationem, quam celebrandum dijudicaret concilium, si fortè solemne hoc de negotio judicium, rerum adjuncta requirerent; solam itaque extemporaneam legibusque tum humanis tum divinis repugnantem Theodoreti depositionem curavit S. Leo mittendam in irritum; hinc synodi Chalcedonensis actione octavâ contestatus est Theodoretus, ad concilium eo duntaxat animo se venisse, ut conflatam in se calumniam dissolveret. Quinimò paucis exceptis episcopis Theodoreto infensis, ejusque depositionem meditantibus, cæteri concilii Chalcedonensis episcopi, intentatam Theodoreto de Nestorianâ hæresi accusationem parùm curabant, ut videre est actione primâ : respondentes eum à sanctissimo episcopo inclytæ urbis Romæ proprium recepisse locum; nec ante proponendam illius accusationem, si proponi placuerit, quàm finirentur, quæ jam erant inchoata.

ARTICULUS VII.

Utrùm in causis fidei et morum definiendis errare possit summus pontifex (1).

In Declaratione quam ediderunt anno 1682 de ecclesiasticâ potestate archiepiscopi et episcopi Parisiis congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, asseritur, *in fidei quoque quæstionibus præcipuas summi pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* Sedulò ponderanda sunt ultima hæc verba, quibus indicatur hanc esse cleri Gallicani sententiam, ad constituendum irreformabile, seu irrefragabile decretum, requiri consensum non solius Romanæ Ecclesiæ, cæterarum licet Ecclesiarum matris et magistræ, sed universalis ipsius Ecclesiæ, cujus est pars necessaria, et illarum quâlibet longè præstantior. Id statim adnotandum duximus, propter sumptam ex centro communionis ecclesiasticæ, et suo loco explanandam difficultatem. Eò pertinet adductum pronuntiatum, ut declaretur Romanum pontificem, non ut privatum duntaxat doctorem, de quo nulla potest seriò hìc moveri controversia, verùm etiam ut Ecclesiæ pastorem et caput errare posse, atque interpositâ suâ auctoritate, seu, ut aiunt, *loquentem ex cathedrâ*, errorem in fide vel moribus decreto profiteri. Pontificiæ qui velificantur infallibilitati, summam in eâ repositam volunt dijudicandarum de religione controversiarum auctoritatem; quò ex placito consequitur, oportere donum istud, si reipsà Romano pontifici impertitum fuerit, enuntietur verbo Dei scripto vel tradito, remotâ omni ratione dubitandi; porrò, qui defensorum partes susceperint, ad eos, ut liquet, spectat probandi officium; nostras igitur adimpleverimus vices, si ostendamus nihil occurrere, nihil afferri, quod certò impellat ad tribuendam summo pontifici infallibilitatem; ulteriùs tamen progrediemur, et nullâ urgente necessitate, et salvâ semper quæ debetur sedi Apostolicæ et vicario Christi, omniumque patri fidelium, reverentiâ.

Temperandum putavimus ab intricatâ et multiplici opinionum quarumdam expositione, quæ moras necteret, nihilque aut parùm admodùm lucis propositæ quæstioni affundere videatur.

CONCLUSIO. — *Ipsis in quæstionibus fidei irreformabile non est summi pontificis decretum, nisi accesserit expressus vel tacitus Ecclesiæ consensus.*

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Scripturis proposita consonat assertio.*

Matth. cap. ultimo sic Apostolos alloquitur Christus : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

Joannis 14, v. 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.*

Et cap. 16, v. 13 : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Testimoniis illis evincitur collatum esse divinitùs in communi Apostolorum collegio donum infallibilitatis; quo igitur pacto, talibus oraculis congruere possit eorum sententia qui volunt infallibilitatem appendicem esse primatûs Petro donati necessarium et singularem, atque à summo pontifice emanare vim omnem

(1) Plurima hìc et in sequentibus articulis annotatu certè dignissima sponte silebimus, quippe quæ in præcedenti volumine, ubi de hâc ipsâ Romani pontificis inerrantiâ, sat luculenter, ut putamus, ab eximio auctore Ballerini explicata sunt, ac strenuè propugnata. Cæterùm, ut magis ac magis elucidetur hæc tam ardua, tantâque animorum contentione agitata controversia, utramque doctrinam conciliare pro viribus postea nitemur in speciali appendice, ubi divisionis punctum indigitabimus, deductis dehinc quoad disciplinam consectariis (EDITORES.)

ac firmitatem decretorum Ecclesiæ? Qui placitis illis addicti sunt, illi non satis attendunt ad hæc verba Christi Apostolos omnes, eorumque in ministerio successores, auctoritate suâ communientis et confirmantis : *Ecce ego vobiscum omnibus diebus*, etc. Et ad ista : *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Eo assistente et adjuvante Spiritu, dùm in synodo Hierosolymitanâ dirimitur exorta de legalibus controversia, summum dignitatis gradum obtinuit Petrus; neque tamen quasi ab eo acceptâ auctoritate, sed altiori à fonte derivatâ, scripserunt confidenter Apostoli : *Visum est Spiritui sancto et nobis.*

ARGUMENTUM II. — *Generalibus in conciliis examini subjecta sunt dogmatica summi pontificis judicia.*

Quæ supremo et infallibili judicio declarata sunt, ea iterato examine velut ad incudem revocari, nefas : hinc generalibus in conciliis assertam distinctè fidem, ut puta, in conciliis Nicæno et Constantinopolitano, subsequentes synodi studiosè quidem commendant, ampiectuntur et confirmant; retractare vel uno in capite, seu ad trutinam adducere quasi reformari possent, id nunquàm tentatum est, pugnatque cum absolutæ infallibilitatis ratione. Quocirca Martianum imperatorem obtestatur S. Leo epist. 73, ne vindicatam in concilio Chalcedonensi fidem retractari patiatur. « Obtestor, inquit, et obsecro clementiam vestram, ut in præsenti synodo fidem quam « beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam « prædicârunt, non patiamini quasi dubiam « retractari, et quæ olim sunt majorum auctoritate damnata, redivivis non permittatis « conatibus excitari. » Eumdem in modum scripsit eâdem de synodo ad Leonem Augustum, epist. 115, aliàs 73. At summorum pontificum dogmatica etiam decreta posse generalibus in conciliis examen subire, pluribus constat exemplis quæ legere est Defensionis Declar. cleri Gallicani parte tertiâ lib. 7. Unum et alterum afferemus. Dogmaticam et insignem S. Leonis ad Flavianum Constantinopolitanum contra hæresim Eutychetis epistolam visum est concilii Chalcedonensis Patribus, quantiscumque eam laudibus extulissent, ad examen vocare. Lectis itaque antecedentium synodorum gestis de Leonis Epistolâ judices ita proposuerunt : « Quoniam Evangelia posita « sunt, singuli reverendissimorum episcopi do« ceant si expositio 318 Patrum et post hæc « 150 Patrum consonat epist. S. Leonis. » Eam Epistolam probârunt certatim Patres Chalcedonensis synodi, ut verbo Dei ecclesiasticisque consentaneam institutionibus, at non quasi donum inerrantiæ summo adscriberent pontifici. Legantur episcoporum suffragia; actione quartâ primus Anatolius sic dicit sententiam : « Epistola sanctissimi Leonis consonat « symbolo 318 Patrum, et 150 Patrum, sed et « his quæ in Epheso, sub sanctissimo Cyrillo; « quapropter consensi et subscripsi. » Mentem eamdem cernere est aliorum expressam præsulum suffragiis. Neque aliter sentiebat ipse S. Leo : « Non enim, inquit Epist. ad episco« pos Gall. 7, aliàs 52, ultra jam cuiquam ex« cusationis refugium de ignorantiæ inscitiâ « vel de intelligentiæ difficultate conceditur, « cùm sexcentorum ferè fratrum coepiscopo« rumque nostrorum synodus congregata, nul« lam artem ratiocinandi, nullum eloquium « disserendi contra fundamentum fidei divini« tùs inspiratæ permiserit. »

Interpretationi nostræ omninò consentit synodus quinta generalis habita sub Vigilio Papâ et Justiniano principe, ad causam trium capitulorum definiendam; illâ in synodo quæsitum est quo ritu scripta de fide probari consuevissent in synodis anterioribus; de Epistolâ sanctorum Cyrilli et Leonis facta est mentio; tum « sancta synodus dixit : Ex his quæ recitata « sunt, manifestum est, quomodò sanctæ sy« nodi, quæ apud eas proferuntur, probare « solent. Cùm enim illi sanctissimi viri qui re« citatas epistolas scripserunt, sic splenduerint, « tamen epistolarum earum comprobationem « non simpliciter nec sine inquisitione fecerunt, « nisi per omnia cognovissent, consonare eas « expositioni et doctrinæ sanctorum Patrum, « ad quam et collatio facta est. » Quintâ igitur synodo generali interprete, epistolæ à sede Apostolicâ comprobatæ, qualis fuit S. Cyrilli, aut ab eâdem profectæ, qualis fuit S. Leonis, *non simpliciter nec sine inquisitione* à sanctis conciliis receptæ sunt.

Ad hanc infringendam probationem, à diversis diversa opponuntur auctoribus; commemoratum ante examen, jam, inquiunt, à concilio Chalcedonensi conspirantibus votis comprobata fuerat S. Leonis Epistola; jam sponte conclamaverat : « Hæc Patrum fides; hæc « Apostolorum fides; omnes ita credimus; or« thodoxi ita credunt; anathema ei qui non ita « credit; Petrus per Leonem ita locutus est. »

Epistolam suam miserat S. Leo ad concilium, non ut fidei regulam, sed meram ut instructionem quâ episcopi in judicando adjuvarentur. Non ex dubitatione, aut ullâ erroris suspicione adhibitum est prædictæ examen Epistolæ, sed ad ampliorem jam notæ et creditæ veritatis elucidationem. Addi potest Epistolam illam ante habitam synodum fuisse totius ferè Occidentis, ut observat ipse Bossuetius, et plerorumque Orientalium suffragio confirmatam, unde consequeretur ne quidem irreformabile habendum dogmaticum summi pontificis decretum, antequàm à generali concilio approbatum sit.

Hæc solutione non carent; misisse S. Leonem ad synodum Chalcedonensem, non sententiam definitivam, sed meram instructionem, id gratis et perperàm fingitur à Bellarmino: « Quid enim causæ esset, ait Bossuetius, cur « ultimam sententiam non proferret Leo, ap« pellante Eutyche, rogante Flaviano, ut de se « actibusque suis tantus pontifex pro potestate « decerneret?..... An expectabat ut suborta « hæresis glisceret, totumque orbem flamma « corriperet? aut fortè quæstionis obscuritate « turbatus hærebat, expectabat concilii œcu« menici sententiam, qui omnia à se *plenissimè* « *et lucidissimè* enucleata esse profitetur? Quid « quòd ad imperatorem scribit, *tam evidentem* « *causam esse, ut ab indicendâ synodo fuisset* « *abstinendum?* »

Haud efficaciùs arguunt, qui respondent ad majorem duntaxat jam notæ et creditæ veritatis elucidationem, specie quâdam examinis pertentatam fuisse S. Leonis Epistolam; de proposito dogmate securi penitùs erant Patres Chalcedonenses; nullo modo dubitabant quis esset Christus, Deusne an homo verus, an confusis naturis aliquid tertium, sive aliud portentum Eutychiana cogitaret hæresis; non id sanè quærebant, sed utrùm verè atque ex communi Patrum sententiâ tantum sacramentum S. Leo exponeret, id quærebatur, ad tollendam omnem dubitationis ansam ex multorum animis, quibus res nondùm erat explorata.

Probabiliùs disserere forsitan videantur, tum qui objiciunt, jam ante præfatum examen conclamatum esse à synodo Chalcedonensi, lectâ S. Leonis epistolâ: *Sicut Leo, ita credimus: Petrus per Leonem locutus est;* tum qui dicunt eam ante inchoatum concilium, jam fuisse comprobatam à maximâ occidentalium et orientalium episcoporum parte; quo posito jam infallibili auctoritate viguisset, ipsis fatentibus theologis, qui summo pontifici non tribuunt infallibilitatem. Epistolam quidem illam plerique episcopi jam suo confirmaverant suffragio; hanc esse suam fidem clamabant Patres concilii Chalcedonensis; at solemniter declarare constituerant, undenam persuasum haberent vacare omni erroris suspicione dogmaticum S. Leonis scriptum; porrò testantur acta synodi hanc illos mentem certissimam induisse, quòd rectè examinantibus constitisset, Leonis sententiam doctrinæ quâ imbuti erant consentire; id ergo, ut adnotat Bossuetius, simul in synodo faciunt quod singulatim ante synodum quique fecerant, et prolato communi judicio confirmant.

Adjici potest voluisse illos pariter acclamationis in quam actione secundâ, lectâ S. Leonis Epistolâ, eruperant, causam et incitamentum exponere.

ARGUMENTUM III. — *In consensione ordinis episcopalis posita est vis maxima decretorum ecclesiasticorum.*

Hierosolymitanâ in synodo jam non semel appellatâ, ostensum est vim et inerrantiam Ecclesiæ docenti promissam, in ipsâ positam esse consensione pastorum quibus creditum est depositum fidei: « Deliberatio, inquit Bossuetius, à « Petro inchoatur, qui mos deinde invaluit, ut « sacri cœtûs principes primi sententiam dice« rent, iisque auctoribus decretum sanciretur; « Petrus ergo ubique rectæ prædicationis et « rerum agendarum auctor, primus sententiam « dicit; Dei arcana pandit, quæ sibi primò de « vocandis gentibus fundamenti loco ponit;.... « decretum deinde conditum communi nomine « ac Spiritûs sancti auctoritate adscitâ. *Placuit* « *nobis collectis in unum, et visum est Spiritui* « *sancto et nobis.* Act. c. 15, v. 28. » Ad consensionis vim ac necessitatem demonstrandam se gesserunt tunc Apostoli, quasi Spiritu sancto quisque illorum non fuisset afflatus. In debellandis erroribus scriptores veteres ecclesiastici, Ecclesiarum consensione tanquàm arce tutâ et inexpugnabili gloriantur. « Quid enim, inquit « S. Irenæus lib. 3 contra hæres. cap. 4, etsi « de aliquâ quæstione disceptatio esset, nonne « oporteret in antiquissimas recurrere Eccle« sias, in quibus Apostoli conversati sunt, et « ab eis de præsenti quæstione sumere, quod « certum et re liquidum est? » Tertullianus lib. de Præscriptionibus, cap. 21: « Quid prædica« verint (Apostoli), id est, quid illis Christus re-

« velaverit, et hic præscribam non aliter pro-
« bari debere, nisi per easdem Ecclesias quas
« ipsi Apostoli condiderunt. » Notum est præci-puas inter credendi dogmatis proprietates re-censeri à Vincentio Lirinensi universitatem, quam ita delineandam curavit, Commonit. 1, cap. 3 : « Sequemur autem universitatem hoc
« modo, si hanc unam fidem veram esse fa-
« teamur, quam tota per orbem terrarum con-
« fitetur Ecclesia. » Quæ concilia dogmaticum summi pontificis, ut summi pastoris decretum, posse tamen examine admovendo explorari, ipso facto statuerunt, ea consequenter censue-runt vim ineluctabilem decretorum ex con-sensione ordinis episcopalis profluere; hinc synodus Chalcedonensis ita statuit : *Qui non subscribit epistolæ Leonis, cui sancta synodus consensit, hæreticus est.* Non in solam summi pontificis auctoritatem refunditur causa inu-rendi hanc notam hæreseos reprobantibus ejusdem epistolam.

ARGUMENTUM IV. — *Ex ratione theologicâ.*

Infallibilitatis donum si Romano pontifici contulisset Christus, nihil monumentis esset ecclesiasticis expressiùs traditum; nihil fideli-bus compertum magis et indubitatum esse debuisset; judex enim controversiarum habe-retur quicumque apostolicam legitimè teneret sedem, ejusque decretis statim atque innotes-cerent, absolutum deberetur ab omnibus obse-quium; eâdem ratione necesse foret perspectæ ut essent, et Catholicis conspirantibus agnitæ dotes seu conditiones necessariæ ac sufficien-tes, infallibilem ut illa auctoritatem obtineant. Attamen ex testimoniis quæ congessimus, in-telligere est, saltem non ita constare verbo Dei scripto vel tradito de pontificiâ infallibili-tate, ut de illâ dubitare vel assensum ab eâ credendâ cohibere, nemo verè catholicus au-deat; de conditionibus autem ad illam exeren-dam certò requisitis, non convenit vel inter peritissimos ejusdem patronos. In hoc ferè omnes consentiunt posse errare summum pon-tificem, quando, ut aiunt, *non loquitur ex ca-thedrâ*. Quid autem sit *loqui ex cathedrâ*, hic varias passim distrahuntur in sententias. Alii docent, idem esse loqui ex cathedrâ, quod lo-qui secundùm Scripturam et traditionem : op-portuna profectò expositio ! Nec privatus errat episcopus quamdiù certissimis illis inhæret fidei regulis. Alii pugnant tùm loqui ex cathe-drâ supremum pontificem, cùm adhibito dili-genti ac maturo examine, requisitâ inprimis Romanæ Ecclesiæ doctrinâ et sententiâ pro-nuntiat; sed idem penè recurrit, quod mox adnotatum est, incommodum. Numquid ad examen revocandus erit ipse modus impensi à supremo judice examinis? et quâ viâ liquidò dignoscetur tale illud fuisse, quale disceptanda causa postulaverit? Tùm loqui ex cathedrâ summum pontificem, cùm circa doctrinam aut mores totam docet Ecclesiam, contendunt Cajetanus, Bellarminus, Duvallius, etc.; at quandonam dicendus sit totam docere Eccle-siam, novum hic certamen : alii contendunt toties eum loqui tanquàm pastorem et caput Ecclesiæ, universosque instituentem fideles, quoties decretalem condit; alii cùm certum ad tempus affixa est bulla ipsius ad valvas S. Petri.

Quo pacto dignoscatur quandonam pontifex loquatur ut *persona particularis*, et quando *sicut pontifex*, sic declarat Dominicus Bannes, in 2-2, quæst. 1, art. 10, versùs finem conclu-sionis 5 : « Ad hoc respondetur quòd talia si-
« gna certa habere possumus : Primum quidem,
« si dicatur : Qui oppositum senserit aut dixe-
« rit, anathema sit. Secundum, si dicatur : Qui
« contrarium senserit, tanquàm hæreticus ha-
« beatur. Tertium, si talis definitio tanquàm
« ab omnibus fidelibus acceptanda et credenda
« sicut dogma fidei expressè proponatur. Quar-
« tum, si dicatur : De concilio fratrum hoc vel
« illud definimus. Si autem nullum prædicto-
« rum signorum fuerit interpositum, non est
« omnibus modis ipsa pontificis definitio infal-
« libilis, etiamsi pontifex aliquid absolutè pro-
« ferat. » In hâc sententiarum diversitate num emicat absolutus certitudinis gradus, et qui-dem obvius, quo secernatur pontifex locutus ex cathedrâ, eodem à pontifice locuto ut privato doctore? Non argumentum ex incidente non-nunquàm generalis concilii necessitate desum-ptum adduximus; infallibilem esse dispersam Ecclesiam profitentur omnes Catholici; convo-cari tamen œcumenicam in synodum episcopos oportet aliquàndo œconomiæ causâ, splendi-diùs ut possit evolvi ac defendi catholica doc-trina, tum hæreticorum ut cavillationibus, nefa-riisque consiliis, efficaciùs præcludatur aditus.

Non aliquot protulimus pronuntiata pontifi-cum, quos utrùm ex cathedrâ loquentes er-ravisse dicendi sint, disputant inter se qui infallibilitatis illi donum abjudicant; expedita magis et aptiora putavimus argumenta eli-genda, tum quæ minorem multis offensionem pariant. Quod verò spectat ad eorum confessio-

nem pontificum, qui erroribus obnoxios se candidè agnoverint, tametsi ipsos inter pontificiæ infallibilitatis impugnatores reperiantur, ut doctissimus Tournely, qui illud elevari posse existimet, si dicatur illos tantummodò confessos esse sibi non competere infallibilitatem ut privatis doctoribus, aut nihil quod ad fidem moresve pertineat, pontificiâ auctoritate proponentibus, id tamen argumenti genus attendere proderit ad occurrendum probationi quam magnoperè extollunt quidam pontificiæ defensores infallibilitatis. Romanum ut pontificem in fidei controversiis errare non posse evincat Melchior Cano, observandum curat, de Loc. Theol. l. 6, c. 7 : « Ad Romanam sedem epi- « scopos Ecclesiarum, in causis quibusque « gravissimis provocâsse ; ab illius ore fideles « fidei semper oracula petiisse, illius judicium « Catholicos omnes in religionis controversiis « expectâsse ; illius denique (judicii) vim et « auctoritatem sacra omnia efflagitâsse concilia. » Tum adjicit : « Quibus ex rebus, quo- « niam negari non possunt, conflatur et effici- « tur id quod quærimus argumentum, quo ex « multis magnisque haud facilè quis dixerit « aliud aut evidentius aut certius. » Cùm undique ac perpetuo usu petierunt à Romano pontifice fidei oracula, tum simplices fideles, tum episcopi, ad eum si confugissent ut ad privatum doctorem, et sub eo tantùm respectu respondisset consulentibus, nimis, ut patet, probatum vellent, qui inde concluderent illum esse infallibilem; si autem dicatur responsa illum dare solitum, ut caput rectoremque Ecclesiæ, quo pacto Alexander ipse III, ut observat Bossuetius, postquàm judicavit (id quod est certissimum) valere conjugium per verba *de præsenti, utroque dicente : Ego accipio te in meam, et ego accipio te in meum; ac tale conjugium* non dissolvi, contracto alio connubio, atque etiam copulâ consecutâ, addit : *Quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris judicatum*, Extra. de Sponsâ duorum, cap. *Licet, præter solitum*. Hunc in modum si judicaverint, quò evadet quæ ipsis attribueretur infallibilitas? Quid significatum voluit Eugenius IV in bullâ tertiâ contra Basileense concilium, cùm asseruit *in quæstionibus quæ ad fidem respiciunt, vel statum universalis Ecclesiæ, potiùs attendi debere concilii quàm Papæ sententiam?*

Solvuntur objecta.

Objic. 1° celeberrimum illum locum Evangelii Matth. 16, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Probatum est, ad litteram dicendum esse Petrum Ecclesiæ petram et fundamentum; eo quidem nomine donatus est ut rector Ecclesiæ, suos itaque ad successores transfundendo; quænam autem vis et significatio illi subjicitur appellationi? Designatur ac prænuntiatur, non esse frangendam, nec Petri, nec Romani pontificis, ut Ecclesiæ capitis, constantiam in profitendâ et defendendâ fide; in mente ac promissione Christi hæc duo arctissimè conjunguntur. Primum, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* secundum, *et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam;* hæc verba, *adversùs eam*, si referantur ad *petram* mox memoratam, ergo spondente Christo, nec Petrus, nec Romanus ullus pontifex ut Ecclesiæ caput excidet unquàm à fidei professione; quòd si, ut genuina fert expositio, eadem hæc verba, *adversùs eam*, pertinere dicantur ad ipsam Christi Ecclesiam, eòdem prorsùs revertitur oratio : idcircò enim futurum affirmat Christus ut adversùs Ecclesiam non prævaleant portæ inferi, quia super petram, de quâ locutus est, ædificare illam statuerit. Stabili et immoto ædificio, stabile et immotum necesse est supponi fundamentum; atque ut præcludatur eorum disceptatio qui dicant, tamdiù inconcussam stare prædictam petram, quamdiù Ecclesiæ cui substernitur adhæreat, observandum est (id quod observatione vix indigeat), non à domo fundamentum, sed à fundamento domum, obtinere firmitatem et soliditatem. Cùm igitur ut Petri successor, pontifex Romanus, petræ, seu fundamenti cui insidet Ecclesia, sortitus sit à Christo stabilitatem in fide, non posset nisi Ecclesiâ concidente (quod promissionibus divinis repugnat), errare ut pontifex in causis fidei, morumve d judicandis.

Resp. 1° : Nimium foret argumentum istud, si ad apicem urgeretur; quemadmodùm enim subducto fundamento, ne minimâ quidem temporis parte consistere potest ædificium, ita nec sine Romano pontifice, vel uno mense, vel unâ die permanere posset Ecclesia; nec proinde infallibilitate duntaxat, sed etiam immortalitate Romanus quisque pontifex donari debuisset; neque ad eludendam hanc consecutionem fingi potest, tùm solummodò illum censeri fundamentum Ecclesiæ, cùm dogmaticum aliquod emittit, fidelibusque proponit decretum; quot inde absurda consequantur,

recensere supervacuum; quot sæpiùs intervallis ac tempestatibus, assignato careret fundamento Ecclesia!

2° Aliâ quoque de causâ premi non debet ducta ex fundamenti ratione metaphora. Lapso quo domus innititur fundamento, non aliud adjumentum suppetit, quo ipsa fulciri possit, et ab imminente casu cohiberi. At præter fundamentum in Petro, et Romano quolibet pontifice collocatum, aliud est, et quidem primarium, essentiale, omnigenis impervium casibus quo ipsa perpetuò, irruentibus quantùmlibet procellis ac fluctibus, sustinetur Ecclesia et à quo profluit vis omnis quâ valeat fundamentum externum, secundarium, ministeriale, quod est Petrus, et validè electus, quilibet Romanus pontifex; unde tametsi à munere fundamenti deficeret Romanus aliquis episcopus, non idcircò caderet domus Dei vivi, et columna veritatis Ecclesia.

3° Dicendum itaque Petrum fuisse divinitùs constitutum petram, fundamentumque Ecclesiæ, ratione primatûs honoris et potestatis, quo præditus est universâ in Ecclesiâ, non autem ratione infallibilitatis quæ suos ad successores transmittenda foret. Quòd si fortè causam fidei proderet supremus aliquis pontifex, decreto quantùmvis expresso, tum certè vim insitam fundamento non exereret, suo graviter deesset officio; nec tamen è medio tolleretur ipsum fundamentum à Christo constitutum, nec dilaberetur aut rimam faceret Ecclesia: haud quidem *è medio tolleretur ipsum fundamentum;* ordinante nimirùm Christo Domino, tamdiù permanebit quamdiù et Ecclesia quam regendam Petro commisit, ejusque in hoc præcellenti ministerio hæredibus. At providente Deo, et reclamante venerabili episcoporum consortio, statim resarciretur suscepta in fundamento labes; lapsusque pontifex aut pœnitens scandalo mederetur, aut contumax dejiceretur à sede, aliusque præficeretur, qui sanam profiteretur ac vindicaret doctrinam; lapso aliquo pontifice, integrâ et illibatâ nihilominùs fide perstaret Ecclesia, quia, ut diximus, fundamento incumbit primario et essentiali, quod est Christus, invicto tuta propugnaculo.

Responso non officit, quæ obtenditur verborum istorum connexio: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* quasi penderet à Romani pontificis constantiâ in fide firmitas et soliditas ipsius Ecclesiæ; ad Ecclesiam in adducto testimonio Christi, non ad petram, referuntur hæc verba: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam;* ita colligitur manifestè ex contextûs serie: nam agebatur proximè, et potissimùm de Ecclesiâ, ideòque verbis illis non pontifici, sed Ecclesiæ asseritur infallibilitatis donum.

Esto, inquies, pronuntiatum illud referendum sit ad Ecclesiam Christi, eo tamen declaratur, ex firmitate petræ, super quam ædificata est, desumi ejusdem firmitatem atque infallibilitatem. Fatemur spontè, ad incolumitatem, stabilitatemque, imò et constitutionem Ecclesiæ, sic esse comparatum Romani pontificis primatum, ut pontificiâ illâ dignitate et auctoritate extinctâ, collaberetur ut avulso capite corpus, Ecclesia. Fatemur etiam, ut declarat clerus Gallicanus, totaque clamat traditio, *in fidei quæstionibus præcipuas summi pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere;* unde intelligere est quanti sint momenti ac ponderis, ad irreformabile Ecclesiæ universalis, in docendo ministerium, dignitas et suprema Romani pontificis universâ in Ecclesiâ auctoritas; nec tamen inde sequitur futurum, errante ut vel uno pontifice, prævalerent portæ inferi adversùs Ecclesiam; retineret absolutam quam accepit à Christo infallibilitatem, qui pollicitus est affuturum se Apostolis usque ad consummationem seculi. Itaque in illo contextu: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* eò commendatur sedis Apostolicæ præstantia, seu præcellens Romani pontificis auctoritas, quæ fundamenti loco habeatur, in ædificio nunquàm ab inditâ firmitate dijiciendo; at, sicut iterùm observari necesse est, præter illud secundarium et ministeriale fundamentum, aliud suppetit longè validius ac præstantius, quo efficeretur, sanam ut doctrinam deferente Romano aliquo pontifice, constaret sibi suffulta ipsomet sponsore Christo Ecclesia, inviolatumque custodiret depositum fidei. Hinc perspicitur quorsùm evadat propositum istud argumentum: Domus non est firmior fundamento, eoque corruente corruat eadem necesse est. Haud profectò firmitate superat Ecclesia fundamentum suum primarium, quod est ipsa veritas Christus Dominus; neque firmior habenda est ipso primatu Romani pontificis et pontificum Petri successorum serie, nunquàm quidquid tempestatis ingruerit, exscindendâ; at firmiorem esse contendimus

quolibet individuo Romano pontifice; quis enim meritò dicat : « Tam asseveranter credo « Romanum pontificem esse infallibilem, quàm « credo Ecclesiam verè catholicam? » Hinc etiam negandum est in allato Christi testimonio : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., assignari cujuscumque Romani pontificis in fide tuendâ perseverantiam, tanquàm causam propriam et necessariam infallibilitatis, et perpetuæ stabilitatis quam Christus assertam voluit Ecclesiæ. Denique sempiterno in ædificio quod super Petrum curavit ædificandum Christus Dominus, miro quodam ordine, et compages fulcitur à fundamento, et à compage ipsâ sustentatur fundamentum, consulente Christo utriusque incolumitati; eò revocari potest effatum illud Sixti III, summi pontificis in epist. 10 ad episcopos Illyrici : « Ut omne « corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi « suo corpore sustentetur, firmitatem et vigo- « rem suum perdit, et non tenet quam habue- « rat dignitatem. »

Obj. 2° testimonium illud ex cap. 22 S. Lucæ, v. 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Hæc verba referri nequeunt ad Ecclesiam, cujus tum personam sustinuerit Petrus; nam de Ecclesiâ id enuntiari non potest : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Non erat pervertenda, ut postea converteretur. Deinde filios habet, non fratres, quos confirmare possit. Adde compellari proprio nomine, futurum Apostolorum principem : *Simon, Simon*, etc. Nec verò ad solum Petrum, sed etiam ad ejus hæredes spectabat oratio illa Christi : *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua;* duo scilicet privilegia Petro impetravit Christus : unum Petri personâ veluti circumscriptum, quo præstaretur ut ipse veram fidem nunquàm posset amittere; alterum, ut ipse tanquàm pontifex, nihil unquàm docere posset, quod alienum esset à fide, sive ut in sede illius, nullus inveniretur, qui docendis fidelibus patrocinaretur errori; quæ etenim dona collata sunt Petro, ut capiti Ecclesiæ, hæc eadem, cùm vergerent in salutiferam Ecclesiæ administrationem, ad Petri eximio in hoc munere successores trajici debuerunt.

Resp. : In objectâ Christi sententiâ, distinguantur oportet præceptum et promissio; ad officium Petri pertinent hæc verba : *Confirma fratres tuos;* jubetur præ cæteris, qui primatu donandus erat, vacillantes confirmare animos, et ab errandi periculo revocare; eodem officio, eâdem ratione præ cæteris episcopis tenetur Romanus quilibet pontifex; numquid inde concludetur, Romanum nullum pontificem posse à præscripto resilire? Cuilibet pastori dicitur : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant*, Apoc. c. 3, v. 2. Scripserat Apostolus ad Thessal. 1, c, 1 : *Misimus enim Timotheum... ad confirmandos vos.* Hoc munere confirmandi singulis imposito pastoribus, quis dixerit induci necessitudine quâdam invincibili donum infallibilitatis? At, inquies, officio adjungitur gratia ad exequendum necessaria; verùm aliud est opitulante gratiâ posse pastorem aliquem suscepto defungi munere, aliud est eumdem ab illo adimplendo nunquàm deficere. Negatâ summo pontifici infallibilitate, si alia nulla suppeditaretur via consulendi deposito fidei, tum, quod aures christianæ refugiunt, defuisset Ecclesiæ in necessariis divina providentia; at erroneum decretum, quod absit, si proponeret fidelibus Romanus pontifex, obstaret reclamando, ut supra diximus, ordo episcopalis, ne invalesceret exitiosum illud decretum, et non jactarentur fideles adulterinæ vento doctrinæ.

Quod ad promissionem attinet illis comprehensam verbis : *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua,* hæc obvio et naturali sensu exposita spectabat ad tempus quo Christum ter negavit Petrus; tum imminebat gravissimum periculum, ne penitùs Apostolus ille excideret à fide; ideò dixerat Christus : *Rogavi pro te*, etc.; ad internam fidem, potiùs quàm ad professionem fidei pertinebat promissio quam complectebantur illa Christi verba : quo pacto enim consociari posset cum triplici negatione fidei vera fidei confessio? Ergo verbis illis Christi, si Petro promissa fuerit infallibilitas, referebatur ad solum Petrum ea promissio, non ad illius successores, cùm certum et perspectum sit, fatentibus sententiæ quam impugnamus, patronis, Christum Dominum non esse pollicitum, neminem fore Romanis ex pontificibus, qui possit vel ad tempus interiùs fidem amittere.

Hæc, ut videre est, simplex et litteralis ad temporis ac loci circumstantias accommodata expositio, nullam infallibilitatis in expromendo judicio mentionem injicit; rogante Christo prohibitum est ne avelleretur fides ex mente Petri Apostoli, quantùmcumque ingruente tentatione concuteretur ac debilitaretur, idque

providit Christus, ut designatus ille Apostolorum princeps suos deinde posset erectus et conversus, fluctuantes confirmare. S. Chrysostomus, homil. 83 in Matth. hæc verba : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* sic interpretatur : « Non dixit ut non neges, sed *ut non deficiat fides tua* ; ut non prorsùs pereat. » S. Leo, serm. 3 de anniversario suæ assumptionis : « Specialis, inquit, à Domino, Petri cura susci-« pitur, et pro fide propriè supplicatur, « tanquàm aliorum status certior sit futurus, « si mens principis victa non fuerit. In Petro « ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ « gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas « quæ per Christum Petro tribuitur, per Pe-« trum Apostolis conferatur. »

Objicies 3° : Tertiò interrogatus à Domino Petrus his verbis : *Amas me?* contristatus ille Apostolus respondit : *Tu scis quia amo te.* Tum adjecit Christus : *Pasce oves meas.* Singuli saltem episcopi oves sunt respectu summi pontificis; docenti ergo debent internum obsequium; non est ovium judicare, dubiis præsertim in rebus, an erraverit pastor; rectè concipitur posse singulos episcopos, ante prolatum à summo pontifice decretum, judicis defungi munere. Verùm propositæ et illius auctoritate sancitæ definitioni refragari non poterunt, nisi ovium deserant officium, atque cùm universalis Ecclesiæ judicium coalescat ex tacito vel expresso individuorum episcoporum consensu, tota Ecclesia errabit errante pastore summo pontifice.

Resp. : Haud inficiamûr habendos esse tanquàm oves respectu summi pontificis, singulos episcopos; eo nomine debent interno etiam obsequio decreta illius suscipere, eisdemque inhærere quamdiù nihil exploratum habent, quod et illis repugnet, et majori præditum sit auctoritate ; sincerum itaque et internum decretis summi pontificis debent obsequium, at non absolutum et irretractabile, antequàm accesserit Ecclesiæ consensus. Quòd aliud sit internum, aliud absolutum deberi obsequium, vel inde colligitur quòd singulis episcopis docentibus, eorum subditi, quamvis interiùs etiam teneantur obsequi, haud tamen sic illis obstringuntur, ut quidquid postea decernat summus pontifex, aut universalis Ecclesia, privati episcopi contra sentientis et prædicantis auctoritas prævalere debeat.

Deinde, id quod maximè considerandum est, non oves duntaxat habentur singuli episcopi, verùm etiam et *judices in causis fidei* morumque disceptandis; Hierosolymitanâ in synodo, non solus de lite dogmaticâ judicavit Apostolorum princeps; palam dixit S. Jacobus ; *Ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum.* Act. 15, 19. Nota est usitata in conciliis ea consentiendi formula : *Ego judicando subscripsi;* judicum verò licet partes agant singuli episcopi, haud aggrediuntur ipsum Romani pontificis judicium sibi subjicere ac vellicare, quasi supremum in pastorem aliquid sibi jurisdictionis arrogarent, sed doctrinam latâ ab eo definitione propositam conferunt cum verbo Dei scripto ac tradito, cum decretis Ecclesiæ universalis, aliorumve Romanorum pontificum ; atque si doctrinam illam deprehenderent inconcussis adversari monumentis, tum ut sacri depositi custodes, erudiendisque populis præpositi, possent ac pro mandato sibi divinitùs munere tenerentur suum interponere judicium ; singulorum talibus episcoporum judiciis insonarent vox et reclamatio Ecclesiæ universalis, quæ fideles averteret ab errore, sanamque in tuto doctrinam collocaret.

Instabis : Antequàm eum Scripturâ et traditione contulerint episcopi doctrinam aliquo summi pontificis decreto enuntiatam, jam illi decreto adhæserunt non absoluto quidem, haud simulato tamen obsequio; adhæsit pariter populus christianus; tota ergo Ecclesia obsecuta fuisset errori, errorem si foveret aliqua Romani constitutio pontificis.

Resp. : Stante cleri Gallicani sententiâ, decreto summi pontificis, antequàm Ecclesiæ consensu munitum fuerit, non debetur absolutus consensus; remanet singulis etiam episcopis, utpote constitutis à Deo judicibus in causis ad religionem spectantibus, jus ac potestas doctrinam vel disciplinæ caput, emisso decreto propositum expendendi, et ab illo, si erroris coarguerètur, resiliendi. Absolutum quidem quodam modo præstare solent assensum Romani pontificis constitutionibus, episcopi, qui infallibilem illum existimant, sed tractandâ sicut Ecclesiæ infallibilitate exposuimus, si quando ederetur erroneum à summo pontifice decretum, non pateretur Spiritus veritatis, illud ab ordine episcopali approbari et credendum proponi commissis pastorali curæ suæ populis. Mentes enim hominum Deus, cùm sit omnipotens, inclinat quò voluerit et quomodò voluerit, atque cùm sit summè verax, promissis suis deesse non potest, nec sinere in errorem dilectam abripi Ecclesiam. Hæc magis

etiam elucidabuntur ex solutione sequentis objectionis.

Objectio ex eo desumpta quòd Romana Ecclesia sit necessarium communionis ecclesiasticæ centrum.

Exponendis primatûs S. Petri, ejusque successorum, consectariis, demonstravimus habendam esse tanquàm centrum communionis ecclesiasticæ Romanam Ecclesiam; id clamat tota traditio; id profitentur omnes Catholici; nec haberi potest catholicus, qui unitate fidei et doctrinæ, cum sede Apostolicâ conjunctus non fuerit; hinc notum illud effatum S. Irenæi, lib. 3, cap. 3 : *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Dixit S. Ambrosius oratione, seu libro de excessu fratris sui Satyri : « Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram « putavit nisi veræ fidei gratiam, perconcatusque ex eo est, utrùmnam cum epi« scopis, hoc est, Romanâ Ecclesiâ, conveni« ret. »

Fac igitur Romanam errare Ecclesiam, nonne pronum esset ac necesse cæteras omnes eumdem in errorem abduci Ecclesias, cùm teneantur illius communioni adhærescere, eamdem cum ipsâ profiteri doctrinam, ejusdem auctoritati morem gerere, nisi velint è medio tolli potestatis honorisque præstantiam, quâ centrum unitatis, auctore Christo Domino, constituta est. Hinc in synodo generali sextâ summo plausu probatæ sunt duæ Agathonis papæ epistolæ, quarum in primâ hæc leguntur : « Beati Petri annitente præsidio, hæc « Apostolica sedes nunquàm à viâ veritatis in « quâlibet erroris parte deflexa est; cujus au« ctoritatem, utpote Apostolorum omnium « principis, semper omnis catholica Christi « Ecclesia et universales synodi fideliter am« plectentes, in cunctis secutæ sunt; omnes« que venerabiles Patres apostolicam ejus do« trinam amplexi, per quam et probatissima « Ecclesiæ lumina claruerunt, quam et sancti « doctores orthodoxi venerati et secuti sunt; « hæretici autem falsis criminibus ac deroga« tionum odiis insecuti. » Nec solùm eventu, sed promissione ipsâ Christi innititur illa, quam suffragio comprobat generale sextum concilium, Apostolicæ Ecclesiæ infallibilitas. Additur enim memoratâ in Epistolâ : « Ut ab « exordio christianæ fidei percepit ab auctori« bus suis, Apostolorum Christi principibus, « illibatâ fide tenùs permanet, secundùm ipsius « Domini Salvatoris divinam pollicitationem : « *Petre, Petre, ecce Satan expetivit vos; ego* « *autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* « *et tu confirma fratres tuos.* » Hinc S. Bernardus, quem nemo arguet simulationis vel assentationis, Præfat. Tractatûs contra Abailard, p. 643, edit. Ben. : « Oportet ad vestrum re« ferri apostolatum pericula quæque et scan« dala emergentia in regno Dei, ea præsertim « quæ de fide contingunt. Dignum namque « arbitror ibi potissimùm resarcire damna fidei, « ubi non possit fides sentire defectum, hæc « quippe prærogativa sedis. Cui enim alteri « aliquando dictum est : *Ego rogavi pro te, Pe« tre, ut non deficiat fides tua?*» At concesso Ecclesiæ Romanæ infallibilitatis dono, quis dubitet quin infallibilis habendus sit Romanus pontifex? Nihil decernit, nihil judicat nisi illa suum per pontificem; non clero Romano, non populo Romano promissa sunt quæ sedem Apostolicam commendant privilegia; ad Petrum ejusque in primatu hæredes pertinent hæc verba : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc.

Resp. : Argumentum istud explicatu haud facile operæ pretium est distinctè, quantùm liceat, resolvere. 1° Sunt qui tergiversantes, Romanam Ecclesiam à summo pontifice secernendam putant, eumque errare posse, illam errori non esse obnoxiam; hâc sibi distinctione videntur omnia feliciter expedire et componere. Negari non potest discrimen aliquod intercedere sedem inter Apostolicam et sedentem in eâ pontificem; aliquo vel deposito, vel morientе pontifice, non perit sedes Apostolica, seu romana Ecclesia; sed probari non poterit, eò secerni à Romano pontifice Romanam Ecclesiam, quòd illo errante, ea nunquàm posset errorem suscipere; ut enim verbis Contensonii utamur, « non populo cleroque Ro« mano, sed Petro ejusque successoribus factæ « sunt promissiones ita præcisè et minutatim, « ut Petrum in individuo eis characteribus Chri« stus designaverit, quibus accurati, et ut sic « dicam formalistæ tabelliones solent, tabula« rum publicarum acta sollicitè et penè anxiè « communire. » (Theologia mentis et cordis, tom. 3 de Locis Theologicis, p. 105). Et certè ut idem prælocutus fuerat ibidem theologus : « Omnia alicujus sedis privilegia non nisi pro « sedente instituta sunt; et qui ad sedem Apo« stolicam accedit, non omnes Romanos inco« las, vel clerum adit universum, sed sanctissi« mum Christi vicarium consulit, ab eo expe-

« etat et oracula doctrinæ et responsa salutis. » Nec profectò satisfaceret Declarationi cleri Gallicani allata distinctio Romanæ Ecclesiæ à summo pontifice; declarat enim clerus Gallicanus non haberi summi pontificis irreformabile judicium, *nisi Ecclesiæ consensus accesserit;* Ecclesiæ utique universalis, non solius particularis Romanæ.

2° Usurpari ecclesiasticis in monumentis promiscuè solent illæ voces : *Romana Ecclesia, sedes Apostolica.* Quædam tamen ab eisdem removenda est, quæ nonnunquàm adrepit, æquivocatio; Romæ, sedem suam, providente Deo, collocavit Petrus; hinc meritò in conciliis et scriptis Patrum, Romanam adire Ecclesiam, ad sedem accedere Apostolicam, hujus vel illius ambire communionem, pro eodem significato ducitur; sermo quippe accommodatur ad originem inveteratumque statum : in eo tamen versatur aliquod discrimen, quòd ad fidem catholicam pertinet sedis Apostolicæ absoluta perpetuitas; hæresis autem labem, fatente ipso Bellarmino et aliis, non incurreret, qui fieri posse assereret, ut ab urbe Româ, ut à Romano solo, ut à Romanâ diœcesi penitùs avelleretur sedes Apostolica, et aliam ad regionem transferretur in perpetuum; talem non posse fieri separationem et translationem, « est quidem, ait Bellarminus (de Romano Pontifice, lib. 4, cap. 4), pia et probabilissima « sententia, non tamen adeò certa, ut contraria dici possit hæretica, vel manifestè erronea, ut rectè docet Driedo, lib. 4, cap. 3, « part. 3 de ecclesiasticis Dogmatibus. » Perpetuam sedis Apostolicæ Romanos intra fines futuram permanentiam probat Bellarminus ex eo « quòd, inquit, tamdiù mansit Romæ sedes « Apostolica, non obstantibus infinitis persecutionibus et occasionibus recedendi, » quas enumerat. Sententiam hanc Bellarmini non impugnat Declaratio cleri Gallicani; hâc etiam intactâ Declaratione, docetur Romanam Ecclesiam, quæ nunquàm sejuncta est à cathedrâ Petri, ne tùm quidem cùm diuturno tempore alibi commorarentur Romani pontifices, nunquàm in errorem esse prolapsam; certissimè inprimis fore tenendum est accidere non posse ut si quando laberetur, contumaciter erraret; statim enim reclamante ordine episcopali, ad sanam revocaretur doctrinam; at verò utrùm, quamdiù Romæ perstabit sedes Apostolica, possit brevi temporis intervallo errorem combibere Romana particularis Ecclesia, id non repugnare Christi promissionibus, consequi haud obscurè videtur ex appellatâ mox Declaratione, quâ irreformabile nullum esse summi pontificis decretum *antequàm accesserit Ecclesiæ,* universalis scilicet consensus, enuntiatur. Consecutionem hanc obfirmat adnotatio illa Bossuetii Defens. Declar. part. 2, lib. 15, c. 14 : « Unam ergo Ecclesiam catho« licam, utpote Spiritûs sancti magisterio in« structam, quæque eam repræsentet, syno« dum œcumenicam, eam esse credimus, in « quam circa fidem nullus unquàm obrepat « defectus, neque per contumaciam, neque « per imprudentiam; clerum verò Romanum, « si quid erraret, ab Ecclesiâ catholicâ atque « ejus œcumenicâ synodo dirigi, revocari, do« ceri debere, perficique omninò, ne error « inolescat; unde illa Romanæ Ecclesiæ, se« disque Apostolicæ invicta firmitas, ipsâ Ec« clesiæ firmitate constat; quæ quidem Ec« clesia catholica, cùm ex Christi promissione « sit immobilis, Petri successionem eique « conjunctam principalem Ecclesiam, sedem« que Romanam, partem Ecclesiæ necessariam, « eâ vi quæ totum continet, stare quoque « oportet. »

Jam solvenda est quæ desumitur objectio ex perpetuitate centri communionis, atque ita solvenda est, ut nec labefactetur memorata Gallicanæ Ecclesiæ declaratio, nec quidquam detrahatur Ecclesiæ Romanæ seu sedis Apostolicæ dignitati et auctoritati. Certum est ac firmiter credendum, nunquàm excidendam aut intermittendam esse Apostolicam sedem; quantùmcumque in eam fremerent mundus et inferi; permanebit, ut ipsamet Ecclesia, usque ad consummationem seculi, protegente ac disponente Deo, cujus potentiæ aut sapientiæ non est numerus. Certissimè pariter ac fide tenendum est, à successione et serie summorum pontificum nunquàm alienandam esse orthodoxam doctrinam, ita ut à catholicâ fide series ipsa pontificum deciscat, quemadmodùm in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, Alexandrinâ et aliis jamdudùm factum est; quod hìc asserimus, id omnes confitentur Catholici, nec ullo modo, vel in speciem pugnant cum Declaratione cleri Gallicani; idem, ut patet, necessarium est, ad retinendum in Ecclesiâ centrum unitatis et communionis divinitùs constitutum.

Sed neque ad perpetuam sedis Apostolicæ conservationem, neque ad vindicandam altissimæ illi sedi inditam à Christo vim atque dignitatem, necesse est, Romanorum ut pontificum nemo possit à revelato aliquo dogmate,

dùm loquetur ut pontifex, deflectere. Haud quidem ad *perpetuam sedis Apostolicæ conservationem* necessum est, infallibilitatis dono præditum esse unumquemque pontificem; ut enim mortuo, ita etiam errante aliquo pontifice, perstaret veneranda illa sedes; eâdem ipsâ vacante Romana viget fides, vigeret quoque etiamsi pontifex, quocumque tandem modo à fide deficeret; Romana enim fides ea est quæ à Petro Apostolorum principe per successorum seriem ad nos devoluta ita coaluit, ut tametsi unus aut alter pontifex ab illâ fide recederet, series ipsa pontificum fingi non possit eam deserere. Sic enim divinitùs ordinatum est, ut in errorem si impingeret Romanus aliquis pontifex, statim reclamante, ut diximus, Ecclesiâ, aut resipisceret, aut ejus in locum alter eligeretur, qui adstricto vulnere periclitanti Religioni succurreret. Denique Romana ut sedes, Romanus ut pontifex habeatur centrum unitatis et communionis, non requiritur in pontifice infallibilitas. Ea centri dignitas et præstantia antecellenti auctoritate innititur, non absolutâ infallibilitate. Romana sedes, Romanus pontifex propter illam præcellentem in totâ Ecclesiâ auctoritatem, centrum est universale communionis, in quod intendere et collineare singulæ omnes debeant Ecclesiæ; hinc duo præsertim consectaria: primum, ut quamvis nullius Ecclesiæ, nisi urgente gravi et legitimâ causâ, liceat communionem abjicere, speciali tamen studio prosequenda sit ac retinenda Ecclesiæ Romanæ communio, quia cæterarum est Ecclesiarum caput, mater et magistra; eâ communione qui careat, censetur à catholicæ ablegatus Ecclesiæ consortio; communionem autem illam qui obtineat, catholicæ inter alumnos et membra Ecclesiæ cooptatus ducitur; secundum: Romanus si, quod avertat Deus, in errorem diverteretur pontifex, tum, ut non semel annotavimus, disseminata vel congregata reniteretur universalis Ecclesia; grassanti occurreret, et mederi satageret efficaciter malo, adhibendâ, si opus esset, canonicarum pœnarum severitate in auctorem scandali. Tum Romanus ille qui erraret pontifex, non fungeretur *actu* officio centri; nec tamen sublatum esset è medio centrum commune unitatis à Christo suppeditatum, et in sede Apostolicâ collocatum; staret immota sedes, inviolata Romana fides, ut diximus; idem præstaretur ac si aliquantùm vacaret sedes; superioribus fideics adhærerent pontificibus, resipiscenti, aut subrogando pontifici adhærere parati.

Inst.: Profitente synodo sextâ generali, ut in objectione relatum est, *ab exordio christianæ fidei* (Apostolica sedes) *ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibatâ fide tenùs permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem*; ergo divinæ obstant promissiones, ne unquàm errorem fidelibus obtrudat Romanus pontifex. Haud minus sanè depromitur argumentum ex professione seu formulâ, omnium tum orientalium, tum occidentalium episcoporum receptâ suffragio; en illa formula quam adversùs Acacium Eutychetis defensorem, ediderat beatissimus papa Hormisdas, et ad orientales miserat Ecclesias: « Prima salus est rectæ fidei regulam custo- « dire, et à Patrum traditione nullatenùs de- « viare, quia non potest Domini nostri Jesu « Christi prætermitti sententia dicentis: *Tu « es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ec- « clesiam meam*; hæc quæ dicta sunt, rerum « probantur effectibus, quia in sede Apostolicâ « immaculata est semper servata religio. » Tum subditur: « Unde sequentes in omnibus « Apostolicam sedem, et prædicantes ejus om- « nia constituta, spero ut in unâ communione « vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, « esse merear, in quâ est integra et vera chri- « stianæ religionis soliditas; profitens etiam « sequestratos à communione Ecclesiæ catho- « licæ, id est, non in omnibus consentientes « sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra « non esse recitanda mysteria; hanc autem « professionem meam propriâ manu scripsi, « et tibi Hormisdæ sancto et venerabili Papæ « urbis Romæ obtuli. » Inde sic adornat, quod solvendum suscipit deinceps argumentum, ipse Bossuetius Defens. lib. 15, c. 7: « Omnes « ergo Ecclesiæ subsignatâ formulâ profitebantur Romanam fidem, sedis Apostolicæ et « Ecclesiæ Romanæ fidem, integrâ et perfectâ « soliditate constare, ac ne unquàm deficiat, « certâ Domini pollicitatione firmatam; nempe « hanc fidem ab episcopis ad metropolitanos, « ab his ad patriarchas, à patriarchis ad papam « mitti oportebat, ut omnium confessionem « unus exciperet, ac pro confessione fidei « communionem omnibus, unitatemque re- « penderet. Hanc professionem eodem initio, « eâdem conclusione, additis subinde hæresi- « bus atque hæreticis qui suis temporibus « Ecclesiam conturbâssent per secuta secula « frequentatam scimus. Hanc uti sancto Hor- « misdæ papæ, sanctoque Agapeto et Nicolao I

« omnes episcopi fecerant, ita iisdem verbis « Adriano II, papæ Nicolai successori factam « in concilio octavo œcumenico legimus. Hæc « ergo ubique diffusa, omnibus seculis propa- « gata, ab œcumenico concilio conservata, « quis respuat christianus? »

Dissimulatam esse nemo dixerit vim argumenti quo maximè freti videantur pontificiæ defensores infallibilitatis; hìc placet adjungi testimonium S. Bernardi, quo nullum profertur propositæ quæstioni magis accommodatum; præfatus, Epist. ad Innocentium II, referri ad sedem oportere Apostolicam pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt, subdit: « Dig- « num namque arbitror, ibi potissimùm resar- « ciri damna fidei, ubi non possit fides sentire « defectum. » Quo nixus momento id compertum habeat, sic ostendit: « Cui enim alteri « aliquando dictum: *Ego pro te rogavi, Petre,* « *ut non deficiat fides tua?* » Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur: *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Ex his omnibus concluditur, et nunquàm defecisse à fide Romanum pontificem, et divinâ promissione fundatam et obsignatam hujusmodi inerrantiam.

Resp.: Libentissimè concedimus cum doctissimo Bossuetio, « nunquàm esse eventurum, « ut quemadmodùm Ecclesiæ, exempli gratiâ, « Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, et nunc « Anglicanæ, Danicæ, ita Ecclesiæ Romanæ « error inhæreat, quem contumace proposito « tueatur, et à veræ Ecclesiæ se abrumpat « sinu; neque verò unquàm Romani pontifi- « ces refugerunt, ut quod cleri sui judicâssent, « cum œcumenicâ synodo, si res postularet, « æquo animo retractarent; quo profectò « constabat, si aliquid fortè erroris irreperet, « certè abesse contumaciam quâ solâ fit hære- « sis. » Deinde, quantùmvis conciliis generalibus 6, 7, 8, extolleretur Romanæ sedis ac Romani pontificis in fide constantia, nihilo sciùs per eadem tempora, iisdem in synodis de ipsis Romanorum pontificum definitionibus, deliberatum, retractatum, factoque examine judicatum fuit; quod minimè dubio indicio est, singulos Romanos pontifices, non habitos fuisse propriè dictâ infallibilitate præditos. Fidem ipsam quâ Christiani sumus, quam etiam in corde gerimus, designant procul dubio hæc verba Christi Domini: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua; corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* ut postea tradidit Apostolus; at verò internæ fidei indeclinabilem firmitatem, quis nisi somniando existimaverit promissam fuisse singulis Petri successoribus? Non igitur credendum est, voluisse synodos ipsas generales, ut quà latè patet promissio Christi, ad Romanum quemque pontificem pertineret; an verò ad externam fidei professionem dicetur hanc esse referendam promissionem? Futurum non spondebat Christus, ut à verâ fidei confessione nullo temporis puncto deficeret Petrus, cùm post Domini promissum, ter negaverit Petrus Dominum; at fore pollicitus est Christus, ut fidem animo non repudiaret Petrus, atque post triplicem negationem continuò resipisceret; tum pœnitentiæ studio incitatus, et generosè accensus face charitatis, totum se ipsum confirmandis fratribus, ac pro pagandæ fidei invicto proposito impenderet; eadem itaque promissio ad Romanos extensa pontifices, si urgeatur ad litteram, id duntaxat declarabit, efficiendum divinâ opitulante Providentiâ, ut si aliquando ex illis aliquis confessionem fidei violaverit, meliorem ad frugem brevi sese recipiat, genuinæ postea doctrinæ tenax; nec id silentio prætereundum, defendi posse et quidem intactâ cleri Gallicani Declaratione, nunquàm eventurum, ut etiam delinquendo si quis erraret Romanus pontifex, ille ut pontifex, errorem contumaciter retineret; semotâ autem contumaciâ, non propriè deficeret in eo fides, quemadmodùm nec defecisse dicenda est in S. Cypriano, cùm errorem rebaptizantium, habitis etiam ad hunc vindicandum synodis, propugnaret. Dicendum igitur ex mente et doctrinâ conciliorum ac Patrum, sicut ex ipso Scripturarum contextu colligi, promissiones Christi quâ parte veram et strictè intellectam infallibilitatem enuntiare credantur, non ad singulos Romanos pontifices pertinere, verùm ad seriem Romanorum pontificum; dicendum etiam promissiones illas fuisse catholicâ in Ecclesiâ perfectissimè adimplendas, cujus personam gerebat Petrus Apostolus. Quid potest ampliùs exigi, quàm ut Christi promissio certissimè impleatur? Impletur autem, si Petrus ipse, si Ecclesia catholica in Petro, ut ejusdem sustinente personam, si pontificum Romanorum series in fide constantissimè manserint, nec unquàm defecerit aut defectura sit Romana fides: quæ omnia suo loco asseruimus, et ut sunt inter se connexa, ita sunt mutui illius respectu habitâ ratione consideranda.

Duo hìc iterùm subjicienda, aut magis aliquantisper explananda putavimus: Primum, non defuturum esse remedium ac præsidium

ad incolumitatem fidei, institutionemque fidelium, errante aliquo pontifice ; opem suppeteret, sanorum formam verborum efferret impervia erroribus Ecclesia, sola, ut ait Bossuetius, quæ nunquàm errare possit, ac ne momento quidem ; unde enim si deficeret aliquando, posset erigi? Pontifex mortuus in alio revicturus est ; vis enim creandi alterius inest Ecclesiæ ; lapso in errorem potest eadem Ecclesia occurrere; at non ut pontificem Ecclesia catholica, sic aberrantem Ecclesiam catholicam, alia Ecclesia catholica emendaret aut amoveret ; tum etiamsi ad veritatem semetipsa post lapsum statim referret, ejus tamen quâ omnium animos teneri necesse est, auctoritas, hoc ipso attenuaretur ac defluëret, quò vel dispersa vel adunata semel à vero deflexisset. Secundum. Errante aliquo pontifice, non idcircò erraret in fide societas christiana : vel enim deficeret pontifex à dogmate jam auctoritate universalis Ecclesiæ definito, jam tum prælucente irreformabili hoc decreto, fideles præcaverent ab errore; at circa dogma nondùm ab Ecclesiâ propositum, si erraret Romanus aliquis episcopus, tum, ut liquet, nec abrumperetur unitas fidei, nec apud fideles error invalesceret, reclamante nimirùm, ut dictum est, Ecclesiâ, imò nec apud eos pervulgaretur tanquàm regula credendi, erroneum pontificis errantis decretum ; populis enim decreta non proponuntur nisi fuerint ab episcopis agnita et admissa ; ordinem autem episcopalem expresso vel tacito consensu errori obsecundare, nunquàm patietur Spiritus qui docet omnem veritatem.

Solvuntur objecta ex conciliis.

Obj. 1° : Generalibus ipsis in conciliis, declaratur nunquàm defecisse, nec defecturam sedem Apostolicam, eam quippe promissionibus, orationibusque Christi septam, defendi ab omni commissæ sibi fidei dispendio. Ita in synodo generali sextâ, conspirante consensu probata est Agathonis epistola, de quâ jam diximus solvendâ objectione ductâ ex perpetuitate centri communionis; referuntur hæc verba Christi ad Petrum : *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Et adjicitur : « Dominus fidem Petri non « defecturam promisit, et confirmare eum fra« tres suos admonuit » ; tùm, id Apostolicos pontifices, confidenter fecisse semper, tanquàm quid cunctis cognitum, testificatur. In concilio generali octavo suscepta est conspirante consensu, sanctissimi pontificis Hormisdæ formula, quæ jam multò ante fuerat ab orientalibus occidentalibusque episcopis comprobata : in eâ legitur sedem apostolicam, ne unquàm deficiat, certâ Domini pollicitatione firmatam.

2° In conciliis œcumenicis habita sunt tanquàm principis ipsius Apostolorum responsa, summorum pontificum dogmatica decreta, eumdemque suis in successoribus supremo pascendi et regendi munere defungi creditum est. Sic lectâ S. Leonis ad Flavianum epistolâ unanimiter exclamatum est à Chalcedonensi concilio : « Hæc Patrum fides ; hæc Apostolo« rum fides ; omnes ita credimus ; orthodoxi « ita credunt ; anathema ei qui non ita cre« dit ; Petrus per Leonem locutus est. » Jam dictum fuerat approbante saltem tacitè Ephesinâ synodo : Petrus Apostolorum princeps, fideique columna, ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Quomodò viveret, judicia proferret, firmissimæ instar columnæ se haberet, aliquo in Romano pontifice, qui fideles quantùm auctoritate valeat, in errorem, in ruinam proposito decreto impelleret ?

3 OEcumenicis in synodis immutabilia ducuntur, et tanquàm Spiritûs sancti oracula excipiuntur dogmatica summorum pontificum decreta. Duabus Agathonis epistolis magnoperè suffragati sunt Patres concilii sexti generalis : quarum in secundâ dicuntur missi illius ad synodum legati, non ut tanquàm de incertis contenderent, sed ut certa atque immutabilia, compendiosâ definitione pontificis enuntiarent. Tùm eâdem in epistolâ, supremus ut judex sic statuit : « Qui verò hæc confiteri noluerint, ut « infestos catholicæ et Apostolicæ confessioni, « perpetuæ condemnationis reos esse censeamus ». Octavâ in synodo generali comprobata est professio ista fidei quam Adrianus miserat : « Quia non potest Domini Jesu Christi « prætermitti sententia, dicentis : *Tu es Petrus,* « *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam* « *meam* : hæc quæ dicta sunt, rerum probantur « effectibus, quia in sede Apostolicâ immacu« lata est semper reservata Religio ; et sancta « celebrata doctrina ; ab hujus ergo fide atque « doctrinâ separari minimè cupientes, et Pa« trum et præcipuè sanctorum sedis Apostoli« cæ præsulum sequentes in omnibus consti« tuta, anathematizamus omnes hæreses simul « cum ichonomachis. » Actione secundâ, commemorato illo S. Pauli placito : *Obedite præpositis vestris*, hunc in modum concludit : « Itaque beatissimum papam Nicolaum tan-

« quàm organum Spiritûs sancti habentes, « necnon et sanctissimum Adrianum papam successorem ejus. »

4° Arguitur ex potestate confirmandi synodos ipsas generales summo adscriptâ pontifici, tùm ex isto pronuntiato : *A nemine judicatur prima sedes* : id aptiùs proponetur ubi de concilii generalis auctoritate in summum pontificem.

Resp. Maximâ ex parte argumenta illa quibus gloriantur pontificiæ infallibilitatis patroni, jam præoccupavimus atque solvenda curavimus diluendis objectionibus quæ ex sacris litteris, et ratione centri communionis eliciuntur. Ibi expositum fuit, quo sensu fundamentum Ecclesiæ, ejusdemque pastor constitutus sit S. Petrus, quid Christus significatum his verbis voluerit : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* ostendimus expositioni nostræ non officere præstitutam insignem, à sancto papâ Hormisdâ formulam : neque perpetuitatem centri unitatis in sede Apostolicâ divinitùs collocati : hinc dilucidandis quæ hìc opponuntur, longâ nec intricatâ opus est disceptatione.

Ad primum itaque dicimus, jam esse monstratum quò pertineant quæ dicta sunt in conciliis generalibus sexto et octavo de fide Petri nunquàm defecturâ : hæc *ad privatam* Petri personam, hæc ad seriem summorum pontificum, hæc ad Ecclesiam universalem, non ad singulos Romanos pontifices referenda sunt. Attexere hìc possumus interpretationem quæ omnibus illustrandis idonea videatur. Nempe hæc verba Christi : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* per accommodam distributionem esse intelligenda : rogavit ergo Christus pro Petro, fidem ut internam, ipsomet trinæ negationis retineret tempore, atque in se doctrinam evangelicam invictâ constantiâ profiteretur ac doceret : rogavit Christus pro Ecclesiâ universali, ut illibatum custodiret ac tueretur depositum fidei ; rogavit pro serie summorum pontificum, ut verbi divini vel scripti vel traditi, nec violaret professionem, nec patrocinium desereret; rogavit pro singulis Romanis pontificibus, non ut singulis impertiretur donum infallibilitatis, sed affluentis præsidia gratiæ, quâ benè uti quamdiù voluerint, populum christianum sanis erudire institutionibus, pro suâ auctoritate valeant.

Ad secundum : Chalcedonensi in synodo, quæ celebrata est anno 451, imperante apud Orientales Marciano, et Romæ sedente Leone Magno, cùm Patres acclamaverint : « Petrus per Leonem locutus est, » non idcircò errare illum nunquàm posse crediderunt; sicut nec infallibilem putaverunt S. Cyrillum de quo plaudentes conclamabant : « Cyrillus ita docuit : « Cyrillo æterna memoria, » declaratum voluerunt, eodem modo locutum fuisse debellandis Eutychianis erroribus S. Leonem, quo loqueretur ipsemet S. Petrus; neque tamen vim irreformabilis decreti ante obtinuit ejus epistola, quàm discussa et approbata fuerit ab episcopis, ut in probationibus nostris commonstratum est. Quod verò Ephesinâ in synodo quæ habita est anno 431, imperante Theodosio Juniore, et Romanam sedem tenente Cœlestino I, dictum fuerat vivere Petrum suis in successoribus, id assertum est non propter inerrantiæ privilegium Petro collatum, sed propter ejusdem primatum honoris et jurisdictionis ad omnes Apostolicæ sedis hæredes transmittendum.

Ad tertium : Censeri concilium generale sextum, quod celebratum est anno 680, sub Agathone Romano pontifice, et Constantino Pogonato imperatore, Agathonis approbandâ epistolâ, suscipere tanquam immutabilia quæ ille judicaverit, sic intelligendum est, ut ad rationem dogmatis ab eo definiti, et reipsà immutabilis attenderint, non autem definienti pontifici infallibilitatem vindicârint. Tùm octavâ in synodo, quæ celebrata est anno 869, sub Adriano II et Basilio imperatore, quod profiterentur Patres, se habere tanquàm organum Spiritûs sancti, papam Nicolaum, id affirmabant non attribuentes infallibilitatis prærogativam pontifici, sed propter ejusdem Scripturarum cum revelatis à Spiritu sancto dogmatibus consensionem et consonantiam.

Ex his omnibus consequitur tum duntaxat à decreto Romani pontificis ablegari omne prorsùs errandi periculum, cùm accesserit episcoporum consensus; hinc S. Leo in epist. ad episcopos Galliarum : « Nullum, inquit, jam « excusationis refugium de ignorantiâ, vel de « intelligentiæ difficultate conceditur : cùm « sexcentorum ferè fratrum, coepiscoporum- « que nostrorum synodus congregata, nullam « artem ratiocinandi, nullum eloquium disse- « rendi contra fundamentum fidei divinitùs « inspiratæ permiserit. »

Solvuntur objecta ex summis pontificibus. — Ex summis veteribus pontificibus nullum aliud promitur testimonium quod difficultatem ullam afferat, quæ ex diversis quæ adduximus responsis expediri non possit, aut potiùs jam expedita non sit : Romanæ sedis commendant primatum auctoritatis, de quo dubitat

nemo verè catholicus : commemorant pronuntiatum illud Christi : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ;* quem referat sensum exposuimus. Asserunt etiam nullâ erroris labe contaminatam fuisse Apostolicam sedem, inde non sequitur absoluta et propriè dicta infallibilitas.

Unum aut alterum hujusmodi testimonium exempli causâ proferemus : « Hoc est, inquit « Gelasius, epist. 8 ad imperatorem Anastasium, « quod Apostolica sedes magnoperè cavet, ut « quia mundo radix est Apostoli gloriosa con- « fessio, nullâ rimâ pravitatis, nullâ prorsùs « contagione maculetur. » Cavet Apostolica sedes ne ullam prorsùs suscipiat erroris labem: inde quidem sequitur immunitas ab hæresi, cùm absque contumaciâ non incurratur hæresis nota; at non inde colligitur absolutæ infallibilitatis privilegium ; addit Gelasius : « Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non « posse confidimus) tale aliquid proveniret, « unde cuiquam resistere auderemus errori? »

Aliud est omnimoda certitudo, aliud spes et confidentia : quo sensu dictum est à S. Paulo 2 ad Corinth. c. 2 : « Confidens in omnibus « vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum « est. » « Quis nesciat, ait S. Gregorius Magnus, « in epist. ad Eulogium Alexandrinum, san- « ctam Ecclesiam in Apostolorum principis « soliditate firmatam, qui firmitatem mentis « traxit in nomine, ut Petrus à petrâ vocare- « tur? Cui veritatis voce dicitur : *Tibi dabo « claves regni cœlorum*, cui rursùs dicitur : *Et « tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, « iterùmque : *Simon Joannis, amas me ? pasce « oves meas.* » Hæc omnia, ut videre est, quid spectent, quà referantur, deditâ operâ indicavimus; itaque in illis interpretandis ampliùs non immorabimur.

Solvuntur objecta ex SS. Patribus. — Idem ferè dicendum de testimoniis Patrum, quod mox de summorum pontificum diximus : hoc est, quæ inde argumenta extenduntur ad infallibilitatem Romano adscribendam pontifici, ad eadem solvenda recurrunt, quas adduximus responsiones, tum ubi de illis Christi orantis : *Tu es Petrus, et super hanc petram... oravi pro te.... pasce oves meas ;* tùm ubi de stabilitate centri communionis; ne igitur sat enucleatè dicta fastidiosè recudantur, summatim respondendum.

S. Irenæus omnes hæreses superari ac prosterni testatur solius Romanæ Ecclesiæ traditione : « Quoniam, inquit, valdè longum est « omnium Ecclesiarum enumerare successiones « maximæ et antiquissimæ et omnibus cogni- « tæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro « et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ec- « clesiæ ; eam quam habet ab Apostolis tradi- « tionem, et annuntiatam hominibus fidem, « per successiones episcoporum pervenientem « usque ad nos indicantes, confundimus om- « nes. » Cùm traditione hæreticos voluerit revincere S. Irenæus, longumque fuisset, ut ipse adnotat, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, Romanæ potissimùm, cùm cæteris antecellat, doctrinam et auctoritatem invocat : inde quidem consequens est præcipuas, quod ultrò profitetur clerus Gallicanus, partes in causis fidei ad sedem pertinere Apostolicam, non autem Romanum in pontificem errorem cadere non posse. Celeberrimo autem, quod subjungitur testimonio : « Ad hanc Ecclesiam « propter potiorem principalitatem necesse est « omnem convenire Ecclesiam, » adstruitur non infallibilitas, sed primatus Romani pontificis, atque eximia centri communionis prærogativa.

S. Cyprianus, navigantes ad *Petri cathedram unde dignitas sacerdotalis exorta est*, schismaticos Felicissimum et Fortunatum eò redarguit, quòd non cogitent, eos esse Romanos, quorum fides, « Apostolo prædicante, laudata « est, ad quos perfidia habere non possit ac- « cessum, » epist. 55, ad Cornelium.

Centrum esse unitatis ecclesiasticæ Romanam Ecclesiam nemo inficiatur catholicus : perfidorum eam non favere molitionibus, easdemque statim atque innotescunt respuere, id non importat dogmaticis in quæstionibus consignatam Christi promissionibus inerrantiam.

S. Hieronymus, in Deo tres hypostases vel unam duntaxat, utrùm dicere oporteret, disputantibus magnâ contentione Orientalibus, scripsit ad summum pontificem Damasum : « Ego, inquit, beatitudini tuæ, id est, cathe- « dræ Petri communione consocior ; super « illam petram ædificatam Ecclesiam scio ; « quicumque extra hanc domum agnum come- « derit, profanus est. » Deinde obtestatur ut sibi *sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas*, paratus id omne sequi quod præscriberet S. Damasus. Insigni illo encomio, tam verè quàm magnificè extollitur Romanæ sedis præstantia et auctoritas : meritò paratum se profitetur Romani pontificis adhærere sententiæ, cui propter eminentem auctoritatem, quamdiù non reclamat universalis Ecclesia, interiùs etiam obsequendum,

pronâ mente confitemur : quid consultius, et catholico magis dignum instituto, quàm, collidentibus animos de Religione litibus, obsequenter adiri communem Christianorum patrem ac magistrum, tametsi non infallibilem?

S. Augustinus, Romanæ sedis auctoritate vel solius absolutè et infallibiliter dirimi causas fidei indicare videtur istâ percelebri sententiâ : « Jam, inquit, de hâc causâ (Pelagianorum) duo concilia missa sunt ad sedem « Apostolicam ; inde etiam rescripta venerunt : « causa finita est, error utinam finiatur! » Testimonium illud scitè exposuit doctissimus Tournely, cujus ipsamet verba eò loci exscribere non pigeat.

« Meritò dixit S. Augustinus, post rescripta « duorum SS. pontificum Innocentii et Zozimi, « causam Cœlestii ac Pelagii finitam esse, nec « ulteriùs quidquam esse requirendum ; quid « ita? Quia damnatus jam fuerat eorum error « in conciliis Diospolitano anno 415, Carthagi- « nensi 1, anno 412; Carthaginensi 2, anno 416; « Milevitano, eodem anno; Hierosolymitano « anno 415. Jam Patres Carthaginenses ac Mi- « levitani de hocce grassante errore ad Innocentium scripserant. Ipse Cœlestius cùm pri- « mùm damnatus est in concilio Carthaginensi « anno 412, ad Romanum pontificem appellavit. » Deinde ut animadvertit idem theologus, sententia Romanæ sedis quâ latâ causa finita dicitur, Constantinopolim et per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata. Vide Marium Mercatorem in commonit. cap. 3. Unde meritò S. Augustinus asserit Cœlestium et Pelagium toto christiano orbe damnatos fuisse.

Explanandis quæ ad Innocentium II scripsit S. Bernardus, operam impendimus, illis præsertim verbis : « Dignum namque arbitror ibi « potissimùm resarciri damna fidei, ubi non « possit fides sentire defectum. »

Solvuntur objecta ex testimoniis Gallicanorum ipsorum episcoporum. — Objicies 1° : In monitis comitiorum cleri Gallicani anni 1626, ad archiepiscopos et episcopos Galliæ, artic. 137, hæc inter cætera leguntur : « Les évêques se- « ront donc exhortés d'honorer le S. Siége « apostolique, et l'Eglise Romaine fondée dans « la promesse infaillible de Dieu, dans le sang « des Apôtres et des martyrs, la mère des Égli- « ses, laquelle, pour parler avec S. Athanase, « est comme la tête sacrée, par laquelle les « autres Églises, qui ne sont que ses membres, « se relèvent, maintiennent et conservent : « respecteront aussi notre saint père le Pape, « chef visible de l'Église universelle, vicaire de « Dieu en terre, évêque des évêques et patriar « ches, en un mot successeur de S. Pierre, « auquel l'apostolat et l'épiscopat ont eu com- « mencement, et sur lequel Jésus-Christ a fondé « son Église, en lui baillant les clefs du ciel « avec l'infaillibilité de la foi, que l'on a vue « miraculeusement durer immuable dans ses « successeurs jusqu'aujourd'hui. » Quomodò potuisset significantioribus verbis enuntiari, non esse errori obnoxium Romanum pontificem, ut pontificem, ut Ecclesiæ caput et rectorem?

Resp. Vel dicendum est cum Bossuetio eam, quæ promissa est Petro, *infallibilitatem fidei*, tùm ad ipsum, tùm ad ejus successorum seriem et successionem pertinere, non ad singulos Romanos pontifices, ut supra expositum est ; vel asserendum est cum D. Tournely, « hæc monita quæ sub nomine cleri Gallicani « circumferebantur, à toto clero improbata « fuisse, ac summâ curâ è medio sublata quot- « quot reperiri potuerunt eorum exemplaria : « ita expressè testatur cardinalis Rupifulcaldus « in opusculo cui Gallicè titulum fecit : *Désa- « veu*, etc., edito anno 1626. » Deinde, si quid superesset difficultatis, inhærendum esset potiùs comitiis cleri Gallicani anni 1682, in quâ fuit maturiùs discussa quæstio, et edita declaratio quam tota certò amplexa est ac tenet Gallicana Ecclesia.

Objic. 2°: In epistolâ quam ad Innocentium X, de quinque Jansenii famosis propositionibus scripserunt 85 Gallicani episcopi, dicitur : « Majores causas ad sedem Apostolicam referre « solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri « nunquàm deficiens perpetuò retineri pro jure « suo postulat. » Ergo jus illud majores causas suscipiendi et dijudicandi, innititur dono infallibilitatis, quod Petro ejusque successoribus, ad quos profectò referendæ sunt, suppeditavit Christus Dominus.

Alterâ in epistolâ eumdem ac pontificem, à 50 Gallicanis item episcopis scriptâ, apertius etiam videtur de pontificiâ infallibilitate testimonium perhiberi. « Non solùm, inquiunt, ex « Christi Domini nostri pollicitatione Petro « factâ, sed etiam ex actis priorum pontificum, « et ex anathematismis adversùs Apollinarium « et Macedonium, nondùm ab ullâ synodo œcu- « menicâ damnatos, à Damaso paulò antea « factis, judicia, pro sanciendâ regulâ fidei à « SS. pontificibus latâ, super episcoporum con-

« sultatione (sive suam in actis relationis sen-« tentiam ponant, sive omittant, prout illis « collibuerit), divinâ æquè ac summâ per uni-« versam Ecclesiam auctoritate nituntur, cui « Christiani omnes ex officio, ipsius quoque « mentis obsequium præstare teneantur. » Tùm in fine epistolæ profitentur, per Innocentium X, ut Leoni acclamabat quarta synodus, locutum esse Petrum, editamque ab illo constitutionem inter Ecclesiæ fastos reponendam, quod, aiunt, olim de synodis œcumenicis fieri solitum. Ergo cum œcumenicæ synodi decretis collata Romani pontificis constitutio, pari prædita est auctoritate, atque vel sola sufficeret dirimendis de fide controversiis.

Resp. : Jam nec semel explicatum est, quo sensu in Petri successoribus adimpleatur illa Christi oratio : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Singulis pontificibus quamvis infallibilitatem non asserat ea Christi promissio, certissimo tamen argumento est concessæ docendi præcipuæ auctoritatis, immotique juris majores judicandi de Religione causas. Prolatis à summo pontifice definitionibus, internum etiam fatemur deberi, quamdiù non reclamat Ecclesia, sincerumque obsequium ; nec idcircò singulis adscribenda est infallibilitas pontificibus : « Si cunctis, inquit Nicolaus I, in epi-« stolâ 8 ad Michaelem imperatorem, generali-« ter sacerdotibus divina tractantibus, fidelium « convenit corda submitti, quantò potiùs sedis « illius pontifici consensus est adhibendus, « quem cunctæ Ecclesiæ generalis jugiter pie-« tas celebravit. » Numquid inerrantiæ dono « singuli instruuntur episcopi? »

Conciliorum œcumenicorum decretis æquales firmitate et auctoritate non ducunt constitutiones Romani pontificis, antequàm accesserit Ecclesiæ consensus ; at declarant, non esse necessariam generalem synodum ad proscribendas Jansenii propositiones, et quæ de iisdem exarserat, componendam controversiam ; sufficere dispersorum per christianum orbem episcoporum consensionem cum Romano pontifice. Jam accuratè ventilata fuerat et suis librata momentis controversia de erroribus quos præ se ferebant quinque Jansenii propositiones ; illos arbitrabantur episcopi Gallicani prædamnatos à concilio Tridentino in Lutheranis et Calvinistis, et in Michaele Baio à summis pontificibus Pio V et Gregorio XIII, ab Urbano VIII in bullâ contra Jansenii librum : « Tales motus, inquiunt in epist. ad Innocen-« tium X, sedari oportebat cùm concilii Tri-« dentini auctoritate, tum bullæ illius quâ « Urbanus VIII felicis memoriæ adversùs Jan-« senii dogmata pronuntiavit, et decreta Pii V « ac Gregorii XIII in Baium edita confirmavit. » Tom. 1 Mémoires du clergé.

Solvuntur objecta ex momentis theologicis. — Objicies 1° : Emergentibus in fidei causâ dubiis, confugere undique, et quâlibet ætate solitum est Romanum ad pontificem, non ut privatum ad doctorem, peritumve jurisperitum, verùm ut ad supremum divinitùsque constitutum judicem, qui excussâ caligine, reconditos ipsos Scripturæ traditionisque sensus aperiret ; id speciatim testatur S. Leo de Gallicanâ Ecclesiâ, epist. 89 : « Nobiscum, inquit, fraterni-« tas vestra cognoscat Apostolicam sedem à « vestræ provinciæ sacerdotibus, innumeris « rationibus esse consultam. » Id ergo quâlibet ætate, totâque in Ecclesiâ persuasum fuit, hauriendam esse à sede Apostolicâ, certam et indubitatam credendorum agendorumque notitiam. Et certè sedandis comprimendisque de Religionis litibus necesse est, erectum vigere perpetuum tribunal, novis adulterinisque inaccessum doctrinis ; cùm arduum sit et sæpiùs impossibile, convocari synodum generalem ; sin minùs, non videretur deposito fidei tuendo satis esse consultum.

Resp. : Ad sedem Apostolicam, cùm sit ita ordinante Deo centrum communionis ecclesiasticæ, Romanamque in Ecclesiam tanquàm in dives depositum sanæ doctrinæ inexhaustas opes ipse contulerit, meritò confugiunt undique peritissimi etiam episcopi, ad accuratam veritatis notitiam et confirmationem. Tametsi Romanum in pontificem etiam ut publicam personam error cadere possit, tantâ nihilominùs præstat auctoritate, tam potenter adjuvatur à Christo Domino, cujus vices gerit, ut loquendo ex cathedrâ vel nunquàm erraverit, vel rarissimè id contigerit ; neque in erroris crimen aut suspicionem vocandus sit, nisi ab Ecclesiâ palam redarguatur quæ confestim malo imminenti occurreret. Sedem Apostolicam fatemur habendam esse perpetuum tribunal quo dijudicari queant de Religione lites, et cujus decreta ad omnes pertineant Ecclesias : ejus sententiis, absolutâ quamvis infallibilitate careat, illata potest depelli pernicies, ac rebellantium componi tumultus, cùm externum internumque illis, licet non absolutum, debeatur obsequium. Possuntque ut plurimùm proscindi absque generali synodo (quæ, procurante Deo, ubi necessarium foret, non deesset

repudiari ac proscindi nova et peregrina dogmata : accedente enim ad Romani pontificis decretum consensu Ecclesiæ, tam infallibiliter eâ concordiâ sanciretur fides, quàm ipso generali concilio.

Objicies 2° : Traditione constat irritum haberi ipso jure, quod contra aut præter sententiam Romani pontificis in causâ fidei, aut generalis disciplinæ decernitur; Antiochenæ cuidam synodo ad evertendam profligandamque consubstantialitatis fidem collectæ, Julium Romanum pontificem neque per se, neque per legatos interfuisse adnotat Socrates, illamque synodum repellit isto generali placito : « Cùm « tamen, inquit, ecclesiastica regula vetet, ne « absque consensu Romani pontificis quidquam « in Ecclesiâ decernatur. » Eodem sensu, de latrocinio Ephesino locutus est Gelasius in epist. ad episcopos Dardaniæ : « Sicut quod « prima sedes non probavit, constare non po- « tuit; sic quod illa censuit judicandum, Ec- « clesia tota suscepit : » universalis igitur Ecclesiæ regulâ ducuntur Romani pontificis judicia; ergo ab eâdem retractari non possunt, nec unquàm reprobari. Enimverò, quâ ratione repudiarentur? Romani pontificis decreto singuli episcopi, propter illius primatum, tenentur obsequi : singulis autem obsequentibus, quo pacto repugnabit ordo episcopalis, si quid perniciosi erroris in decretum illud obrepserit?

Resp. : Relatis testimoniis aliisque similibus, enuntiatur, neque haberi posse generale concilium absque consensu Romani pontificis, cùm jure primatûs præsidere valeat, neque quidquam magni momenti in Ecclesiâ definiri debere, quod ad ipsum non referatur, cùm inter controversiarum judices primas partes obtineat. At non inde consequitur nulli vel peccato vel errori illum esse obnoxium; eòque, quod absit, contumaciter aut schismati aut hæreticæ pravitati indulgente, posset ab ordine episcopali, convocatâ si opus esset, œcumenicâ synodo, repelli atque condemnari.

Singulis quidem episcopis dignitate et auctoritate antecellit; singuli decretis illius, ut supremi pastoris, debent externum, imò et internum obsequium, ut indicavimus, non absolutum, sed quasi provisorium, donec majori auctoritate ab eo non retrahantur : at cùm singulis etiam eorum donatum sit à Christo jus ac potestas obeundi judicum muneris in causis fidei, si decretum à summo editum pontifice perspicerent, aut suspicarentur Scripturis aut traditioni repugnare, tum possent ac deberent cum aliis communicare episcopis conceptam opinionem aut suspicionem; conspirantibus tunc mentibus, communique suffragio veritatem patefacerent, atque à gregibus sibi commissis pestilentis doctrinæ propulsarent periculum. Neque dum singuli perpenderent episcopi, propositam à Romano pontifice doctrinam, assumere sibi aggrederentur auctoritatem summum in pontificem ipsiusve judicium ; nam sive consentiant singuli episcopi decreto alicui Romani pontificis, sive ab eo dissentiant, id unum præstant : testimonium scilicet perhibent, traditionem exhibent suis vigentem in Ecclesiis, quæ judicandi ratio longè differt ab usurpandâ præcipuum in Ecclesiæ pastorem, ejusdemve decretum auctoritate.

Objicies 3° : Decreto Romani pontificis, nisi irreformabile habeatur ante universalis Ecclesiæ consensum, nihil amplius tribuitur quàm privati judicio episcopi; istud enim accedente Ecclesiæ consensu, vim adscisceret sibi prorsus ineluctabilem; sic Arausicanæ synodi prolata contra Semipelagianos sententia, irreformabilis vim decreti, suffragantibus dispersis per orbem episcopis comparavit, quamvis ex 14 duntaxat episcopis conflata fuisset illa synodus. Id postulat prærogativa capitis Ecclesiæ, ut à sanâ doctrinâ deflectere nequeat, idque eò maximè quòd deficiente capite, consequens omninò videatur ut deficiat et corpus. Præterea, cùm antequàm reclamâsset ordo episcopalis, jam assectaretur populus christianus erroneum, si tale aliquod prodiret, summi pontificis decretum, ergo fidei quam tum profiteretur societas catholica, subesset falsum, quod quidem cohærere nunquàm potest cum divinâ fide. Denique non solùm majores causas oportet ad Romanum referri pontificem, verùm etiam ad eum referantur necesse est tanquàm ad supremæ jurisdictionis provocatoriæ judicem (en dernier ressort); id quidem evincitur gravibus disertisque testimoniis; Innocentius I in epistolâ ad Patres concilii Milevitani : « Quoties, inquit, fidei ra- « tio ventilatur, arbitror, omnes fratres et « coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui no- « minis et honoris auctorem, referre debere, » quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis prodesse. Clemens V, in Clement. tit 1 de summâ Trinitate, prælocutus de præcipuis christianæ Religionis dogmatibus, ac veritatis eorumdem argumentis, subdit : « Ad tam præ- « clarum testimonium, et SS. Patrum et doc-

« torum sententiam communem, Apostolicæ « considerationis, ad quam duntaxat hæc « declarare pertinet, aciem convertentes, « sacro approbante concilio declaramus. »

Resp.: Summo pontifici licet collata non sit infallibilitas, nec proinde irreformabile habeatur editum ab eo decretum, nisi accesserit Ecclesiæ consensus, maximum tamen inest discrimen inter definitionem Romani pontificis, atque privati judicium episcopi. Privatus nullus episcopus, ejusdemque Ecclesia, centrum dicitur ad quod necesse sit omnem aliam convenire Ecclesiam; illo errante erroremque proponente, non semper et statim tenetur reclamare Ecclesia : tantisque vallatur sedes Apostolica divinæ providentiæ subsidiis, ut vix unquàm possit in eam perversum aliquod dogma irrumpere. Ecclesiæ caput Romanus pontifex; hinc dimanant egregia quæ laudavimus, privilegia, sed non ita strictim intelligenda illa capitis ratio, ut errante Romano pontifice, erraret quoque Ecclesia, nisi dicatur, quod dictu nefas, mortuo vel deposito Romano aliquo pontifice interire simul aut abdicari Ecclesiam. Errante ad tempus visibili Ecclesiæ capite, numquid errabit aut infirmabitur Christus Dei virtus et sapientia, quem *dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus?*

Assensum fidei non obtinet, imò nec absolutum sibi vindicat per se et nondùm adjuncto Ecclesiæ consensu, definitio à summo prolata pontifice : illo igitur errante, non idcircò à fide deficeret christiana societas; præterea in ipsâ pontificiæ infallibilitatis patronorum sententiâ, non ante debet populus christianus assentire summi pontificis decreto, quin certò saltem constiterit locutum illum esse *ex cathedrâ*, quod utrùm præstiterit judicare ac certò discernere episcoporum est; decretum autem illud, si divinæ adversaretur revelationi, fidelibus non proponeret ordo episcopalis, cui omnibus diebus sese adfuturum usque ad consummationem seculi pollicitus est Christus. Denique allatis testimoniis quibus asseri videatur, causas inprimis fidei Romanum ad pontificem ita esse referendas ut eas ultimo, ac proinde irrefragabili dirimat judicio, id solum declaratur, causarum id genus oportere, quamdiù non celebratur generalis synodus, ad summum pontificem referri, ipsiusque standum esse judicio, nisi, ut toties diximus, universalis obnitatur Ecclesia.

At, inquies, prolato à sede Apostolicâ judicio, dissideant inter se mutuo episcopi, particularesque Ecclesiæ, quo pacto dignosci poterit, ubinam insideat veritas? — Resp. 1°: Tali contentioni et concertationi, ut manifestum est, locus essè non posset, si dogma proponeretur jam antea Ecclesiæ consensu obfirmatum; 2° si credendum proponatur dogma expressè antea non definitum, et cum pontifice consentiat episcoporum major notoriè pars, dicendum etiam irreformabile tunc evadere summi pontificis decretum, ut tractandò Ecclesiæ infallibilitate demonstratum est; 3° si tanta sit dissensio inter Ecclesias, ut nondùm ea certitudo pariatur quam postulat assensus catholicæ fidei, expectandum, sedatis mentibus et charitate compositis, donec elucidatâ veritate, affulgeat Ecclesiæ dispersæ vel congregatæ suffragium.

Articulus VIII.

Utrùm summo pontifici auctoritate præstet synodus œcumenica.

Constat apud omnes Catholicos, haberi non posse absque Romano pontifice per se aut per legatos præsidente còncilium generale, nisi extraordinariis quibusdam in casibus : hinc Ariminensia, ut ait Bossuetius, vana decreta, quòd huic synodo Liberii auctoritas defuit; hinc abominandum Ephesinum latrocinium, quòd nemo ibi nomen Leonis, nemo ab eo conscriptam audivit epistolam.

Diximus, *extra casus quosdam extraordinarios* haberi non posse absque Romano pontifice synodum œcumenicam; ipso enim vel adhærente contumaciter errori, vel dubiâ provecto electione, aut schismatici partes agente, aliisve de causis concilii generalis convocationi vel celebrationi obsistente, quod Religionis status necessariò postularet, tùm solius Ecclesiæ auctoritate convocari posset ac celebrari.

At ex consensu summi pontificis, ejusque interpositâ auctoritate sit indictum transactumque concilium generale, spectari illud potest aut antequàm à summo fuerit pontifice confirmatum, aut habitâ ratione hujusce confirmationis; quærere utrùm inferior sit summus pontifex concilio quod ipse approbaverit, id primo aspectu minùs congruenter quæsitum videtur. Verùmtamen duo hìc etiam quæruntur; quæritur 1° quid auctoritatis generali concilio conferat mox dicta confirmatio; utrùm antequàm illa accesserit, per concessam immediatè Spiritûs sancti assistentiam sit illud infallibile? Negant Bellarminus, recen-

tioresque multi, quippe qui doceant solum ad Papam, activæ infallibilitatis donum pertinere : pontificiæ licet assectator inerrantiæ, Duvallius affirmat cum Soto et aliis, eò quòd concilio generali repræsentetur universalis Ecclesia, cui statuit, promisitque Christus se Spiritumque suum jugiter affuturum. Inde concludit, « teneri pontificem, talis concilii, « tàm in fide quàm in moribus, sententiæ con- « sentire et stare. » Quâ autem ratione ea obsequii necessitas conciliari possit cum Ultramontanorum quam tenet Duvallius, sententiâ, de Romani pontificis collatâ cum synodi generalis auctoritate, sic explicat ille theologus, ut synodo consentiat summus pontifex, « non « quasi sit inferior, eique tanquàm superiori « obediens, sed ut obediens veritati per Spiri- « tum sanctum revelatæ, » et à synodo generali, eodem assistente Spiritu, propositæ. Quomodò cohæreat sibi illa distinctio, ipse viderit, quasi nos certâ fide conciliis generalibus aliter absolutum præbeamus obsequium, quàm quod adjuvante Spiritu sancto, credenda nobis infallibiliter proposuerint.

Quæritur 2° utrùm concilii generalis legitimè convocati et celebrati, non quidem dogmatica decreta, sed leges possit solâ suâ auctoritate abrogare vel immutare summus pontifex. Jam si spectetur concilium generale ut nondùm à summo pontifice confirmatum, perspectum est in quo versetur disceptata quæstio. Palam est id quæri utrùm, eo confirmationem recusante, valerent synodi generalis decreta, illisque ipse assentiri atque parere teneretur.

Conclusio. — *Concilio generali subjectus est summus ipse pontifex, ac proinde auctoritatis primatum non gerit universam in Ecclesiam, quamvis in omnes et singulas gerat Ecclesias.*

1° Ostensum est posse errare summum pontificem propositâ etiam societati fidelium dogmaticâ definitione ; depellendis quæ tunc impenderent aut grassarentur malis, non alia, si attendatur ad constitutum ordinem, suppeditaretur via, quàm adunatæ vel dispersæ reclamatio Ecclesiæ, ut servaretur integrum fidei depositum, ultimoque judicio fideles edocerentur quid credere illos oporteat : necesse est igitur, universalem Ecclesiam, et quo ipsa repræsentatur, concilium œcumenicum, eâ pollere auctoritate quæ et immunis sit ab errore, et in ipsum maximum pontificem exeri efficaciter valeat

2° Probatum est pariter, summorum pontificum judicia dogmatica, instituendis destinata fidelibus, subdita fuisse vero examini, generalibus in conciliis ; ita in conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano III, ad examen vocatæ sunt Cœlestini, Leonis et Agathonis dogmaticæ epistolæ. Porrò jus examinis, valido est argumento Romanum pontificem concilio generali auctoritate esse inferiorem : nunquàm enim novo expensa sunt examine dogmata decreta synodorum, quæ certò habebantur œcumenica ; locum scilicet præripiebat examini infallibilitas, et æqualis singulorum id genus conciliorum auctoritas.

3° Apud omnes Catholicos in confesso est, ac semper fuit, concilii generalis, saltem quando illi adjuncta est Romani pontificis approbatio, definitionibus deberi absolutum irreformabilemque assensum : at de infallibilitate summi pontificis etiamnum ambigitur catholicâ in Ecclesiâ ; eamque infallibilitatem qui confiteri palam renuunt, plenâ nihilominùs communione sedis Apostolicæ perfruuntur : ubi autem agitur de componendis ad fidem aut mores spectantibus controversiis, superat auctoritas illa, cujus indubitata perpetuò fuerit infallibilitas, auctoritatem eam de cujus inerrantiâ moveri dubium non vetat catholica fides : ergo Romani pontificis auctoritati anteponenda est synodi œcumenicæ auctoritas, saltem quando à Romano approbata est pontifice. Ulteriùs progredimur : universalis Ecclesiæ absoluta et perpetua est infallibilitas : *Ecce ego*, inquit Christus, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Non à pontifice mutuatur hoc donum inerrantiæ tam certum et immutabile ; potest exeri, et dubio, et mortuo, et lapso in errorem summo pontifice ; certitudine supereminet eam quæ Romano pontifici ab Ultramontanis adscribitur, infallibilitatem ; hanc autem tam indubitanter infallibilem auctoritatem perfectè repræsentat synodus œcumenica ; nonne igitur concludendum est synodum illam esse Romano pontifice in definiendis de Religione litibus superiorem ?

4° OEcumenicum est quoad omnes sessiones concilium Constantiense, nec illius refragandum est decretis ; atqui in sessione quartâ et quintâ expressè declarat subjectum esse concilio generali summum pontificem : ergo, etc. Utraque pars hujusce argumenti probanda est atque evolvenda : primò quidem, Constantiensis

synodi œcumenicitatem multa demonstant : à vero et legitimo pontifice, Alexandri V in Pisanâ synodo canonicè electi legitimo successore, convocatum est ; concilio eidem quàmplures adfuerunt cardinales, patriarchæ, episcopi, aliique inferiores prælati ; singulis fermè in sessionibus declarat se concilium generale facere in Spiritu sancto legitimè congregatum, universam Ecclesiam repræsentans. Quæ declaratio, si reverà Constantiæ synodus œcumenica non fuit, erronea, blasphema, schismatica, omni studio detestanda judicari debeat. Quis autem tales audeat inurere notas synodo sanandis quæ per infandum schisma illata erant Ecclesiæ vulneribus tam opportunè celebratæ? Datâ in concilio Constantiensi Martini V bullâ, jubetur suspectus de erroribus Wicleſi et Joannis Hus interrogari cùm ad Ecclesiam redit, utrùm credat quòd quodlibet concilium generale, et etiam Constantiense, universam repræsentet Ecclesiam. Sessione 45, quæ ultima fuit, disertè profitetur Martinus V, « se omnia « et singula determinatà, conclusa et decreta « in materiis fidei per præsens concilium con- « ciliariter tenere et inviolabiliter observare « velle, et nunquàm contra ire quoquo modo : « ipsaque sic conciliariter facta approbare et « ratificare, et non aliter, nec alio modo. » Denique Romanâ collectione quæ jussu Pauli V, cameræ apostolicæ typis impressa est annis 1608, 1609, 1612, numeratur inter concilia generalia, concilium Constantiense; œcumenicum simpliciter inscribitur et appellatur : ita etiam inscribitur in regiâ conciliorum collectione, in collectione Labbæi, etc.

Secundò, declarat concilium Constantiense sessione quartâ, « quòd ipsa synodus in Spiritu « sancto legitimè congregata, generale concì- « lium faciens, Ecclesiam catholicam militantem « repræsentans, potestatem à Christo Domino « immediatè habet, cui quilibet cujuscumque « statûs vel dignitatis, etiamsi papalis existat, « obedire tenetur in his quæ pertinent ad « fidem et extirpationem dicti schismatis, et « reformationem generalem Ecclesiæ Dei in « capite et membris. » Sessione quintâ : « Item « declarat (hæc sancta synodus) quòd quicum- « que cujuscumque conditionis, dignitatis, « etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, seu « ordinationibus aut præceptis hujus sacræ « synodi, et cujuscumque alterius concilii ge- « neralis, legitimè congregati, super præmissis, « seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, « obedire contumaciter contempserit, nisi re- « sipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, et « debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia « (si opus fuerit) recurrendo. » Horumce decretorum vim et auctoritatem ut eludant Gallicanæ impugnatores sententiæ, plura obtendunt quæ jam refellenda sunt, ut inde magis elucescat sumptum à decretis synodi Constantiensis argumentum.

Solvuntur quæ objici soleant ad infirmanda concilii Constantiensis decreta.

Obj. 1° : Ad tempus schismatis, quo nempe dubia est pontificis electio, referenda sunt illa decreta ; id indicatur ipso concilii proposito ad extinguendum schisma convocati ; in sessionibus mox appellatis, dicitur præceptis hujus ac statutis obedire teneri quemlibet cujuscumque statûs et dignitatis etiamsi papalis existat, in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictæ Ecclesiæ in capite et membris. Neque restrictionem hanc elevant hæc verba sessionis quintæ et cujuscumque alterius concilii, quibus enuntiatur non synodo duntaxat Constantiensi, à quolibet etiam papalis conditionis esse obtemperandum, sed cuilibet alteri synodo œcumenicæ : namque verbis illis hæc alia subjiciuntur : « Super præmissis, seu ad ea pertinenti- « bus, » quibus Romanum ipsum significatur pontificem teneri cujuscumque concilii generalis obsequi decretis in his quæ ad evellendum schisma pertineant.

Resp. : Non ad tempus duntaxat schismatis referenda sunt synodi Constantiensis sessionis quartæ et quintæ decreta : namque, ut ipsi volunt adversarii, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi : quibus autem de causis edicta sunt præfata decreta ? Constantiensem synodum constat, de exponendâ doctrinâ et reformandâ disciplinâ fuisse sollicitam : id enim et urgentia Ecclesiæ mala et bulla convocationis et ipsa sacræ synodi jam inde ab initio nota professio postulabant : atqui expositio doctrinæ ac reformatio disciplinæ, non ad solum schismatis tempus, sed ad omnia Ecclesiæ tempora protenditur ; ergo non oportet ad solum schismatis tempus restringere totam concilii sollicitudinem.

Præterea temporibus etiam futuris consultum voluit synodus Constantiensis, ideòque decrevit pontificem maximum, non solùm hujusce synodi, sed etiam cujuscumque alterius concilii generalis legitimè congregati obedire teneri ordinationibus ac præceptis. Neque latet, ea

none *Frequens* sessionis 39 decerni habenda esse de decennio in decennium generalia concilia : quolibet autem in concilio generali non occurrit dissipandum schisma de summi pontificis electione.

Perperam igitur decreta sessionis quartæ et quintæ concilii Constantiensis exponit Bellarminus de temporibus dubii pontificis. Sacra synodus non nisi certo Papâ constituto reformationem aggressura erat, hujusque procurandæ fundamenta jam ab initiis ponenda curabat, removendaque impedimenta : ergo cùm docuit in reformationis causâ Papam concilio subesse oportere, non Papam dubium, sed certum, et ab ipsâ synodo constitutum cogitabat. Papa dubius, inquiunt, pro Papâ non habetur. Talem duntaxat pontificem auctoritate vincit œcumenica synodus : ergone tanto conatu allaborâsset concilium Constantiense, ut eum qui pro Papâ non haberetur, sibi et cuicumque alteri concilio generali subjiceret ? Adde tum Papam verè dubium censeri, cùm est inextricabile dubium juris et facti, quale inciderat post Urbanum VI; talis autem casus est rarissimus, quippe qui post Christum semel tantùm contigit ; quæ autem statuit synodus Constantiensis de obedientiâ quam concilio generali debeat summus pontifex, ea generalibus expressit verbis, et quæ ad omne quod labentibus annis haberetur concilium œcumenicum, pertinerent ; reducantur in memoriam hæc verba : « Et cujuscumque alterius « concilii generalis legitimè congregati. » Non omnia concilia sub dubio habenda erant pontifice. Denique dùm concilio generali subesse Romanum pontificem declarat synodus Constantiensis, quid prodesset hæc illius declaratio, nisi certum etiam in pontificem valituram decernatur concilii auctoritatem ; unaquæque enim obedientia, non dubium, sed certò legitimum contendit esse Papam cui addictam se profiteatur.

Inst. : Ubi est apparens aliqua contradictio, sectanda interpretatio est, quæ anxiam tollat contradictionem ; sessionibus quartâ et quintâ definitum videtur subesse concilio generali Romanum pontificem : at ex canonibus sessionis 45, quibus damnantur Wiclefi propositiones, colligitur Romano potiùs pontifici obedientiam deberi à synodo etiam œcumenicâ; proscribitur enim illa propositio : « Non est de necessitate « salutis credere Romanam Ecclesiam esse su- « premam inter alias Ecclesias. » Tùm bullâ Martini V, *Inter cunctas*, sacro approbante concilio, præcipitur, ut quilibet de hæresi Wiclefi aut Hussi suspectus interrogetur, utrùm credat quòd Papa canonicè electus qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens súpremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei. Si Ecclesia Romana sit suprema, auctoritatem supremam si habeat Papa in Ecclesiâ Dei, quo pacto prævaleat concilii generalis auctoritas ? ne igitur pugnantia sibi loquatur synodus Constantiensis, revocanda sunt ad tempus schismatis ea ipsius decreta quæ synodo generali, quocumque habeatur tempore, summum pontificem subdere videantur.

Resp. : Hanc difficultatem præoccupavit atque solvit ipsa synodus Constantiensis : namque post relatam Wiclefi propositionem illam : « Non est de necessitate salutis, credere Ro- « manam Ecclesiam esse supremam inter alias « Ecclesias, » statim subjungit : « Error, si per « Romanam Ecclesiam intelligat universalem « Ecclesiam, aut concilium generale, aut pro « quanto negaret primatum summi pontificis « super alias Ecclesias particulares. » En quàm diligenter, inquit Bossuetius, Constantienses Patres et Martinus V locuti sunt ; en ut Ecclesias particulares non totam ipsam Ecclesiam catholicam, uno ore aliquid decernentem, pontifici submiserint.

Inst. iterùm : In prædictâ damnatione propositionis Wiclefi, « sic adstruitur primatus « Romani pontificis super Ecclesias particula- « res, ut non negetur super Ecclesiam univer- « salem. » Ita P. Thyrsus Gonzales Cajetanum secutus ; illâque in censurâ id tantùm expressum fuit quod ad fidem pertineret. — Resp. : Ergo saltem illæsâ fide potest propugnari Gallicani cleri sententia. Si autem dicatur eam expugnari consecutione necessariâ, quæ ducatur à propositionum Wiclefi condemnatione, hanc negamus consecutionem adductis rationum auctoritatisque repugnantem momentis : eidemque opponimus expressa concilii generalis Constantiensis decreta, quibuscum perfectè stat, et supremam in Ecclesiâ potestatem obtinere summum pontificem, et illam extendi duntaxat particulares ad Ecclesias ; hinc qui Romano pontifice superius esse concilium generale docebat, Gersonius, profitebatur nihilominùs « dandam esse supremam plenam pon- « tifici potestatem, sed in comparatione ad « fideles singulos, et ad particulares Ecclesias. » Ita eodem in concilio Constantiensi tradebat Gersonis magister, Petrus de Alliaco cardinalis,

quo maximè auctore proscripta fuit hæresis Wiclefi.

Objicies 2° : Prioribus sessionibus synodi Constantiensis non adfuerunt cardinales et episcopi qui stabant à partibus Gregorii XII et Benedicti XIII, quibus non adunatis obedientiis, non nisi tertia pars Ecclesiæ in synodum coalescebat : quâ ratione igitur tale concilium titulum et auctoritatem œcumenicæ synodi attribuere sibi valeat ?

Resp. : Prioribus quidem concilii Constantiensis sessionibus non interfuerunt cardinales qui stabant à partibus Gregorii XII et Benedicti XIII, verùm postmodùm adhæsêre concilio ; scilicet tota obedientia Gregorii XII, à sessione 14 ad finem usque adfuit, adhæsitque concilio, ac suo consensu confirmavit, quæ in prioribus sessionibus concilii decreta fuerant : istud postmodùm præstitit obedientia Benedicti XIII, sessione 37 ; idem porrò efficit talis confirmatio, ac si concilio interfuissent ab initio. Adde quòd ea pars Ecclesiæ, quæ synodum Constantiensem inchoavit, duabus aliis etiam adunatis longè sit superior ; « Ergone, « inquit meritò Bossuetius, Defens. Declarat. « cleri Gallicani, parte 2, lib. 9, cap. 21, tertia « pars tantùm quæ tot nationes complecteretur, Germaniam, Angliam, Poloniam, Sueciam, Norvegiam, Daniam, Dalmatiam, Bohemiam, ipsamque Italiam Apuliâ demptâ, ipsam quoque Romam, et cum Belgio Galliam, « et cum Sigismundo imperatore suoque rege « totam Hungariam, etc. Ad hæc universitates « Parisiensem, Bononiensem, Viennensem, « Cracoviennensem, Avenionensem, Oxoniensem, Pragensem, quæ suos in synodo legatos « haberent. » Nemo negat decreta sessionum 8, 13, 15 circa Wiclefum et Hussum, et circa communionem sub unâ specie, et circa Joannis Parvi propositionem de cædendis tyrannis, aliaque de fide, plenâ œcumenicæ synodi auctoritate esse facta ; atqui illas sessiones, æquè ac quartam et quintam, constat esse celebratas antequàm omnes obedientiæ convenissent ; ergo.

Inst. : Sine papâ celebrari non potuit concilium Constantiense ; at Joannes XXIII, qui concilium inchoaverat, jam inde recesserat, cùm quarta sessio haberetur. Conquestus ipse dicitur post abcessum suum aliqua esse decreta erronea, et falsa adversùs auctoritatem Romani pontificis.

Resp. : Ex actis concilii constat, eidem synodo etiam post fugam adhæsisse Joannem XXIII, iteratisque postea vicibus ultrò confessum, « quòd turpiter à concilio recesserat, « quòd vellet stare definitioni concilii, quòd « Constantiense Pisani continuativum errare « non posset. » Concilii Constant. sessionibus 11 et 12. Turpi fugæ hanc obtendebat excusationem, se propter sanitatem corporis secessisse ? Id testabatur missis ad imperatorem Sigismundum et ad synodum legatis, postridie quàm abiit.

Objicies 3° : A Martino V non fuit generaliter approbata synodus Constantiensis : asserit enim sessione 45 se rata habere et probata omnia et singula (in synodo) determinata, conclusa et decreta in materiâ fidei per præsens concilium conciliariter ; atque addit se ipsa hæc sic conciliariter facta approbare et ratificare, et non aliter, nec alio modo. Hæc autem ad condemnationem errorum Wiclefi et Joannis Hus revocari facilè possunt.

Resp. : Conciliariter prolata sunt Martini V bullâ *Inter cunctas*. Jubetur ab eo sciscitari cujus fides suspecta sit, an quodcumque concilium generale, et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet

Ad priores, ut ad cæteras sessiones pertinet ista declaratio, nec ideò restringenda, quòd sessionis quartæ et quintæ mentionem nullam fecerit : neque enim memorat prolatam de Joannis Parvi erroribus sententiam, quæ haud minùs habetur pro œcumenici concilii sententiâ : neque aliud quidquam præter ea quæ in Wiclefum Hussumque gesta sunt ; quin etiam bullæ *Inter cunctas*, prudenter inseruit Martinus V concilii Constantiensis in propositionem 41 Wiclefi censuram, quâ constet, Ecclesiam Romanam ita supremam esse, quatenùs eo nomine universalis Ecclesia, aut concilium generale intelligitur, papam verò ita supremum, quatenùs primatum habet super Ecclesias particulares. Declarationi quâ concilio generali subesse Romanum pontificem enuntiatum est, subscripserat cùm adhuc esset cardinalis, Martinus V ; id tantùm, pontifex mandat exequendum quod jam eum episcopis et cardinalibus constituerat.

Inst. : Gregorii et Benedicti Constantiam advenientibus obedientiis, factæ sunt novæ concilii convocationes : nonne argumento sunt saltem dubitatum fuisse de priorum sessionum œcumenicitate ?

Resp. : Factæ sunt pacis causâ, et obfirmandæ charitatis illæ convocationes, non quasi reipsà forent ad œcumenicitatem concilii ne-

cessariæ : adhibitus est ille condescensus ad repellendam promptiùs simul et efficaciùs vel levissimam suspicionis umbram, præcidendamque omnem ansam cavillationis. Quam ob rem sessione 14, cùm accederet ad synodum Gregorii XII obedientia, nova quidem facta est ipsius Gregorii nomine, per ejus procuratores convocatio et confirmatio, sed postea synodus sic pronuntiat, « eam convocationem, « auctorisationem, approbationem et confirma- « tionem à Gregorio nunc factas, quantùm ad « ipsum spectare videtur, in omnibus et per « omnia admitti ; quia abundans ad certitudi- « nem pro bono cautela nemini nocet, sed om- « nibus prodest. » Ergo ex abundanti, non ex necessitate factæ sunt novæ illæ convocationes concilii ; unde neque Gregorius, ejusve aut Benedicti defensores, cùm ad synodum accederent, id sibi vindicârunt, ut ante gesta velut ad incudem revocarent, neque ab iis postulatum est ut ea tanquàm essent infirma vel dubia, approbarent, rataque habere vellent. Permittendis synodi novis convocationibus Patres Constantienses, eâ usi sunt œconomiâ quam, ut diximus, suadet charitas, non de veritate et auctoritate jam decretorum anxietas et diffidentia. De causâ Ecclesiæ catholicæ non verebantur olim Africani episcopi, cùm duce S. Augustino, charitatis et unitatis ecclesiasticæ assertore maximo, paratos se profiterentur, in collatione Carthaginensi, cum Donatistis toties victis et damnatis quasi æquo jure disceptare, et de cathedris suis si opus esset, ultrò descendere.

Secundò, conciliariter prolata sunt decreta sessionis quartæ et quintæ : nec rebus quasi obiter pertractatis, annumerari possunt decreta, duabus continuis sessionibus publicis repetita, tam destinatò condita, tantâque omnium consensione munita et inculcata. In materiâ autem fidei versantur quæ ad interpretationem juris divini pertineant, et ad traditam immediatè à Christo, Petri successoribus atque episcopis in concilio generali sedentibus potestatem. Quod Martinus sessione ultimâ declaravit in materiis fidei, à se probari ea quæ conciliariter conclusa sunt, id, ut observat Bossuetius, non petente synodo, sed occasione à Polonis datâ, obiter atque aliud agendo, dictum esse gesta ipsa testantur, sess. 45. Postulabant Poloni ut liber quidam, quem à fidei deputatis, ac per omnes nationes, per cardinales condemnatum diceret, in sessione publicâ per sacrum concilium condemnaretur, vel condemnatus pronuntiaretur : tanquàm confecta res, solam quâ vestiretur formam, desideraret : respondit pontifex se pro conclusis, decretis, determinatisque habere, quæ conciliariter et in sessione publicâ decreta fuissent, non ea perinde quæ per congregationes, seu per nationes, atque deputatos, atque etiam cardinales fuissent examinata : hæc enim tractata tantùm atque digesta, expolita habentur, et quodammodò præparata, non autem decreta, conclusa determinataque fuisse, aut solemniter et conciliariter judicata.

Inst. : Quæ facta sunt conciliariter, maturo ponderata et discussa sunt examine : hæc est synodorum generalium agendi certa ratio ; constat autem decretis synodi Constantiensis, quibus supra pontificem semetipsam attollit, nullum præivisse competens examen : addit Bellarminus, « Patres Constantienses non com- « misisse rem illam priùs examinandam, sicut « commiserunt alias materias et quæstiones « circa doctrinam Wiclefi et Hussi, priusquàm « ad determinationes procederent. »

Resp. cum Bossuetio, post rem à synodo, expresso canone ac peculiari decreto assertam, periculosissimo exemplo revocari in dubium, an de eâ rectè et maturè sit deliberatum, atque hinc aperiri viam ad omnes canones, omnia concilia subvertenda. Quæ sessionibus quartâ et quintâ determinata est juris quæstio, ea quidem per se ardua est ; at ubique jam terrarum, in Galliâ præsertim, discussa frequentibus dissertationibus et conventibus theologorum, canonistarum, universitatum, antistitum, certique loco fundamenti posita, antequàm Patres Constantiam convenirent : neque verò opus erat post tot ac tantos ante Pisanum, et ipso Pisano concilio tractatus habitos, novis disputationibus tempus terere, cùm extrema omnia imminerent. Quin etiam Petrus de Alliaco cardinalis, episcopus Cameracensis, Constant. synodi lumen, in eo libro, quem vigente concilio de auctoritate Ecclesiæ scripsit, testatur quæstionem de stabiliendâ concilii auctoritate sæpè tractatam specialiter fuisse in hujus concilii initio ; extantque eâ de re Joannis Gersonis sermones coram synodo habiti, qui sessionibus quartæ et quintæ præiverunt, neque necesse erat ad ea explicanda deputatos nominari, ad quæ per sese Patres à toto decennio, maximè verò in ipsâ synodo, attenti arrectique essent.

Solvuntur objecta ex Florentini concilii decretis.

Ecclesiam universalem sufficienter repræ-

sentare, ac proinde œcumenica esse desiit à sessione 25, synodus Basileensis; ejusdem sessionibus 25 et sequentibus non adfuerunt sedis Apostolicæ legati, concilii præsides, aut contra eas intercessêre; eâdem sessione 25, Patrum sanior pars cum legatis decretum edidit de ipsâ synodo Florentiam vel Mutinam (Modène) transferendâ, sive in alium locum tutum, summo pontifici et Græcis accommodum; Eugenii IV solemni decreto Ferrariam translatum est. In concilio ibi congregato sexdecim habitæ sunt sessiones, in quibus disputatum est Græcos inter et Latinos, de quinque potissimùm capitibus, nimirùm de processione Spiritûs sancti à Patre et Filio de additione particulæ *Filioque* ad Symbolum, de azymi vel fermentati panis usu pro materiâ sacrificii, de purgatorio pro animabus quibus aliquid luendum superest, de primatu Romani pontificis; tandem sessione 16 editum est ac promulgatum, ob ingravescentem Ferrariæ pestilentiam, decretum de transferendâ Florentiam synodo, ubi post novem alias sessiones celebratas feliciter absoluta est. Atque hâc de causâ vulgò dici solet Florentina, quamvis synodica Ferrariæ tum Florentiæ gesta complectatur. In illâ post multas collationes, tandem facta est unio Latinæ Græcæ Ecclesiæ, anno 1439, ejusdemque decretum sacro approbante concilio, Latinè et Græcè promulgatum fuit.

Varia inter doctrinæ capita quæ tùm sancita sunt ac definita, quintum quo plurimùm innituntur adversarii, spectat sedis Apostolicæ et Romani pontificis universâ in Ecclesiâ primatum : en verba decreti quod instanter nobis objicitur : « Item definimus sanctam Apostolicam « sedem et Romanum pontificem in universum « orbem tenere primatum, et ipsum successo- « rem esse beati Petri principis Apostolorum, « et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ « caput, et omnium Christianorum patrem ac « doctorem existere, et ipsi in beato Petro « pascendi, regendi ac gubernandi universa- « lem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo « plenam potestatem traditam esse, quemad- « modùm etiam in gestis œcumenicorum con- « ciliorum, et in sacris canonibus continetur. »

Inde sic potest confici argumentum : Regendi et gubernandi universam Ecclesiam tradidit Christus Petro ejusque successoribus *plenam potestatem :* non plus auctoritate valet concilium generale, quàm universa quæ ab ipso repræsentatur, Ecclesia : contradictione igitur laborant qui dixerint concilio generali subesse pontificem, qui plenâ potestate universam moderatur Ecclesiam, eâque proinde superior est.

Resp 1°: A confitendâ Florentinæ synodi œcumenicitate absit ut refugiamus, ad eludendam (quæ tale responsum non requirit) propositam objectionem. Equidem, ut animadvertit Natalis Alexander dissertatione decimâ in XVI seculum, sicut Nicæna secunda synodus olim à Gallis inter œcumenicas numerata non fuit, Caroli Magni, Ludovici Pii et Caroli Calvi temporibus, ob eam maximè rationem, quòd cultum soli Deo debitum sacris imaginibus illam tribuisse putarent, sed his tenebris discussis, cùm nempe constitit ipsam cultum duntaxat religiosum latriâ inferiorem, seu honorariam venerationem imaginibus decrevisse, ipsam Gallicana Ecclesia in conciliorum œcumenicorum numerum adscribere non dubitavit, ita Florentini concilii œcumenicitatem agnoscere verebantur Galli, eò quòd videretur superiorem Romano pontifice auctoritatem concilii generalis infringere; verùm postquàm attentâ magis consideratione innotuit, Florentinum concilium synodorum Constantiensis et Basileensis sacrosanctis decretis de supremâ conciliorum generalium auctoritate non repugnare, tùm et ipsum Galli plerique theologi, excusso scrupulo, œcumenicum absque hæsitatione appellârunt, et quidem meritò.

Ad eam convocati sunt per encyclicas summi pontificis litteras omnium orbis christiani provinciarum episcopi, et quotquot de jure vel consuetudine conciliis generalibus adesse poterant : synodo præfuit Eugenius summus pontifex; adfuêre Constantinopolitanus patriarcha, et Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani patriarcharum vicarii; plerique cardinales, Græci, Latinique antistites non pauci, neque ut synodus aliqua œcumenicis accenseatur, necesse est ut omnes adsint omnium christiani orbis provinciarum episcopi, sed sufficit ut vocati illi fuerint, et eo sint numero congregati qui universam Ecclesiam repræsentet : quis nesciat plerisque in conciliis in Oriente celebratis, quæ totius Ecclesiæ consensu et approbatione velut œcumenica prædicantur, duos vel tres duntaxat episcopos Occidentalis Ecclesiæ adfuisse? Quæ in concilio Florentino definita sunt dogmata, ea profitentur omnes Catholici; synodus illa se passim œcumenicam inscripsit; appellatur œcumenica, tùm Eugenii celeberrimâ decretali, *Moyses vir Dei,* sacro approbante concilio Flo-

rentino editâ ; bullâ *Pridem ex justis,* 1 januarii 1438, solemnique unionis decreto cui omnes Latini et Græci præsules subscripsêre ; tùm solemni diplomate à Nicolao V ad universos Christi fideles directo, anno 1449, post initam cum Felice et Lausannensibus pacem et communionem, locum suum obtinet in omnibus conciliorum generalium collectionibus, atque œcumenicum simpliciter inscribitur ; tale denique ducitur ex communi uniuscujusque scholæ theologorum consensu.

Sessionibus quidem octavâ et undecimâ concilii Basileensis ab ipso Eugenio approbatis et confirmatis statutum fuerat à nemine, etiamsi papalis esset dignitatis, aliam synodum œcumenicam convocari posse, stante Basileensi, cùm duæ simul synodi generales haberi nequeant ; verùm urgente necessitate, optatissimâ nempe Græcorum cum Latinis unione, ab Eugenio IV translatum est solemni diplomate *Salvatoris*, consentiente saniore concilii parte, et quidem majore episcoporum numero ; nec habitæ sunt duæ simul generales synodi.

Non est cur timeatur ne decretis concilii Constantiensis de auctoritate conciliorum generalium, officiat Florentina synodus, quantùmvis ipsius commendetur œcumenicitas ; illis esse superiorem Romanum pontificem, non fuisse ab eâ definitum, multis evincitur.

1° Sessionis quartæ et quintæ concilii Constantiensis decreta si damnata voluisset concilium Florentinum, ea debuisset appellare ac diserte verbis rescindere ; ne tanto nomine simplices animæ, imò verò docti in errorem adducerentur : non expediret præcisè et speciatim dicta, generatim dictis profligata velle. At Constantiensi decreto nihil contrarium præ se ferunt verba hæc synodi Florentinæ, « Papæ in beato Petro pascendi, regendi et « gubernandi universalem Ecclesiam à Domino « plenam potestatem fuisse traditam. » Eâ quippe mente Florentiæ dictum est gubernari à summo pontifice universalem Ecclesiam, quâ mente Constantiæ, Martino ipso approbante, assertum est supremam esse Romanam Ecclesiam, quatenùs primatum habet super alias Ecclesias particulares, non certè ita ut vim earum conjunctam et consensionem episcoporum auctoritate superet. Etverò declarat synodus Florentina collatam esse Petro ejusque successoribus regendæ universalis Ecclesiæ plenam potestatem, quemadmodùm etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur, sive, ut ex Græco de verbo ad verbum verti potest, « secundùm « eum modum, qui et in gestis œcumenicorum « conciliorum, et in sacris canonibus continetur, » unde etiam addunt Florentini Patres : « Salvis patriarcharum privilegiis et juribus ; » quæ omnia apponi voluerunt ne plenæ potestatis specie, invertere constitutum ordinem modumque excedere viderentur.

2° Ea definita sunt à Florentinâ synodo in decreto unionis de quibus constaret inter Latinos : malè etenim cum Græcis actum, comparatumque fuisset, si de primatu Romani pontificis, cui dignitati tamdiù obstiterant, graviora voluisset et difficiliora decernere Græcis credenda quàm Latinis, nec alio pacto, utriusque Ecclesiæ reconciliationi assentiri ; at compertum erat disceptari Latinos inter theologos, utrùm summo pontifici auctoritate præstaret generale concilium ; versabantur omnium manibus cardinalis Alliacencis, Gersonis, Francisci Zabarellæ, cardinalis atque archiepiscopi Florentini sui ævi canonistarum facilè principis aliorumque libri, qui generali concilio subesse Romanum pontificem docerent. Accedit, quod latum est ab Eugenio decretum, approbante concilio, sive, ut ex textu Græco vertitur, « consentientibus in synodo « reverendissimis fratribus. » At Romano pontifici absolutam et illimitatam potestatem non attribuebant Græci : id patet tùm ex declaratione Bessarionis Græcorum doctissimi, qui sessione 9 Florentinæ synodi sic loquebatur : « Quantâcumque facultate pollebat Romana « Ecclesia, minùs tamen synodo œcumenicâ « et universali. » Jam dixerat : « Scimus præ- « rogativæ ejus quos terminos habeant. » Tùm ex variis collationibus Græcos inter et Latinos habitis ad libranda et temperanda circa pontificiam auctoritatem verba decreti ; aliunde autem concilio aderant plerique præsules qui interfuerant, adhærebantque prioribus decretis Basileensibus, iis scilicet quæ ante translationem condita fuerant, ut colligitur ex Florentino decreto quod incipit his verbis : *Ad laudem.*

3° Synodus Tridentina et ipse Pius IV, tùm in decretis synodi, tùm in fidei professione, omissa voluerunt verba, quæ absolutam et independentem auctoritatem Romano pontifici vel specie tenùs adsciscere videantur, iisque utuntur, quæ diversis Catholicorum sententiis de pontificiâ auctoritate accommodata sint. Hinc in solemni fidei professione quam post concilium Tridentinum edidit Pius IV, ab om-

nibus qui ad episcopatum promoveantur subscribendam, hæc duntaxat de venerabili illâ auctoritate leguntur : « Sanctam catholicam et « apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium « Ecclesiarum matrem ac magistram agnosco, « Romanoque pontifici beati Petri Apostolorum « principis successori, ac Jesu Christi vicario, « veram obedientiam spondeo ac juro. » Haud abs re fuerit testimonium advocare Andreæ Duvallii celeberrimi doctoris Sorbonici, quo vel ipso judice, licet concilio superiorem arbitratus sit pontificem, hâc de controversiâ nihil definitum fuit à Florentino concilio ; hæc inter alia ille theologus : « Cùm nomen hoc « (universalis Ecclesiæ) dupliciter sumatur, « distributivè quidem pro omnibus Ecclesiis « per orbem diffusis, et collectivè, id est, pro « concilio generali, priori modo aiunt concilium « Florentinum definivisse summum pontificem « in Ecclesiam universalem habere auctorita- « tem, non tamen posteriori. »

Plena igitur potestas, quam Romano pontifici adscribit Florentina synodus, non exeritur universam in Ecclesiam, sed in particulares omnes Ecclesias, universali Ecclesiæ ipsamet subdita.

Solvuntur objecta quæ desumuntur ex concilio Lateranensi V.

Gallorum sententiæ, cardinales de Turrecremată, Cajetanus, Jacobatius et Bellarminus objiciunt inprimis concilii Lateranensis quinti sub Leone X, sess. 10, decretum : eâ nempe sessione, comprobante synodo, sic Leo X in bullâ *Pastor æternus*, decernit quâ Pragmaticam abrogat sanctionem. « Cùm etiam solum « Romanum pontificem pro tempore existen- « tem, tanquàm auctoritatem supra omnia « concilia habentem, conciliorum indicendo- « rum, transferendorum ac dissolvendorum, « plenum jus et potestatem habere, nedùm ex « sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Pa- « trum, ac aliorum Romanorum pontificum « etiam prædecessorum nostrorum, sacrorum- « que canonum decretis, sed propriâ etiam « eorumdem conciliorum confessione, mani- « festè constet. » Ex verbo divino, tùm scripto tùm etiam tradito, ipsorumque conciliorum confessione testatum facit Leo X, suffragante Lateranensi quintâ synodo, supra omnia concilia constitutum esse Romanum pontificem. Ergo, etc.

Resp. 1° : A synodo Lateranensi quintâ definiri tanquàm fidei catholicæ dogma, superiorem esse concilio generali Romanum pontificem non audet asserere vel ipse Bellarminus : namque lib. 2 de conciliorum Auctoritate, cap. 13 : « Quòd verò, inquit, concilium Latera- « nense rem istam non definierit propriè ut « decretum fide catholicâ tenendum, dubium « est, et ideò non sunt propriè hæretici qui « contrarium sentiunt. » Cap. 17 ejusdem libri addit : « Quamvis postea in concilio Florentino « et Lateranensi quæstio de superioritate Papæ « definita videatur, tamen quia Florentinum « concilium non ita expressè hoc definivit, et « de concilio Lateranensi nonnulli dubitant, an « fuerit verè generale, ideò usque ad hanc « diem quæstio superest etiam inter Catho- « licos. »

Hîc attexere juvat Andreæ Duvallii Ultramontanis non suspecti insigne testimonium quartâ parte libri de supremâ Potestate Papæ, quæst. 7. Responsiones ipse subministrat, quibus adducta dissipatur objectio. « Ad con- « cilium Lateranense, inquit, quod multò ex- « pressiùs loquitur quàm Florentinum, variæ « sunt responsiones : quidam enim aiunt non « fuisse verè et propriè generale, cùm ei vix « centum episcopi interfuerint ; alii dicunt « caput illud in quo de auctoritate pontificis « supra pontificem mentio fit, à concilio non « fuisse discussum aut examinatum, sed tantùm « perlectum coram prælatis concilii, qui sine « prævio examine illud approbaverunt, ideòque « dici non posse conciliariter conclusum et « definitum ; alii sic rem expediunt : Etiamsi « inquiunt, concilium fuisset generale (quod « tamen propter episcoporum paucitatem re- « linquitur incertum), tamen rem ipsam ut « decretum fidei catholicæ non definiunt : nulla « enim in verbis concilii nota apparet, ex quâ « fidei definitionem colligamus. Nam nec ana- « thema pronuntiat in eos qui contra sentient, « nec dicit se hoc expressè, aut propriè defi- « nire, aut esse de necessitate salutis ita cre- « dere, vel quid simile, ex quo expressa defi « nitio colligatur. » Deinde subjicit : « Cæterùm « non tantùm neutra harum opinionum est « hæretica, sed etiam neutra erronea et teme- « raria, saltem temeritate opinionis. »

Resp. 2° : A synodo Lateranensi concilium Constantiense si reprobatum fuisset, expresso debuisset nomine designari : sic enim et Ariminensis et pseudo-synodus Ephesina expressè abrogatæ et condemnatæ sunt ; nec unquàm in Ecclesiâ factum est, ut alicujus concilii, quod falsè pro œcumenico se gesserit, in alio

concilio œcumenico doctrina damnata sit, nisi priùs antiquatâ ipsâ synodo, mendaci œcumenici titulo insignitâ.

Cæterùm nec ipsa doctrina concilii Constantiensis tacito licet hujus synodi nomine, expressâ ullâ definitione perstringitur in Lateranensi synodo; quod enim in eo dicitur Romanum pontificem supra omnia concilia potestatem habere, id quidem non definiendo, sed narrando positum est; quod quidem Constantiensibus eâ de re definitionibus prævalere non potest. Deinde si attendatur ad constitutionis Leonis argumentum, intelligitur hoc unum spectare Leonem et Lateranense concilium, ut Sanctionem Pragmaticam rescindant : quodque nobis objicitur, illud non concilii neque Leonis esse decretum, sed rationem quâ ipse utitur ad conciliandam fidem majorem Sanctionis præfatæ abrogationi.

Resp. 3° : Tridentinâ in synodo, antiquam suam conciliorum superiori potestate sententiam, Gallicana constanter Ecclesia retinuit, palamque professa est : testis est eâ de re locupletissimus cardinalis Palavicinus in Historiâ concilii Tridentini lib. 19, cap. 11 et 13; idem constat ex epistolâ cardinalis à Lotharingiâ ad Berthonem suum secretarium tùm Romæ agentem, et ex Claudio Sanchtesio postea Ebroicensi episcopo ad Claudium Espencæum doctorem Parisiensem. Porrò ab episcopis et theologis Gallicanis, ut à susceptâ doctrinâ desisterent, non exegit Tridentina synodus; imò tota synodus Tridentina, et ipse Pius IV, tùm in synodi decretis, tùm in fidei professione, ut diximus, sedulò omissa voluêre quæ alterutri sententiæ superioritatem pontificiam vel affirmanti vel neganti officere viderentur : unde, ut observat doctissimus Bossuetius, perspicuè demonstratur, nec anteriores synodos, nec anteriores pontifices, ac proinde nec synodum Lateranensem, Gallicanam voluisse proscriptam doctrinam, sed eam intactam illæsamque reliquisse. Legatur illustrissimi ejusdem episcopi lib. 15 Variationum, num. 165.

Solvuntur objecta ex eo quòd à summo pontifice confirmantur ipsa concilia generalia.

Gravissimum ex eo argumentum, ad constituendam Romani pontificis superiorem, ut putant, concilio generali auctoritatem, depromere videntur adversarii, quòd priorum etiam ætatum concilia confirmationem à sede Apostolicâ postulaverint : hinc tantam esse Romani pontificis auctoritatem inferunt, ut solæ illæ synodi legitimè habeantur quas approbaverit, repudiandas verò quas confirmatas noluerit. Hinc Ariminensis synodus, hinc Ephesina secunda sub Dioscoro abjectæ sunt, quia illas sedes Apostolica pronuntiavit irritas; hinc synodi Chalcedonensis decretum de augendâ episcopi Constantinopolitani dignitate, unanimi licet Patrum consensu prolatum, pro irrito habitum fuit, propter solam Leonis papæ repugnantem sententiam.

Resp. : Voci, *confirmandi*, hæc per se duntaxat stylo ecclesiastico subjecta significatio est : inculcari, asseri, defendi, ac magis ac magis adversùs rebellantes vindicari, quæ confirmata dicuntur decreta. Confirmata leguntur à summis pontificibus summorum decreta pontificum; numquid tanquàm à superiori potestate? In actis concilii Chalcedonensis innumerisque aliis monumentis legitur confirmatas priores, quamvis generales synodos; sic à Sardicensi, à Constantinopolitanâ, ab Ephesinâ, ab ipsâ Chalcedonensi synodis, confirmata sunt Nicænæ decreta synodi, non utique tanquàm à superiore judicata et expensa, quo necessariam firmitudinem obtinerent; non ergo in propositâ quæstione, ad superioris argumentum auctoritatis, trahi potest vox *confirmationis*.

Decretum seu diploma quo à Romanorum pontificum electione propulsandam simoniam, laudabili studio curabat Julius II, et quod ad suî subsistentiam et validitatem, aliâ probatione non indigere asserebat, Lateranensi tamen synodo confirmari voluit : quia « decens, « inquit, et salutare reputamus, ut quæ per « nos statuta et ordinata fuêrunt, pro rei ma« gnitudine et gravitate, per sacrum generale « concilium approbentur et innoventur, et « approbata et innovata communiantur, ut « eò firmiùs perdurent et defendantur, quò « fuerint dictâ auctoritate sæpiùs circum« fulta. »

Unde sic licet argumentari : Voce, *confirmationis*, si inducatur superior auctoritas, ergo pontificem Romanum auctoritate vincit Lateranensis synodus : quod procul dubio neque Lateranensi, neque etiam ulli quod ab omnibus Catholicis pro generali habeatur concilio, concedent adversarii. Quin à synodis etiam particularibus quas nemo dixerit Romano superiores pontifice, dicuntur tamen confirmata, summorum pontificum nonnulla decreta : ita

in actis Tricassinæ synodi sub Joanne VIII, actione quartâ dicitur : « Post hæc lecta sunt « capitula statuta à Domino Joanne pontifice « Romano, quæ sancta synodus amplectenda « recepit et confirmavit. » Alia videre est hujusmodi exempla in Defens. Declarat. cleri Gallicani parte tertiâ, lib. 8, cap. 2.

Quod objectum de Ariminensi synodo, nullius est momenti : eò irritum fuit, inquiunt, quia non confirmatum à sanctâ sede; at œcumenica non fuit, ex solo scilicet Occidente convocata, vel hoc ipso perperam convocata, quòd eâ indicendâ videretur in quæstionem vocari fundamentale dogma Nicænæ jam declaratum synodi decretis, quibus nihil addi, nihil adimi professa est ipsa, quamdiù liberè et canonicè egit, synodus Ariminensis, tam infaustum, ut omnes nôrunt, sortita exitum.

Quod autem pertinet Chalcedonensem ad synodum, nullam in relatione ad S. Leonem missâ confirmationem petierunt Patres in his quæ ad fidem pertineant; ut quid postulâssent egregiam maximi illius pontificis epistolam dogmaticam secuti, ipsumque *ut membris caput præsidentem ac spiritu præsentem,* quasi coram adstantem admirati. Ne tamen invalescerent disseminati rumores, quibus occasione rejecti ab ipso canonis de amplificandâ Constantinopolitani præsulis auctoritate, ferebatur improbatam esse ab eodem summo pontificè Chalcedonensem ipsam synodum, ad Patres ille scripsit : « Ut omnium, inquit, fidelium « corda cognoscant, me non solùm per fra« tres, qui vicem meam executi sunt, sed « etiam per approbationem gestorum synoda« lium propriam vobiscum iniisse sententiam, « in solâ fidei videlicet causâ. » Hæc non eò spectant, ut quasi incerta firmentur, sed ut summâ jam auctoritate sancita, magis magisque asserantur.

Quod verò spectat ad canonem vigesimum octavum ejusdem concilii Chalcedonensis à S. Leone reprobatum, canonis hujus confirmationem reipsà postulârunt à summo illo pontifice Patres Chalcedonenses, ut ejusdem approbatione muniretur Constantinopolitanus canon tertius, Chalcedone innovatus, de augendâ episcopi Constantinopolitani jurisdictione et ditione; at (quod adnotandum est) sedis Apostolicæ legatis absentibus conditus est prædictus canon vigesimus octavus; eumdem reversi abjecerunt, mandata pontificis proferentes, Nicæni sextum legentes synodi canonem, qui disciplinæ illo statuto violari videbatur. Hoc de solo Chalcedonensi canone vigesimo octavo referunt synodi Patres ad S. Leonem, submisso deprecantes animo, ut probare dignetur, « et quemadmodùm episcopi « in bonis capiti consonarent, ita pontificalis « apex id quod decens erat, filiis indulgeret. »

Petitioni sic respondet S. Leo : « Consen« siones episcoporum sanctorum apud Nicæ« nam regulis repugnantes, in irritum mitti« mus, et per auctoritatem beati Petri generali « prorsùs definitione cassamus. »

Superiorem concilio ipso generali Romanum pontificem, decerni hâc responsione qui putaverint, ab ipso quæstionis statu resiliunt, ut adnotat doctissimus Bossuetius : defendimus enim ex synodo præsertim Constantiensi, potiorem esse ipsâ summi pontificis potestate, generalium auctoritatem conciliorum, in fide exponendâ, in schismate extirpando, in reformatione generali promovendâ; at præfato canone vigesimo octavo, orientales episcopi Constantinopolitano consulebant episcopo; gratificabantur imperatori, non fidei; non ecclesiasticæ unitati, non reformationi generali providebant; imò rectum ac primarium sedium ordinem ab antiquo institutum, qui rei universæ ecclesiasticæ conducere videretur, evertebant; quem ut servaret incolumem S. Leo decernebat « canones Nicænos nullâ in parte « esse solubiles. Infirmum atque irritum, quid« quid à prædictorum Patrum canonibus dis« crepârit. »

Ne tamen credatur ibi inter se committi generales synodos, saltem in disciplinæ negotio, Nicænam nempe synodum, cum synodo Chalcedonensi : in illo quippe condendo canone vigesimo octavo, nequaquàm concilii generalis auctoritate gaudebant Patres Chalcedonenses, cùm eidem statuto universus cum sede Apostolicâ tùm repugnaret Occidens. Accedit quòd à Leonis arbitrio statutum suum pendere quodammodò vellent : id quod ex relatione gestorum ad eumdem directâ colligitur; tùm et apertè convincitur ex Anatolii ad summum hunc pontificem epistolâ : « Cùm et « gestorum, inquit, vis omnis et confirmatio « auctoritati vestræ beatitudinis fuerit reser« vata. »

Solvitur quod ex illo pronuntiato solet objici :

A nemine sedes Apostolica judicatur.

Multorum scelerum cùm à quibusdam clericis ac multis de plebe postularetur Symma-

chus Papa, ejus damnati sunt accusatores à quintâ ex synodis quæ sub illo pontifice habitæ sunt Romæ, atque statutum causam illius divino reservandam esse judicio ; tùm etiam synodali et apostolicâ auctoritate comprobatus est liber ab Ennodio diacono editus, in quo hæc enuntiantur : « Aliorum fortè hominum « causas Deus voluerit per homines terminare : « sedis istius (Apostolicæ) præsulem, suo, sine « quæstione, reservavit arbitrio. » Confirmato quod in Photium conjecerat anathemate sub Adriano II Romana synodus concilium generale 8, canone 13, ita decernit : « *Si quâ verò œcu-* « *menicâ synodo* collectâ, de Romanâ etiam « Ecclesiâ controversia extiterit, licebit cum « decente reverentiâ, de propositâ quæstione « veneranter sciscitari, responsumque admit- « tere, non tamen impudenter contra senioris « Romæ pontifices sententiam dicere. » Ergo, inquiunt adversarii, ne quidem ab œcumenicâ synodo damnari potest Romanus pontifex ; hucusque de personâ Romani pontificis : multò minùs dogmatica illius sententia poterit proscribi, aut retractari : hùc pertinent Bonifacii I ad Rufum Thessalonicensem dicta, et à Bonifacio II in concilio Romano repetita : « Nun- « quàm licuit de eo rursùs, quod semel statu- « tum est ab Apostolicâ sede tractari. » Eòdem spectat illud à Nicolao I, sub Bonifacii nomine recitatum in epist. ad Michaelem imperatorem: « Nemo unquàm Apostolico culmini, de cujus « judicio non licet retractari, manus obvias « audacter intulit. »

Resp. : Quænam Symmacho imputata sint scelera necdùm compertum est, nullâque historiâ, nullisque proditum est gestis ; idoneis accusatores caruisse probationibus inde colligitur, quòd servos ad testimonium poscerent, prohibentibus tametsi legibus: quid moramur? hæc ad facta particularia, eaque obscura cùm pertineant, trahi nequeunt ad facta notoria, totique Ecclesiæ noxia, et ad œcumenici auctoritatem concilii.

Quòd verò declaraverit concilium generale octavum, ne collectâ quidem œcumenicâ synodo licitum esse impudenter contra senioris Romæ pontifices sententiam dicere, id verissimum est : redarguitur Photii impudentia qui sanctissimum pontificem Nicolaum I, apostolico fungentem officio, anathemate ausus est percellere ; talia quidem synodo etiam generali attentare procul dubio nefas ; præterea nec Patres propter jurgia quædam peculiaria, propter peculiares quæstiones, qualis erat tum controversia de Bulgarorum Parœciis, Romanæ vel Constantinopolitanæ sedi adjudicandis, voluerunt lacessi pontificiam majestatem, pacemque Ecclesiæ perturbari ; haud tamen silentium œcumenica sibi imponeret synodus, si fortè inciderent ejusmodi causæ quæ Patres sextæ synodi adversùs Honorium concitârunt, aut quales in concilio Constantiensi versatæ sunt.

Denique quod objicitur ex Bonifacii I et II, atque ex Nicolai I testimoniis, de nunquàm retractandâ sedis Romanæ sententiâ, id à Gelasio adversùs Acacium Constantinopolitanum, sedi Apostolicæ Chalcedonensia decreta exequenti obluctatum, fortiter inculcatum est ; « quòd de omni Ecclesiâ, inquit, fas habeat « judicandi, neque cuiquam de hujus liceat « judicare judicio. » Istud ad privatos referendum est episcopos, particularesve synodos quæ sedis Apostolicæ judices se ac reformatores constituerent : at idem generales ipsas ad synodos ne transferas, nisi volueris usurpatæ auctoritatis crimen impingere synodis œcumenicis, v. g., Ephesinæ et Chalcedonensi, cùm de Cœlestini Leonisque dogmaticis decretis, ut ostendimus, dijudicaverint.

Solvuntur objecta ex prohibitione appellationum à sententiis Romanæ sedis ad concilium œcumenicum.

Ad concilium generale à Romano pontifice, si foret eo superius, liceret appellari : prohibetur tamen ac reprobatur id appellationis genus ; ideòque vetatur, quia primæ sedis dignitati detraheret atque auctoritati ; referuntur cum laude, nec unquàm in Ecclesiâ improbatæ sunt epistolæ S. Gelasii, quarum in quartâ quæ est ad Faustum fungentem legationis officio Constantinopoli, dicitur : « Ipsi « sunt canones, qui appellationes totius Eccle- « siæ ad hujus sedis examen voluêre deferri : « ab ipsâ verò nusquàm prorsùs appellari de- « bere, ac per illam de totâ Ecclesiâ judicare, « ipsam ad nullius commeare judicium, nec de « ejus unquàm præceperunt judicio judicari, « sententiamque constituerunt non oportere « dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda man- « dârunt. »

Quâ ratione posset ad concilium œcumenicum vocari à sententiâ sedis Apostolicæ, quæ eodem teste Gelasio, « unamquamque syno- « dum suâ auctoritate confirmat, et continuatâ « moderatione custodit, pro suo scilicet prin- « cipatu, quem beatus Petrus Apostolus Do- « mini voce perceptum Ecclesiâ nihilominùs

« subsequente et tenuit semper et retinet. » Gelas. epist. 13.

Cùm frequentiâ appellationum ad futurum concilium, supremam sedis Apostolicæ in judiciis auctoritatem infringi videret Martinus V, commotus etiam audaciâ legatorum Ladislai Poloniæ regis ad futuram appellantium synodum prohibuit constitutione promulgatâ in consistorio generali celebrato Constantiæ anno 1415, ne quis à sede Apostolicâ appellaret, aut ejus judicium in causâ fidei declinaret; id testatur Joannes Gerson, tractatu *quomodò et an liceat in causis fidei à summo pontifice appellare.*

Anno 1459 post conventum Mantuanum Pius II edidit bullam, *Execrabilis et inauditus*, quâ damnat eos qui à Romano pontifice appellare præsumant: Qui fecerit, inquit, sententiam excommunicationis incurrat, aliasque subeundas esse decernit pœnas quæ in reos majestatis divinæ, et hæreticæ pravitatis fautores decernuntur; talis sententiæ has exponit causas: « Quia ridiculum appellare ad id « quod nusquàm est, neque scitur quod futu- « rum sit; quòd eo obtentu pauperes à po- « tentioribus opprimuntur multipliciter, rema- « nent impunita scelera, nutritur adversùs « primam sedem rebellio, libertas delinquendi « conceditur, et omnis ecclesiastica disciplina, « et hierarchicus ordo confunditur. »

Pii II constitutionem renovavit Julius II speciali diplomate: eamque « tam ultra quàm ci- « tra montes, quoad omnes tam ecclesiasticas « quàm seculares personas, etiam regali digni- « tate et cardinalatûs honore fulgentes, capi- « tula, universitates, collegia, congregationes, « synodos et parlamenta valuisse et perpetuò « valituram declaravit. »

Resp. 1° : Asserit illustrissimus de Marca, de concordiâ sacerdotii et imperii lib. 4, cap. 17, invectam esse novam conquerendi rationem « ab iis qui se Romanæ curiæ censuris « premi existimabant, scilicet appellationem à « Papæ decreto ad futurum concilium : No- « vam, inquit, dixi, quia nunquàm in Ecclesiâ « admissa fuit provocatio à Papâ ad concilium, « licet aliquando remedio quodam extraordina- « rio, sedis Apostolicæ judicium in majori sy- « nodo instauratum fuerit. »

Adnotat doctissimus Bossuetius Defens. Declarat. cleri Gallicani, parte tertiâ, lib. 10, cap. 23, si stricto forensique usu dicimus, appellationem à Papâ ad generale concilium non eo significatu constare, « primum ideò quòd ge- « neralis synodus extraordinariè tantùm, atque « ex causâ convocetur : deinde quòd ipsum « etiam complectatur (synodus) Papam, et « quidem tanquàm caput : denique quòd cer- « tum sit, non nisi summâ necessitate ac re- « nuente Papâ, concilium absque eo convocari « posse, soleantque fieri appellationes eæ ad « Papam simul atque concilium. » Inde sic concludit : « Quare strictè loquendo papalis sen- « tentiæ in concilio facta retractatio, revisioni, « sive instauratæ cognitioni, quam appellationi « proprior esse videatur. » Præfatus fuerat non pertinere ad Gallicanæ declarationis defensionem appellationes à Papâ ad concilium universale : « Id enim, inquit, Gallicani Patres « tuendum susceperunt, quod in Constantiensi « concilio sessionibus quartâ et quintâ conti- « netur : quo loco de illis appellationibus ni- « hil actum est; id tantùm constituitur, conci- « lium in certis et generalibus causis potestate « præstare. »

Quæ objiciuntur ex Gelasii epist., ea non revocantur ad casus extraordinarios de quibus agitur in quartâ et quintâ sessionibus synodi Constantiensis, ubi nempe declaratur teneri ipsummet supremum pontificem concilii œcumenici obedire decretis, « in his quæ perti- « nent ad fidem, extirpationem schismatis, et « reformationem generalem Ecclesiæ Dei in « capite et membris. » Loquebatur Gelasius de appellationibus, quales usurpari solitæ : at si fortè proposito decreto niteretur pontifex fideles in errorem compellere, aut fovere schisma, vel necessariam in Ecclesiâ reformationem impedire, tùm posset convocari, si remedium aliud non suppeteret, generalis synodus, cujus auctoritate ac decretis obstringeretur quilibet, etiam papalis statûs et conditionis. Adhiberi solitæ, et à canonibus sancitæ appellationes, de quibus, ut diximus, loquebatur Gelasius, tales sunt, ut judex vel judices à quorum appellatum sit sententiâ, in tribunali non sedeant ad quod devolvitur dijudicanda causa, neque ad judicium interjectæ appellationis concurrant : at summus pontifex jus habet præsidendi per seipsum vel per legatos concilio generali.

At, inquies, pronuntiat Gelasius, sanxisse canones seu declaravisse proprium esse primæ sedis *de totâ Ecclesiâ judicare*, nec de ipsius posse judicio judicari; ergo nec ad sensum concilii Constantiensis posset unquàm ad concilium generale decretum ullum summi pontificis per appellationem etiam *impropriè* dictam devolvi.

Resp. : Eodem significatu pronuntiavit Gelasius, datum esse primæ sedi de totâ Ecclesiâ judicare, quo dixit appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen deferri; at manifestum est ipsum habere sermonem de appellationibus, quæ passim ab Ecclesiis particularibus, variis ex regionibus deferebantur ad sedem Apostolicam, non de appellationibus totius Ecclesiæ collectivè sumptæ; nusquàm legitur sanxisse canones ut ab universalis Ecclesiæ decretis ad primam sedem appellaretur : imò totus est ipse Gelasius in epistolâ 13, quæ est ad episcopos Dardaniæ, ut probet non esse retractanda seu iterùm expendenda quæ in concilio generali scilicet, constituta sunt : « Sic, « inquit, propter blasphemias Arii, forma fidei, « communionisque catholicæ, Nicæno prolata « conventu, Arianos omnes vel quisquis in hanc « pestem, sive consensu sive communione de- « ciderit, sine retractione conclusit. » Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, synodus semel gesta condemnans, ulteriùs ad nova concilia venire non sivit.

Deinde nullum ignorare veraciter Christianum affirmat, « uniuscujusque synodi consti- « tutum, quod universalis Ecclesiæ proba- « vit assensus, non aliquam magis exequi « sedem præ cæteris oportere quàm primam. »

Statim reverà adjicit, confirmari synodos à sede Apostolicâ : at in quo posita sit ea confirmatio, quæ sanè maximi est ponderis, supra exposuimus : nec obstat quominùs pro certo habeatur, suam à Christo immediatè accepisse irreformabilem auctoritatem generalem quamcumque synodum.

De Martini V objectâ bullâ respondeo hujus bullæ nec ab ullo pontifice, nec ab ullo privato scriptore, historico, theologo, canonistâ aut bullarum collectore haberi mentionem, præterquàm à Gersone qui nec eam viderit aut legerit : quod ipse significavit, cùm dixerit in illâ constitutione, reperiri *sicut dicitur*, condemnationem cujuslibet appellationis à Romano pontifice, eamdemque constitutionem in consistorio generali Constantiæ celebrato, lectam fuisse *ut dicitur*. Non eam Pius II in bullâ *Execrabilis;* non Julius II in bullâ *Suspecti regiminis*, quibus appellationes à papâ ad concilium tantis pœnis prohibent, vel leviter memorant; et quidem Julius II Pii II bullam confirmat; de Martino V ambo tacent : « Quare apparet, ut disserit Bossuetius, rem « à Martino tentatam potiùs fuisse quàm con- « fectam; » vel in consistorio generali, si prolata sit, improbatam ac rejectam, nec juris factam esse publici, vimque nullam in Ecclesiâ obtinuisse.

Assertioni nostræ non adversari bullam Pii II, colligitur ex occasione quâ edita fuit, ex rationum momentis in eâ congestis, ex defectu canonicæ publicationis et acceptationis; condita est occasione appellationis Sigismundi ducis Austriæ à monitorio Calixti III, in quâdam controversiâ cum Nicolao de Cusa cardinali episcopo Brixinensi (Brixinum, Brixen in comitatu Tirolis), rerum temporalium causâ; istis inducitur rationibus, quòd appellationum « obtentu pauperes à « potentioribus opprimuntur multipliciter, « remanent impunita scelera, nutritur adver- « sùs primam sedem rebellio, libertas delin- « quendi conceditur; » hæc non immeritò dixeris eò spectare, ut appellationes prohibeantur in ordinariis tantùm casibus ac peculiaribus negotiis, cùm, ut observavit procurator generalis Dauvet anno 1460 sub generali prohibitione non veniant ea quæ speciali prohibitione indigerent, qualia sunt ea quæ in sessione quartâ et quintâ Constantiensis synodi commemorantur, ubi de superiori concilii generalis auctoritate; denique bullam illam Pii II non fuisse in Gallias perlatam, neque canonicè promulgatam, vel istis indicatur verbis mox nominati illustrissimi procuratoris; neque æstimandum sanctissimum dominum nostrum, per litteras, quas Mantuæ publicâsse fertur, quæ incipiunt, *Execrabilis et inauditus*, voluisse prohibere ut in nullo casu, etc.

Ad bullam Julii II, respondeo eam apud nos publicatam non fuisse bullam, quæ flagrante bello inter pontificem illum et Venetos edita est, nec certè christiano in orbe sic invaluit, ut reclamare sit nefas. Quò evaderent jura principum ? Si enim, ut observat doctissimus Bossuetius, editis bullis ac sub anathemate, Julius pontifex jure repetit civitates eas quæ bello captæ sunt, nullamque adversùs ea decreta præsidium sit, id superest ut et Veneti, et quicumque principes, quâcumque necessitate, talia (in quibus inferendis potest, omnibus fatentibus, errare summus pontifex,) bella gesserint, deditionem protinùs faciant.

Inst. : Orbe toto catholico plaudente prodit bulla Leonis X quâ inter cætera, eò redarguitur ac damnatur Lutherus, quòd « citatus à « papâ in vocem temerariæ appellationis proru- « pit futurum ad concilium, » contra constitutiones Pii II ac Julii II, taliter appellantes hære-

licorum pœna plectentes : ergo Pii II et Julii II constitutiones, quippe à Leone X approbatæ, eâdem auctoritate valent quâ hujus pontificis bulla, *Exurge, Domine.* — Resp. : Eâdem auctoritate valet quoad ea quæ ad Lutherum condemnatum pertineant, sedis Apostolicæ judicium, ipso in fidei negotio, cavillatoriâ detrectantem appellatione; ut enim arguebat Leo X, frustra etiam concilii auxilium imploravit, qui illi non se credere palam profitetur ; at verba in constitutione Leonis X prolata recitativè, ut aiunt, non decretivè posita, vim nullam addunt Pii II et Julii II constitutionibus.

Solvuntur objecta quæ desumuntur ex ipsâ auctoritatis episcopalis origine.

Omnem jurisdictionem ecclesiasticam si Christus immediatè soli contulerit summo pontifici, ex quo tanquàm perenni ex fonte ad episcopos derivetur, auctoritate à concilio generali vinci non potest Romanus episcopus ; testantur autem traditionis probatissimi assertores, suam omnem ab illo episcopos mutuari ad regimen ecclesiasticum potestatem.

Innocentius I, in epistolâ ad concilium Carthaginense : « A Petro, inquit, ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. » Idem in epist. ad concilium Milevitanum : « Arbitror, inquit, omnes fratres et coepiscopos nostros ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem, debere referre. » S. Leo, serm. 3 de assumptione suâ ad pontificatum : « Si quid commune cum eo aliis voluisset principibus, nunquàm nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. » Idem epist. 10, aliàs 89 : « Hujus, ait, muneris sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet. » S. Optatus Milevitanus lib. 7 contra Parmenianum, de Petro sic loquitur : « Præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris accepit. » S. Gregorius Nissenus : « Per Petrum episcopis dedit (Christus) claves cœlestium honorum. » S. Cæsarius Arelatensis ad Symmachum Papam : « A persona B. Petri Apostoli episcopatus sumit initium. »

Resp. : Ipso in hujus quæstionis limine de quâ disseritur etiam in tractatu de Sacramento ordinis, quædam breviter observanda : fatente Bellarmino convenit inter omnes « jurisdictionem episcoporum saltem in genere esse de jure divino. » Bellarm. de Romano pontifice, lib. 4, cap. 22. Hoc est, ita esse ordinatam a Christo Ecclesiam, ut in eâ vigeat perpetuò episcopatus ; neque a summo unquàm pontifice ordinem episcopalem extingui posse. Unde sic de Christo Apostolus ad Ephes. : « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam prophetas, alios pastores et doctores. » In eo igitur versatur quæstio, utrùm à Christo sicut summus pontifex ita et singuli episcopi jurisdictionem accipiant : ipsorum Apostolorum auctoritatem, à Petro manare docuerunt cardinalis à Turrecremată, et Jacobatius. Absonam hanc sententiam refellit strenuè Bellarminus. Episcoporum nihilominùs jurisdictionem à Romano pontifice suppeditari contendit, quæ duo ne mutuò collidantur, episcopos negat Apostolis propriè succedere, quod tamen alio in loco disertè affirmat : « Episcopi enim, inquit, propriè Apostolis succedunt. »

Contradictionem hanc expediat qui voluerit ; habendos esse episcopos pro veris Apostolorum successoribus, constanti evincitur traditione : S. Cyprianus epist. 69 : « Dicit Christus ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt : *Qui vos audit, me audit.* » S. Hieron. epist. ad Marcellam : « Apud nos Apostolorum locum episcopi tenent. » S. Augustinus in psalmo 44, in hæc verba : *Pro patribus tuis nati sunt filii* : « Patres, inquit, missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt, constituti sunt episcopi. »

Quid plura juvat attexere ? Successionis id genus apertè testatur concilium Tridentinum : sessione 23, cap. 4, hæc leguntur : « Sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere. »

Ad hierarchiam jure divino constitutam præcipuè episcopos pertinere inde docet Tridentina synodus, quòd in Apostolorum locum successerint : non ergo à Romani voluntate pontificis dignitatem suam consequuntur et potestatem. Eadem synodus illos asserit positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. Ibidem.

Ut Apostolorum habeantur successores, necesse non est ut, sicut postulat Bellarminus,

succedant in facultate scribendi libros sacros, in potestate miracula edendi, toto in orbe christiano fundandi Ecclesias, uno verbo in amplitudine apostolatûs : satis est ut illis succedant in obeundi muneris episcopalis ordinariâ potestate. Tùm eâ ratione succedendi elicitur, singulis ut episcopis eadem suppetat jurisdictionis origo, quæ ipsismet Apostolis.

Nunc ad objecta testimonia quæ jurisdictionem singulorum episcoporum videantur in sedem Apostolicam tanquàm in fontem totius auctoritatis Ecclesiæ refundere, resp. 1°, pleraque si urgerentur, ex iis colligendum ne Apostolos quidem immediatè à Christo accepisse administrationis potestatem, quasi verò solum ad Petrum referenda essent hæc verba Domini : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*

De Petro dixit S. Leo : « Nunquàm nisi per « ipsum dedit (Christus) quidquid aliis non « negavit. » Ergone à solo Petro profecta est ipsa auctoritas Apostolorum? Dixit S. Optatus Milevitanus, de Apostolorum principe : « Cla- « ves regni cœlorum cæteris communicandas « accepit. » Numquid à solo Petro potestate clavium donati sunt Apostoli? Quin et relatis ex testimoniis nonnulla, ad mentem adversariorum exposita, ipsum probarent episcopatum, non à Christo, sed à Petro fuisse institutum. Tale est istud Innocentii I pronuntiatum : « A Petro ipse episcopatus et tota auctoritas « nominis ejus emersit. » Expendite quid inde consequatur. Ita esset intelligendum istud S. Cæsarii Arelatensis episcopi : « A per- « sonâ beati Petri Apostoli episcopatus sumit « initium. »

Resp. 2°, hæc et alia optimè conciliari, si cum doctissimo Bossuetio attenderis ad ipsam Ecclesiæ constitutionem : « Cùm Apostoli et pas- « tores Ecclesiarum et unum sint et multi, unum « ecclesiasticâ communione, qui unum pascant « gregem, multi per orbem terrarum distribu- « ti,.. ideò potestatem ipsis duplici Christi con- « cessione datam : primùm ut unum sunt, idque « factum in Petro principe, unitatis figuram ac « personam gerente, quò pertineat illa vox « singulari prolata numero : *Tibi dabo*, etc. « *Quodcumque ligaveris*, etc.; secundò ut multi « sunt plurali numero, quò pertineat illud : *Ac- « cipite : quodcumque ligaveritis*, etc... utrumque « autem proximè et immediatè à Christo, cùm « ille qui dixit : *Tibi dabo*, ut uni, dixerit « idem : *Accipite*, ut multis : præcessisse ta- « men eam vocem quâ datur potestas omnibus « ut sunt unum, quia Christus unitatem in Ec- « clesiâ suâ maximè commendatam esse volue- « rit. » Interrogante Apostolos Domino, *quem dicunt homines esse Filium hominis?* Petrus omnium princeps, omnium indutus personâ respondit : *Tu Christus filius Dei vivi ;* atque Petro talem gerenti personam dixit Christus : *Tibi dabo*, etc... *Quodcumque ligaveritis?* etc... quo patet his verbis non modò Petrum, sed in Petro suo principe ac pro omnibus respondente, omnes Apostolos eorumque successores episcopali potestate ac jurisdictione esse donatos.

Hinc appositè S. Augustinus : *Cùm omnes essent interrogati, solus Petrus respondit : Tu es Christus ;* et ei dicitur : *Tibi dabo*, etc. « Tan- « quàm ligandi et solvendi solus acceperit po- « testatem, cùm et illud unus pro omnibus « dixerit, et hoc cum omnibus, tanquàm per- « sonam gerens ipsius unitatis, acceperit. » Tract. 118 in Joannem, num. 4, tom. 3. S. Augustino præiverat S. Cyprianus, cujus sic incipit epist. 2 ad Lapsos : « Dominus noster « cujus præcepta metuere et observare debe- « mus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ ra- « tionem disponens, in Evangelio loquitur et « dicit Petro : *Ego tibi dico.... tibi dabo claves...*, « *et quæ ligaveris*, etc. Inde per temporum et « successionum vices episcoporum ordinatio, « et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super « episcopos constituatur, et omnis actus Eccle- « siæ per eosdem præpositos gubernetur. » Petrus itaque primus fuit, in quo constituta fuit ac ostensa episcopalis auctoritas et jurisdictio : Ecclesiæ personam, ut Apostolorum princeps, potestatisque primatu donatus, in recipiendis regni cœlorum clavibus sustinuit ; propositus est tanquàm forma et exemplar, ad cujus instar informarentur Apostoli et episcopi, neque extra ipsius communionem recipienda aut exerenda potestas clavium.

Iis ritè ponderatis facilè explicantur objecta testimonia ; sic verè à Petro episcopatus, et omnis auctoritas nominis hujus emersit, quia primus omnium episcopus constitutus est, designatusque Petrus ; eâdem de causâ ab eodem Innocentio vocatus est Petrus, episcopatûs auctor. Eâdem ratione intelligendum est quod dixit S. Cæsarius Arelatensis : « A personâ « beati Petri Apostoli, episcopatûs sumit ini- « tium. » Nec magis morari debet quod ait S. Optatus de Petro ; « Bono unitatis claves regni

« cœlorum communicandas cæteris solus ac- « cepit. » Communicandas scilicet, et reipsà communicatas non à Petro, sed à Christo : ad sensum adversariorum si interpretarentur mox adducta S. Optati verba, probaretur, ut diximus, non episcoporum duntaxat, sed etiam Apostolorum jurisdictionem à Petro descendisse.

Si quid fortè explicatu difficilius videatur in testimonio S. Leonis, qui potestatem jurisdictionis docuit principaliter in Petro Christum collocâsse, quòd voluerit ab ipso quasi *à quodam capite dona sua in omne corpus manare,* verba ista nisi ad sensum quem exposuimus inflectantur, eò spectarent ut ipsorum Apostolorum auctoritas à Petro manaret, nec tantùm hujusce auctoritatis fons et auctor esset habendus, sed generatim donorum Dei, quæ in omne corpus pastorum, aut etiam fidelium diffundantur : præterea, cùm dixit S. Leo pastoralis muneris auctoritatem Christum in Petro principaliter collocatam voluisse, satis innuit eam quoque à Christo in episcopis, salvo Petri primatu, esse constitutam : Petrus itaque factus est Ecclesiæ visibile caput, cui adhæreant oportet pastores, ut suo ritè fungantur munere, adunenturque eidem fideles, ut donorum Dei ubertate perfruentes, propositæ saluti feliciter allaborent.

Inst. : Episcopis jurisdictionem si Christus immediatè contulisset, æqualis foret omnibus in episcopis; episcoporum nemini posset eam summus pontifex adimere, sicut nec auferre, nec mutare valet potestatem ordinis; nec magis episcoporum, quàm Apostolorum restringi posset auctoritas; accedit quòd se Dei et sanctæ sedis Apostolicæ gratiâ episcopos constitui profiteantur præsules; atque in creandis episcopis summus pontifex his utatur verbis : « Providemus Ecclesiæ (de tali vel tali per- « sonâ), et præficimus eum in patrem et pasto- « rem, ac episcoporum ejusdem Ecclesiæ com- « mittentes ei administrationem in temporali- « bus et spiritualibus, in nomine Patris, et Filii, « et Spiritûs sancti. Amen. »

Resp. : Essentialiter *relativa* est ad subditos jurisdictio episcoporum, singulorumque auctoritas Romano subdita est pontifici : haud mirum igitur singulorum auctoritatem, cùm totum non complectatur orbem, diversis pro temporum locorumque opportunitate ac varietate, constringi limitibus, imò et quibusdam contumaciter delinquentibus adimi : at character per sacramentum ordinis collocatus, habetur tanquàm quid absolutum; nec deleri potest, nec auferri, ita volente sacramentorum auctore Christo, ut Ecclesiæ universæ constanti doctrinâ exploratum est. Apostolorum minui non poterat à Petro jurisdictio, quamvis auctoritate ipsis præstaret; ita enim absolutâ voluntate Christus ad propagandam stabiliendamque fidem, constituerat, ut ipsorum nihil detraheretur potestati. Frustra ex eo argumentatur Bellarminus quòd lapsorum episcoporum posset summus pontifex jurisdictionem restringere, aut eâ ipsos secundùm canones exuere : nonne et ipsum pontificem, si vel hæresi vel schismate pertinaciter implicaretur, posset Ecclesia orbare principatu, omnique potestate? an inde consequens est suam eum immeritò referre auctoritatem acceptam divinæ institutioni, ab hominibusque eum ipsam mutuari?

Denique quòd se *Dei* et sedis *Apostolicæ gratiâ* dignitatem consequi profiteantur episcopi, hanc formulam, quæ tamen teste eruditissimo Thomassino, seculum XIII non antevertit, laudabiliter atque ultrò susceperunt ac retinent, ut quanto studio, primæ sedis communionem colant, primatum venerentur, eidemque debitum spondeant obsequium, palam testificentur. Haud efficaciùs profertur à Bellarmino formula quam in creandis episcopis adhibet summus pontifex : approbari, confirmari, Apostolicâ auctoritate muniri, canonicam alicujus episcopi electionem; à Christo tamen hunc in episcopum, necessariam regendis subditis auctoritatem derivari constat : hæc duo non magis pugnant, quàm Romani pontificis electionem præstari et comprobari à cardinalibus, eumdem ab illis ad gubernationem Ecclesiæ promoveri, gubernandæ tamen Ecclesiæ destinatam auctoritatem, à primatûs Petri supremo conditore, immediatè suppeditari.

Ex hactenùs assertâ concilii generalis Romano pontifice superioris auctoritate duo sequuntur magni momenti : primum, « Apos- « tolicæ potestatis usum moderandum per « canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi « reverentiâ consecratos, valere etiam regulas, « mores et instituta à regno et Ecclesiâ Galli- « canâ recepta, Patrumque terminos manere « inconcussos; atque id pertinere ad amplitu- « dinem Apostolicæ sedis, ut statuta et consue- « tudines tantæ sedis, et Ecclesiarum consen- « sione firmatæ, propriam stabilitatem obti- « neant. » Declarat. cleri Gallicani art. 3.

Summorum pontificum longam eruditè retexit seriem honoratus Tourneli, sese contra canones nihil posse confitentium : istis reverà testimo-

niis non expressè declaratur, utrùm invalidum fore duxerint, quidquid contra canones attentâssent : utrùm canonibus ideò derogare non possent, quia conciliis universalibus inferiores se agnoscerent, vel quia contra sapienter ac legitimè constituta, nihil posse censeantur, eò quòd *non in destructionem*, sed in *ædificationem eorum potestas concessa sit*. At sanctissimorum illâ pontificum confessione testatum saltem efficitur, quàm sit à sedis Apostolicæ indole et institutis alienum, absolutum prorsùs et illimitatum sibi vindicare dominatum.

Sic, v. g., Zozimus in epistolâ ad episcopos provinciarum Viennensis et Narbon. : quòd contra statuta Patrum, inquit, concedere aliquid vel mutare, ne hujus quidem sedis possit auctoritas. Cœlestinus I, in epistolâ ad episcopos Illyrici . « Dominentur nobis regulæ, non « regulis dominemur; simus subjecti canoni- « bus, cùm canonum præcepta servamus. » Leo I, epist. 53, nunc 80, ad Anatolium : « Nimis « ergo hæc improba, nimis sunt prava quæ « sacratissimis canonibus inveniuntur esse « contraria. » Gelasius I, in epist. ad episcopos Dardaniæ, ait : « Synodi constitutum, quod « universæ Ecclesiæ probavit assensus, non « aliquam magis exequi sedem oportere, quàm « primam. »

Alterum quod sequitur ex probatis jam assertionibus in eo positum est, Ecclesiam esse monarchiam aristocratiâ temperatam. Ecclesia quidem est in spiritualibus monarchia : jure divino, ut demonstratum est, primatum honoris et jurisdictionis obtinet universâ in Ecclesiâ Romanus pontifex; ad omnes et singulas Ecclesias pertinent conditæ ab ipso leges; parere illi tenentur omnes Christiani; quæ profectò sufficiunt ad constituendam ecclesiastico aptam et accommodatam regimini monarchiam; excidere à mentibus nunquàm debet illa clerici Gallicani in conventu Parisiis habito anno 1681, de Romano pontifice, professio fidei : « Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis; obtinet « ille in nos primatum auctoritatis et jurisdic- « tionis sibi à Christo Jesu in personâ S. Petri « collatum : qui ab hâc veritate dissentiret, « schismaticus, imò et hæreticus esset. »

Vel in ipsâ celeberrimæ anni 1682 Declarationis præfatione graviter illi redarguuntur qui Gallicanæ Ecclesiæ libertatum obtentu, « primatum beati Petri, ejusque successorum « Romanorum pontificum à Christo institutum, « iisque debitam ab omnibus Christianis obe- « dientiam, sedisque Apostolicæ, in quâ fides « prædicatur, et unitas servatur Ecclesiæ, « reverendam omnibus gentibus majestatem « imminuere non vereantur. »

Primæ sedis auctoritatem commendare studuit impensè sacra facultas Parisiensis, cùm ut frequenter, tùm anno 1554, occasione bullarum Pauli III et Julii III; hæc inter cætera : « Omnes et singuli, ut obedientiæ filii ipsum « Romanum pontificem, ut summum et uni- « versalem Christi Jesu vicarium cui plenitudo « potestatis à Christo data sit, cui omnes « utriusque sexûs obedire, cujus decreta ve- « nerari, et quisque tueri et observare tenea- « tur, ut semper agnoverunt et confessi sunt, « ita nunc quoque sincerè, fideliter et libenter « agnoscunt et confitentur (omnes et singuli « magistri). » Hinc debitâ indignatione repu- « diavit mendacem hanc Marci Antonii de « Dominis assertionem : « Schola itaque Pa- « risiensis et nostra est, et reipsà potestati « studet aristocraticæ, non monarchicæ : quare « ex ejus quoque doctrinâ papatus nullo potest « subsistere fundamento. Mera est, inquit sacra « facultas, contra facultatem Parisiensem im- « postura. »

Hanc autem monarchiam esse aristocratiâ temperatam, colligitur etiam ex assertis hactenùs propositionibus : aristocraticum, ut compertum est, vocatur illud regimen, quod ad optimates pertinet, sive sit merè aristocraticum, sive sit cum alio gubernandi genere conjunctum. Constitutam autem à Christo in primatu Romani pontificis, spiritualem monarchiam aristocratiâ esse temperatam, hoc ipso constat quo probatum est manare immediatè à Christo episcopalem auctoritatem, illosque in causis tùm fidei, tùm disciplinæ ecclesiasticæ judices à Deo esse procreatos; irreformabile non habendum summi pontificis judicium antequàm accesserit Ecclesiæ consensus : eumdem ipsum eidem Ecclesiæ sive congregatæ, sive dispersæ, Christo ita ordinante, subesse. ejusque potestatis usum, sancitis episcoporum consensione canonibus esse moderandum : ita ex præcurrentibus principiis consequuntur, nec aliâ confirmatione aut explicatione indigent.

Articulus IX.

Utrùm in gubernandâ Ecclesiâ summus pontifex obtineat jure divino immediatam jurisdictionem, et quâ ratione exercere illam valeat.

Qui mediatam duntaxat jurisdictionem supremo adscribunt pontifici, illi docent, vi

primatûs eum quidem posse ac teneri invigilare, suo ut quisque episcoporum fungatur officio, quorum si quos noverit ab imposito ipsis munere deficere, tùm duntaxat commissi illorum cuique gregis gubernationi et saluti, secundùm canones providere eum posse ac debere. Fatendum est ita indistinctè et confusè tractari à Gallicanis nonnullis theologis quæstionem istam, ut neque cum primatu Romani pontificis, neque cum Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ, cui se maximè patrocinari putent, eorum placita verè conciliari queant; auctoritatem ipsam Petro ejusque successoribus divinitùs collatam, distinguendam aptè non curant ab ejusdem auctoritatis usu et moderamine, canonibus legitimisque consuetudinibus (quibus absit ut repugnare velimus) consentaneo : accuratiùs profectò illis theologis doctissimus Bossuetius, accuratiùs sacra facultas Parisiensis pronuntiârunt.

De anonymo Declarationem cleri Gallicani impugnante sic loquitur illustrissimus Bossuetius : « Absurdissimum illud est, quod ad illi- « mitatum potestatis pontificiæ usum referre « videatur insignem de exemptionibus, S. Ber- « nardi locum : Sic factitando, inquit Bernar- « dus (in cap. 4, lib. 3, ad Eugenium III), « probatis vos habere plenitudinem potestatis, « sed justitiæ fortè non ita : facitis hoc quia « potestis : sed utrùm hoc debeatis quæstio « est. Subdit anonymus : Adeò certum habebat « sanctus ille abbas pontificem in Christianos « omnes etiam laïcos jurisdictionem immedia- « tam habere. » Hâc relatâ objectione, statim respondet his verbis Bossuetius : « Quod qui- « dem nemo negat (attendatur ad hæc verba), « sed summæ potestati adhibendum eum quem « dicimus modum, S. Bernardus docet, dùm « in his plenitudinem deesse justitiæ, quò « modestiùs, eò efficaciùs docet, dùm etiam « illud subdit : Vides quàm verus sit sermo « ille : Omnia mihi licent, sed non omnia « expediunt. Quid si fortè non licet ? ignosce « mihi : non facilè adducor licitum consentire, « quod tot illicita parturit. » (Defens. declarat. cleri Gallicani, part. 3, lib. 11, cap. 20, versùs finem.) Longè igitur alienum est à celeberrimo Bossuetio quantumvis Gallicanæ Ecclesiæ institutionibus addicto, negare, immediatam summo pontifici datam esse à Christo jurisdictionem, sed eam tuetur quæ debitum servet modum, probatisque contineatur limitibus.

Haud aliter sentit, mentemque suam aperit sacra Facultas Parisiensis. Malias Jacobi de Vernant propositiones ex libro cui titulus : La défense de l'autorité de notre saint Père le Pape, extractas proscripsit, quas inter hæc legitur : « Le pouvoir d'exercer toutes les « fonctions épiscopales dans toutes les Églises « particulières, appartient de droit au Pape « aussi bien qu'aux évêques, c'est-à-dire, en « vertu de sa charge et de son office..... Il « peut donc déléguer cette jurisdiction, et faire « telle part qu'il lui plaira des fonctions de « pasteur, en tous les diocèses de tous les « évêques, sans rechercher leur consente- « ment. Doctrina contenta in hâc propositione « (censura hæc est sacræ facultatis) : *Il peut* « *donc*, etc, intellecta de usu et exercitio, est « juri communi contraria, et tendens in de- « structionem Ecclesiæ, non in ædificationem. »

Cavebat sacra facultas ne immediatâ tanquàm destitutum jurisdictione effingeret Romani primatum pontificis; id tantùm voluit, hanc ita esse defendendam ut neque juri communi repugnaret, neque regimen episcopale turbaret atque violaret. Quod certè non in ædificationem, sed in destructionem potiùs vergeret.

Quàm hæc sapienter, tam minùs cautè, theologi nonnulli de primatu Romani pontificis ita disseruerunt, credere ut videantur, jurisdictionem nullam immediatam in orbe christiano, Ecclesiæ capiti, divinâ institutione competere. Quod quantùm à christianis institutis, et Gallicanæ Ecclesiæ sensu recedat haud operosè ostenditur.

1° Quâ ratione Apostolis succedunt episcopi, eâdem Petro Apostolorum principi succedit Romanus pontifex in regiminis ecclesiastici potestate : non enim hìc agitur de singularibus prærogativis apostolatûs, qualia sunt, dona miraculorum, revelationum, etc.; hoc tamen præstat cæteris episcopis summus pontifex, quòd gregis alii aliam, majorem vel minorem partem gubernandam susceperint : omnes autem et singulas Ecclesiæ partes Petro ejusque successoribus regendas tradidisse Christum, omnes confitentur Catholici : « Nullumne, inquit Bossuetius (Append. ad « Defens. Declarat. cleri Gallicani, lib. 1, « cap. 1, versùs finem), discrimen inter papam « et alios? Certè maximum, nam aliis suus « quisque grex : papæ omnes obedire oportet; « et id signanter ipsa fidei professio ab om- « nibus poscit. » Hinc S. Bernardus Eugenium IV sic alloquitur lib. 2, de Considerat. cap. 8 : « Habent illi episcopi singuli sibi assi-

gnatos greges, tibi universi crediti, uni unus, nec modò ovium sed et pastorum.» Ac reipsà universim dictum est Petro ut Ecclesiæ capiti : *Pasce agnos, pasce oves meas.* Jam verò quia succedunt Apostolis episcopi, inde meritò concluditur episcopos, immediatam jure divino jurisdictionem, in greges sibi commissos obtinere : Romanus ergo pontifex, cùm, ut profitentur omnes Catholici, succedat Petro in munere pastorali, immediatam procul dubio jurisdictionem divinitùs collatam obtinet in omnes gregis sibi commissi partes : ac proinde in omnes cujuscumque conditionis, totiusque orbis Christianos.

2° Ecclesiam esse monarchiam, id quidem sine detrimento fidei, vocari non potest in dubium : idcircò in celeberrimâ censurâ quam anno 1617, contra quatuor priores libros Marci Antonii de Dominis archiepiscopi Spalatensis, edidit sacra facultas Parisiensis sequentem gravissimâ notâ inussit propositionem : « Monarchiæ formam non fuisse immediatè in Ecclesiâ à Christo institutam.» «Hæc « propositio, inquit, est hæretica, schismatica, « ordinis hierarchici subversiva, et pacis Ec- « clesiæ perturbativa. » At qu's in animum sibi induxerit, monarchiæ licet aristocratiâ temperatæ principem, immediatam in subditos, ex suâpte institutione non habere jurisdictionem? Usum quidem monarchici regiminis et exercitium restringere aristocratiæ conjunctio potest ac moderari : naturam autem illius, divinamque institutionem tollere atque exscindere non potest. Accedit quòd verus Christi vicarius, omniumque pater Christianorum, constanti traditione, habeatur Romanus pontifex : quod à concilio Florentino expressè definitum est : « Definimus, inquiunt Patres « illius synodi, sanctam Apostolicam sedem et « Romanum pontificem, in universum orbem « tenere primatum, et ipsum Romanum ponti- « ficem successorem esse beati Petri principis « Apostolorum, et verum Christi vicarium, « totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Chri- « stianorum patrem ac doctorem existere. » Persuadere autem sibi attentâ mente quis poterit supremum animarum nostrarum pastorem Christum vices suas, paternum munus, auctoritatem magistri, universâ in Ecclesiâ, ita mandavisse Romano pontifici, ut nullâ eum immediatâ jurisdictione, in gregis ullam partem donaverit? Si autem quoad unam partem, fateamur necesse est quoad omnes, cùm omnium, à domino Petrus sit constitutus pastor; succedit autem Petro, idque divinâ institutione Romanus pontifex.

3° Refert doctissimus Bossuetius articulos sacræ facultatis Parisiensis, anno 1512, quorum in uno sic decernitur : « Nec minùs certum est unum esse jure divino Romanum in Ecclesiâ Christi militante pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur. » Deinde subjungit illustrissimus Bossuetius (Append. ad defens. declarat. Cleri Gallicani, lib. 1, cap. 1, edit. 1745) : « Hæc fidei tessera ab episcopis et Ecclesiis omnibus Gallicanis tradita, regiâ quoque auctoritate atque omnium ordinum consensu excepta, divulgata et custodita est.» Immediatam jurisdictionem in omnes Christianos nisi haberet Romanus pontifex, absolutè prædicari non posset obedientiam illi ab omnibus deberi Christianis : quemadmodùm absolutè dici non potest, archiepiscopo teneri obedire omnes suffraganeorum diœcesanos : quia scilicet, non nisi extraordinariis quibusdam in casibus, et positis quæ ferè nunquàm adhibentur, conditionibus, ad hanc adiguntur obedientiam omnes alicujus diœcesis suffraganei. Adnotare vix opus est adductis in testimoniis commendari, propter ipsum primatum, debitam illam Romano pontifici, ab omnibus Christianis obedientiam; id patet vel leviter attendentibus.

4° Concilii Tridentini sessione 14, cap. 7, dicitur : « Meritò pontifices maximi pro su- « premâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ « traditâ, causas aliquas criminum graviores « suo potuerunt peculiari judicio reservare; « neque dubitandum est quando omnia quæ à « Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem « episcopis omnibus in suâ cuique diœcesi, in « ædificationem tamen, non in destructionem « liceat. » Perspicuè declarat Tridentina synodus, ut episcopos suâ quemque in diœcesi, ita summum pontificem universâ in Ecclesiâ posse divinâ ordinatione sibi reservare casus; id etiam invictè significatur his verbis : *Pro supremâ potestate;* ipsâ autem reservationis casuum definitione liquet, cum potestate reservandi gravia quædam peccata, necessariò conjunctam esse immediatam jurisdictionem : in eo quippe posita est reservatio illa, ut ad superius tribunal evocentur quædam delicta, quæ ipsius auctoritate dimittantur. Ad eludendum istud tanti momenti argumentum frustra obtenderetur, non infrequenter à propriis episcopis missos esse Apostolicam ad sedem criminum quorumdam reos, qui ibi-

dem, ubi opportunum foret, absolverentur : talibus quidem factis suam quidam demonstrârunt episcopi summum in pontificem reverentiam, sincerumque promovendæ pœnitentiæ studium : at non mittebant ad Petri successorem, ad Christi vicarium, potestatem remittendis peccatis necessariam : ut reservare sibi, ita et remittere poterat, *supremâ* illâ *potestate*, quæ à Petro ad ejus successores, continuâ serie, divino instituto trajicitur.

5° Apud omnes Catholicos in confesso est, posse Romanum pontificem leges condere quæ ad omnes pertineant Christianos, et quibus, servatis servandis obstringantur conscientiæ. In eos igitur directam et immediatam jurisdictionem obtineat necesse est, cùm eâ sublatâ constitui et sanciri leges non possint.

Objicit 1° auctor libri cui titulus : Défense des droits des évêques, epistolam S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem in quâ dicitur capite 2 : « Uni (Petro) datum est ut cæteris « præmineret. De quâ formâ episcoporum « quoque est orta distinctio, et magnâ ordina- « tione provisum est, ne omnes sibi omnia « vindicarent; sed essent in singulis provinciis « singuli, quorum inter fratres, haberetur « prima sententia : et rursùs quidam in majo- « ribus urbibus constituti, sollicitudinem sus- « ciperent ampliorem, per quos ad unam Pe- « tri sedem universalis Ecclesiæ cura confluе- « ret, et nihil usquàm à suo capite dissideret. » Inde concludit auctor citatus, perspectum esse carere immediatâ auctoritate sedem Apostolicam.

Resp. : Fatemur haud esse illimitatam summi pontificis auctoritatem : id tamen non colligeretur ex eo quòd dicatur cæteris præeminere, et ad Petri sedem universalis Ecclesiæ curam confluere. At de immediatâ aut mediatâ jurisdictione non loquitur S. Leo : observatum duntaxat voluit, arreptâ occasione ex primatu Petri licet divinitùs instituto, varios esse in Ecclesiâ constitutos distinctionis gradus, metropolitanorum scilicet, primatum, patriarcharum, illæsâ tamen primæ sedis auctoritate, ad quam omnes et singulas Ecclesias confluere oporteat. Hæc est simplex et obvia textûs allati expositio.

Non immoramur in aliis duobus pontificis ejusdem expendendis testimoniis, quia nihil præ se ferunt quod moram injicere possit : v. g, Anatolio patriarchæ Constantinopolitano æquo animo non ferenti se admonitum de redarguendo Eutychianis favente erroribus, Attico presbytero, respondit S. Leo : « Neque in aliquo ho- « norem tuum læsi, cui discutienda ea, quæ « ad me erant perlata, commisi. » Sive immediatam, sive mediatam sibi vindicaret jurisdictionem S. Leo, nonne potuit, admonere Anatolium, ne tacendo incurreret ille patriarcha approbati crimen erroris, cui pro viribus debuerit obsistere ?

Objicies. 2° : Rogatus ab Euphemio patriarchâ Constantinopolitano Gelasius ut mitteret qui populo Constantinopolitano condemnationem Acacii acceptam faceret, aut saltem non invisam, reposuit his verbis : « Quomodò me « auditura est (plebs) quem videtur habere « suspectum, si præsules suos despicit admo- « nentes? » — Resp. : Rogatus ab Euphemio Gelasius voluit tamen tunc abstinere à proposito jurisdictionis exercitio, quia suspectus Constantinopolitanæ videretur plebi, ne quidem admonentes suos præsules, quibuscum perpetuò ipsa degebat, patienter audient : ex eo prudenti condescensu, si concludatur Gelasium caruisse immediatâ jurisdictione, ergo eumdem etiam concludendum est mediatâ caruisse, cùm nec illâ tùm utendum duxerit.

Objic. 3° : Legatum aliquem, cùm audisset S. Gregorius Magnus, causas clericorum, judicandas in Siciliâ suscipere, atque nullâ urgente causâ, et sic suæ jurisdictionis usu defraudari episcopos, ita scripsit : « Si quis con- « tra quemlibet clericum causam habuerit, « episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognos- « cat, aut certè ab eo judices deputentur. » Hujusce monitionis hanc affert rationem S. Gregorius : « Si sua unicuique episcopo juris- « dictio non servatur, quid aliud agitur, nisi « ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri « debuit ordo, confundatur ? »

Resp. : Aliud est hoc vel illo genere jurisdictionis esse donatum summum pontificem, aliud est eam sic adhiberi, ut publicus invertatur ordo, perperamque à suo fungendo munere episcopos arceri : uno verbo aliud est ipsa potestas, aliud abusus potestatis ; hinc patet solutio. Non hìc tractanda iterùm quæ ex Africanis synodis in causâ Apiarii, nobis objiciuntur : hanc latè discutiendam curavimus, ubi de appellationibus ad Apostolicam sedem.

Objic. 4° : Extiterunt episcopi qui Romam profecturos piæ peregrinationis causâ quosdam suos diœcesanos, jusserint propriis peccata sua confiteri sacerdotibus, nec voluerint postulari à sede Apostolicâ criminum absolutionem,

quæ sanè potuisset ritè dispositis, Romani auctoritate pontificis concedi, immediatam si accepisset à Christo in omnes Christianos jurisdictionem. Sic seculo IX Basileensis episcopus Ilaito, Oper. cap. 10, præstituit: « Ex hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui causâ orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur : quia à proprio episcopo suo aut sacerdote, ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo. » Idem sancitur in concilio Selingstodensi, anno 1022, his verbis : « Quia multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut in aliquo crimine inculpati, pœnitentiam à sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maximè confisi ut Romam euntibus, apostolicus omnia sibi dimittat peccata : sancto visum est concilio ut talis indulgentia illis non prosit; sed priùs juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam et literas ad apostolicum ex iisdem deferendas accipiant. »

Resp. : In testimoniis hujusmodi, non negatur potuisse Romanum pontificem confugientes ad se peccatores, modò ritè pœnitentes absolvere; hoc etsi non valuisset vi primatûs, potuisset tamen, universalis Ecclesiæ concessione, quæ particularibus synodis irritata non fuisset; at in objectis textibus hoc unum significatur, cautum fuisse ne, simulatâ pietate, ad Apostolorum limina properarent quorumdam criminum rei, ut injunctam sibi à suis sacerdotibus pœnitentiam declinarent; idcircò jubentur ut ei pœnitentiæ priùs satisfaciant quàm iter propositum aggrediantur : hanc esse genuinam expositionem concilii Selingstodensis, patet ex istâ præceptione : Priùs juxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam.... accipiant. » Quâ ratione hæc præceptio niteretur declarant verba ista mox relata : « Multi tantâ mentis suæ falluntur stultitiâ, ut in aliquo capitali crimine, » etc. Ad mentem Haitonis Basileensis episcopi, hæc responsio, si satis accommodata esse non videatur, longè satius foret deseri episcopi illius sententiam, quàm labefactari et pessumdari divinam institutionem, atque quod christianæ exhorrescunt aures, fidelibus habeatur extraneus quoad ipsum pœnitentiæ sacramentum, successor principis Apostolorum, vicarius Christi, et universalis pastor Ecclesiæ. Nota : si quædam alia objiciantur facta quibus ostendatur obstitisse aliquot episcopos ne suis in diœcesibus jurisdictionem propriam Romanus pontifex exerceret, considerandum est, 1° quibusdam in factis hujùs generis, repulsum aliquandò fuisse vel ipsum mediatæ jurisdictionis usum. 2° Neque à factis ad jus et auctoritatem, neque à casibus particularibus ad fundamentum et principium, valere semper consecutionem. 3° Haud ita propugnandam, nec à nobis ita propugnari immediatam jurisdictionem ut publicæ tranquillitatis et ordinis debitam rationem non habeat.

Objicies 5° : Gallicani præsules in comitiis Meloduni, anno 1548 habitis, scripserunt ad Paulum III, cujus cùm dignitatem primatûs, tùm et sanctitatem, justitiam, sapientiam commendant, sibi persuadere non posse, « velle illum diligentiæ reliquorum pastorum obesse, aut in alienum gregem, nisi fortè necesse sit, incurrere. Ac ne quid accideret ejusmodi, operæ pretium est, animadvertere, inquiunt, quàm diligenter præcautum sit institutis antiquorum : nam cùm hoc essent cæteri Apostoli, quod esset Petrus, pari, ut inquit Cyprianus, consortio præditi honoris et potestatis, (exposuimus ubi de primatu S. Petri, quomodò hæc intelligi oporteat) Apostolorum canones, eos sunt episcopos detestati qui in alienas diœceses invasissent, aut functi essent alieno munere, ne primatibus quidem aut metropolitanis id concessum nisi inferiorum cessatione et ignaviâ. » Ibi confertur potestas summi pontificis Romanam extra diœcesim cum potestate metropolitanorum in diœcesibus suffraganeorum; asseritur illam in iis non valere, nisi deficientibus aut resilientibus ab officio suo episcopis.

Resp. : Illâ in epistolâ naturam et speciem potestatis à primatu Romani pontificis derivatæ, non discutiunt episcopi; sed abusum avertere et præcavere student, mediata sit aut immediata illius jurisdictio ; admonent in eâ exerendâ tenendum esse modum, providendumque ne regimini episcopali detrimentum afferat : Concedimus, inquiunt, Romanus ut pontifex, « colligat cum Christo, ne spargat; ut ad ædificandum potestate utatur, modò ne ad diruendum, » quod quidem profitentur à Pauli III mente prorsùs alienum. Tùm et observant, quantùm rectæ repugnet administrationi, episcopum muneris sui partes omnes sedulò prosequentem, « non interpellari modò, sed opprimi in

« ingressu aut progressu honestissimi et appri-
« mè necessarii operis; opprimi autem inter-
« ventu alienarum operarum. » Ductum autem exemplum ab episcopis et metropolitanis, quos non patiuntur canones, quosdam extra casus extraordinarios, alienis in diœcesibus, pastorali defungi officio, nec voluerunt nec potuerunt ad plenam revocare similitudinem : non eos latebant quæ jure divino hìc intercedant discrimina : at eò referunt ut magis ac magis ostendatur quantâ prudentiâ, quanto studio vel ipse qui ad auctoritatis ecclesiasticæ culmen provectus est, debeat episcoporum honori, auctoritati, juribus, concordiæ sanctisque laboribus consulere. Denique quòd greges quos varii pascunt episcopi, dicantur alieni respectu summi pontificis, ideò dictum est, ut distinguantur particulares illi greges à speciali Romæ episcopatu, non ut subtrahantur summi pastoris auctoritati, cui Christus totum gregem pascendum gubernandumque tradidit.

Objicies 6° : In comitiis anni 1655 sequentem coactus est emittere confessionem scriptor qui visus fuerat jura episcoporum lædere : Mémoires du clergé de France, tom. 1, pag. 682. « Il n'avait pas entendu que le Pape fût, à « l'égard de chaque évêque et de chaque diocèse « de l'Eglise universelle, ce qu'est l'évêque à « l'égard de chaque curé et de chaque paroisse de « son diocèse, ni voulu assurer que la compa- « raison qu'il en avait faite dans le chapitre 11, « fût entière, y ayant très-grande différence, « et même de droit divin; mais qu'il avait « voulu dire, et cru seulement que l'évêque, « comme chef de son diocèse, pouvait exercer « lui-même, et faire exercer sans le consente- « ment des curés, lorsqu'il le jugeait raisonna- « ble, toutes les fonctions de véritable pas- « teur, et que le Pape, comme chef de l'Eglise « universelle, pouvait dans les cas et formes « de droit, pourvoir aux régimes des diocèses « à toutes les fonctions pastorales qui y sont « nécessaires pour le salut des ames, ce qui « était conforme à la doctrine de S. Thomas, « et sans entendre préjudicier aux priviléges « et libertés de l'Eglise Gallicane. »

Resp. : Confessio illa Joannis Bagot, non à comitiis cleri Gallicani adornata et proposita, sed ab ipso prolata, duo complectitur quæ juribus episcoporum consulunt, nec adimunt jurisdictionis immediatæ genus Romano pontifici; confitetur ille theologus posse episcopum pro suâ auctoritate divinitùs acceptâ, cùm factu opportunum, et rationi consentaneum judicaverit, veri pastoris munera quælibet obire suâ quemque in diœcesi : confitetur etiam posse summum pontificem, ut caput universalis Ecclesiæ, in casibus et formâ jure comprobatis variis in diœcesibus, propriam divinitùsque collatam jurisdictionem in iis expromere quæ ad salutem animarum requiruntur. Id omne verum est, sive mediatam sive immediatam jurisdictionem obtineat summus pontifex; neque enim jurisdictionem hanc contra canones ac recepta jura, oportet adhiberi : quæ verò discrimina Romanum inter pontificem respectu diversarum diœceseon, et episcopum respectu parochiarum intercedant, non explicat præfatus theologus, nec tantæ est auctoritatis, ut quid senserit, sollicitè inquirendum esso videatur; occurrere quidem hoc in genere discrimina non inficiamur; aliter enim propriam suam diœcesim, aliter universalem Ecclesiam gubernat, et gubernare debet Romanus pontifex; eâque diversitate, jurisdictio immediata non excluditur.

Quæstionem ut illam absolvamus eo modo quo eamdem auspicati sumus, pontificiæ usum potestatis ab ipsâmet potestate distingui necesse est; nihilque juribus episcoporum, nihil Gallicanis libertatibus, nihil ordini publico, in vindicandâ Romano pontifici, immediatâ jurisdictione pertimescendum, quamdiù retinebitur id quod jam commemoravimus, caput 3 Declarationis cleri Gallicani; scilicet « Apo- « stolicæ potestatis usum moderandum per « canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi « reverentiâ consecratos, valere etiam regulas, « mores et instituta à regno et Ecclesiâ Galli- « canâ recepta, Patrumque terminos manere « inconcussos, atque id pertinere ad amplitu- « dinem Apostolicæ sedis ut statuta et con- « suetudines, tantæ sedis et Ecclesiarum con- « sensione firmatæ, propriam stabilitatem obti « neant. »

Sectio secunda.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

Quæritur utrùm habeantur Ecclesiæ membra catechumeni; utrùm soli et omnes prædestinati; utrùm saltem soli justificati; num inter illa cooptentur quidam hæretici, schismatici, excommunicati. Dissolvendis illis quæstionibus, ut in corpore humano, sic in Ecclesiâ considerari possunt corpus et anima. Nobiliorem Ecclesiæ partem, animam, constituunt virtutes præsertim theologicæ fides, spes, charitas atque gratia sanctificans, corpus verò externâ fidei professione, sacramentorum communione, legitimisque pastoribus subjectione constituitur.

Corpus esse vivum Ecclesiam profitentur omnes theologi catholici, nec in eâ unquàm defuturos esse justos ac prædestinatos; ejus tamen in definitione solent illa duntaxat commemorare quæ ipsius competunt corpori; nam hìc agitur de notione quæ et possit accommodari ad omnia Ecclesiæ membra, et ad illam à quâcumque aliâ societate discernendam sufficiat, quod magis ac magis ex jam exponendis constabit et clarescet.

CAPUT PRIMUM.

DE CATECHUMENIS.

Conclusio. — *Catechumeni propriè et actu non sunt in Ecclesiâ.*

Probatur 1°: 1 ad Corinth. cap. 12, v. 13: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi.* Per baptismum unum in corpus, nempe Ecclesiam, coalescunt, sive ex Judæis sive ex gentilibus, qui christianæ militiæ nomen dederint, ergo ante baptismum non inseruntur Ecclesiæ.

Probatur 2° ex conciliis: In decreto pro Armenis Florentinâ in synodo sic statuitur. « Primum omnium sacramentorum locum tenet « sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua « est: per ipsum enim membra Christi, ac de « corpore efficimur Ecclesiæ. » Idem declaratur à concilio Tridentino, sess. 14, cap. 2 de Pœnitentiâ; « Ecclesia in neminem judicium « exercet qui non priùs in ipsam per baptismi « januam ingressus fuerit. *Quid enim mihi,* inquit Apostolus, 1 ad Cor. c. 5, *de iis qui foris « sunt judicare?* » Baptismate igitur quicumque non fuerint initiati, ac proinde catechumeni, versantur extra Ecclesiam, nec ipsius obnoxii sunt jurisdictioni.

Probatur 3° ex veterum testimoniis: Hæreticos redarguit Tertullianus, de Præscr. 41, quòd catechumenos à baptizatis non distinguerent. Apud eos, « quis catechumenus, quis fide- « lis, incertum est: pariter adeunt, pariter au- « diunt, pariter orant. » Catechumenum sic alloquitur S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40: « Quamdiù in numero catechumenorum es, in « pietatis vestibulo es, oportet te intrare. » Vide S. Cyrillum in Joannem, lib. 12, S. Chrysost. eumdem in Evangelistam homiliâ 24; S. Augustinum, in eumdem etiam tractatu 4.

Probatur 4° iisdem quas synodi Florentina et Tridentina suppeditant, rationibus: Primum omnium sacramentorum est baptismus, per quem membra Christi efficimur, recluditur nobis ad Ecclesiam aditus, ejusque et adunamur corpori et legibus obstringimur.

Objicies: Sunt inter catechumenos qui perfectâ charitate præditi, et sanctificante donati gratiâ, ad animam Ecclesiæ omninò pertineant; quare non dicantur ad Ecclesiam pertinere, et quidem potiori jure quàm baptizati qui soli ejus insererentur corpori? Præterea cùm extra Ecclesiam comparari nequeat salus, numquid charitate licet accensi, justificati gratiâ, Deoque in adoptionem mancipati, æternis nihilominùs addicentur suppliciis?

Resp.: Perfectâ etiam charitate qui instruuntur catechumeni, intrà Ecclesiam nondùm sunt constituti; ad ejus anhelant communionem; eam votis jam præripiunt, at stant in vestibulo, cùm nondùm sit eis aperta Ecclesiæ janua, quo nomine insignitur baptismus; jus non obtinent ad percipienda sacramenta; neque coram Deo, neque coram fidelium societate, in eos exercere judicium non potest Ecclesia; suum propriè, nisi aquâ et Spiritu sancto renatum, agnoscit neminem: at baptizati, illi etiam qui charitate destituuntur, inter

membra Ecclesiæ recensentur, quamdiù veram profitentur fidem, nec abscinduntur à communione fidelium, nec legitimam respuunt pastorum auctoritatem : cùm enim peccatores possint, ut mox ostendetur, adscribi inter Ecclesiæ membra non charitate quantùmvis ad salutem necessariâ, efficiuntur illius membra, sed tribus quæ mox exposita sunt vinculis : externâ scilicet professione fidei, etc. Perperàm tamen inde colligeretur versari extra viam salutis, gratiâ sanctificante donatos catechumenos : salvari quidem nemo potest nisi reipsà *aut voto* sit in Ecclesiâ, quemadmodùm nemo nisi reipsà aut voto initiatus baptismate. At voto in Ecclesiæ sinum probati advolant catechumeni, quapropter hæc Lateranensis concilii sententia : « Una est fidelium universalis Ecclesia « extra quam nullus omninò salvatur, » non ad illos spectat catechumenos qui jam inter filios Dei adoptivos cooptati ac proinde æterni hæredes regni, Ecclesiæ communionem ipsam externam sincero ambiunt animo.

CAPUT II.

DE PRÆDESTINATIS.

Ad Ecclesiam pertinere solos prædestinatos contenderunt Wicleffus et Joannes Hus. Eamdem ex solis constare justis prædestinatis docuit Calvinus, quo nomine complectitur omnes et solos credentes; nam ex ipsius placitis sola fides justificat, et semel obtenta non potest amitti : præter hanc Ecclesiam, quæ ex ejusdem novatoris sententiâ, sola est vera Christi Ecclesia, aliam quamdam admittit externam et impropriè dictam, quâ boni cum malis promiscuè contineantur.

CONCLUSIO. — *Non omnes, non soli prædestinati versantur in Ecclesiâ Christi.*

1° In Ecclesiâ degere omnes prædestinatos, cogitatu penitùs est absonum : cùm rapacis instar lupi sæviret christianum in gregem Paulus, jam erat scriptus in libro vitæ, æternisque in decretis Dei vas præstantissimum electionis : quâ probabilitatis specie fingeretur, eum inter Ecclesiæ membra jam tùm fuisse collocatum? Ex Judæis, Mahumetanis, paganis, sunt procul dubio quos ad fidem cœlestemque ad hæreditatem prædestinaverit Deus. Hos tamen effutire quis audeat, Ecclesiæ sinu jam confoveri, quantùmvis à fide et professione fidei abhorreant? hinc sapienter à S. Augustino dictum est, tractatu 45, in Joannem, tom. 3 : « Secundùm præscientiam Dei et prædestinationem, « quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intùs, et quàm multæ oves intùs et quàm « multi lupi foris. »

2° In Ecclesiâ solos non esse prædestinatos multifariè asseri potest. Matth. cap. 3 : *Permundabit aream suam : et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ibi per aream vera Christi Ecclesia, per triticum electi, et per paleas igne comburendas, significantur reprobi. 2 ad Timoth. cap. 2, v. 20 : *In magnâ autem domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Eò etiam loci per magnam domum certè intelligitur vera Christi Ecclesia, per vasa et aurea et argentea electi, per lignea et fictilia, aut saltem per ea quæ in contumeliam adhibentur, reprobi haud ambiguè designantur, ut patet ex totò contextu.

3° Solis prædestinatis non patere Ecclesiam evincitur ex principiis antea expositis; demonstratum est Ecclesiam esse visibilem, obviam et conspicuam, cùm sit imbuendis sanâ doctrinâ populis, administrandisque sacramentis, ac muniendæ ad salutem viæ divinitùs comparata; quibus officiis, quo pacto defungi posset, et quâ ratione certò investigari, si prædestinatis solis eam esse conflatam voluisset Deus? Citra revelationem latet quinam sint habendi in prædestinatorum numero. Nec igitur pastores gregem agnoscere, nec ab eodem agnosci atque exigere possent obsequium. Veram per orbem totum disseminandam esse Ecclesiam ostendimus verbo tùm scripto tùm tradito : quâ eminenti diffusione careat necesse est, si excludantur ab eâ omnes non prædestinati.

Objicies 1° : Reponi solet arca Noe præcipuas inter figuras Ecclesiæ; illâ autem navi non includebantur nisi salvandi; ergo.

Respondeo : Ad vivum si resecaretur et urgeretur insignis hæc figura, consequens foret ab æternâ morte eximendos esse omnes baptizatos, quandoquidem cum arcâ Noe baptismum componat Apostolorum princeps : in eo stat inprimis arcæ illius cum Ecclesiâ comparatio, quòd sicut extra navim illam certum imminebat naufragium, ita pereundum est iis omnibus, qui nec reipsà, nec voto in asylum Ecclesiæ non confugerint; sic interpretantur SS. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ; Hieronymus epist. ad Damasum; Augustinus lib. 5, de Baptismo, c. 3, v. 7; adducta favet no-

bis potiùs quàm adversatur comparatio : sicut enim arcâ Noe concludebantur animalia munda et immunda, sic intrà Ecclesiam degunt justi cum peccatoribus, et cum reprobis prædestinati.

Objicies 2° : Ephes. c. 5, v. 23 : *Christus caput est Ecclesiæ ; ipse salvator corporis sui.* Ergo de corpore Christi seu Ecclesiâ illi non sunt, qui salutem non assequentur. Hebr. c. 3, v. 6 : *Christus verò tanquàm filius in domo suâ, quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus ;* hanc verò firmam fiduciam et gloriam spei alii à prædestinatis non retinent. Eâdem mente dictum est 1 Joan. c. 2, v. 19 : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

Resp. : Ad primum : Omnium ex quibus constat Ecclesia, quod est corpus Christi, ipse ita est salvator, ut ex illis nemo sit quem salvare non velit voluntate vel antecedente et conditionatâ, vel consequente et absolutâ : hoc est, cui vel non conferat efficacia et cum perseverantiâ *finali* conjuncta auxilia, vel non suppeditet aut paraverit gratias ad salutem obtinendam, relativè quidem sufficientes, quamvis ab eâ voluntatis humanæ vitio sepositas ; dicitur quoque *salvator omnium, maximè fidelium,* ad Timoth. 1, c. 4, v. 10 ; *propitiatio, non solùm pro peccatis nostris, sed etiam pro totius mundi,* B. Joan. epist. 1, c. 2, v. 2. An inde concludendum est, omnes tùm infideles, tùm fideles, totum denique mundum, æternam ad gloriam *efficaciter* destinari ?

Ad secundum : Significare noluit Apostolus ad domum Dei, quæ ab eodem vocatur Ecclesia, 1 ad Timoth. c. 3, v. 15, solos illos pertinere, quos in fiduciâ et spe de quâ gloriamur, præviderit Deus, ad mortem usque permansuros ; tantùm vult frustra nos esse domum Dei, nisi fiduciam illam et spem constanter retineamus : hortatur enim ad perseverantiam Hebræos, ne quod benè inceperint, nihil prodesse ipsis contingat ; quasi dixerit : Si non perseveraveritis, perinde vobis erit, ac si nunquàm fueritis domûs Dei : eodem planè sensu subjungit ejusdem capitis v. 14 : *Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus* (donum quo nova creatura sumus in Christo), *usque ad finem firmum retineamus.*

Ad tertium : Causam nostram adiuvat obsi intelligatur de Ecclesiâ ; nam si ex discipulorum cœtu pseudoprophetæ exierunt, intùs ergo priùs, domique erant, nec enim aliter exire potuissent : sic verò exponi illud potest testimonium : Inter nos versabantur ; eamdem nobiscum mensam, cæteraque omninò sacramenta habebant communia ; sed simulatio virtutis erat, venditatio, ostentatio ; ideòque quoniam non erant ex nobis, seu tales quales nos sumus, ex animo Christiani, nobiscum ad finem usque non permanserunt ; aliam quoque subministrat haud alienam interpretationem Melchior Canus, de Locis theologicis, lib. 4, c. ultimo. Quasi dixisset S. Joannes : Ex nobis exierunt, hoc est, à nostrâ scholâ et societate, sed non erant ex nobis, id est, non verè erant Apostoli. Si enim tales fuissent, profectò permansissent nobiscum. Hìc pseudoapostolis qui jam à diebus nascentis Ecclesiæ prodierant, simulatio exprobratur ac levitas et novandi libido. Adde quòd, teste S. Joanne, cujus verba nobis objiciuntur, *omnis qui diligit ex Deo natus,* 1 Joann. c. 4, v. 70 ; *qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est,* 1 Joann. c. 2, v. 5. Numquid exulant ab Ecclesiâ qui baptizati Deum diligunt ; qui perfectâ charitate pollent, ejusque omnibus mandatis obtemperant ? attamen quin tales sint ad temus nonnulli ex reprobis, ambigere non possumus. Ergo, etc.

Objicies 3° : Ex solis Dei filiis constat Ecclesia, cùm non sit mater, nisi eorum quorum pater est. Hos autem liquet esse filios qui æternam hæreditatem percepturi sunt ; *Si filii,* inquit Apostolus, *et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* ad Rom. 8, v. 17. Ovile Christi habetur Ecclesia, non nisi ex ovibus Christi constituitur : at oves Christi illæ modò sunt de quibus ipse ait : *Oves meæ vocem meam audiunt.... et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum,* Joann. c. 10, v. 27 et 28. Non potuit clariùs designari prædestinatorum cœtus. *Non accessistis ad tractabilem montem et accensibilem ignem.... sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, spiritus justorum perfectorum,* ad Hebr. c. 12, v. 18 et 19. Non alii ac prædestinati cœlestem incolent Hierusalem.

Respondeo ad primum : Apud homines sunt filii paternis constanter obsequentes votis, atque hæreditatem ipsis constitutam adituri, at sunt alii quos utpote degeneres exhæredant

aliquando videamus. In Scripturis filii Dei frequentius vocantur, qui ad mortem usque fideles incorruptibilem consequentur hæreditatem, quam nemo capesset indignus, quâ nemo dignus defraudabitur. At filii Dei multi vocantur, qui tanti nominis decus violaverint improbâ vivendi ratione, eorumque plurimi cùm non sint meliorem ad frugem sese recepturi, inter hæredes Dei non sedebunt. Hinc justiores illæ apud Scripturas querelæ : *Generatio enim perversa et infideles filii*, Deut. 32 ; *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, Isa. 1, v. 2; *Convertimini, filii, revertentes, et sanabo aversiones vestras*, Jerem. 3, v. 22. Solos prioris generis filiorum Dei, intrà fines Ecclesiæ contineri comminiscuntur, nullo argumento probant hæretici ; nostraque stat jure possessionis immota conclusio.

Ad secundum : Ecclesia est quidem ovile, sed præter oves, hædos quoquè plurimos complectitur, in hominum quidem scientiâ et cogitatione cum agnis confusos, at in Dei cognitione et intelligentiâ discretos, ultimoque in judicio ab illis segregandos, atque sinistrum ad latus supremi ablegandos judicis. Deinde ut bonos, imò et electos nomen ovis in Scripturâ significat, ita et sæpè eo etiam appellantur mali : *Erravi sicut ovis quæ periit*, Psalm. 118. *Omnes nos quasi oves erravimus*, Isa. 53, v. 6. *Sicut oves in inferno positi sunt ; iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*, Psal. 73, v. 1. Christus sese missum denuntiabat : *Ad oves quæ perierunt domûs Israel*, Matth. 15, 24. Somniaret altiùs qui citatis illis omnibus in locis, solos vellet interpellari prædestinatos ; hoc etiam nomine numquid solos electos quos solus Deus compertos habet, subditos sibi crediderit Petrus, cui dictum est : *Pasce oves meas ?*

Ad tertium : Intelligi debet hoc testimonium de Ecclesiâ militante ac triumphante, instituitque Apostolus discrimen novam inter ac veterem legem : hæc per montem Sinam, montem Arabiæ, illa per Jerusalem civitatem sanctam adumbratur ; non incussis quibus percellantur sensuum organa terroribus, incitare nos solet Deus ; suaviùs, licet etiam efficaciùs nos provocat et allicit ad eam ineundam vitæ rationem quæ christianæ membra Ecclesiæ, novæ filios Jerusalem deceat, tum quæ æternis in tabernaculis sanguine Christi reseratis parare possit locum.

Nota. In Scripturis aliquando filios et oves nuncupari qui etiamnùm ab Ecclesiâ longè divagantur. Sic Joann. c. 10, v. 16 : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili*. Ibid. c. 11, v. 51 et 52 : *Jesus moriturus erat pro gente ; et non solùm pro gente, sed etiam ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*. Ibi, ut observat S. Augustinus, tract. 45 in Joannem, intelligitur *quos Dominus per præscientiam suam novit suos esse*. Æterno decreto paravit Deus quæ variis pro suâ sapientiâ et bonitate largitur temporibus.

Objicies 4° : S. Augustinus, tractatu 45 in Joannem, postquàm dixit multos intùs laudare, qui sunt blasphematuri, multos stare qui sunt casuri, adjicit : *Et non sunt oves : de prædestinatis enim loquimur. Ergo soli prædestinati sunt oves*. Libro de Correptione et Gratiâ, c. 9, multos asserit filios Dei videri et non esse, quia non habuerunt perseverantiam.

Respondeo ad primum : Ovium nomine speciali modo designantur prædestinati, sed aliæ sunt oves, non quidem secundùm prædestinationem quæ perseverantes eas factura sit, at secundùm præsentem justitiam quâ induuntur ; neque eas unquàm negavit ad Ecclesiam posse pertinere, cùm esse in Ecclesiâ multos profiteatur quos lupos vocat : « Secundùm istam « præscientiam Dei et prædestinationem, in- « quit, citato in capite, quàm multæ oves foris, « quàm intùs lupi ! »

Ad secundum : Quosdam pietati addictos, Dei filios non esse prælocutus, mentem suam sic aperit : « Non quia justitiam simulaverunt, « sed quia in eâ non manserunt. » Solos autem prædestinatos membris Ecclesiæ annumerandos esse, ne quidem subindicatum voluit.

CAPUT III.

DE PECCATORIBUS.

Ad Ecclesiam pertinere solos perfectos et nullo peccato inquinatos docuerunt Pelagiani : insigniores peccatores excludebant Donatistæ, quales asserebant esse Catholicos, quòd, ut ipsi calumniabantur, Scripturarum divinarum traditoribus consensissent ; Donatistarum sententiam de eliminandis ab Ecclesiâ magnis saltem et manifestis peccatoribus amplexi sunt confessionis Augustanæ Lutherani.

Conclusio. — *Non ex solis justis, multò minùs solis ex perfectis constat Ecclesia, multosque complectitur manifestos etiam peccatores.*

Probatur 1° ex Scripturarum apertis testimoniis. Matth. v. 17, cap. 18, de fratre peccante

in fratrem, apud Ecclesiam accusato et convicto, sic statuit Christus : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Sunt igitur peccatores qui admisso gravi et comperto juridicè delicto, tamen in Ecclesiâ maneant, donec ab Ecclesiæ prælatis ejiciantur. Ad Corinth. 1, cap. 5, v. 1 : *Omninò auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Incestuosus ille, gravissimus licet peccator, et publici auctor scandali, adhuc erat in Ecclesiâ, ut patet tum ex verbis immediatè sequentibus : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrûm, qui hoc opus fecit ;* tùm ex eo quòd illum ab Ecclesiâ per excommunicationem abscindi jubeat Apostolus. *Judicavi ut præsens eum qui sic operatus est..... tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis.* In Evangelio leguntur variæ parabolæ quæ in Ecclesiâ justis admisceri peccatores certissimè declarant : assimilatur Ecclesia *areæ* in quâ paleæ cum frumento includuntur ; *sagenæ* missæ in mare, quâ boni et mali pisces contineantur ; *ovili* in quo deprehendantur oves et hædi : idem pariter innotescit ex parabolâ *convivii* in quo deprehensus est homo veste nuptiali destitutus, et ideò jussus in tenebras projici exteriores : idem colligitur ex parabolâ *decem virginum*, quas inter quinque prudentes, et quinque fatuæ. Isto à parabolis ducto argumento invictè superatos fuisse, in celebri collatione Carthaginensi Donatistas, ita ut extricare se non potuerint, testatur S. Augustinus in breviculo collationis.

Probatur 2° ex traditione : S. Cyprianus Epist. ad Maximum : « Impediri non debet aut « fides aut charitas nostra, (ita) ut quoniam « zizania esse in Ecclesiâ cernimus, ipsi de « Ecclesiâ recedamus. »

S. Chrysostomus in illud psalmi 39, *multiplicatæ sunt* (iniquitates) *super capillos capitis mei* : « Neque ex perfectis universa constat « Ecclesia, sed habet eos etiam qui otio et so- « cordiæ se dedunt, mollemque et dissolutam « vitam amplectuntur, libenterque serviunt « voluptatibus, et quoniam est unum corpus, « tanquàm ex unâ personâ, hæc et illa pronun- « tiat. » S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ultra medium : « Arca Noe Ecclesiæ « typus fuit ; ut in illâ omnium animalium ge- « nera, ita et in hâc universarum et gentium et « morum homines sunt ; ut ibi pardus, hædi, « lupus et agni, ita et hìc justi et peccatores, « id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et « fictilibus commoventur. » S. Augustinus, lib. contra litteras Petiliani, cap. 12 : « Homo « sum de Ecclesiâ Christi, palea, si malus, « granum si bonus : non est hujus areæ venti- « labrum, lingua Petiliani. » Tractatu 6 in Joannem, v. 2 : « Si arca figurabat Ecclesiam, « videtis utique quia necesse est ut in isto « diluvio seculi utrumque genus contineat, et « corvum et columbam. Qui sunt corvi ? qui « sua quærunt ; qui columbæ ? qui ea quæ Chri- « sti quærunt.... Mali et boni sunt in Eccle- « siâ catholicâ. » Lib. de verâ Religione, cap. 6 ; lib. 2 de Baptismo, cap. 6, lib. 7, cap. 51 ; lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 13 ; lib. 18 de Civitate Dei, cap. 49, lib. 2 Retractationum, cap. 18. Quæ sit mens S. Augustini splendidiùs etiam patefaciunt enuntiata controversiarum quibus contra Donatistas tam strenuam impendit operam. Totus est S. Augustinus, plerisque in libris contra illos hæreticos, ut ostendat malos esse in Ecclesiâ, et futuros usque ad consummationem seculi, ab eorum quidem moribus declinandum, at non abrumpenda quæ cum illis communia sunt unitatis vincula. Legatur inprimis caput 14 lib. de Unitate Ecclesiæ, in quo sic loquitur : « Habemus innumerabilia « testimonia et de commixtione malorum cum « bonis in eâdem communione sacramenti, « sicut Judas ab initio malus, inter bonos un- « decim conservatus est, et de bonorum pauci- « tate propter malorum plurium comparatio- « nem. » Deinde commemoratis aliquot ex hujusmodi testimoniis, ita concludit : « Nulla « ergo commixtio terret bonos, ut propterea « velint tanquàm retia rumpere, et à congrega- « tione unitatis exire. » Studiosè probat nec malorum commixtione cum bonis istos à salute cohiberi, nec, si qui occurrant infideles ministri, Ecclesiam à suâ sanctitate deficere. Consule libros contra epistolam Parmeniani et libros contra epistolam Petiliani. Hùc referri etiam possunt quæcumque congessit ut impugnatam à Donatistis catholicitatem Ecclesiæ, petitis ex utroque Testamento argumentis vindicaret ; quomodò enim, Ecclesia occuparet orbem solis intra ipsam justis commorantibus ?

Nota. Dùm versari in Ecclesiâ malos cum bonis asserunt SS. Patres, non, quod ad istud attinet doctrinæ caput, manifestos distinguunt ab occultis peccatores : unde, ut refert S. Augustinus, in collatione Carthaginensi coactis confiteri Donatistis, degere in Ecclesiâ cum justis malos, eâ tamen communione orbari manifestos peccatores cavillantibus, strenuè

obstiterunt episcopi catholici, adductâ speciatim parabolâ areæ, in quâ magis etiam apparent paleæ quàm frumenta : tum et commemorandâ arcâ Noe, in quâ palam concludebantur animalia munda et immunda. Iisdem quoque objicientibus hæreticis duas à Catholicis confingi Ecclesias, unam in terris, quæ partim ex bonis, partim constaret ex malis, aliam in cœlis, quæ nulli pateret peccatori, « eamdem « ipsam unam et sanctam Ecclesiam dixerunt « (Catholici) nunc esse aliter, tunc aliter futu- « ram, nunc habere malos mixtos, tunc non « habituram, sicut non ideò duo Christi sunt, « quia aliquando mortalis, aliquando immorta- « lis (factus) fuerit Christus. »

Probatur 3° rationibus theologicis : Recurrunt argumenta quæ ubi de prædestinatis, deprompsimus ex visibilitate et catholicitate Ecclesiæ ; cùm enim certò nequeat dijudicari quinam sint in classem justorum referendi, incertum foret quibuscum esset necessariò tenenda communio, quibus obsequendum pastoribus, quos adire oporteat in postulandis sacramentis, et sanæ doctrinæ inquirendis placitis. Per grave peccatum, prælati desinerent esse de Ecclesiâ, proindeque desinerent esse prælati Ecclesiæ, unde jam eis non esset obtemperandum ; ex quo sanè magna incommoda gravesque perturbationes orirentur. Hinc meritò damnata est à concilio Constantiensi, sess. 15, hæc Joannis Hus propositio : « Nullus « est episcopus, dùm est in peccato mortali. » Nonnisi catholicâ in Ecclesiâ administrari potest Pœnitentiæ sacramentum ; ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos institutum est : hæc duo jungantur principia, quò evadet doctrina quæ tradit neminem lapsum, seu peccatorem, posse in Ecclesiâ consistere? In peccatoribus etiam manifestis externa possunt manere vincula quibus constituitur Ecclesiæ corpus. Possunt enim veram fidem profiteri : non quolibet repudiatur genere peccati : possunt etiam dùm legitimorum mandata pastorum transgrediuntur, eorum agnoscere auctoritatem ; schisma enim non cuicumque adjunctum est peccato ; denique quamvis, dùm affectu inhærent peccato, omnis participatione sacramenti sint indigni, eorum tamen divinam confitentur institutionem ; societati fidelium addicti sunt, in quâ ritè conficiuntur et administrantur, nec se jactant alienos ab illis opportuno tempore et accedente debitâ dispositione recipiendis ; ergo licet ab animâ Ecclesiæ extorres ad ipsius tamen corpus pertinent, quamdiù ab Ecclesiâ, pastorum ipsius auctoritate non repelluntur. Quinimò ad animam Ecclesiæ aliquâ ex parte illi pertinent, qui licet charitate destituti, fidem tamen ac spem retinent.

Objicies 1° ex fidei Symbolo et Scripturis : In Symbolo fidei sancta prædicatur Ecclesia : de ipsâ dictum fuit lib. Canticorum, cap. 4 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te :* et iterùm : *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Ad Ephes. cap. 5, v. 25 et seq. : « Christus dilexit Ecclesiam, « et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctifi- « caret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, « ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, « non habentem maculam aut rugam. »

Resp. cum Bellarmino Ecclesiam esse et verè dici sanctam, quia omnia quæ eam constituunt, verè sancta sunt : nempe si agatur de ipsius corpore, *baptisma,* quod sanctum esse nemo inficiari potest ; *professio doctrinæ* à Christo et Apostolis derivatæ ; *unio membrorum inter se et cum capite,* quoad ea quæ ad Religionem spectant : si verò agatur de animâ, *fides, spes, charitas :* hæc profectò undequàque sanctitatem ex se ipsis redolent. Ecclesia dicitur quoque sancta, tum quia Deo tota est consecrata, ejusque invisibile caput Christus Sanctus est sanctorum, et omnis sanctitatis auctor ; tum quia denominatio fit à meliori parte, et idcircò propter sanctos quibus exornatur, sancta meritò vocari potest ; neque propter peccatores in eâ degentes, peccatrix meritò nuncuparetur : neque enim tales eos facit ; non ad eos procreandos collineat ipsius constitutio ; non ad eam pertinent ratione peccati, cui ex propriis tota repugnat, sed ratione vinculorum quæ mox exposita sunt, quæ totidem sunt ad virtutem christianam incitamenta : at verò sanctos facit auxiliante gratiâ, per doctrinam suam, et sacramenta, nec tales habere alumnos alii competit societati : quocirca potest jure propter ipsos sancta nuncupari. Objecta ex Scripturis testimonia nihil vetat exponi de triumphante Ecclesiâ : interpretationem hanc sequitur S. Augustinus lib. 2 Retractationum, cap. 18 : « Ubicumque Ec- « clesiam commemoravi, inquit, non habentem « maculam neque rugam, non sic accipiendum « est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, « quando apparebit etiam gloriosa. » Si verò intelligantur de Ecclesiâ militante, ad hanc expositionem adhibeantur quæ mox allata sunt ad explicandam Ecclesiæ sanctitatem. Adde

quòd, ut post Bellarminum adnotavit Tournely, quæ in lib. Cantic. de Sponsâ dicuntur, non necessariò intelligenda esse de Ecclesiâ ; quidam enim ea intelligunt de Ecclesiâ, quidam de beatâ Virgine, quidam de quâlibet animâ perfectâ, quod ultimum Bellarmino, lib. 3 de Ecclesiâ militante, cap. 7, videtur probabilius.

Objic. ex S. Hieronymo, in cap. 5 Epist. ad Ephesios : « Ecclesia Christi gloriosa est, « non habens maculam neque rugam aut quid « istius modi ; qui ergo peccator est et aliquâ « sorde maculatus, de Ecclesiâ Christi non « potest appellari, nec Christo subjectus dici. » — Resp. : Multis locis, ut in Dialogo contra Luciferianos docet S. Hieronymus, communione sociari in Ecclesiâ malos cum bonis, affectu licet et factis disjunctos. Ne ergo secum ipse pugnare videatur, necessarium dicendum est eum id unum voluisse, ut peccatores non sint de Ecclesiâ quoad animam et quoad partem quâ gloriosa et sancta est, nempe quæ justos complectitur.

Objicies multa ex S. Augustino : lib. 6 de Baptismo, cap. 3 : « Habere autem Baptismum « et tradere et accipere malos nequaquàm in « melius commutatos, et de libris canonicis, « et de ipsius Cypriani litteris, satis, ut arbi- « tror, demonstravimus : quos non pertinere « ad sanctam Ecclesiam Dei, quamvis intùs « esse videantur, ex hoc apertissimè apparet, « quia istisunt avari, raptores, fœneratores, « invidi, malevoli et cætera hujusmodi, illa « autem columba unica, pudica et casta sponsa « sine maculâ. » Lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 22, post relata hæc verba epist. ad Galatas : « *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornica-* « *tiones, immunditiæ,* sic prosequitur : Cur ergo « vos, ut omittam cætera, non baptizatis post « ebriosos, luxuriosos, invidos, qui regnum « Dei non possidebunt, et ideò in petrâ non « sunt, et quia in petrâ non sunt, procul dubio « in Ecclesiâ non deputantur, quia *super hanc* « *petram,* inquit, *ædificabo Ecclesiam meam,* et « nos vultis ut baptizemus post hæreticos. » Alia proferri possent æquè decretoria testimonia ex libris contra litteras Petiliani, contra Cresconium Grammaticum.

Resp. : Cùm ex animâ et corpore constet Ecclesia Christi, possunt, quod ad ipsius communionem attinet, enuntiari propositiones quæ pugnare secum invicem videantur, licet apprimè inter se cohæreant : potest directè, cui de bonis et malis loquitur, vel ad Ecclesiæ corpus duntaxat, vel ad animam ejusdem attendere, quamvis corpus illud vivificante Spiritu sancto, divelli ab animâ nunquàm possit. Haud mirum igitur S. Augustinum pro diverso in quem intendit, scopo discutiendis variis quæstionibus, modò negare intra Ecclesiam versari peccatores, modò affirmare, in frumento steriles avenas, malos cum bonis piscibus. Administrari validè ab hæreticis baptismum, obstinato negabant animo Donatistæ : câ impellebantur rationis specie, quòd ab Ecclesiæ communione alieni essent hæretici, nec Spiritum sanctum, quo ipsi carebant, possent baptizando conferre : argumento, ut aiunt, ad hominem, urgebat eos sanctus Augustinus : Collatum ab hæreticis baptisma, vos repudiatis tanquàm nullum et irritum, quia ex Ecclesiâ non sunt, neque Spiritu sancto animati ; at neque avari, fornicatores et peccatores alii Spiritu sancto et charitate donantur quos tamen validè administrare sacramenta ultrò confitemini : aut utrumque respuite, aut utrumque admittite, nisi volueritis apertâ contradictione implicari. Talis cùm esset controversiarum status, negabat S. Augustinus ad animam Ecclesiæ quâ in solâ inhabitat Spiritus sanctus, ac proinde, ad corpus Ecclesiæ ut Spiritu sancto vivificatum pertinere peccatores : quod quidem verissimum est, et proposito tunc S. Augustini instituto accommodatum. At longè abfuit à S. Augustini mente, ut inficiaretur in Ecclesiæ corpore malos esse tanquàm membra, quæ licet mortua, corporis tamen sunt, quamdiù non rescinduntur, sicut rami tabescentes et mortui, arboris sunt quamdiù non amputati. Quòd ita sentiat S. doctor, liquet ex adductis inter probationes argumentis, quæ quidem aliis multis possent confirmari : sic lib. 7 de Baptismo, cap. 51, discrimen istud hæreticos inter et peccatores catholicam profitentes fidem instituit : « Sepa- « ratiores enim sunt (hæretici), jam etiam « corporaliter segregati, quàm illi qui interiùs « carnaliter et animaliter vivunt, et spiritali- « ter separati sunt. » Ergo ex mente S. Augustini, vitâ quidem et moribus, sed non corpore alienantur ab Ecclesiâ peccatores. Citato in capite duo hæc distinguenda censet S. Augustinus, esse domum, esse in domo Dei, quæ est Ecclesia : « Alios autem ait ita dici « esse in domo, ut non pertineant ad compagem « domûs, nec ad societatem fructiferæ pacifi- « cæque justitiæ, sed sicut esse palea dicitur « in frumentis ; nam et istos esse in domo, « negare non possumus, dicente Apostolo : « *In*

« *magnâ autem domo non solùm aurea vasa sunt* « *vel argentea, sed et lignea et fictilia, et alia* « *quidem sunt in honorem, alia in contume-* « *liam.* » Ergo in domo, Ecclesiâ scilicet, fatetur esse peccatores, licet ad compaginem illius, hoc est, ad societatem justorum non magis pertineant quàm ad frumenta paleæ. Tractatu 61 in Joannem, malos esse docet, in Ecclesiâ et non esse, sed diversâ prorsùs ratione. « Utrumque, inquit, verum est, et ex nobis et « non ex nobis : secundùm aliud ex nobis, se- « cundùm aliud non ex nobis : secundùm « communionem sacramentorum, ex nobis : « secundùm suorum proprietatem criminum, « non ex nobis. » Ab Ecclesiâ, quæ ex propriâ suâ constitutione tota sancta est, dissident agendi suâ ratione peccatores ; cum eâ verò consentiunt externâ fidei professione ; quinimò ipsi internis etiam quibusdam vinculis uniri possunt, nempe habitibus fidei et spei, atque jurisdictione spirituali, donec ab eâ abscindantur. Denique dùm tradit S. Augustinus ex justis coalescere Ecclesiam, non eos inducit ut seorsim quemque degentem, sed ut inter se colligatos *communione sacramentorum*, professione publicâ fidei quæ vincula ipsis etiam posse malis competere, nusquam diffitetur.

Inst. 1° : Comparat S. Augustinus malos cum perversis humani corporis humoribus, qui certè in membris haud numerantur. « Aut « in membris sumus, inquit, tract. 8 in Joan. « Epistolas ; aut in humoribus malis qui se « in melius commutat, in corpore membrum « est ; qui in malitiâ permanet, humor malus « est. » — Resp.: Hoc unum significatum velle S. Augustinum, non referri malos inter Ecclesiæ membra viva et sana, sed haberi tanquàm membra mortua et putrida. Considerari possunt peccatores 1° quatenùs labe peccati inficiuntur et sordescunt ; non eâ profectò de causâ pertinent ad Ecclesiam ; non reposita est nequitia peccati inter vincula quibus efficiantur Ecclesiæ membra : propter hunc reatum, propter susceptam lethalis peccati maculam, conferuntur vitiatis cum humoribus. 2° Considerari possunt quatenùs eamdem cum justis profitentur exteriùs fidem, eorumdem sunt participes sacramentorum, (sensu inter rationes theologicas exposito) eisdemque subjacent pastoribus. Hæc enim dùm præstant, generi- cam membrorum Ecclesiæ rationem obtinent ; externâ communione ipsis conjunguntur justis, quin etiam et aliquatenùs internâ, si corde credant quæ ore confiteantur, charitate licet nondùm prædìti.

Inst. 2° : Eodem loco habet S. Augustinus et malos et hæreticos : utrosque judicat vagari extra Ecclesiam (lib. 2 contra Litteras Petiliani, cap. 108) ; injecto enim sermone de immundis, luxuriosis, invidis, sic pergit : « Omnes isti inter « quos et hæretici positi sunt, sicut dicit Apo- « stolus, *regnum Dei non possidebunt*, et ideò « ad sinistram partem cum diabolo pertine- « bunt ; nec ideò putandi sunt in Christi cor- « pore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum « ejus corporaliter participes fiunt. » Observanda sunt hæc etiam ultima verba ex quibus colligitur ne quidem ad corpus Ecclesiæ pertinere malos, quamvis sacramentorum Christi participes. — Resp. his testimoniis declarari ad Christi corpus, ad Ecclesiam Christi non magis pertinere malos quàm hæreticos, in eo quod spiritualem ad vitam, æternamque salutem attinet : eò enim loci S. Augustinus nomine corporis Christi, intelligit corpus et vitâ et immortalitate donatum : « Non enim, inquit, « lib. 3 de Doctrinâ christianâ, cap. 32, *re-* « *verà Domini corpus est, quod cum illo non erit in* « *æternum.* » Ad illud docet S. Augustinus neque hæreticos, neque malos pertinere, *quia regnum Dei non possidebunt*, nisi resipuerint. Dùm igitur ibi asserit Ecclesiam esse corpus Christi, considerat in Ecclesiâ id quod præstantius est, nempe justos ac prædestinatos, nec ideò ab ejus communione excludit malos et reprobos, ut patet ex adductis supra testimoniis.

Inst. 2° : Corpus ipsum Ecclesiæ, corpus est Christi : accepimus ex S. Augustino malos non esse *in Christi corpore* : ergo nec sunt in corpore Ecclesiæ. — Resp. : Apostoli insistendo vestigiis, S. Augustinus simpliciter asserit Ecclesiam esse corpus Christi, quia reipsà id habet quo Christi *morale* corpus constituitur ; quod autem attinet ad Ecclesiæ corpus, potest quoque censeri corpus Christi quatenùs justos ac prædestinatos complectitur ; quatenùs autem malos, haud propriè vocandum est in mente S. Augustini corpus Christi, eò quòd istud consideret ut integrum et vivens, cui mors nunquàm dominabitur.

Inst. 3° : Non semel docet nec ad corpus Ecclesiæ eos pertinere qui Evangelii mandatis refragantur. Sic lib. 4 de Baptismo, cap. 3 : « Nec illi, inquit, Ecclesiæ devoti sunt qui vi- « dentur esse intùs et contra Christum vivunt, « id est, contra Christi mandata faciunt, nec « omninò ad illam Ecclesiam pertinere judi-

« candi sunt, quam sic ipse mundat lavacro « aquæ in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam « Ecclesiam. » Et in fine ejusdem capitis, de malis et hæreticis, *quorum est aperta separatio,* ita loquitur : « In membris illius columbæ « (Ecclesiæ) nec illi sunt hodiè, sed aliqui « eorum fortassè futuri sunt. » — Resp. : De consideratâ quoad animam Ecclesiâ mentionem facit S. Augustinus, et sub eâ ratione, ut hæretici, sic et mali ad Ecclesiam non pertinent : in eo statu ipsam cogitat Ecclesiam, in quo ne minimâ quidem afficiatur maculâ.

Inst. 4° : In citato mox testimonio dicuntur ad Ecclesiam non pertinere malos, etsi *intùs esse* videantur : non autem videntur esse intùs, nisi dùm sic attenditur ad ipsum Ecclesiæ corpus, ut ad animam non se conferat mentis attentio : anima enim cùm internis constet dotibus, videri non potest, neque dijudicari. Certò dignoscere non possumus quinam ad Ecclesiæ animam pertineant. — Resp. : *Charitas non cogitat malum;* dictum est : *Nolite judicare, et non judicabimini :* quorum ergo malitia nobis certò non innotuerit, æquum est credatur illos Ecclesiæ intùs inhærere, ad ipsius animam pertinere : cui tamen non adunantur, si peccato sint inquinati; itaque intùs esse et non esse sub diversâ ratione reputantur : « Ecclesia, inquit S. Augustinus, lib. 4 « de Baptismo, cap. 1, incorrupta et casta et « pudica est, et ideò non ad eam pertinent « avari, raptores, fœneratores, quos non tan- « tùm foris, sed etiam intùs esse, multis litte- « rarum suarum locis Cyprianus ipse testatur : « et tamen non mutato corde baptizantur et « baptizant. » Sic respondetur testimoniis in quibus dicuntur mali baptizare extra Ecclesiam.

Inst. 1° : Docuerat S. Cyprianus valere baptismum collatum à malis veram fidem profitentibus, quia *intùs sunt,* irritum autem esse baptismum ab hæreticis administratum, quia sunt extra Ecclesiam. Ad hanc refellendam sententiam aggreditur S. Augustinus his verbis, lib. 5 contra Donatistas, cap. 27 : « Dicat « mihi aliquis, *quomodò irrepserint in hortum « conclusum et fontem signatum,* quos seculo « verbis solis et non factis renuntiâsse Cypria- « nus, et tamen intùs fuisse testatur. » Non is erat S. Cyprianus qui ad animam Ecclesiæ sectatores seculi pertinere arbitraretur : hæc igitur verba, *intùs esse,* referebat ad corpus Ecclesiæ : hæc tamen à S. Augustino refelluntur; improbatur sententia Cypriani : ergo. — Resp. : *Intùs esse,* seu in Ecclesiâ versari malos negavit S. Augustinus eo sensu quo possit genuinum ac sufficiens assignari discrimen, quoad valorem baptismi, malos inter et hæreticos; utrique enim orbantur Spiritu sancto, quo destitutos baptismum nullos conferre posse, contendebat S. Cyprianus. Hanc esse S. Augustini mentem objecto in ipsius testimonio, indicant quæ proximè prolocutus fuerat; nam commemoratis Cantici canticorum istis verbis: *Hortus conclusus,* etc., dixerat : « Hoc intelligere non audeo nisi in sanctis et « justis, non in avaris, et fraudatoribus, et « fœneratoribus, et ebriosis, et invidis, quos « tamen cum justis baptismum habuisse com- « munem, cum quibus communem non habe- « bant utique charitatem, ex ipsius Cypriani « litteris, sicut sæpè commemoravi, uberiùs « discimus et docemus. »

Inst. denique : De domo « quæ dicitur ædi- « ficari super petram, quæ unica columba « appellatur; quæ etiam claves accepit et « potestatem solvendi et ligandi, » ita pronuntiat : « Hæc quippè in bonis fidelibus est, et « sanctis Dei servis ubique dispersis et spiritali « unitate devinctis in eâdem communione « sacramentorum, sive se facie noverint, sive « non noverint. » Ergo et ex solis justis constare Ecclesiam, et solis illis suppeditatam fuisse clavium potestatem existimavit S. Augustinus. — Resp. : Dùm solis justis videtur S. Augustinus adscribere communionem Ecclesiæ, loquitur de Ecclesiâ quoad animam consideratâ, ut iterùm atque iterùm ostendimus, neque unquàm negavit posse ab iniquis ministris validè exerceri potestatem clavium, sed hanc universæ Ecclesiæ propter sanctos concessam esse, licet peccatoribus in Ecclesiâ saluberrimè profuturam, et à malis sacerdotibus, illicitè quidem, sed validè tamen, non infrequenter adhibendam.

Objiciuntur quædam aliis ex SS. Patribus, iisdem enucleanda responsis quæ ad exponenda S. Augustini testimonia deprompsimus. V. g., S. Cyprianus de lapsis in persecutione sic disserit : « Si apud illos et in illis est « Ecclesia, quid superest quàm ut ipsi rogentur « à nobis, ut nos ad Ecclesiam dignentur admit- « tere? » S. Hieronymus in Epist. ad Ephes. : « Si in omnibus immaculata est Ecclesia, ma- « culati ab eâ alieni esse censentur, nisi rursùs « per pœnitentiam fuerint expurgati. »

Resp. : Facilè solvitur ductum ex S. Hieronymo argumentum, allato discrimine corporis Ecclesiæ ab ejusdem animâ : præter commu-

nem hanc responsionem, dici potest ad testimonium S. Cypriani, id sibi illum constituisse, ut lapsorum quorumdam temeritatem et audaciam retunderet, atque ostenderet, à jure recipiendorum sacramentorum excidisse; auctoritati pastorum sincerum deberi obsequium, supplicibusque votis atque humilitatis comite pœnitentiâ accersendam esse, quam expetere viderentur, reconciliationem.

Objicies 4° ex rationibus theologicis : Cogitatu repugnat Christum habere membra damnata : id aversabatur tanquàm à pietate alienum S. Augustinus, et inde colligebat ad corpus Christi, quod est Ecclesia, non pertinere malos. « In corpore Christi, inquit, non sunt, « quod est Ecclesia, quoniam non potest « Christus habere membra damnata. »—Resp. : Sermo non instituitur de naturali Christi corpore, cujus vel sola imago animum deterret ab adscribendis illi membris damnatis; sed nihil obstat quominùs corpori ejusdem morali, quod est Ecclesia, attribuantur membra quæ ibi dicuntur damnata, quia Spiritu sancto non vivificantur : de sententiâ S. Augustini jam satis disseruimus. Ut quis saltem ad Ecclesiæ corpus pertineat, necesse est, ut Ecclesiæ fidem exteriùs profiteatur, eumque non respuat Ecclesia : peccatores autem manifesti et pœnitentiam refugientes factis negant, quod ore confitentur : moralem Ecclesiæ doctrinam, imòet pleraque mysteria suâ lacessunt vivendi ratione, eosque tamdiù dùm sese meliorem ad frugem recipere noluerint, detestatur Ecclesia. — Resp. : Fieri potest et plerùmque contingit ut peccatores fidem exteriùs profiteantur, cujus ad placita mores suos exigere et componere admoniti etiam renuant, et hoc sensu factis negent quod ore confiteantur ; fidem ejurare et abjicere, atque ideò à communione Ecclesiæ resilire censerentur, si peccata sua à conscientiæ dictamine non abhorrere, neque posse meritò redargui contenderent; tunc evangelicam doctrinam, quæ certè deposito fidei catholicæ continetur, exteriùs abnegarent, atque apertos inter hæreticos numerarentur, quos extra Ecclesiam esse jam demonstrandum est. Cùm ostenderimus non ex solis justis constare Ecclesiam, eâque manifestos ipsos contineri peccatores, frustrà conterere vellemus tempus, ut probaretur non ex solis eam conflari perfectis, ut somniabant Pelagiani.

CAPUT IV.

DE HÆRETICIS.

Neque notorios, neque occultos hæreticos ad animam Ecclesiæ pertinere latè demonstratum est in vindicandâ Ecclesiæ unitate : evertendo enim Juriæi systemate, plurimis argumentis ostensum est versari extra viam salutis eos omnes qui definitum aliquod ab Ecclesiâ, sufficienterque propositum dogma repellant, etiamsi non illis numeretur articulis qui *fundamentales habeantur*. Utrùm verò propter retentum baptismi, confirmationis (et si de clericis agitur) ordinis characterem, recenseri debeant inter Ecclesiæ membra, donec ipsius auctoritate et ministerio abscindantur, ut docuit Alphonsus de Castro? ea quæstio gravioris est momenti quàm nonnullis visa est theologis : conjuncta est enim cum hâc alterâ, utrùm quam habuerint, ecclesiasticâ jurisdictione destituantur, antequàm ab Ecclesiæ communione excludantur, atque denuntientur ut excommunicati. Affirmantem sententiam tenuerunt multi, quam tuetur Bellarminus lib. 2 de summo Pontifice, cap. 30. Deinde haud levis esse momenti prædictam quæstionem patebit ex jam afferendis rationis, præsertimque traditionis generalibus momentis.

PROPOSITIO PRIMA. — *Ad Ecclesiam non pertinent hæretici notorii, idemque statuendum de notoriis schismaticis, et propter diversam etiam ab hæresi et schismate causam excommunicatis.*

Probatur prima pars, quæ spectat ad hæreticos : eos esse, quamcumque hæresim profiteantur, ab animâ Ecclesiæ alienos, jam observatum est; vel uno in dogmate violari nequit fides, quin perimatur tota, propter contemptam, quâ individuè innititur, divinam veracitatem, violatamque definientis, revelatâque in omni doctrinâ infallibilis Ecclesiæ auctoritatem : fides autem est fundamentum salutis et radix. Neque Ecclesiæ corpori inhærent hæretici, cùm tribus non devincti sint vinculis, quibus ejus inter se membra colligantur; carent enim ipsâ exteriori fidei professione, quâ sublatâ, quo pacto possint ad Ecclesiam pertinere, quæ cœtus est hominum fidem eamdem profitentium? Non ut dicantur et sint Ecclesiæ membra, satis est ab illis retineri characterem et baptismi et confirmationis, atque etiam ordinis : talis enim character cùm deleri nequeat, ad Ecclesiam pertinerent qui illo impressi, ad Judaismi, aut etiam Mahumetismi partes desciverint. Quod dictu est absurdum. Imò neque ullâ excommunicationis sententiâ

possent, aut propriæ voluntatis protervo quantùmlibet molimine ab Ecclesiâ divelli, cùm nullo unquàm conatu eradi possit character inustus sacramentali efficaciâ.

In assertionis nostræ argumentum advocari meritò solent duo inprimis Scripturæ sacræ testimonia : alterum ex Epist. ad Titum, cap. 3, v. 10: *Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Devitare non debet pastor homines adhuc gregi suo adunatos, sed potiùs adire, et omni quo potest studio curare, sanioremque ad mentem impellere : cùm igitur hæreticos semel et iterùm, sed frustra correptos, devitare jubeatur Titus qui pastorale gerebat munus, illos à commisso sibi grege distractos habere debuit; manifestos ad hæreticos ea spectat admonitio Apostoli, cùm ab Ecclesiæ corpore, ut mox ostendemus, non divellantur occulti hæretici. Alterum testimonium depromitur ex Epist. 1 Joannis, cap. 2, v. 19: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo ab Ecclesiâ detrudit manifesta hæresis, hæc enim ibi designatur.

Ad illa Scripturæ testimonia accedunt indubitata traditionis monumenta ex SS. PP. eâ in quæstione planè consentientibus : commemorare sufficiat S. Augustinum, quo nullus in asserendâ Ecclesiæ unitate oculatus magis ac studiosus. Sic lib. de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 6 : « Nihil prodest hæreticis ad « salutem, quòd extra Ecclesiam verum baptis- « mum per ignorantiam et tradunt et tenent. »

S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos circa finem : « Sicubi audieris eos qui « dicuntur Christi, non à Domino Jesu Chri- « sto, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta « Marcionitas, Valentinianos, Montenses seu « Compenses, scito non Ecclesiam Christi, sed « Antichristi esse synagogam. » Vid. S. Irenæum, lib. 3 de Hæres., Tertull. de Præscript., S. Cyprianum Epist. ad Jubaianum. Quæcumque ubi de Unitate Ecclesiæ, congerenda ex traditione curavimus ad asserendam hanc proprietatem, iisdem argumentis evincitur, Ecclesiæ communione apertos privari hæreticos; atque ita intellectum esse vulgatum in omnes orbis christiani partes, symbolum Nicænum et Constantinopolitanum, quo profitemur catholicæ unitatem Ecclesiæ.

Solvuntur objecta.

Pertractandâ Ecclesiæ unitate multa diluimus quæ presentem ad controversiam revocari possent; consulantur, ne jam latiùs explanata iterare cogamur; haud diuturnam quæ supersunt, injicient moram.

Objicies 1° : Matth. c. 13 : Bonum semen dicitur homo suo seminâsse in agro : *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici ;* agro significatur Ecclesia ; zizaniis hæretici ; bono semine Catholici : permiscentur ergo in Ecclesiâ cum hæreticis. — Resp. : Mundum universum, non Ecclesiam significat ager ille, exponente Christo : *ager autem,* inquit, *mundus est.* Ita intellexit S. Augustinus quæst. 2 super Matthæum, quamvis lib. 2 contra Cresconium, cap. 34, memoratam parabolam Ecclesiæ accommodet. Per zizania autem designantur peccatores, illi inprimis qui scandalum pariunt, sive sint hæretici, sive aliunde vitiosi. *Zizania autem,* ait Christus, *filii sunt nequam.* Scopus enim parabolæ est ostendere, futurum ut ad diem usque judicii bonos inter pullulent mali, tanquàm prava semina quæ suo tempore avellentur æternis tradenda ignibus : conclusioni nostræ minimè officit ista quæ obvia est interpretatio.

Objicies 2° sententiam hanc Apostoli : *In magnâ domo non solùm sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia.* At ligneis et fictilibus illis vasis designantur hæretici, de quibus S. Augustinus dixit : *Credo quòd nondùm foras exierant.* Lib. 3 de Baptismo, contra Donatistas, cap. 19. Illâ autem domo significari putat Ecclesiam Christi.

Resp. : Magnâ illâ domo non Ecclesiam, sed mundum ipsum, sicut agro in parabolâ zizaniorum significari, existimant Patres Græci, S. Chrysost. et Theophilactus : vasis autem ligneis et fictilibus indicari non hæreticos, sed infirmos ac pronos ad lapsum fideles, ex quibus nonnullos dixerat Apostolus in errorem ab Hymenæo et Phileto devocatos : *Subverterunt,* inquit, *quorumdam fidem.* At etiamsi cum SS. Cypriano, Ambrosio, Augustino, intelligatur supradictâ domo Ecclesiam adumbrari ; etiamsi vasis ligneis atque fictilibus designari hæreticos fateamur cum SS. Ambros. et August., non inde sequitur inter Ecclesiæ membra propriè cooptari hæreticos : quo igitur sensu domo Dei dicantur contineri ? quâ ratione dixerit S. Augustinus : *Credo quòd nondùm foras exierant ?* Quia nondùm Ecclesiæ communionem penitùs refugerant, seu ad alienam et plane separatam nondùm diverterant, abjectis tamen ipsâ

externâ fidei professione, ac debito legitimorum auctoritati pastorum obsequio; id totum colligitur ex proximè sequentibus S. Augustini verbis : « Credo quòd nondùm foras exierant, « aut si jam exierant, quomodò eos dicit in eâ- « dem magnâ domo cum vasis honorabilibus, « nisi fortè propter ipsa sacramenta, quæ sepa- « ratis etiam hæreticorum conventiculis non « mutata sunt? » Quæ ex operibus S. Augustini eruere nititur Juriæus, tam levia sunt argumenta, et S. doctoris institutionibus ita repugnantia, ut pigeat in eis refellendis tempus impendere : v. g., ex eo quòd postulantibus Donatistis, utrùm *baptismus in parte Donati generet filios*, responderit S. August., quasi verò *ex hoc generet unde separata est, et non ex hoc unde conjuncta est,* (scilicet baptismo) conficere molitur Juriæus non esse ab Ecclesiâ divulsos errantes, qui retineant eos quos fundamentales nuncupat articulos. Quàm fuerit allucinatus, potuisset ex mox subjectis verbis istis colligere : « Itaque, ait S. Augustinus, una est « Ecclesia, quæ sola catholica nominatur, et « quidquid suum habet in communionibus di- « versorum à suâ unitate separatis, per hoc « quod suum in eis habet, ipsa utique generat. » Adnotare sufficiat illas voces, *in communionibus diversorum à suâ unitate separatis.*

Objicies 3° : De hæreticis judicare potest Ecclesia, eisque debitas irrogare pœnas; ergo intùs sunt : *Nam quid mihi est,* inquit Apostolus, *de iis qui foris sunt judicare?* 1 Cor. 5. Præterea baptismi et sacerdotii retinent impressum characterem. — Resp. : Apostoli verba, *quid mihi est?* de iis infidelibus exponenda esse qui baptismate non fuerunt initiati, nec proinde ipsius Ecclesiæ subditi jurisdictioni : at cùm nequeat abdicari baptismus, quo Ecclesiæ subjiciuntur, susceptum semel illud jugum nunquàm possunt excutere : potest igitur de illis judicare, quæ sint sui juris pœnas in eos decernere, sicut potest imperator desertorem militiæ relicta ut ad castra redeat adigere, et nolentem disciplinæ militari adhibitâ severitate perstringere. Neque contumaces illi possunt eximi ab impositâ divinitùs lege ad Ecclesiæ communionem contendendi pro viribus, cùm extra illam reipsà aut voto non comparatam, nulla sit speranda salus. Quod verò ad indelebilem per quædam sacramenta inustum characterem attineat, ille non sufficit ad constituenda Ecclesiæ membra : id enim si præstaret, ad Ecclesiam pertinerent ipsi apud inferos reprobi : neque enim illo charactere exuuntur quo quidem acuuntur in ipsis conscientiæ stimuli, nefarios obtrudentis perpetuò abusus violatæ dignitatis et officii.

Propositio II. — *Jurisdictione non destituuntur notorii omnes hæretici* (1).

Probatur : Jurisdictione si destituerentur omnes hæretici, illud efficeretur aut jure naturali, aut jure divino *positivo*, vel saltem jure ecclesiastico, etc.

1° Non jure naturali : haud quidem spernendum hìc occurrit statim argumentum, quâ ratione nimirùm ecclesiasticam potestatem exercere valeat, qui vel Ecclesiæ auctoritate ab ipsius communione depulsus fuerit, aut eam ultrò et obstinatè deseruit? quomodò caput, qui membrum esse desierit? Quamvis nec ad ipsum Ecclesiæ corpus pertineant notorii hæretici, attamen non idcircò necessariâ consecutione, seu intrinsecâ necessitate atque ex naturâ rei orbantur omni jurisdictione : namque ut in regno temporali fieri potest quibusdam ut extraneis munus aliquod permittatur in gratiam et utilitatem civium, ita potest Ecclesia, si factu opportunum judicaverit, aliquam jurisdictionis partem apertis etiam quibus voluerit hæreticis permittere : digni quidem sunt hæretici quibus ecclesiastica omnis adimatur potestas; at naturali ipso jure non omnes incurruntur pœnæ quæ infligi possint, tametsi agatur de pœnis quæ *privativæ* nuncupantur; sicut nec militibus qui militaria signa deseruerunt, jus ipsum naturale omnes irrogat positas in privatione pœnas, quas potest illis publicum infligere ministerium. Adde quòd peccata remittendi potestas, de quâ potissimum hìc agitur, innixa est radicitùs sacramentali ordinatione

(1) Hæc sententia quamvis tenenda nobis videatur, à gravibus tamen multis impugnatur theologis, quos inter Isambertus docet schismaticos quidem suam donec denuntiati fuerint jurisdictionem retinere; at notoriis de hæreticis aliter opinatur : « Hoc ipso, inquit, quòd « publicè profitentur hæresim, amittunt om- « nem jurisdictionem ecclesiasticam. » Tract. de Sacramentis in genere.

De iisdem sic disserit Duvallius : « Ex jure « quisquis pulsus est ex senatu, judicare non « potest; atqui prælati et clerici manifestè « hæretici, pelluntur suâ hæresi ipso facto, « (ac proinde ante denuntiationem) è senatu « et communione Ecclesiæ; ergo jurisdictio- « nem suam amittunt. » Tract. de Fide, quæst. 7.

Idem docuerat, et auctoritate ac ratione mox expendendis ea constare judicaverat Bellarminus, lib. 2 de Romano Pontifice, cap. 30.

cujus character non amittitur : inchoata quidem est duntaxat, et incompleta quæ ex sacramento dimanat absolvendi facultas : desiderantur in quos exeratur, subditi quos assignare velit Ecclesia : potest autem quos assignaverit, non iis omnibus eripere, qui apertam in hæresim inciderint : tunc autem *validè* absolvent, sed extra casum extremæ confitentum necessitatis, seu mortis periculum, *illicitè ;* quo etiam casu, *licitè*, si ex animo et efficaciter eos pœnituerit. Membra quidem sunt abscissa hæretici notorii : verùm ad obeundas validè functiones Ecclesiæ requisita ordinis potestas vel jurisdictionis, esse potest absque charitate, absque fide, imò et sine sinceræ professione fidei, modò talis sit ille defectus ut materiam aut formam sacramenti, generalemve faciendi quod facit Ecclesia, intentionem non impediat. Haud igitur urgenda nimiùm comparatio quæ humano à corpore ducitur, cujus membra nulla, nisi animata fuerint, ullam possunt vitalem exercere functionem.

2° Nec jure divino *positivo* ab omni jurisdictionis potestate excidunt notorii omnes hæretici ; hæc assertio astruitur refellendis eorum argumentis, qui volunt illos jure divino excommunicatos haberi : præcipua quæ ex Scripturis adducere soleant, testimonia hæc sunt : Apud Matth. cap. 18, de fratre juridicè accusato et ad prælatos ecclesiasticos delato, dicitur : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Epist. ad Titum, cap. 3 : *Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita.* Epist. 2 Joan. Evang. v. 10 : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis.* In testimonio Evang. S. Matth. mentio nulla facta est de hæretico, sed de fratre qui in fratrem peccaverit : ostenditur qualem ipsius contumacia indignationem concitare debeat, si prælati ecclesiastici judicio parere noluerit ; at juris divini non est quæcumque profertur à judice ecclesiastico sententia, nec divino jure excommunicati censentur, quoscumque anathematis fulmine percusserit. Ferendi censuras potestatem contulit Ecclesiæ suæ Christus, at nullas ipse propriè dictas instituit. Testimoniis autem S. Pauli et S. Joannis demonstratur quo studio, quâ vigilantiâ debeant fideles, quantùm possunt, ab hæreticorum consortio declinare, *quorum sermo serpit ut cancer,* omniaque ferè consilia in perniciem animarum intenta sunt, at malorum etiam hæresim non profitentium societatem ut fugiant, admonentur graviter fideles : *Nunc autem scripsi vobis*, inquit Apostolus, 1 ad Corinth. cap. 5, v. 11, *non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Non ad solos spectat hæreticos admonitio Salomonis : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Prov. cap. 1, v. 10. Carere omni jurisdictione eos omnes qui versantur extra Ecclesiam, indubitatum quidem fuisse videtur apud SS. Patres : « Dicimus, inquit S. Cyprianus lib. 2, « epist. 6, omnes omninò hæreticos atque et « schismaticos nihil habere potestatis ac juris. »

Idem docuerunt SS. Optatus lib. 1 contra Parmenianum ; Ambrosius lib. 1 de Pœnitentiâ ; Hieronymus Dialogo contra Luciferianos ; Augustinus in Enchiridio, cap. 65. At inde colligi non potest jure divino, et non ecclesiastico tantùm, expertes esse omnis jurisdictionis publicos hæreticos. Non placet eorum responsio qui dicunt posse de jurisdictione hæreticorum testimonia SS. Patrum haud secùs exponi ac de ordinatione simoniacorum, prohibitum scilicet usum, nec tamen declaratum esse irritum. Hoc intercedit discrimen inter jurisdictionem et annexam ordini sacerdotali vel episcopali potestatem, quòd illa possit auferri auctoritate Ecclesiæ, hanc autem utpotè characteri alligatam, divellere nequeat Ecclesia.

3° Dicimus mutari potuisse, ac reipsà mutatam fuisse seculo decimo quinto ecclesiasticam de jurisdictione hæreticorum disciplinam ; sive celeberrimum decretum quod incipit his verbis : *Ad evitanda scandala*, quo mutatio illa invecta est, concilio Constantiensi, cujus tamen in actis non legitur, attribuendum sit, sive Martino V, sive aliam duxerit originem ; decretum illud operæ pretium est exscribere, quantùm ratio nostri postulat instituti.

« Ad evitanda scandala, et multa pericula « quæ conscientiis timoratis contingere pos- « sunt, Christi fidelibus misericorditer indul- « gemus, quòd nemo deinceps à communione « alicujus, sacramentorum administratione vel « receptione, aut aliis quibuscumque divinis, « intùs et extra, prætextu cujuscumque sen- « tentiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, à jure vel « ab homine generaliter, promulgatæ teneatur « abstinere, vel aliquem vitare, aut, interdi- « ctum ecclesiasticum observare, nisi sententia

« aut censura hujusmodi fuerit lata contra « personam, collegium, universitatem, ecclesiam, communitatem, vel locum certum, aut « certam, à judice publicata vel denuntiata « specialiter et expressè; constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus, « non obstantibus quibuscumque. » Eâ in constitutione licet non fiat explicita mentio de hæreticis, ad eos nihilominùs pertinet quod de excommunicatis ibidem statuitur; namque declaratur neminem *deinceps prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, à jure vel ab homine teneri* ab alicujus communione abstinere in administratione vel receptione sacramentorum, nisi lata in illum sententia fuerit *à judice publicata et denuntiata specialiter et expressè*. Nemini igitur nec proinde hæreticis sententiâ ullâ, aut censurâ ecclesiasticâ nisi speciatim publicatâ et denuntiatâ, adimitur potestas administrandis validè sacramentis necessaria; iis tamen conferendis, quamdiù errorem non repudiaverint, procul dubio peccant tum et ipsi, tum et fideles qui absque legitimâ causâ eorum in recipiendis utuntur ministerio.

Objicies 1° : Vim legis in Ecclesiâ obtinere non potest constitutio *ad evitanda scandala*. Non reperitur in ullâ parte juris canonici, neque ullâ in collectione Bullarum summorum pontificum, neque in actis conciliorum : legitur quidem in vigesimâ sessione synodi Basileensis; at si antea viguerat, insigniter tunc immutata est, et præcipuâ sui parte abrogata : nam postquàm ibi declaratum est, nullâ sub censurâ ecclesiasticâ, nisi publicata vel denuntiata specialiter et expressè fuerit, communicationem in divinis prohiberi, continuò additur : « Nisi aliquem ita notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nullâ possit tergiversatione celari, « aut aliquo juris suffragio excusari; » cum eâ exceptione quæ maximi est momenti, Pragmaticam in Sanctionem annis septem post concilium Basileense, hoc est, anno 1438, inducta est memorata constitutio : deinde iisdem fermè verbis, in synodo Lateranensi quintâ, sessione undecimâ, anno 1516 renovata est, atque in Concordato Leonem inter summum pontificem, et regem Galliæ Franciscum primum collocata. Ergo fatendum est omni jurisdictione, etiam ante expressam denuntiationem, eos omnes esse destitutos, quos in hæresim incurrisse nullâ tergiversatione celari possit.

Resp. : Quidquid sit de origine decreti *ad evitanda scandala*, quod à plurimis S. Antoninum secutis concilio Constantiensi attribuitur, ambigi non potest quin reipsà editum fuerit et invaluerit : quæ autem in illud invecta est mutatio, tum Basileensi, tum Lateranensi quintâ synodo, eam non fuisse usu receptam, aut in desuetudinem abiisse demonstrat doctus Eveillon, egregio opere cui titulus : Traité des Excommunications et Monitoires; ibi, cap. 3, artic. 1, testatur constitutionem *ad evitanda scandala*, fuisse communi statim consensu receptam et observatam; labentibus quoque temporibus quoque confirmatam, et à doctoribus traditam in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Hispaniâ, in Belgis, non obstantibus concilii Basileensis Lateranensisque decretis, atque subsequentibus Concordatis, quibus asserit contrariâ consuetudine esse derogatum. Ad id comprobandum contexuit seriem magni nominis auctorum. Ex quibus nonnulla duntaxat excerpimus testimonia. Dominicus Soto, in 4 Sententiarum distinct. primâ, q. 6, rejectâ exceptione quæ ad omnes spectat notorios excommunicatos, subjicit : « Usus Ecclesiæ tam amplam exceptionem non « recipit, nisi illam concilii Constantiensis. » (Hæc etiam quæ notorium ad percussorem clerici pertinet, in Galliâ usu exolevit.) Suares de Censuris disput. 9, sect. 2, de modo quo per attributum synodo Constantiensi decretum prohibetur communicatio cum excommunicatis : « Usu, inquit, totius Ecclesiæ, ea forma « jam est approbata et recepta. » Eâdem de constitutione ita loquitur Estius in 4 Sentent. dist. 18, § 16: « Usque in hodiernum diem in « Ecclesiâ viget, non obstante quâdam extensione factâ in concilio Basileensi. » Alios consule apud Eveillon, loco citato, cui accuratè suffragatur auctor collationum Andegavensium, tom. 2 de Censuris edit. 1739, pag. 86 et seq. In his autem quæ juris sunt ecclesiastici, plurimùm tribuendum est receptæ communiter consuetudini quæ ut legem constituere, ita constitutam legem potest restringere, aut etiam abolere.

Inst. : In constitutione *ad evitanda scandala*, nihil statuitur de hæreticis; tota versatur circa excommunicatos : etverò, si comparatam jurisdictionem retinerent hæretici, donec ea quâ constringuntur sententia vel censura speciatim et expressè denuntiaretur, validè posset, quod catholicæ refugiunt aures, à peccatis absolvere pastor, qui abjectâ Romanâ commu-

nione, ad castra ipsorum Socinianorum advolâsset.

Resp. : Jam præoccupata et soluta fuit à nobis hæc objectio : generatim et indistinctè de excommunicatis agitur in commemoratâ constitutione; ergo et ad hæreticos pertinent quæ ibi sanciuntur : *Ubi* enim *lex non distinguit, nec nos distinguere debemus :* unam apponit exceptionem quæ spectat ad notorium clerici percussorem, generalemque confirmat regulam. Quare pariter notorios non excepisset hæreticos, cùm longè frequentior occurrat notoria etiam hæresis, quàm clerici aperta percussio? Nonne de iis tacendo compulisset in errorem fideles, qui sibi, ut contigit, facilè persuaderent, communicationem cum hæreticis non vetari ante specialem et expressam eorum denuntiationem? Quod autem objicitur, inde consequens fore ut Pœnitentiæ sacramentum validè administraret pastor notorius Romanæ desertor communionis, quales sunt qui Protestantium partibus adhæserunt, haud valet ea consequentia : neque enim jurisdictionem censetur illis prorogare Ecclesia, qui se alienos ab ipsius communione apertè profitentur, eamque omni legitimâ carere potestate jactantes, ut synagogam Satanæ, altare contra altare spontè ac palam erexerint.

Nota : In constitutione *ad evitanda scandala,* tum qualis Constantiensi attribuitur synodo, tum qualis in Basileensi reperitur, hæc leguntur verba : *Nisi sententia à judice publicata vel denuntiata,* etc. Hæc particula *vel* indicare videretur non absolutè requiri specialem et expressam denuntiationem, ut jure ecclesiastico, à communicatione cum excommunicatis, ac proinde cum hæreticis, declinandum sit : verùm, ut observat Suares, hæc duo verba, (publicata vel denuntiata) non ponuntur disjunctivè tanquàm diversa, sed tanquàm æquipollentia. Quæ loquendi ratio frequenter ab auctoribus usurpatur. Quin etiam in Lateranensi quintâ synodo, in Pragmaticâ Sanctione et Concordato dicitur conjunctivè, *publicata et denuntiata ;* ac reipsà nisi constitutio prædicta sic intelligatur, non præcaverentur, quæ evitanda dicuntur scandala : sæpiùs enim à judice prolata sententia non ita manat in vulgus, ut ante specialem denuntiationem communiter innotescat.

Objicies 2° : Editâ anno 1559 à Paulo IV bullâ, assentientibus 32 cardinalibus, et anno 1566 à Pio V confirmatâ constitutione quæ incipit *Inter multiplices,* statuitur suis dignitatibus ac beneficiis ipso facto privatos, qualescumque sint, hæreticos, eorumque fautores; ergo necessaria non est ad jurisdictionis cessationem specialis et expressa denuntiatio.

Resp. usu non obtinere illas constitutiones ; ita sentiunt ipsi qui Ultramontani vocantur theologi : præterea, in illis dicuntur ipsi duces ac principes qui hæresim aut suscipiant aut foveant, suis ipso facto dignitatibus atque honoribus spoliari. Haud certè hæc passim vigerent, multò minùs in Galliâ. Sedulò hìc observandum est, quamvis ne minor quidem incurratur excommunicatio, nullaque violetur ecclesiastica prohibitio, communicando cum notoriis etiam hæreticis, sed nondùm speciatim et expressè denuntiatis, intactam manere divinam prohibitionem quæ ab illâ deterret communicatione, quoties inde proximum imminet aut procreandi scandali, aut propriæ perversionis periculum; omnia, quoad fieri potest, charitate, prudentiâ studioque veritatis dirigenda sunt : non obliviscendum est quantùm dictis et factis caverent ab hæreticorum consortio Apostoli; quid enim aliud significat hæc Pauli admonitio ad Titum, cap. 3 : *Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita ?* Quid hæc altera Joan. Epist. 2 : *Si quis hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum ?* Notum est quantùm temporibus Arianismi Nestorianismi, et (ne plura percurrantur), grassante quantùm Calvinismo, ipsi quandoque populi eorum communionem pastorum detrectaverint, qui fidem catholicam palam deseruerant. Neque præjudicandum est, minùs ab Ecclesiâ illos ex hæreticis exulare, qui denuntiati speciatim et expressè non fuerint : si enim, ut probavimus, omni jurisdictione post editam constitutionem *ad evitanda scandala,* non exuantur ante specialem denuntiationem, id non in ipsorum gratiam constitutum est, cùm illo in decreto dictum sit : « Per hoc tamen non « intendimus relevare neque juvare sic excommunicatos, suspensos, et interdictos, aut « prohibitos. »

CAPUT V.

DE SCHISMATICIS.

Hæretici, inquit S. Augustinus ut jam observatum est, lib. de Fide et Symbolo, cap. 10, « de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; « schismatici autem discissionibus iniquis à « fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea cre-

« dant quæ credimus. » Concinit S. Thomas : « Schismatici ergo dicuntur qui propriâ sponte « et intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, « quæ est unitas principalis. » Hanc autem abrumpunt unitatem qui vel auctoritatem Ecclesiæ in aliquo disciplinæ universalis placito aspernantur, vel ab ejus capite, quod est centrum communionis ecclesiasticæ, resiliunt, vel cum aliis Ecclesiarum pastoribus aut fidelibus communicare noluerint : unam enim et moralem societatem indivisam constituunt, Ecclesiæ caput, aliique legitimi pastores cum fidelibus.

Conclusio. — *Ad Ecclesiam non pertinent notorii schismatici.*

Probatur. Ad schismaticos, ut ad hæreticos referuntur quæ auctoritatis rationisque momenta in medium attulimus ad unitatem Ecclesiæ exponendam et asserendam ; hæc nos jam ab ulterioribus eximunt argumentis : unum itaque et alterum duntaxat adducemus ex traditione testimonium.

S. Cyprianus epist. 69 : « Scire debes, inquit, episcopum in Ecclesiâ esse, et Ecclesiam « in episcopo : et si qui cum episcopo non sint, « in Ecclesiâ non esse; et frustra sibi blandiri eos « qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia quæ « catholica, una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, et cohærentium « sibi invicem sacerdotum glutino copulata. »

S. Hieronymus in caput 3 Epist. ad Titum : « Inter hæresim et schisma hoc interesse « arbitramur, quòd hæresim perversum dogma « habeat, schisma propter episcopalem dissensionem, ab Ecclesiâ pariter separet. » Sanctus Augustinus de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 9 : « Quisquis extra Ecclesiam fuerit ab hæreticis vel schismaticis, « tamen Christi baptismate consecratus, cùm « ad Ecclesiam venerit, non est negandum « sacramentum veritatis, quo imbutus est, sed « adjicienda pietas unitatis à quâ separatus est. » Ecclesia est una unione membrorum inter se et cum capite : *multi unum corpus sumus in Christo,* Rom. cap. 12, v. 5, sicut corpus naturale per unionem membrorum inter se et cum capite constituitur : at illam unionem dedignatur et abrumpit schismaticus, dùm se à communione, seu à communicatione aliorum membrorum, vel à capite disjungit : unio enim moralis, ad individuam Ecclesiæ unitatem requisita, indivisibiliter consistit tum in externâ professione ejusdem fidei, tum in externâ participatione eorumdem religionis actuum, quorum præcipui sunt sacrificium Missæ et receptio eorumdem sacramentorum, tum in debitâ subjectione capiti Ecclesiæ, et proprio episcopo, qui sit ipse capiti Ecclesiæ, unitus ac subjectus. Quæ ex historiâ ecclesiasticâ objeceruntJuriæus et alii, diluenda curavimus in tractandâ controversiâ de unitate Ecclesiæ.

CAPUT VI.

DE EXCOMMUNICATIS.

Excommunicatio est censura per quam ex parte vel ex toto, propter quædam delicta privatur baptizatus communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque à potestate et dispensatione Ecclesiæ pendeant, ut sunt sacramentorum receptio et administratio, Ecclesiæ suffragia, divina officia, etc.

Multiplex olim excommunicationis genus, duplex tantummodò jamdudùm assignatur : in majorem ac minorem dividitur excommunicatio : major ea vocatur quâ quis omnibus privatur bonis Ecclesiæ communibus, et ejus dispensationi subjectis, atque, ut mox ostendemus, ab Ecclesiæ corpore abscinditur. *Quâ pœnâ,* ait S. Augustinus lib. de Correptione et Gratiâ, *in Ecclesiâ nulla major est* : hæc anathema vulgò dicebatur, quamvis anathema non infrequenter imprecationem potiùs quàm veram excommunicationem ecclesiasticis in monumentis significet, ut cùm dixit Apostolus : *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.* 1 ad Corinth. c. 16. Excommunicatio minor est ea quæ privat ex parte, seu aliquibus tantùm bonis communibus Ecclesiæ, nempe receptione et administratione licitâ sacramentorum, et passivâ electione ad dignitates et beneficia. Hæc contrahitur solùm ob culpabilem, etiam in civilibus cum excommunicato non tolerato communicationem. Ita cap. 3 de Sententiâ excommunicationis, in sexto, ex concilio generali Lugdunensi; qui tamen in crimine propter quod censura contracta est, communicaverit, ille majorem incurrit excommunicationem, *cùm facientem et consentientem par pœna constringat,* ex cap. 29 de Sentent. excommunic. Quoties autem adhibetur excommunicatio, nihilque additur quo vocis illius determinetur ac restringatur significatio, tum designatur excommunicatio major, ut declarat Gregorius IX, cap. *Si quem,* de sentent. excommunic. « Si quem sub hâc formâ verborum : *Illum « excommunico,* vel simili, à judice suo ex-

« communicari contingat, dicendum est eum « non tantùm minori, quæ à perceptione sa- « cramentorum, sed etiam majori excommu- « nicatione, quæ à communione fidelium sepa- « rat, esse ligatum.

CONCLUSIO PRIMA. — *Ab Ecclesiâ excluduntur notorii excommunicati.*

Id patefacit Gregorii IX mox relata declaratio, quæ quidem traditioni apprimè consonat. Tertullianus Apologetici cap. 39 : « Sum- « mum, inquit, futuri judicii præjudicium est, « si quis ita deliquerit, ut à communicatione « orationis, et conventûs, et omnis sancti « commercii relegetur. » Origenes homil. 10 in Ezechielem : « Infamia est à populo Dei et « Ecclesiâ separari. » S. Cyprianus epist. 62 ad Pompeium : « Spiritali gladio, inquit, su- « perbi et contumaces necantur, dùm de Ec- « clesiâ ejiciuntur, neque enim vivere foris « possunt, cùm domus Dei una sit, et nemini « salvus esse nisi in Ecclesiâ possit. » S. Augustinus de Unitate Ecclesiæ cap. 25 : « Si « tunc quisque præciditur cùm visibiliter ex- « communicatur, consequens erit ut tunc rur- « sùs inseratur, cùm visibiliter communioni « restituitur. » S. Hieronymus in cap. 3 Epist. ad Titum : « Fornicator, adulter, homicida et « cætera vitia, per sacerdotes de Ecclesiâ « propelluntur; hæretici autem in semetipsos « sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesiâ « recedentes. » Certissimâ ratione nostra constat assertio. Accepit à Christo Ecclesia potestatem à communione suâ contumaciter inobedientes penitùs repellendi, ut colligitur apertè ex his verbis: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus, et quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo.* Matth. c. 18. v. 17, 18. Ligandi autem potestas plenè exeritur per excommunicationem, quâ pœnâ, ut ex sancto Augustino retulimus, majorem nullam decernit Ecclesia : quos excommunicat Ecclesia, quin eos velit à communione fidelium alienos esse, dubitari non potest : hanc ipsius voluntatem testantur adducta traditionis testimonia, ipsaque ejus excommunicationis majoris natura jure canonico exposita.

Objic. 1° ex sancto Augustino ad Donatistas, post collationem libro uno, cap. 20 : « Neque « enim à populo Dei separamus, quos degra- « dando, vel excommunicando ad humiliorem « pœnitendi locum redigimus. » Ergo extra Ecclesiam non projiciuntur excommunicati. — Resp. : Existimant alii S. Augustinum illis vocibus, *neque separamus à populo Dei*, significatum duntaxat velle, nemini per excommunicationem auferri spem salutis, neminem à numero salvandorum eximi : sed potiùs ad pœnitentiam graviter incitari. Alii arbitrantur (quod in idem recidit) innuere S. Augustinum, separationem excommunicatis infligi non perpetuam, et sine spe salutis ac reditûs ; vel etiam excommunicatione non impediri quominùs per pœnitentiam et charitatem interiùs habeatur communio Sanctorum quibus maximè constituitur populus Dei. Probabilius nobis videtur hìc S. Augustinum loqui de separatione quæ subeunda erat in publicæ stadio pœnitentiæ; solutionem hanc suadent hæc verba, *quos degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum rediginus.* Apud sanctos Patres haud erat insuetum, excommunicatorum nomen ipsis pœnitentibus imponere, quorum alii ingressu in Ecclesiam prohiberentur, aliis interdiceretur ne sacris interessent mysteriis, alii ab eucharistiâ haud exiguo tempore arcerentur. Favent sequentia S. Augustini verba : « Et ubi hoc facere pacis et « tranquillitatis Ecclesiæ gratiâ non permitti- « tur, non tamen ideò Ecclesiam negligimus, « sed toleramus quod nolumus, ut perveniа- « mus quò volumus, utentes cautelâ præcepti « Dominici, ne cùm volumus ante tempus col- « ligere zizania, simul eradicemus et triticum. »

Objic. 2° : Antequàm absolvatur ministerio sacerdotis aut episcopi excommunicatus, potest actu perfectæ contritionis gratiam sanctificantem comparare; eo in statu si diem obeat ultimam, salvabitur : at salus extra Ecclesiam obtineri nequit. — Resp. : Votò pertineret tunc ad Ecclesiam, et salvaretur, si pro rerum adjunctis nihil intentatum relinqueret ut Ecclesiæ restitueretur communioni; de illo ut de cathecumeno ritè disposito sentiendum.

Inst. : Per charitatem perfectam uniretur Christo ille excommunicatus; ergo esset membrum Christi; ergo et membrum Ecclesiæ, quod est corpus Christi. — Resp. : Ut quis uniatur Christo et dicatur Christi membrum, sufficit charitas perfecta, non ut in membris Ecclesiæ numeretur : membra enim referuntur ad corpus, et ad Ecclesiæ corpus ante absolutionem à censuris non pertinent, qui propter contumaciam, auctoritate pastorali à communione fidelium exteriore depulsi fuerint, licet eos deinceps verè pœniteat.

CONCLUSIO II. — *Ad Ecclesiam pertinent hæretici schismatici, et excommunicati occulti.*

Prob. Pertinent ad Ecclesiam *non jure, sed facto,* hoc est, exciderunt à jure locum inter Ecclesiæ membra obtinendi; nihilque deest ut extra ipsam constituantur, nisi sola criminis notorietas, quâ deficiente Ecclesiæ membris tamdiù annumerantur, quamdiu exteriùs profitentur cum fidelibus, eamdem fidem, eorumdem pastorum agnoscunt auctoritatem, eorumdemque tenentur communione sacramentorum. De hæreticis intelligendum est pronuntiatum istud S. Joannis, 1 Epist. cap. 2 : *Et nunc antichristi multi facti sunt : ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Eos ab Ecclesiâ dicit exivisse per publicam scilicet hæresis professionem; ergo ante publicam illam professionem erant in Ecclesiâ; *non erant ex nobis,* inquit S. Joannes, hoc est, non erant, ut alibi exposuimus, secundùm prædestinationem, sinceroque ac verè christiano animo. Hæreticos occultos in Ecclesiâ versari nec ipse diffitetur S. Augustinus, qui suis passim in operibus tantum in hæresim concitat odium : « Quidam, inquit, « corde positi in parte Donati, præsentiam no- « bis exhibent corporalem, sive viri, sive femi- « næ, carne intùs, spiritu foris. » Ergo donatista occultus, et eâdem ratione quilibet occultus hæreticus est intra Ecclesiam, licet non animo nec voluntate. Lib. de catechizandis rudibus, cap. 17 : « Sunt qui propterea « volunt esse Christiani, ut aut promereantur « homines, à quibus temporalia commoda ex- « pectant, aut quia offendere nolunt quos ti- « ment, sed isti reprobi sunt : et si ad tempus « eos portat Ecclesia, sicut area usque tempus « ventilationis paleam sustinet. » Nisi inter Ecclesiæ membra referantur occulti hæretici, haud levia inde orirentur incommoda : namque cùm Scripturæ, traditiones, et omnia plane dogmata ex testimonio Ecclesiæ pendeant, nisi nobis constiterit quæ sit vera Ecclesia, in ancipiti hærebunt omnia : quænam autem de verâ Ecclesiâ certitudo possit obtineri, si fides interna requiratur ad quodlibet Ecclesiæ membrum constituendum? Quis enim certò novit quibus in mentibus insideat illa fides? Hæc apud SS. Patres viguit constanter sententia, eos omnes jurisdictione carere, qui ab Ecclesiâ aut sponte discederent, aut forent ejecti. Ita S. Cyprianus in Epistolis, S. Optatus, lib. 1 contra Parmenianum, et alii quos supra appellavimus; numquid verò arbitrati sunt sacerdotem vel episcopum, aut etiam summum pontificem, jurisdictionem omnem statim esse amissurum, et ante omnem sententiam, si quando latenter in hæresim inciderint? Quanta inde malorum seges! Quantum ingrueret disciplinæ ecclesiasticæ et animarum salùti detrimentum!

Objic. 1° : ex concilio Lateranensi quarto, cap. 1 : *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur.* — Resp. : Concilio Lateranensi propositum esse ut unam esse Ecclesiam assereret, non ut quid esset, accuratè describeret. Membra Ecclesiæ secernere voluit, tum ab iis qui manifestè infideles sunt, tum à catechumenis : aut etiam hìc nomine *fidelium* id intelligitur quod communiter significatur nomine Catholicorum et Christianorum: Catholici autem nomine ille intelligitur, qui catholicam fidem cùm exteriùs profiteatur sub regimine legitimorum pastorum, hanc intùs habere præsumitur.

Objic. 2° : S. Augustinus lib. 3 de Baptismo, cap. 19 : « Hujus, inquit, fraternæ charitatis « inimici, sive apertè foris sint, sive intùs esse « videantur, pseudochristiani sunt et anti- « christi; inventis enim occasionibus foras « exeunt. » Ergo nonnisi apparenter, non autem reipsà ad Ecclesiam pertinent occulti etiam hæretici.

Resp. : His verbis significat S. Augustinus, ab Ecclesiâ quoad animam consideratâ exulare hæreticos, seu non esse Ecclesiæ eâ necessitudine conjunctos quam efficit charitas responsionem hanc suppeditant verba sequentia S. August. : « Sed etiamsi occasiones desint, « (exeundi ab Ecclesiâ) cùm intùs videntur, « ab illâ invisibili charitatis compage separati « sunt. » Seu declarat S. Augustinus eos in Ecclesiâ, eo modo non esse quo esse videntur: videntur enim esse uniti internâ simul et externâ unione membris cæteris, et tamen non devincti sunt, nisi conjunctione externâ. Quâ etiam si carerent, et reipsà nullo modo forent in Ecclesiâ, quo pacto verè dici possent ex eâ postmodùm exire, dùm in apertam erumpunt hæresim?

Inst. : Idem S. August. tract. 3 in Epist. Joann. sic disputat : « Omnes hæretici, omnes « schismatici ex nobis exierunt, id est, de Ec- « clesiâ exeunt; sed non exirent ex nobis, si « ex nobis essent antequàm exirent; ergo non « erant ex nobis, seu, ut præcedentibus mox « verbis indicatur, *de Ecclesiâ.* » — Resp. hoc unum velle S. Augustinum, hæreticos non

esse de Ecclesiâ, nisi ut membra mortua et arida, sic enim prosequitur : « Ili antequàm « exirent, non erant ex nobis; multi intùs « sunt, non exierunt, et tamen antichristi « sunt. » Ergo sunt intra Ecclesiam non quoad animam, sed quoad corpus consideratam, et quidem, ut observavimus, *non de jure, sed de facto*, quamdiù manifestè et palam non habentur hæretici.

Objic. 3° : Ideò potissimùm inter Ecclesiæ membra occulti adscribuntur hæretici, quia si dimoveret ab Ecclesiæ corpore occulta hæresis, læderetur nimiùm visibilitas Ecclesiæ : non adeò magni momenti hæc videtur esse ratio : quamvis enim certò compertum non sit quibusnam validè administratum sit baptisma, quinam sint validè ordinati, non idcircò elabitur visibilitas Ecclesiæ, aut si necessariò illa diffugiat, utquid latentem propugnanti Ecclesiam ministro Claudio tam succenseant et indignentur theologi catholici? — Resp.: Non probatur nobis Bellarmini responsio asserentis ad constituendum Ecclesiæ membrum, non requiri verum baptisma, sed externum sufficere, seu larvam sacramenti, nec ad imprimendum characterem idonei : irrito baptismo non videtur nobis aditus Ecclesiæ patefieri. Assertionem suam confirmari putat responsione Innocentii III cap. *Apostolicam*, de *presbytero non baptizato*. At eo in capite, presbyter de quo fuit interrogatus, non dicitur fuisse in Ecclesiâ, sed in fide Ecclesiæ permansisse, quæ duo multùm inter se differunt : quia, inquit, « in « sanctæ matris Ecclesiæ fide, et Christi no- « minis confessione perseveraverit. Ab originali « peccato solutum et cœlestis patriæ gaudium « esse adeptum asserimus incunctanter. » Dicendum igitur eò concidere objectam paritatem, quòd rarissimè contingat adhibitis, (de quibus judicari potest,) debitis materiâ et formâ in sacramento baptismi vel ordinis, deesse necessariam ad valorem sacramenti intentionem, atque ideò non frequens inde et latè diffusam impendere catholicæ perniciem Ecclesiæ : non ita res habet de hæresi quæ serpit ut cancer, ingentemque possit membrorum Ecclesiæ partem latenter obrependo inficere.

Quæ dicta sunt de occultâ hæresi, non ad eam solam spectant, quæ in mente penitùs delitescat, verùm etiam ad illam, quæ aliquatenùs licet prodeat, publicam tamen ad notitiam non pervaserit. Ad occultos et schismaticos atque excommunicatos ea quoque pertinent, quæ diximus de non ademptâ Ecclesiæ communione per occultam hæresim.

Ex assertionibus hactenùs probatis, superest ut duo educantur consectaria.

Consectarium primum. — *Accurata est ac retinenda quam tractatûs initio attulimus, definitio Ecclesiæ christianæ.*

Aptè definitur Ecclesia Christi : *Hominum cœtus ejusdem fidei professione, eorumdemque sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum, inprimisque Romani pontificis.*

Definitionem hanc nostri exordio operis adduximus, ut proponendis vindicandam atque explanandam quæstionibus; jam spontè ac manifestò profluit ex iis quæ disseruimus de naturâ et proprietatibus Ecclesiæ, de auctoritate et statu ministerii ad illius incolumitatem et perpetuitatem constituti, de obsequio ejusdem pastoribus debito ac primatu Romani pontificis.

Consectarium II. — *A veteri Synagogâ differt in multis Ecclesia Christi.*

1° Solos Israelitas *per se* obligabat lex Mosaica : neque aliæ gentes institutis tenebantur quæ illius erant legis propria, neque per ejusdem vim obstringebantur præceptis, quæ ipsis fuerunt cum Israelitis communia, qualia sunt omnia Decalogi, præter specialem diei sabbati determinationem, mandata utriusque tabulæ. Poterant tamen ex aliis oriundi gentibus populo Israelitico aggregari ; tum qui per circumcisionem essent initiati, debitores evadebant *universæ legis faciendæ*, ad Galatas, cap. 5, v. 3. At verò ex suâpte institutione ad omnes pertinet populos lex evangelica, ideòque per totum orbem eam propagari jussit fidei nostræ auctor et consummator Christus. 2° Apertiùs multa novo in Testamento revelata sunt de absconditis ab æterno mysteriis quàm in veteri : multa distinctè creduntur in Ecclesiâ Christi, quæ nonnisi implicitâ fide apprehendebantur in synagogâ. Tum etiam dignitate et efficaciâ longè antecellunt christianæ sacramenta Ecclesiæ, sacramentis synagogæ, quæ idcircò vocat Apostolus *egena elementa;* signa quidem sunt, non causæ et fontes gratiæ, quæ licet ipsâ in lege subministraretur, non manabat nisi ex meritis Christi, qui eâ quoque ratione nuncupatur *agnus occisus ab origine mundi.* 3° In synagogâ quamvis, ut in Ecclesiâ Christi, in rebus ad religionem spectantibus adhæren-

dum esset auctoritati, attamen utrùm infallibilitatis dono polleret synagoga, non admodùm constat : at ne dissiparetur aut aliquid detrimenti caperet depositum fidei, præstò erat et arrectum pro temporis opportunitate et necessitatibus ministerium prophetarum, quos afflavit Spiritus veritatis et charitatis. 4° Hæc fuit ordinata divinitùs synagogæ conditio, *umbram* habentis *futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* Hebr. cap. 10, v. 1, suis ut expletis vicibus interiret, novum Christo sanciente fœdus quod proprio sanguine obsignaret, tantò *melius sortitus ministerium, quantò et melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sancitum est.* Hebr. cap. 8, v. 6. At futurum absolutâ promissione statutum est, eâque divinâ, ut Ecclesia Christi, crebris licet jactata fluctibus, nunquàm submersa, diris vexata persecutionibus, et nunquàm superata, conspirantibus mundo et inferis attentata, sed nullis unquàm assultibus è statu dejecta, incontaminatis fulgeat honoribus, desponsata in sempiternum permaneat *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei* Ephes. cap. 4, v. 12 et 13.

Quæstio prima.

DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ.

In Scripturis, vox ista, *libertas,* Christiano rum libertatem complexa, duo significat : liberationem à peccatis, apud Joannem cap. 8, v. 36 : *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis* . liberationem à Mosaicæ legis rigidâ observatione, apud Paulum : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ quâ libertate Christus nos liberavit; state, et nolite iterùm jugo servitutis contineri.* Ad Galatas, cap. 4, v. 31, et cap. 5, v. 1. Apud auctores ecclesiasticos usurpatum est nomen *libertatis* ad significandam tum libertatem ad cultum Dei et synodos, tum immunitatem publicis ab oneribus, quam imperatores concesserint : libertates quoque vocata sunt privilegia clericis, aut Ecclesiis à principibus indulta, ut videre est passim in Capitularibus regum, et antiquis in tabulis : quin et eodem nomine designata sunt privilegia monasteriis donata, quibus ab episcoporum jurisdictione eximerentur. Alia est libertatis notio quæ propositum nostrum propiùs attingit, et quam adhibuit Felix III in Epist. ad Zenonem imperatorem qui sedis Apostolicæ legatis injuriam irrogaverat : « Puto, inquit, quòd vobis sine « ullâ dubitatione sit utile, si Ecclesiam catho- « licam vestri tempore principatûs, sinatis uti « legibus suis, nec libertati ejus quemquam per- « mittatis obsistere. »

Quod verò speciatim attinet ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ, tempore Caroli VI nomen illud maximè celebratum est, cùm, sæviente schismate, attentata novitatibus plurimis, episcopatuum et abbatium reservationibus, etc., Ecclesia Gallicana postulavit ut, rege adjuvante, rediret *ad suam libertatem antiquam, et juris communis dispositionem.* Edicta Caroli VI. At longè ante Caroli VI ætatem habita est mentio libertatum Gallicanæ Ecclesiæ : anno scilicet 1268, prolatum est à B. Ludovico rege christianissimo saluberrimum edictum in quo hæc leguntur : « Magnorum et prudentum virorum « consilio statuimus quòd Ecclesiæ et viri ec- « clesiastici in terris illis, (Arelatensi, Narbo- « nensi è provinciâ, etc.) constituti, libertatibus « et immunitatibus utantur, quibus utitur Ec- « clesia Gallicana, et eis planè gaudeant, se- « cundùm consuetudinem Ecclesiæ memo- « ratæ. » Beati Ludovici edicto præivisse decreta et consuetudines quæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ dicta sunt, patet tum ex ipsius mox relatis verbis, tum ex earum libertatum naturâ et fundamentis de quibus jam disserendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

De propriâ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ notitiâ non omnes inter se consentiunt Gallicani scriptores. Petrus de Marca, de Concordiâ sacerdotii et imperii lib. 3, cap. 1, num. 7, multa præfatus ita concludit : « Unde patet « vera et germana definitio hujus libertatis ex « sensu Ecclesiæ Gallicanæ : ut sit nempe « *usus antiqui juris communis :* inde frequentis- « simè usurpatum fuit in constitutionibus re- « giis, in actis comitiorum regni, in curiarum « supremarum judiciis, et in Cleri Gallicani « conventibus, nomen illud libertatis Ecclesiæ « Gallicanæ. » Idem, cap. 2 ejusd. lib. num. 1, earumdem libertatum haud planè similem ingerit idæam : « Libertatem, inquit, Ecclesiæ « Gallicanæ canonum et juris communis exe- « cutione contineri diximus : sed jus illud com- « mune variè sumi potest; aliud est enim jus « commune antiquissimum quod antiquos ca « nones et decreta pontificum complectitur; « aliud jus commune quod illis canonibus, et

« præterea decretalibus recentioribus pontificum constat, prout apud nos usu recepto temperatæ sunt : hoc ultimo jure libertatem Ecclesiæ Gallicanæ contineri contendimus, non autem primo. »

Jacobus Leschassier, de la Liberté ancienne et catholique de l'Eglise Gallicane, initio, duo secernit libertatum Ecclesiæ Gallicanæ genera, unum quod asserit universalis Ecclesiæ comprehendi codice qui synodi Chalcedonensis actione undecimâ commemoratus est, et ideò vocat illud *antiquum;* alterum quod positum esse ducit in regum nostrorum constitutionibus, eorumdem Concordatis, necnon supremarum curiarum decretis, et idcircò novum illud nuncupat, quod necessitas in alterius subsidium pepererit : verùm addit, nedùm recentioribus illis in juribus collocanda sit vera Ecclesiæ Gallicanæ libertas, id maximè in eisdem esse spectandum, ut instauretur quoad fieri possit, antiqua, *utpote vera et absoluta libertas.* Fevretus tractatu de Abusu, lib. 1, cap. 4 Gallicanæ libertatem Ecclesiæ arbitratur in eo esse reponendam, ut conciliorum decretis antiquâ Ecclesiæ disciplinâ comprobatis, pontificiisque statutis apud Gallos receptis, constanter inhæreat, postpositis quæ talibus derogare perspexerit. Suæ in confirmationem opinionis advocat testimonium et Renati Chopin, Polit. lib. 1, tit. 1, num. 3; et Christophori Justelli in Epistolâ ad Jacobum Leschassier, ann. 1610 conscriptâ, cujus hæc sunt verba : « In jure communi antiquo positam esse libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, ab omni ævo reges, episcopi, regni ordines totaque denique Gallia semper affirmavit, et vetus est in senatu Parisiensi sententia, à majoribus per manus tradita, et memoriæ omnium qui prudentiâ et usu valent, insculpta, illam libertatem maximè quatuor primis conciliis œcumenicis, et iis quæ ab illis confirmantur, contineri, et quæ contra fiunt, præcipuas appellationibus iis causas præbere quæ velut ab abusu interponuntur. » Gallicanas itaque libertates docet Fevretus contineri tùm Ecclesiæ Orientalis Codice, præter quatuor priora concilia œcumenica, particulares quinque Ancyranam, Neocæsareensem, Gangrensem, Antiochenam et Laodicenam complectente, quibus adjecit multa Dionysius Exiguus, tum et Codice Gallicanorum canonum, cùm plurimi lapsu temporum inciderent casus qui veteribus in statutis prospici non potuerint.

Vir nunquàm satis laudandus, Domat, de Jure publico lib. 1, in proœmio tituli 19, post commendatam quæ sacris Ecclesiæ institutionibus congruat disciplinam, subjicit : « C'est cette pureté de la discipline ecclésiastique, que nous appelons en France les libertés de l'Eglise Gallicane, non par un privilége particulier qui affranchisse l'Eglise de France des lois de l'Eglise universelle, mais par un attachement inviolable à cette pureté de la discipline, qui consiste en ce qui fait le droit ancien et le droit commun de l'Eglise universelle. » Fatetur tamen veteribus decretis adjungenda esse recentiora licet statuta, quæ usibus nostris non adversentur. Eumdem in sensum locutus est Ludovicus de Héricourt, lib. cui titulus : Lois ecclésiastiques de France : sic ipsâ in præfatione : « Nous n'avons pas de lois qui fixent les libertés de l'Eglise Gallicane ; elles ne consistent, comme l'ont remarqué les meilleurs canonistes Français, que dans l'observation d'un grand nombre de points de l'ancienne discipline ecclésiastique, que l'Eglise Gallicane a toujours suivis, sans souffrir que l'on reçût en France des lois nouvelles qui donnaient atteinte à ses anciens usages. » Eamdem affert definitionem, c. 17 lib. cui titulus : Des Coutumes et des Libertés de l'Eglise Gallicane. At observat paragrapho 6, multas Gallicanâ in Ecclesiâ, recentioribus etiam temporibus, invaluisse dissentaneas veteribus ecclesiasticæ disciplinæ regulis, consuetudines, quales sunt, quæ pertinent ad *resignationes* in favorem, *præventionem* in collatione beneficiorum, *vocationes* in curiâ Romanâ, etc. Legatur etiam liber, cui titulus : Institution au Droit ecclésiastique, auctore Abbate Fleury, c. 25, ubi de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ ; aliis, brevitatis causâ prætermissis scriptoribus, referre juvat quid de ipsarum naturâ et conditione sentiat doctissim. Bossuetius ; post multa sagaciter et eruditè disceptata, illationem hanc depromit : « Summa ergo sit nostræ libertatis, sic novella jura, piâ aut necessariâ institutione stabilita servare, ut antiquiora respicere, iisque sustentare labentem disciplinam, certè *jus commune*, atque in eo venerandas juris antiqui reliquias, omni ope servare, jusque arbitrarium, et mandata extraordinaria repudiare studeamus, in eâque partem maximam reponamus nostræ erga Ecclesiam catholicam ac sedem Apostolicam reverentiæ, quippe qui intelligamus, quò quisque est studiosior antiquæ disciplinæ, eò magis cordi

« habere Ecclesiæ catholicæ, ac sedis Apostolicæ majestatem. » Defens. Decl. Cleri Gallicani, part. 3, lib. 11, c. 14, edit. 1745. Hæc operæ pretium est, illustrissimi ejusdem episcopi doctrinæ et adnotationibus inhærentes evolvere, quò magis ac magis libertatum nostrarum vis ac natura intelligi valeat.

Traditione primitùs regebantur Ecclesiæ; hinc ex traditionibus apostolicarum Ecclesiarum conscripti canones dicuntur *apostolici* à Latinis serò, neque omnes in auctoritatem adsciti, rejectis qui admixti fuerant, nonnullis erroribus : habitis per provincias synodis, universalibus quoque conciliis, ad sanciendam disciplinam, tùm varii conditi sunt canones, cùm priscis ab institutis deflecteretur, aut aliquid novæ difficultatis explanandum solvendumque occurreret; nec singulas pigebat Ecclesias mutuari alias ab aliis quæ sibi ad opportunum, convenientiusque regimen comparata esse viderentur. Vim canonum obtinere constat receptos universalis Ecclesiæ usu mores et consuetudines; imò rerum si attendamus originem, plerique canones ex invectis ad utilitates, probatisque consuetudinibus confecti sunt. Hinc Nicæna synodus canone 6 : *Antiqua consuetudo servetur;* canone 7 : *Quoniam obtinuit consuetudo, et antiqua traditio, ut Æliæ,* (hoc est, Hierosolymæ, quæ ab Ælio Adriano istud traxit nomen) *episcopus honoretur.* Hinc etiam in decretalibus et conciliis hæc duo conjuncta : *De jure et consuetudine.* Ad ecclesiasticam libertatem pertinet, non solùm ut antiquis vel communibus in statutis ac moribus perstare valeat, verùm et singulæ ut Ecclesiæ proprias sibi leges servare non prohibeantur : id rationi et æquitati consentaneum ad conciliandam pacem, servandumque publicis in rebus obsidem pacis, ordinem. Quapropter gubernandis Ecclesiis rationem haberi, tum canonum et consuetudinum ex quibus conflatum est jus commune, tum et diversarum pro diversis regionibus legum atque consuetudinum voluerunt concilia et summi pontifices, idque maximè probandum tradidêre SS. Patres.

Ephesina synodus act. 7, sic statuit : « Ne « Patrum canones proterantur, neve sub sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus « irrepat : ne clam paulatim libertas amittatur « quam nobis donavit sanguine suo Dominus « Jesus omnium hominum liberator. » Eâdem mente synodus Chalcedonensis primo id capite decernit : « Regulas à SS. Patribus in unâ« quâque synodo usque nunc prolatas teneri « statuimus. » S. Leo in Epist. ad Marcianum Augustum : « Privilegia Ecclesiarum SS. Pa« trum canonibus instituta, et venerabilis « Nicænæ synodi fixa decretis, nullâ possunt « improbitate convelli, nullâ novitate mutari. « In quo opere auxiliante Christo, fideliter « exequendo necesse est me perseverantem « exhibere famulatum, quoniam mihi dispen« satio credita est. » Leonem excipit Hilarius Papa ann. 461; querelæ cognitionem de subreptitio et canonibus adversante rescripto, Gallicanis quibusdam episcopis delegavit his verbis : « Ita vestræ charitati cognitionem « adnexæ querimoniæ delegamus, ut nihil ad« versùm venerandos canones, nihil contra « sanctæ memoriæ decessoris mei judicium « valeat, quidquid obreptum nobis esse con« stiterit : nolumus namque Ecclesiarum pri« vilegia, quæ semper sunt servanda, confun« di, quia per hoc non minùs in sanctarum « traditionum delinquitur sanctiones, quàm « injuriâ ipsius Domini prosilitur. » Epist. 4 ann. 465.

S. Gregorius Magnus : « Sicut nostra defen« dimus, ita singulis quibuscumque Ecclesiis « jura servamus, » Epist. 48, aliàs 29, tom. 2, lib. 2. Idem : « Absit hoc à me, ut statuta ma« jorum consacerdotibus meis in quâlibet Ec« clesiâ infringam, quia mihi injuriam facio, « si fratrum meorum jura perturbo. »

In retinendis ac defendendis juris antiqui et communis, propriisque suis legibus et usibus constantiorem se præbuit Gallicana Ecclesia præ cæteris plerisque Ecclesiis : hinc celeberrimæ evaserunt Gallicanæ libertates, quasi libertas ecclesiastica propriam sedem in Gallis collocâsse putaretur. Attamen, ut prudenter observat Bossuetius, habent non modò Galli, sed etiam Hispani, Belgæ, Germani, alii omnes, suas consuetudines, sua jura, vel usu firmata, vel pactis. Hæc sedes Apostolica servat in Ecclesiis quibuscumque gubernandis : quæ moderatio pars est vel maxima ecclesiastici regiminis, dicente Apostolo : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Neque Gallicanæ Ecclesiæ verti debet vitio, si firmiter usu antiquo et communi vel proprio consecratam disciplinam vindicaverit : Gallos sic ostenditur, etsi levibus in rebus minùs constantes esse videantur, suscepti, ubi magis interest, exhibere se tenaces propositi. Constantiam illam, neque hanc solam Gallorum dotem laudavit ab omni suspicione adulationis,

ut eminentissimâ dignitate, ita et præstantissimâ animi indole Benedictus XIV, de quodam usu ita locutus : « In primis enim prudenter « dubitari potest, an ejusmodi consuetudo in « florentissimo Galliarum regno, Apostolicæ « sedi obsequentissimo, et sacrorum canonum « religiosissimo custode, ullo unquàm tempore « viguerit, » de Synodo diœcesanâ, lib. 7, c. 31, num. 4. Gallicanæ disciplinam Ecclesiæ quanti fecerint vetustiorum etiam ætatum pontifices, colligi potest ex ipso S. Gregorii Magni testimonio, in Epist. ad S. Augustinum Anglorum episcopum : « Sed mihi placet ut « sive in Romanâ, sive in Gallicanâ Ecclesiâ « aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo « possit placere, sollicitè eligas. » Ut suæ Gallicanam in Ecclesiam benevolentiæ insignia præbuêre argumenta summi pontifices, ita et obsequentissimum in Petri successores animum gerere, ac testatum facere religioni et gloriæ semper duxit Gallicana Ecclesia : jam ut præsentis instituti non excurramus limites, ostendere satis sit certis aliquot testimoniis quantùm à quorumdam sensu abhorreat, qui de libertatibus nostris ita effutierunt, ut eas in deprimendâ sedis Apostolicæ auctoritate, ipsiusque propemodùm excutiendo jugo constituere viderentur.

Petrus de Marca, de Concordiâ sacerdotii et imperii, lib. 1, id observat de nebulosis quibusdam temporibus : « Quod ad Gallos attinet, « ita se in his discriminibus semper gesserunt, « ut constantiâ prudentiâque suâ, et jura sua « retinuerint, et pietatem erga Romanam Eccle- « siam non læserint. » Bossuetius Defens. Declarat. Cleri Gallicani, part. 3, l. 11, c. 12, quo maxime declarat retinenda esse jura, canones, consuetudines particularium Ecclesiarum, hanc sic temperat assertionem : « At « Clerus Gallicanus, ne consuetudinis nomine « eas comprobare videatur, quæ in jure vocen- « tur *corruptelæ* ac *vetustas erroris*, consuetu- « dines eas ad Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, « libertatesque pertinere voluit, *quæ sedis Apo- « stolicæ et Ecclesiarum consensione firmentur :* « sic *nostræ* libertates vel maximè sedis Apo- « stolicæ auctoritate constant : quippe quæ « canonum executrix custosque sit. Unde noster « Gerson docet omnem statum ecclesiastici « ordinis subesse *rationabili voluntati Papæ*, « quæ rationabilitas regulanda est per determi- « nationes conciliorum generalium præsertim « jam factas, de consensu et auctoritate sum- « morum pontificum. » Idem habitâ an. 1681 in generalibus Cleri Gallic. comitiis eximiâ oratione, hæc inter alia protulit notatu dignissima : « Il est certain qu'en matière de Religion et de « conscience, des libertés modérées entretien- « nent l'ordre de l'Eglise, et y affermissent la « paix ; mais nos pères nous ont appris à sou- « tenir ces libertés sans manquer au respect, « et loin d'en vouloir manquer, nous croyons « au contraire, que le respect inviolable que « nous conserverons pour le Saint-Siége nous « sauvera des blessures qu'on voudrait nous « faire sous un nom qui nous est si cher et si « vénérable. » Clerus Gallicanus, in Declaratione anni 1682, die 19 martii, eosdem exhibet religiosos animi sensus. De illis graviter conqueritur, qui nomine libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, auctoritati Romanæ sedis obtrectare non pertimescant : « Nec desunt, ait, qui « earum obtentu primatum beati Petri ejusque « successorum Romanorum pontificum à Chri- « sto institutum, iisque debitam ab omnibus « Christianis obedientiam, sedisque Apostolicæ, « in quâ fides prædicatur, et unitas servatur « Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus ma- « jestatem imminuere non vereantur. » Haud minùs sincero affectu suum erga sedem Apostolicam obsequium testificata est tum maxime curia suprema Parisiensis anno 1461, cùm vindicandis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus studiosè incumberet : visum est ipsamet ejusdem verba exscribere, quamvis usu, penès quem linguarum est jus et arbitrium, nonnulla exoleverint. Priusquam enim particulatim exponat derivanda ex transgressione canonum incommoda, sic præfatur : « Avant que de pro- « céder outre, proteste ladite Cour que par « chose qui dicte sera ci-après, n'entend déro- « ger à l'excellente dignité, honneur et autorité « de notre Saint-Père le Pape, et Saint-Siége « Apostolique, ainçois tout honneur et révé- « rence et obéissance que bons et loyaux ca- « tholiques doivent au souverain pasteur de « l'Eglise, lui comme vrais enfants de l'Eglise « rendre et exhiber, protestant que s'il y a « chose qui ait besoin de correction, de le « submettre du tout à la détermination de « l'Eglise, *quæ errare non potest.* » Remontrances faites au roi Louis onzième de ce nom, par sa cour de Parlement, sur les libertés de l'Eglise Gallicane, en l'an 1461. Supersedemus à recensendis illustribus qui hanc viam tenuerunt canonistis et jurisconsultis : adnotabimus duntaxat quod in quibusdam scriptoribus libertates nostras ultra modum et contra sensum omnem Ecclesiæ Gallicanæ promoven-

tibus, meritò redarguit doctiss. De Héricourt his verbis : « D'autres, par un excès dont ils ne « considèrent point toutes les conséquences, « font consister nos libertés dans une indé- « pendance entière du Saint-Siége, laissant au « Pape un vain titre de chef de l'Eglise sans « aucune jurisdiction ; ceux qui ont appris « dans les ouvrages des plus illustres prélats « de l'Eglise de France, des docteurs les « plus célèbres, et des canonistes les plus ha « biles, en quoi consistent les libertés don « notre Eglise a été de tout temps si jalouse « raisonnent bien différemment. » De Héricourt, l. 3; *Lois ecclésiastiques*, cap. 17, in proœmio.

Quæri solet utrùm in privilegiis numerari debeant Gallicanæ libertates Ecclesiæ. — Resp. : Privilegiis propriè dictis accenseri ne queunt Gallicanæ libertates ; namque privile gia propriè dicta sunt *leges privatæ contra jus commune in favorem impetrantis inductæ :* unde privilegiati vocantur *qui à jure communi exempti sunt*. At hæc definitio libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ non est accommodata, tum quia maximè sitæ sunt in retinendo et servando jure communi ; tum quia non est quid peculiare et proprium Ecclesiæ Gallicanæ, ut leges habeat et consuetudines quibus insistere ipsi liceat, quantùmvis antiquo communique juri addictam se profiteatur. In conciliis quidem Nicæno, can. 6, et Constantinopolitano, can. 2, voce *privilegii* designatum est jus inveteratum et genuinum ex præscriptis conciliorum ecclesiastica gerendi negotia; eo sensu privilegia nuncupari possent Gallicanæ libertates, seu canonica, confirmata canonibus privilegia. Unde Fevretus duplicis generis secernit privilegia, alia quæ vocat canonica, seu conciliorum innixa decretis, alia verò apostolica, quæ summi pontifices, pro suâ auctoritate et beneficentiâ contulerint. Nam quædam privilegia regibus nostris, quædam magistratibus, quædam nonnullis Ecclesiis contulerunt summi pontifices : verùm libertates Gallicanæ, privilegiorum nomine rarò nuncupantur, quia iisdem scriptores Gallicani significatum volunt jus istud pervulgatum, et quasi naturale, majoribusque præsertim insitum Ecclesiis, ecclesiasticam suam disciplinam exigendi ad normam antiquorum universalis Ecclesiæ canonum et consuetudinum, quæ earumdem aptæ regimini, vim legis apud ipsas obtinuerint ; novam his lucem afferet articuli sequentis explicatio.

Articulus II.

De fundamentis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

Hæc duò vulgò in Galliis assignantur libertatum nostrarum fundamenta : suprema et nemini in temporalibus subjecta regum nostrorum potestas ; suprema in spiritualibus, ipsoque Romano superior pontifice, conciliorum œcumenicorum auctoritas. Quod distinctè his verbis declarat Fleury : « Toutes les liber- « tés gallicanes roulent sur ces deux maximes : « que la puissance donnée par Jésus-Christ à « son Église est purement spirituelle, et ne « s'étend ni directement ni indirectement sur « les choses temporelles : que la plénitude de « puissance qu'a le Pape, comme chef de l'É- « glise, doit être exercée conformément aux « canons reçus de toute l'Église, et que lui- « même est soumis au jugement du concile « universel, dans les cas marqués par le con- « cile de Constance. » Institution au droit ecclésiastique, chap. 25. Ad libertates Gallicanæ Ecclesiæ conferre quidquam superiorem, de quâ mox diximus, œcumenicæ synodi auctoritatem, apertè negavit illustriss. de Marca. Quibus impulsus fuerit ad id inficiandum momentis, patefacere, non abs re fuerit. « Hæc sen- « tentia, inquit, etsi in scholâ Parisiensi, et « cæteris hujus regni Academiis certissima ha- « beatur, (nempe præcipuam libertatum regu- « lam hanc esse ut concilium œcumenicum « superius Romano pontifice dicatur ;) in foro « apud nos non disceptatur, qui libertates per- « inde tuemur, si de concilii generalis novis « decretis, ac si de Romani pontificis constitu- « tionibus agatur. Quin etiam receptos mores « et consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro « usui commodas adeò retinemus, ut etsi ca- « none concilii generalis destituamur, quo illæ « firmatæ sint, tamen ab iis nobis discedendum « esse non censeamus. Quare non est quòd « hæreamus in eâ regulâ quæ Romanis stoma- « chum movet, et quæ rebus nostris non pros- « picit ut par est. Fruetur summus pontifex, « aut æquo jure cum conciliis generalibus, aut « superiori : illud unum in foro expendetur, « an nova constitutio vel novum rescriptum « rebus Gallicanis consulat aut noceat. Si re- « ceptos canones vel receptos mores infringat « aliquo pacto, ejus ratio non habebitur nisi « consensu publico accedente ; præterquàm « quòd enim hæc est novarum legum conditio, « et præcipuè ecclesiasticarum, ut assensu eo- « rum quorum interest, probentur, id sibi

« præcipuè vindicat canonum reverentia, ut « iis pontifices Romani denegare velle non « censeantur, etsi fortassè formulis rescripti ex « stylo curiæ aliter cautum sit. » De Concordiâ sacerdotii et imperii, lib. 3, cap. 7.

Expositâ Petri de Marca illâ opinione, hanc strenuè perstringit doctiss. Bossuet. « Cùm « nostra libertas, inquit, conciliorum maximè « œcumenicorum canonibus contineatur, non « erat inficiandum ejus partem vel maximam « in canonibus Constantiensibus esse reposi- « tam, quos Ecclesia Gallicana non modò sum- « mâ pietate receperit, verùm etiam ut conde- « rentur, omni studio procurârit. » Defens. Declarat. Cleri Gallicani, part. 3, lib. 11, c. 15, edit. 1745. Sic eodem capite illum etiam redarguit : « Gallis non placent, à Gallo ho- « mine et præsule, Gallicanæ expositæ liberta- « tes diversissimo modo, quàm antea fuerat à « Gallis summâ consensione factum. » Tum demùm hæc subjicit attentè consideranda : « At- « que haud scio, inquit, an probari debeat « universim ea libertas, quam vir illustrissimus « statuit, ut in novis morum decretis, ab œcu- « menicorum etiam decretorum auctoritate « liberè recedatur. Factum id quidem semel in « recipiendo concilio Tridentino, non solùm à « Francis nostris, sed etiam à Belgis ditioni « Hispanicæ subditis, cujus rei multæ causæ « sunt, et quædam à nostris tactæ in ipso Tri- « dentino concilio : peculiares illæ quidem, nec « trahendæ universim ad generalia concilia ; « neque satis cautum aut honestum videtur, « passim in eo reponere libertatem, ut ab uni- « versalis Ecclesiæ decretis recedere liceat : « atque id quidem monere interim, at excutere « penitùs alieno loco non libet : quod sanè « aiunt ab Ecclesiâ Gallicanâ certis conditio- « nibus ac modificationibus receptum esse Ba- « sileense concilium, supra retulimus (lib. 6, « c. 12) eas ita esse adhibitas, *sub spe scilicet « quòd per sacrum concilium admittentur.* » Malè profectò de Gallicâ Ecclesiâ mereretur atque sentiret, qui fingeret eam se profiteri auctoritate præstantem universali Ecclesiæ, aut eidem æqualem ; libertates illa repudiaret, quæ schismate ipsam implicarent, orthodoxæ repugnarent fidei, ordinem à Christo constitutum et immutabilem evertere molirentur, eòque collinearent ut quibus maximè fulciuntur principiis, nempe conciliorum, Constantiensis præsertim decretis, illa dejicerentur, funditùsque corruerent. Id verò Petrus de Marca loco fundamenti libertatibus nostris positum voluit ; quod si induceretur, quàm fluxæ et instabiles forent! quanta ipsis immineret labes! Vim scilicet legum tum civilium, tum inprimis ecclesiasticarum, à subditorum acceptatione suspensam esse ac religatam, illust. ille auctor existimavit. Hæc assertio, quâ semel admissâ, potiùs esset penès subditos quàm penès principes legislativa auctoritas, nullo modo cohæret cum administrationis ordinatæ placitis (nisi ut in republicâ iidem sint legislatores, qui subditi) : hinc proscripta est ab Alexandro VII, anno 1665, et à Clero Gallicano anno 1700, sequens propositio : *Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ non recipiat legem à principe promulgatam.* Præiverat sacra Facultas Parisiensis, cùm anno 1521, ut seditiosam ac in fide et moribus erroneam istam condemnavit Lutheri propositionem : *Neque Papa, neque episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu.*

Quodnam igitur Ecclesiæ Gallicanæ libertatum habendum sit fundamentum? — Resp. : Ad accuratam distinctamque intelligentiam, operæ pretium est Gallicanæ fundamentum libertatis secernere à variis disciplinæ capitibus circa quæ ipsa hæc versatur libertas : particularium Ecclesiarum, ipsiusque universalis Ecclesiæ disciplina, opportunas pro rerum adjunctis potest suscipere, ac reipsà suscepit commutationes : « Non contendimus, inquit « Bossuetius, immutabilem esse Ecclesiæ dis- « ciplinam : agnoscimus enim à Patribus nos- « tris in concilio secundo Vasensi commenda- « tos non tantùm *antiquos*, sed etiam *novellos* « *canones.* » Si cum veteribus decretis conferatur Practicâ Sanctione aut Concordato sancita disciplina, nemo est qui diffiteatur non disciplinæ, illam quæ fidei competit, adscribendam esse immutabilitatem. At Gallicanæ libertatis fundamentum stabilius est, quàm decreta quædam et consuetudines quæ pro diversitate temporum ad ecclesiasticam possunt pertinere disciplinam : illud verò, præter duo placita jam commemorata, hoc est, supremam regum in temporalibus potestatem, supremamque concilii generalis in spiritualibus auctoritatem, jus quoddam quasi naturale complectitur inhærendi canonibus præsertim antiquis et consuetudinibus ad statum Ecclesiarum particularium, civilisque ipsius societatis utilitates accommodatis, legitimoque usu advectis et confirmatis ; ostendimus expressis conciliorum, sanctissimorumque pontificum

testimoniis hanc non esse mentem Ecclesiæ, cujus potestas est in *ædificationem, non in destructionem,* ut intempestivo rigore perturbationem immittat, ansamque dissidiis subministret quæ vix deinceps restingui possint. Cæterùm observandum est, vel inter eos qui de principiis ac fundamento Gallicæ libertatis maximè consentiunt, non eamdem vigere consensionem de omnibus principiorum illorum consecutionibus; expendenda sunt ac ponderanda rationum auctoritatisque momenta, tumque bonâ et verè Gallicanâ fide agendum est.

Quæstio altera.

DE TRADITIONIS AUCTORITATE ET PATRUM TESTIMONIIS.

Hæc duo eò distinguuntur, quòd totam non constituant traditionem testimonia Patrum; itaque seorsim de hoc utroque capite disseretur.

ARTICULUS PRIMUS.

De traditionis auctoritate in controversiis de fide ac moribus.

Mirandum fortè quibusdam videbitur, ad finem tractatûs de Ecclesiâ remitti dissertationem de traditionis auctoritate; ab illâ nos exordiri quæstione non sinebat instituendus ordo disceptandarum rerum, nec ut par est elucidari potuisset, nisi præoccupatis, quæ deinceps explananda fuissent, principiis: plurima quidem monumenta traditionis adduximus, ad asserenda confirmandaque dogmata: sed quando cum Protestantibus aliisve traditionis auctoritatem non eâ quæ debetur veneratione prosequentibus certatum est, ipsam tum non adhibuimus tanquàm fidei regulam, sed Patres aliosque auctores ecclesiasticos in præsidium advocavimus, tanquàm doctrinæ testes, quam ætate suâ cum aliis fidelibus profitebantur, aut etiam operibus suis vindicabant. Certè vel creditur Mahumetanis, dùm referunt doctrinam, cui se deditos esse palam voce aut scriptis constanter asseverent, nec docent Protestantes respuenda esse testimonia, quæ genuinis consonant, et in societate receptis critices regulis; sed traditionis qualem hìc defendimus, præstat idæam distinctè evolvere. Traditionis nomine passim donantur ipsæ res quæ traditæ sunt; traditio tamen, si pressiùs attendatur ad subjectam verbo notionem, habenda est potiùs quasi vehiculum cujus ope ab uno ævo ad aliud transmittuntur; latè sumpta potest accommodari ad omnia quæ voce aut scripto enuntiantur: quo sensu dixit Apostolus, 2 ad Thess. c. 2: *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram:* at verò strictè intellecta, et qualis hâc totâ dissertatione usurpatur, in eo posita est, ut doctrinam vel statuta trajiciat quæ *canonicis in libris non versantur:* sive aliunde litteris mandata sint, sive ore solo devecta vel praxi. Distribui solent traditiones in *divinas, apostolicas* et *ecclesiasticas: divinæ* complectuntur divinas revelationes à nullo scriptas auctore canonico, seu divinitùs inspirato, quas Ecclesiæ, sacrum tanquàm depositum, vivâ solùm voce commiserint Apostoli. Traditiones *apostolicæ,* dùm strictè definiuntur, ad ea duntaxat pertinent quæ ad Ecclesiæ regimen, animarumque salutem ab Apostolis constituta sunt; diximus, *dùm strictè definiuntur:* namque interdùm divinæ traditiones vocantur etiam apostolicæ, quatenùs illæ nobis exhibeant dogmata seu instituta quibus, docente Christo, vel afflante Spiritu sancto imbuti fuerint Apostoli; traditionum alias sed obvias prorsùsque expeditas præterimus silentio distributiones. Traditionis auctoritatem vellicare et abjicere ausi sunt omnes penè hæretici: Valentinus quidem et Marcio, referentibus Tertulliano, lib. de Præscriptionibus, S. Irenæo adversùs hæreses, cap. 2, tum Ariani, Nestoriani, Eutychiani, etc., tum et recentiores catholicæ desertores Ecclesiæ, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Brentius, Kemnitius, et alii.

Haud ita desipuisse illos putandum est, ut ea quæ à Christo et Apostolis descendisse dogmata constare crederent, hæc eo ipso repudianda jactarent, quòd ab auctoribus Spiritu sancto inspiratis scripta non essent: sed, ut observat Melchior Canus, « quoniam quid « Christus, quid fuerint Apostoli locuti, eos « solos nôsse putent, qui Christum et Aposto- « los audiêre, colligunt apud nos ne unum « quidem dogma posse traditione probari; « oportere omnes fidei et religionis controver- « sias sacrarum Scripturarum testimoniis com- « ponere, finire verò nihil, nisi quod sacris « litteris sit expressum. » (De Locis theologicis, lib. 3, cap. 1.) Hinc Lutherus in cap. 1 Epist. ad Galatas: « Neque alia doctrina in Ecclesiâ « tradi et audiri debet, quàm purum Dei ver- « bum, hoc est, sancta Scriptura; doctores,

« vel auditores alii cum suâ doctrinâ anathema « sunto. » Calvinus, lib. 4 Institutionum, cap. 8 : « Esto igitur hoc firmum axioma, non aliud « habendum esse Dei verbum, cui detur in « Ecclesiâ locus, quàm quod lege primùm et « prophetis, deinde scriptis apostolicis conti- « netur. » Divinas igitur explodunt traditiones, tot hæresum illi duces ac parentes; de apostolicis autem traditionibus, duplici potissimùm capite dissident à Catholicis : 1° Quòd licet fateantur instituta fuisse ab Apostolis quædam ad ritus et ordinem Ecclesiæ spectantia, hæc tamen ad arbitrium, non ex præcepto servanda effutiant, nihilque eosdem præter Scripturas tradidisse, quod ad fidem aut mores necessariò pertineat. 2° In hoc etiam adversantur Catholicis, quòd contendant, tametsi ab Apostolis derivatæ quædam fuissent ad morum et fidei progressum pertinentes traditiones, earum nullam posse certo argumento demonstrari : imò tantis eas esse vel obsitas tenebris, vel detritas corruptelis, ut nulla extent in iis secernendis vestigia, quibus tutò possimus insistere. Duo inprimis aggredimur : traditionis asserendam defendendamque veritatem suscipimus et auctoritatem; deinde ostendendum quibusnam viis ac rationibus investigari atque dignosci possint veræ ac germanæ traditiones.

Assertio. — *Certissimis argumentis evincitur ad nos usque trajectas esse ac necessariò admittendas traditiones etiam divinas ejusdem ac ipsa Scriptura divina, auctoritatis.*

Nota. Probatione nihil opus est ad persuadendum, vim eamdem obtinere ac scriptum Dei verbum, divinas traditiones, si tales constiterit ad nostram usque ætatem pervenisse; id fatentur adversarii, nec inficiari possunt : neque enim suam ex eo mutuatur auctoritatem verbum Dei, quòd sit exaratum in membranis, sed quòd manaverit à Deo, qui nec falli possit nec fallere : in eo igitur vertitur cardo controversiæ, utrùm reipsà pervenerint ad nos traditiones quædam divinæ, tùm et si aliæ, ut asseveramus, transmissæ fuerint merè apostolicæ, iisdem inesse vim obligandæ conscientiæ, quod ex dictis de auctoritate ecclesiasticâ jam omninò perspectum est. Munitâ sic viâ, positam assertionem possumus multimodis adstruere.

Argumentum primum. — Ad elidendas erroris oppositi vel ipsas radices, quo quidem errore fingitur solis inhærendum esse Scripturis, fore contendimus ut ablatis traditionibus non constaret de librorum qui sacri habeantur canonicitate, non de ipsorum necessariâ integritate, non de legitimâ eorumdem interpretatione, neque de omnibus quæ credenda sint, dogmatibus.

1° Ablatis traditionibus, undenam constaret de librorum qui sacri dicuntur, canonicitate? Conferendis enim secum libris toto inclusis canone, ac sedulò ponderandis quæ ipsorum intrinsecè propria, auctoritatem eisdem maximè conciliare videantur, colligi quidem certò poterit quasdam esse derivatas à Deo, et consignatas scripto revelationes; at exploratum unde habeatur conscriptos esse afflante Spiritu sancto omnes et singulos qui divini nuncupantur libros, tùm ex eodem fonte manâsse singulas quibus potissimùm constituuntur, partes; id nusquàm in Scripturis quas adversarii volunt haberi solam fidei regulam, ullo modo declaratum est. Eritne confugiendum ad privatas quæ singulis fidelibus affulgeant revelationes, aut ad spiritualem sapidumque gustum, revelatæ veritatis arcanum discretorem? Hæc omnia novatorum figmenta, ubi de judice controversiarum, refellenda curavimus.

2° Eâdem ratione demonstratur, traditionis opus esse subsidio, ut compertum habeatur nullum ex libris qui canonici habentur, fuisse aut injuriâ temporum, aut fraude hæreticorum, vel imperitiâ amanuensium depravatum seu adulteratum : nec minùs traditione ediscendum est, Scripturarum versiones propriis quæ dudùm exciderunt consonare autographis; hæc omnia, si traditionis abrumpatur series, dejiciaturve auctoritas, nutabunt incerta, nec solius adminiculo Scripturæ, anxia de iisdem poterit excuti dubitatio.

3° Quantacumque de authenticitate atque integritate totius Scripturæ suppetat certitudo, necesse est insuper ut ritè intelligantur atque exponantur: non enim litterâ duntaxat, sed vero verbi divini sensu informatur fides : traditione autem detractâ, in multis et quidem maximi momenti hærebunt ipsi veritatis studiosi investigatores, cæteris prout libuerit interpretantibus; errantes non poterunt solis revinci ac debellari Scripturis, quibus tamen solis ad instruendam fidem, attendendum et inhærendum, docent adversarii.

4° Disserentes de judice controversiarum, ostendimus deposito fidei quædam contineri dogmata, quæ sine traditione, non possint, quantùm oporteat, vindicari; qualia sunt jugis

et illibata B. Mariæ virginitas, collati parvulis validitas baptismi, etc.

Adjicere hìc possumus, licet ab Adam usque ad Moysen extiterit in mundo Ecclesia Dei, hominesque Deum, fide, spe et charitate, externisque ritibus colerent, ut præstiterunt Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Melchisedech, et alii justi, nullam tamen propositam fuisse Scripturam divinitùs inspiratam ante Moysis tempora. Omnium enim consensu, sacris scriptoribus habetur ipse antiquior : solâ itaque ad conservandam Religionem traditione, annis bis mille utendum fuit : hinc in Genes nulla injicitur mentio doctrinæ scriptæ, sed solùm traditæ. *Scio,* inquit Deus, Genesis cap. 18, *quòd Abraham præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.*

Argumentum II. — Extra dubium est, ut scitè animadvertunt Wallemburgenses, « per testes « inchoatam fidem, per testes fuisse conti- « nuatam, et fideles Christi apostolos, eum « prædicandi modum qui à Christo erat com- « mendatus, tum observâsse, tum aliis com- « mendandum tradidisse. » At paulò magis expendendum est id argumenti genus.

« Constat, inquit Melchior Canus, christia- « nam Religionem non litteris primùm, sed tra- « ditione substitisse ; constat rursùm fidei do- « ctrinam in Ecclesiâ primitivâ, non à Scri- « pturis habuisse auctoritatem, sed contra « Scripturas à traditione : *sicut tradiderunt,* ait « S. Lucas, *nobis qui ab initio ipsi viderunt, et « ministri fuerunt sermonis.* » Dixerat priùs idem theologus, et opportunè (de Locis theologicis, lib. 3, cap. 3) : « Christus etiam Dominus li- « brum nullum scripsit, imò quantùm legimus, « ne præcepit quidem ut scriberetur : *Euntes,* « non ait, scribite, sed, *prædicate Evangelium « omni creaturæ.* » Christus procul dubio *testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei,* Apocal. cap. 3, v. 14 : *Ecce testem populis dedi eum ducem ac præceptorem gentibus,* Isai cap. 55, v. 4. Apostolos elegit Christus, quorum testimonio evangelica diffunderentur instituta : *Accipietis,* inquit, *virtutem Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ,* Act. Apost. cap. 1. Nec temporibus Apostolorum circumscribenda aut circumscripta fuit via testimonii ; hinc Apostolus gentium, cùm sequentes prospiceret ætates, dilectissimum discipulum et cooperatorem Timotheum sic admonuit : *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere,* 2 ad Timoth. cap. 2.

Non igitur Christo et Apostolis propositum fuit verbum Dei ad solam restringendam Scripturam ; rem tanti momenti præcepisset Christus neque Domini mandatum omninò tacuissent Apostoli ; præterea Apostolis et Evangelistis si constitutum fuisset doctrinam suam ex professo litteris consignare, catechismum quemdam, vel librum edidissent ad instituendos aptè populos, sicut antequàm disseminandi causâ Evangelii orbem peragrare cœperint, communi condiderunt distinctè symbolum, in quod præcipua contulerunt fidei capita, et id quidem vivâ duntaxat voce, non scripto tradiderunt ; qui autem epistolas scripserunt, ut Petrus, Paulus, Jacobus, Joannes, Judas seu Thadæus, non nisi datâ diversâ occasione ad scribendum mentem appulerunt, atque in iis epistolis obiter aliquando et pro rerum adjunctis christiana quæ occurrebant, tractaverunt dogmata. Quin et ad conscribenda Evangelia, Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, non nisi speciali causâ, et quâdam mixtâ necessitate compulsi sunt, ut testantur de Matthæo Eusebius, lib. 2 Hist. ; de Marco, lib. 2 ; de Lucâ, lib. 31 ; ac de Joanne S. Hieron., lib. 2 de Scriptoribus ecclesiasticis.

Argumentum III. — Solis utrùm insistendum sit Scripturis ad componendas de Religione controversias, utrùmve insuper subministretur nobis, atque consectanda sit traditio, tanquàm tuta certaque via indagandi quid credendum sit, ipsiusque, ut par est, dignoscendæ Scripturæ, id profectò Ecclesiam latere non potuit ; quid enim pluris interest quàm habere cognitum, an credendi regula solo in scripto Dei verbo constituta sit, an verò altera paris exhibeatur auctoritatis, quæ meritò nuncupetur verbum Dei non scriptum? Christianâ autem in Ecclesiâ jugiter persuasum fuit, suppeditari traditiones quæ ad ipsam instruendam fidem, conformandosque mores certò valeant, ac necessariò tenendæ sint.

Fideles adhortatur gentium Apostolus, ut communicatam sive Scripturis, sive absque Scripturis doctrinam sequantur : *Itaque, fratres,* inquit, *state, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram,* ad Thessal. 2, cap. 2.

Longam insignes controversiæ, quos inter Bellarminus, proferunt testimoniorum seriem quæ traditionis auctoritati suffragantur tanquàm indubitanter in Ecclesiâ receptæ ; quæ-

dam duntaxat eò loci adducentur ne increscat nimiùm dissertatio. S. Irenæus, lib. 3, adversùs hæreses, cap. 4: « Quid autem, ait, si « neque Apostoli quidem Scripturas reliquis- « sent nobis, nonne oportebat ordinem sequi « traditionis, quam tradiderunt iis quibus com- « mittebant Ecclesias? Cui ordinationi assen- « tiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui « in Christo credunt, sine chartâ et atramento « scriptam habentes per spiritum, in cordibus « suis salutem et veterem traditionem diligen- « ter custodientes, » etc.

Ex professo probat Tertullianus de Præscript. cap. 19, aliud præter Scripturas adhibendum esse, ad fidei defensionem, armorum genus: « Ergo, inquit, non ad Scripturas provocandum « est, in quibus aut nulla, aut incerta victoria « est, aut par incertæ; nam etsi non ita evade- « ret collatio Scripturarum, ut utramque par- « tem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, « illud priùs proponi, quod nunc solùm dispu- « tandum est: quibus competat fides ipsa; « cujus sint Scripturæ; à quo, et per quos, et « quando, et quibus sit tradita disciplina quâ « fiunt Christiani. » S. Cyprianus, lib. 2, epist. 63: « Admonitos, inquit, nos scias ut in calice « offerendo dominica traditio servetur, neque « aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis Do- « minus prior fecit, ut calix qui in commemo- « rationem ejus offertur, mixtus vino offe- « ratur. »

S. Basilius, libro de Spiritu sancto, cap. 27: « Dogmata quæ in Ecclesiâ servantur ac præ « dicantur, partim ex conscriptâ doctrinâ ha « bemus, partim ex Apostolorum traditione in « mysterio ad nos delata recepimus; quæ « utramque eamdem ad pietatem vim habent, « et nemo his contradicit, qui vel mediocrem « saltem ecclesiasticorum jurium experientiam « habet. » S. Epiphanius hæresi 55: « Termini « nobis positi sunt et fundamenta, et ædificatio « fidei, et Apostolorum traditiones, et Scriptu- « ræ sanctæ, et successiones doctrinæ, et un- « dequàque veritas Dei munita est. » S. Augustinus, lib. 5, contra Donatistas, cap. 26: « Quod nos admonet ut ad fontem recurramus, « id est, ad apostolicam traditionem, et inde « canalem in nostra tempora dirigamus, opti- « mum est, et sine dubitatione faciendum: « traditum est ergo nobis, sicut ipse comme- « morat ab Apostolis quòd sit unus Deus, « unum baptisma, » etc.

Hinc synodus generalis Nicæna secunda, meritò sic pronuntiat act. 7: « Si quis tradi- « tionem Ecclesiæ sive scripto, sivo consuetu- « dine valentem non curaverit, anathema sit. » Idem sancitum est in concilio VIII œcumenico, act. 8. Hinc etiam sapientissima hæc concilii Tridentini declaratio, quam irrito conatu impugnant Protestantes: « Perspiciensque (sancta « synodus) veritatem et disciplinam contineri « in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, « quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, « aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, « quasi per manus traditæ ad nos usque per- « venerunt; orthodoxorum Patrum exempla « secuta, omnes libros tam veteris quàm novi « Testamenti, cùm utriusque unus sit auctor, « necnon traditiones ipsas tum ad fidem, tum « ad mores pertinentes, tanquàm vel ore tenùs « à Christo vel à Spiritu sancto dictatas, et « continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ « conservatas, pari pietatis affectu ac reve- « rentiâ suscipit et veneratur. » Sess. 4, decretum de canonicis Scripturis.

De traditionibus apostolicis atque ecclesiasticis tria tantummodò ad institutum nostrum adnotanda nobis hìc videntur: 1° Quicumque admittendas esse, et ad nos usque fideliter trajectas divinas traditiones profiteantur, apostolicis et ecclesiasticis non reluctabuntur traditionibus. 2° De traditionibus apostolicis hæc tenenda S. Augustini regula rationi admodùm consentanea: « Quod universa tenet Ecclesia, « nec conciliis institutum, sed semper reten- « tum est, non nisi auctoritate apostolicâ tra- « ditum rectissimè creditur. » 3° Quod autem prætensæ auctores reformationis docuerint, institutis quæ Apostoli aut eorum successores protulerint, ut pastores Ecclesiæ, dirigi quidem potuisse, at non verè obstringi conscientias, id multis confutatum est argumentis adscribendâ summo pontifici et episcopis legislativâ auctoritate in spiritualibus.

Solvuntur objecta.

Objicies 1°: Ad astruendam traditionum veritatem et auctoritatem, duo ex necessitate requiruntur: necesse est ut ab ævo Apostolorum, ad nostram usque ætatem transmeare potuerint, et quidem salvâ earum integritate; deinde oportet ut à falsis spuriisque traditionibus possint certò discerni; hæc autem duo præstari non potuerunt. 1° Si quæ dogmata vel instituta tradiderunt Apostoli quæ canonicis in libris non reperiantur, undenam pro certo habeamus ea vel oblivione, imperitiâ, negligentiâ, vel insitâ hominibus perversitate

non fuisse vitiata et interpolata, aut ipso corrosa et corrupta edacis ac fallentis temporis lapsu? Idem religiosæ soli permissis traditioni contingere potuit quod Lycurgi, Pythagoræ et similium experta sunt dogmata, quæ cùm scripta non essent, injuriâ temporum exoleverunt pleraque, et dissipata sunt; præterea, quo Lydio veluti lapide pertentari atque internosci queant sinceræ traditiones admixtæ mendacibus? Quot enim sub larvatæ traditionis obtentu adrepserunt exitiosa hominum figmenta? Nonne hoc modo decepti sunt olim et inescati sanctissimi etiam viri? Sic futurum credidit et docuit speciosâ captus traditione Papias, ut post resurrectionem generalem regnaret in terris per mille annos Christus; Papiæ, ut notum est, consenserunt S. Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique permulti; traditione pariter innixus, mox appellatus S. Irenæus, Christum putavit passum fuisse anno ætatis suæ circiter quinquagesimo, quam opinionem refugiunt Tertullianus, Clemens Alexandrinus, et alii plerique; ergo, etc.

Resp. ad primum : Traditiones quantùm oporteat ad incolumitatem præsidiumque fidei, servare incorruptas, et apostolicæ tenaces doctrinæ, potuit, servandisque consuluit eadem providentia, quæ fidem sine quâ impossibile est placere Deo, tutandam olim in patriarchis, tum eorum familiis absque scripto curavit; traditiones tueri, et à corruptelæ periculis defendere potuit ac voluit hæc eadem providentia, quæ sacræ deposito Scripturæ ad nos delatæ tam sapienter invigilavit; quæ ipsam Ecclesiam asperis undique et ingeminatis vexatam tempestatibus custodivit, et invictè protexit. Cùm traditionum utilitas tanta sit et necessitas, ut probatum est, quid mirum fovendis illis ac defendendis providisse omnipotentem æternamque sapientiam, Dominum? Cæterùm assignare possumus multiplicem easdem conservandi aptam idoneamque viam : 1° Scripta Patrum et doctorum Ecclesiæ; quamvis enim in divinis litteris scriptæ non sint traditiones, plerasque tamen reperire est in testimoniis veterum, ecclesiasticisque libris.

2° Usu manifesto et continuo recoluntur plurimæ traditiones : ut puta quæ ad sacramentorum legitimam administrationem, celebrationem missæ, divinaque officia pertineant.

3° Multas quoque referunt, et oculis subjiciunt traditiones vetusta quædam et publica monumenta, antiquissima scilicet templa, et vetustissima in eisdem altaria; sacri fontes baptismo destinati, memoriæ sanctorum, cruces, imagines, etc.

4° Tenendas traditiones testificantur inprimis perpetuum quod in Ecclesiâ viget externum ministerium, haud intermissa pastoralis prædicatio, et explanatio symboli Apostolorum, et cæteræ de Religione institutiones, tùm etiam et splendidè acta conciliorum quæ ad christianæ doctrinæ et disciplinæ defensionem ac decus, diversis habentur ætatibus.

5° Retinendis, illustrandisque traditionibus, ipsæmet plurimùm inserviunt hæreses : quia enim, ut optimè observat Bellarminus, de Verbo Dei, lib. 4, cap. 12, « singulis ætatibus orti « sunt novi hæretici, qui diversa dogmata Ec- « clesiæ oppugnârunt; ideò etiam singulis « ætatibus extiterunt homines docti, qui, ut « hæreticis resisterent, diligenter investigâ- « runt doctrinam Ecclesiæ et traditiones « antiquas, et magnâ diligentiâ eas posteris commendârunt, quemadmodùm qui diu pa- « cificè possidet bona sua, facilè amittit instru- « menta et litteras quibus continetur unde illa « bona pervenerint, et quo jure bona illa « possideat; at qui semper litigat (hoc est, « jugibus impetitur litibus), diligentissimè illa « custodit, nec excidere ullâ ratione patitur. »

6° Revocetur in memoriam id quod ubi de apostolicitate, deprompsimus probationis genus, ex multiplicitate, connexione et concursu diversarum generationum ad obfirmandam doctrinæ perpetuam successionem.

Resp. ad secundum : Ad secernendas à falsis veras traditiones conferunt quæ conservationi earumdem adscriptæ sunt viæ : quid enim divinis et apostolicis prodesset servandis traditionibus, si violatas duntaxat corruptasque doctrinas trajicerent ac enuntiarent? Dijudicandis traditionibus tres istæ generales proponi possunt regulæ : Prima : Quidquid Ecclesia teneat tanquàm dogma fidei, quod tamen sacris in litteris non inveniatur, id necesse est divinitùs fuisse revelatum, cùm in dogmatibus fidei errare non possit Ecclesia; idemque colligitur solâ esse transmissum traditione, cùm novis Ecclesia non dirigatur revelationibus. Secunda : Quod à Deo solo institui potuerit, et universâ servatur in Ecclesiâ, quamvis canonicis in Scripturis nusquàm detectum sit, id solis oportet similiter acceptum referri traditionibus, ac firmissimè retineri, cùm ad Religionis integritatem attineat, et in moralibus institutis errori impervia sit Ecclesia.

Tertia : Quod de fidei morumque testantur doctrinâ, matrices Ecclesiæ, afflante tamen Spiritu sancto non scriptum, quod inventum ab hominibus, confictumque ostendi non possit, id revocandum est divinam ad originem : meritò enim creditur totum istud ab Apostolis, tanquàm revelationis partem, Ecclesiis illis traditum quæ ab ipsis fundatæ sunt ; hâc methodo usi sunt opportunè ac feliciter Tertullianus in libro de Præscriptionibus, S. Irenæus adversùs hæreses, et insignes alii defensores Ecclesiæ; catholico quidem in orbe, præter Romanam particularem Ecclesiam, non extant ampliùs Ecclesiæ quæ ab Apostolis proximè et immediatè ortum duxerint : apostolicæ tamen propaginis consortes, et doctrinæ hoc ipso habentur hæredes, quo Romanæ Ecclesiæ tanquàm centro communionis adhærere se profiteantur.

Objicies 2° : Scripturis sacris indicatur tanquàm exitiosas aut saltem inutiles respuendas esse traditiones. Matth. cap. 15 : *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Ad Galat. cap. 1 : *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Apocal. cap. 22 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* 2 ad Timoth. c. 3 : *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ergo sufficiunt divinæ litteræ, ad rectam christianamque institutionem; ut quid ergo adhibeantur traditiones? Joann. 20 : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt ut credatis, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo sine traditionibus comparari potest fides ad vitam æternam necessaria.

Resp. ad singula : Matth. cap. 15, non reprobant Christus et Apostoli traditiones quas Judæi à Moyse et à prophetis acceperant, sed merè humanas, noxias aut inanes; tales sunt quæ citato exponuntur capite, quibus freti, piaculo ducebant Pharisæi illotis manducare manibus, gravia licet Dei mandata audacter transgredientes ; aut palàm docebant satius esse injussa etiam offerre munera Deo, quàm iisdem donis, laborantibus quantâcumque egestate parentibus opitulari ; absit ut velimus ejusmodi indulgere traditionibus. Ad Galat. cap. 1, hoc verbum, *præter*, idem aliquando significat, quod, *contra;* sic Romanorum ultimo : *Observate eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam accepistis faciunt,* mens non fuit S. Paulo, alia omnia quæ ipse, vel alii docerent Apostoli, anathemate percellere; adde quòd hæc verba : *Præterquàm quod evangelizavimus vobis,* tam de vivâ voce, quàm de scripto prædicatis intelligi possint; non ergo traditionibus adversantur. Apocal. cap. 22, vetat S. Joannes, ne liber ille suppositiiis corrumpatur traditionibus aut documentis : non autem prohibet ne alii scribantur libri, aut alia scribantur dogmata; non id omne complectitur Apocalypsis, quod edocendi sunt populi. Ad Timoth. cap. 3, illæ voces, *omnis Scriptura divinitùs inspirata*, etc., referri posset ad quemlibet librum divinitùs inspiratum, quem unumquemque nemo dixerit, ediscendam omnem exhibere christianæ Religionis doctrinam; deinde aliud est utilem esse omnem Scripturam divinitùs inspiratam ad docendum, ad arguendum, etc., aliud est eam ad hæc cuncta per seipsam sufficere; sic ad sustentandum corpus, utilis procul dubio cibus, nec tamen sufficit; non edocet Scriptura, nisi certò cognita ut verbum Dei, et probè intellecta : quinam verò sint libri canonici; utrùm versiones apprimè congruant autographis; utrùm suis omnibus partibus integri ad nos trajecti sint; quemnam sensum illis expressum voluerit Spiritus sanctus; ad hæc omnia ostensum est quantæ sit utilitatis ac necessitatis divina et apostolica traditio, eamdemque commendat divina ipsamet Scriptura.

Accedit quòd quando scripta est hæc ad Timoth. epistola, nondùm extaret Apocalypsis, nec Evangelium Joannis; aliud etiam fortè tum desiderabatur canonicis ex monumentis; denique hæc Apostoli ad Timoth. verba : *Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis ad,* etc., referuntur ad illa quæ proximè antecedunt : *Quia ab infantiâ sacras litteras nôsti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu.* Ergo ibi loquitur Apostolus de Scripturis veteris Testamenti; tum enim cùm primævam ætatem ageret Timotheus, non dùm editum erat novum Testamentum; numquid igitur tanquàm inutilia abjicere debeamus quatuor ipsa Evangelia, cæterosque novi Testamenti canonicos libros? Joann. 20 : *Multa quidem et alia signa fecit*, etc. His vocibus, ut patet, designantur miracula, significatumque voluit S. Joannes, eò collineare quæ enarravit miracula, ut fidem excitent, nutriant, corroborent, quæ viam sternit ad propositam salutem

Objicies 3° : Ipsâ traditione impugnari potest utilitas et necessitas traditionis : nam instruendæ, defendendæ et augendæ fidei sufficere sacras Scripturas profitentur ipsi celeberrimi testes traditionis. Tertullianus, lib. contra Hermogenem : « Adoro Scripturæ plenitudinem : scriptum esse doceat Hermogenis officina ; si non est scriptum, timeat væ illud, « adjicientibus vel detrahentibus destinatum. » Origenes, homil. 1 in Jeremiam : « Necesse est « nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare ; sensus quippe nostri et enarrationes « sine illis testibus non habent fidem. » Ergo traditione opus non est. S. Cyprianus in epist. ad Pompeium : « Si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut in « Actis continetur, observetur etiam hæc sancta « traditio. » Ergo, quod scriptum non sit afflante Spiritu sancto, illud servare non tenemur.

S. Hieronymus in cap. 23 Matth. : « Quod de « Scripturis auctoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur. » S. Chrysost. homil. in Psalm. 95 : « Si quid dicatur « absque Scripturâ, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans. » S. Augustinus, lib. de Bono viduitatis : « Quid amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus ? Sancta enim Scriptura « nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus « sapere plus quàm oportet. »

Resp. Præmittenda quædam generatim nobis videntur, quæ distributim poterunt facilè adhiberi exponendis quæ objecta sunt testimoniis.

1° Traditioni datâ occasione patrocinantur, ut probatum est, ipsimet auctores quorum placitis abutuntur Protestantes ad eam vilipendendam. 2° Sufficere quidem indicârunt Patres Scripturam ad confirmanda quædam de quibus disputabant, dogmata ; tùm etiam ad percipienda morum generalia principia, generalia pariter remedia vitiorum et virtutum incitamenta ; sed Patrum nemo docuit mandatum Ecclesiæ depositum sanæ doctrinæ, ea solùm capere quæ sacris libris contineantur. 3° Iisdem in locis quibus sacras sufficere litteras innuere videantur, de Scripturâ loquuntur intellectâ secundùm expositionem Patrum et sensum Ecclesiæ, quibus esse inhærendum passim asseverant. 4° Exsufflari volunt supposititias et repugnantes Scripturis sacris traditiones ; non eam quam ipsæ extollunt traditionem, ac perenne testium munus et consortium, in asserendis et propagandis christianæ Religionis institutionibus. 5° Aliquando significant non opus fuisse ad salutem fidelium, ut ex dictis, factisque Jesu, alia scriberentur, quàm quæ scripta sunt : hæc enim scribere, satis fuisse ; reliqua igitur ab Evangelistis sine culpâ esse prætermissa. Denique obscurissimis quibusdam in quæstionibus, si traditioni insistendum non putaverint, nihil inde violatur traditionis auctoritas ; quæ enim usu et moribus Ecclesiæ consignata tenemus, eà solent ita esse comperta, ut de iisdem disputandi præripiatur locus : quæ tamen assertio exceptionibus non caret.

Jam breviter respondendum ad singula : Docet Tertullianus Scripturis plenè contineri dogma creationis, de quo solo disceptabat cum Hermogene, atque anathema imminere dogma illud impugnanti, adulterandis, sive detrahendo, sive addendo, Scripturis : cæterùm traditionis commendationi totus impenditur liber quem de Præscriptionibus adornavit Tertullianus. Asserit Origenes, non ex proprio et humano sensu dijudicandas esse quas tum versabat quæstiones, verùm ex Scripturis afferendam esse earum solutionem, maximè cùm de illis aut sileret, aut nihil clari traditio subministraret, quam aliàs disertè advocat ; v. g., homil. 5 in librum Numerorum. De traditione iterationem baptismi hæreticorum prohibente conqueritur S. Cyprianus, traditionis aliunde ita studiosus, ut hoc idem illi verterit culpæ Brentius de quo vide Bellarminum. Declarat S. Chrysost. quæ ex propriâ duntaxat cogitatione eliciuntur, ea claudicare, vacillare, multòque inferiora esse sacrarum testimonio Scripturarum : de aliis solutu minimè arduis S. Chrysostomi textibus consule Bellarminum (de verbo Dei non scripto, lib. 4, cap. 11). S. Hieronymus quorumdam explodit sententiam qui ex apocrypho aliquo libro evincere nitebantur, patrem Joannis Baptistæ illum fuisse Zachariam, quem inter templum et altare occiderunt Judæi ; omnique auctoritate carere opinionem illam ex libro non canonico extractam. Neque magis moratur quod dixit in cap. 1 Aggæi : « Quæ absque auctoritate et « testimoniis Scripturarum, quasi traditione « apostolicâ spontè reperiunt atque confingunt, « percutit gladius Dei. » Manifestum est à sancto doctore eas duntaxat deprimi traditiones, quæ ad eludenda Scripturæ testimonia confingerentur. S. Augustinus voluit Scripturæ sacræ tanquàm inconcussæ regulæ adjungi fidem in his omnibus quæ in eâ revelata sint. At non

abjicit traditionem sacris litteris vindicandis et exponendis destinatam : « Scriptura, inquit « Bellarminus, quia est regula, inde habet, « ut quidquid continet, sit necessariò verum « et credendum, et quidquid ei repugnat, sit « necessariò falsum et repudiandum : quia non « est regula totalis, sed partialis; inde illi acci- « dit, ut non omnia mensuret, et propterea « aliquid sit de fide quod in ipsâ non continetur, « et hoc modo debent intelligi beati Augustini « verba. »

Objicies 4° ex canonicarum Scripturarun discretione : præcipua inter argumenta quibu asserenda suscipitur necessitas traditionis, is tud positum est, hujus ope secernendos à libris Spiritu sancto afflante exaratis, supposititios alienosque à divinâ inspiratione fœtus : nec alia subministratur illos omnes internoscendi via, si Romanâ cum Ecclesiâ statuatur, non privato spiritu, non privatis revelationibus, non solâ Scripturarum discussione habendum esse tanti momenti delectum; at de quorumdam canonicitate librorum ab antiquis vehementer dubitatum est; et de iisdem discrepant inter se atque colliduntur traditiones; dissentiebant Patres à Patribus; decertabant secum invicem insignes Ecclesiæ; quâ ratione igitur potuerit à traditionibus hauriri certa canonicarum litterarum ab aliis distinctio, securaque notitia?

Nec defuerunt catholici doctores qui determinationem illam contenderent solis esse adscribendam Apostolorum temporibus. Ita Durandus in lib. 3 Sententiarum, distinct. 24, quæst. 1 : « Quod distinctum est, inquit, de « approbatione Scripturæ per Ecclesiam, in- « telligitur solùm de Ecclesiâ quæ fuit tempore « Apostolorum. » Ad eamdem opinionem accesserunt Joannes Driedo, et maximè Thomas Waldensis, qui advocat in sententiæ suæ defensionem testimonium illud S. Hieronymi, in psalmo 86 : « Dominus narrabit in Scripturis « populorum et principum horum qui fuerunt « in eâ : ut exceptis Apostolis quodcumque « aliud postea dicitur, abscindatur, nec auc- « toritatem habeat. » Affert et illud S. Augustini dicentis de quibusdam scriptis sub Apostolorum nominibus, libris : « Ipsorum scripto- « rum suorum temporibus, in auctoritatem « Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti et docti « homines qui tunc in vitâ erant, et examinare « talia poterant, eos vera locutos esse cogno- « scerent. » Ex quibus id infert Waldensis transiisse horam, nec posse crescere jam canonem; atque concludit eos qui credunt Scripturarum canonem posse adhuc augeri per auctoritatem Ecclesiæ, « cum Judæis plenitudi- « nem temporis expectare, Judaico forsitan « sub Messiâ. »

Resp. 1° : Distinctè figendus nobis cum Stapletone, lib. 2 Doctrinal. fidei antiquæ, cap. 20 et 21, videtur status controversiæ; ex adversariis alii sentiunt nullius esse auctoritatis ad secernendam Scripturam, Ecclesiæ testimonium, inhærendumque soli spiritûs arcano testimonio : ita docent Calvinus et ejus sequaces; alii autem illud quidem testimonium fatentur auctoritate non vacare, sic tamen ut veteris tantùm Ecclesiæ, idemque constans et perpetuum admittant suffragium, ut Brentius cum suis Wirtembergensibus; sunt etiam qui priorum ætatum Ecclesiæ judicium Religioni non ducant, auditis melioribus, ut putant, rationibus deserere, ut Magdeburgenses Centuriastæ; denique occurrunt, qui christianæ Ecclesiæ auctoritatem in eâ controversiâ recipere videantur, at non instar judicii, et prolati à superiore decreti : quæ Lutheri fuit sententia. Catholici autem spontè quidem agnoscunt, ab Ecclesiâ neque posse pro canonicis libros haberi, quos Apostoli reprobaverint, neque canoni Scripturarum ullum eorum adscribi qui ævo apostolico conditi non sint : attamen, ut abundè demonstratum est ubi de judice controversiarum, exposita mox placita novatorum omninò rejiciunt, atque opitulante traditione et interprete cujuscumque ætatis Ecclesiâ, dignoscendas esse canonicas Scripturas firmissimè credunt.

2° Libri canonici dividuntur in protocanonicos et deuterocanonicos; protocanonici vocantur qui Ecclesiarum omnium consensu ab exordio recepti sunt, atque relati sacras in Scripturas; ut puta libri quinque Moysis, quatuor Evangelia; deuterocanonici dicuntur libri inspirante quidem Deo conscripti, de quorum inspiratione mota est inter Ecclesias controversia; sed eamdem deinceps apud universalem Ecclesiam obtinuerunt auctoritatem, quam protocanonici : tales sunt ex veteri Testamento libri, Esther, Baruch, Danielis capita quibus continentur hymnus trium puerorum, Susannæ historia, et historia draconis à Daniele occisi : Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici; libri Machabæorum duo, nempe primus et secundus : at ex novo Testamento, epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, epistola Judæ, et Apocalypsis, qui-

bus adde ultimum Marci, et historiam sudoris sanguinis Christi, et angelicæ apparitionis, consolationisque in Evangelio Lucæ.

3° Concilium Tridentinum, sessione 4, in decreto de canonicis Scripturis, enumeratis omnibus qui canonici haberi debeant libris, ita concludit : « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partiibus, prout in « Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur pro « sacris et canonicis, non susceperit, et traditiones prædictas, sciens et prudens contempserit, anathema sit. »

Synodo Tridentinæ longè præiverant in contexendo librorum canonicorum, et quidem eodem catalogo concilium Carthaginense III anno 397 : Innocentius I, Epist. ad Exuperium S. Augustinus, lib. 2 de Doctrinâ christianâ cap. 8; Gelasius Papa, in concilio Romano S. Isidorus Hispalensis, lib. Etymolog. cap. 1; hoc solo interposito discrimine, quòd pro more illorum temporum, Innocentius, Patres Africani et Gelasius, Baruch à Jeremiâ non sejungant, et Gelasius libros duos Machabæorum pro uno habeat.

4° Jam verò quòd ad Ecclesiam pertineat definire, et infallibili quidem auctoritate, quinam libri habendi sint canonici, id exploratè perspectum est ex omnibus argumentorum generibus, quibus Ecclesiæ supremam auctoritatem absolutamque infallibilitatem in fide moribusque vindicavimus : dogmaticas enim inter quæstiones recenseri manifestò debent exorientes de canonicitate librorum controversiæ potest igitur Ecclesia discutiendis, atque alii cum aliis sedulò conferendis, diversarum etiam ætatum monumentis avitæ traditionis, Patrumque testimoniis, dijudicare quid sacris litteris annumerandum, quidve tanquàm spurium abjiciendum sit.

Temporibus apostolicis terminata non fuit infallibilitas Ecclesiæ in assignandis libris inspirante Spiritu sancto conscriptis; necessarium illud donum, ex instituto Christi, ad futuram quoque spectabat durationem Ecclesiæ, quæ Apostolica ideò dicitur et creditur, quòd ab ævo Apostolorum continuâ serie ad nos usque, collatis à Christo dotibus instructa permaneat; hinc ætate quâlibet ad illam quæ tunc viget Ecclesiam refertur dubiorum determinatio quæ in causâ Religionis pro humani varietate ingenii excitantur, judicem enim vivum perpetuò adesse oportet, qui momentosas societatis christianæ lites opportunè et certò componere valeat, quales sunt profectò, quæ ad perspiciendam declarandamque fidelibus Scripturarum canonicitatem referuntur.

Quæ ex testimoniis Durandi, Joannis Driedonis et Thomæ Waldensis objecta sunt, cum assertione nostrâ cohærere possunt, si dicatur hoc unum illos voluisse auctores, scilicet ut Ecclesia nec possit novos condere canonicos libros, neque eos adjicere canoni, quos rejecerint, aut cognitos non habuerint omnes Apostoli; diximus, *aut cognitos non habuerint omnes Apostoli.* Quos enim ultimâ in senectute conscripsit Joannes Apostolus, mirum non est à cæteris illos Apostolis dùm viverent, perspectos non fuisse, cum nondùm essent exarati.

Inst.: Apostolorum neminem latuit, quænam, v. g., ex veteri Testamento habendæ sint Scripturæ, tanquàm à Spiritu veritatis inspiratæ, neque id celatum Ecclesias voluerunt quas condiderint : quo pacto igitur in Ecclesiâ tamdiù dubitatum fuit de canonicitate librorum quorumdam veteris Testamenti, hæc eadem argumentatio intorqueri posset contra nonnullas novi etiam Testamenti Scripturas.

Resp. : Non est præjudicandum, determinatum fuisse et obsignatum ab Apostolis, eorumve discipulis canonem qui libros omnes comprehenderet divinitùs inspiratos, eumque fidelibus ut normam credendi quasi solemniter propositum; hoc ut præstarent necessariò non postulabat aut informandæ fidei, aut vitæ christianæ instituendæ ratio; ut enim taceamus (quod suo loco observavimus), commemorari à S. Irenæo gentes quæ absque Scripturis, mores tamen suos ad evangelicam exigebant regulam, nonne diversis compertum est seculis, varias quæ circumferebantur, de quorumdam librorum inspiratione opiniones non obstitisse, quominùs et fidei integritatem, et pietatis constantiam retinerent tot insignes viri quorum laus est in Ecclesiâ Dei, et memoria in benedictione? Quin et illud observatu dignum est, in symbolo fidei quod ab Apostolis conditum est, nullam fieri canonici alicujus libri mentionem : persuasum nempe habuerunt, hoc ipso quòd, ut tradiderunt, *in sanctam* credendum esset *Ecclesiam,* eamdem fideles ut ducem ac magistram in dignoscendis sacris Scripturis, remotâ omni dubitatione, constanter esse secuturos.

Quamvis Apostoli fidelibus omnibus explicitè credendam non exhibuerint singulorum librorum qui divini habeantur, canonicitatem,

quin tamen eorum omnium notitiam Ecclesiarum præpositis tradiderint, non est ambigendum : quo autem pacto traditio hæc apostolica lapsu temporum (quod ad aliquos attinet sacros libros), quasdam apud Ecclesias obnubilata sensim fuerit, irrepente oblivione vel incuriâ, infaustisve rerum adjunctis, etiamsi explicari distinctè non posset, nihil inde detraheretur auctoritati ac judiciis catholicæ Ecclesiæ ; hujusmodi casibus id commune est ut eorum origo variique progressus enarrari atque evolvi articulatim et enucleatè non possint ; nec id plus habet admirationis, quàm quomodò exciderint prorsùsque sint amissi libri nonnulli, quos constat et apud omnes in confesso est, fuisse inspirante Spiritu sancto conditos.

Verùm id quo summa rei continetur, præ oculis semper habendum, Ecclesiæ providente Deo donatum esse, de Scripturarum omnium canonicitate earumque genuino sensu decernere, ac definire irreformabili decreto, dissitâ quantùmvis à temporibus apostolicis ætate, quid teneri, quid credi ubique gentium oporteat.

Verissimè itaque dictum est ab eruditissimo Stapletone, Controversiarum 5, lib. 9 : « Fides « fidelium, quæ ex auditu est, audit propriè « præsentem Ecclesiam, et acquiescit testimo- « nio atque judicio, pro tempore docentis et « pascentis Ecclesiæ, ut in aliis dogmatibus, « ita in Scripturis canonicis recipiendis : sicut « propriè et immediatè subjiciuntur fideles « pastoribus pro tempore existentibus, non « eorum antecessoribus, nisi per consequens, « et propter eamdem fidei unitatem, quæ facit, « ut pro patribus habeamus multis ante nos « seculis defunctos Ecclesiarum pastores et « episcopos. »

Hinc in astruendâ librorum canonicitate auctores ecclesiastici, tam confidenter utebantur testimonio quod ipsorum vigebat temporibus : « His ferè compendiis utimur, inquit « Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem, cùm « de Evangeliis adversùs hæreticos expedimur, « defendentibus et temporis ordinem posteriori « falsariorum præscribentem, et auctoritatem « Ecclesiarum, traditioni Apostolorum patroci- « nantem. » S. August. de Actibus Apostolorum (quod opus objiciebant Manichæi) sic disserebat : « Cui libro necesse est me credere, si « credo Evangelio, cùm utramque Scripturam « similiter mihi catholica commendat auctori- « tas. » Libro de Utilitate credendi, cap. 5. Vide etiam lib. 13 ejusdem doctoris, cap. 5, contra Faustum, et lib. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 8.

Objicies 5° : Quò pertinet divini verbi distributio in scriptum et traditum ? Quâ ratione utrumque auctoritatem eamdem obtinere queat ? Scriptum Dei verbum divinâ auctoritate valere, haud operosè intelligitur ; at illud quod traditum appellari placuit, humanâ industriâ, humano spiritu conscriptum est, tùm etiam licet ex ipsius scriptoribus multi adjuvarentur uberibus gratiæ auxiliis, hæc tamen præsidia longè discrepant ab inspirationis dono, nec singulis quibus obtingunt, largiuntur infallibilitatis dotem.

Resp. : Spectatum in se verbum Dei, haud multiplicis est generis : eo nomine propriè, significatur quidquid revelavit Deus, quidquid ejus immediatè innititur auctoritate, quæ semper eadem est ; at diversus esse potest modus quo nobis illud communicatur, seu non idem est alveus per quem ad nos transfunditur : in Scripturis consignatur ab inspiratis sancto Spiritu auctoribus, quorum ideò singuli plenam et absolutam merentur atque exigunt fidem ; in traditione autem, verbum Dei transmittitur aut vivâ voce, aut litterarum ope, à testibus divinâ inspiratione non donatis, quorum singuli errare possunt, quorum tamen consensio, quemadmodùm exposuimus, certam potest ac debet parere fidem ; testificantur inprimis doctrinam quæ ipsorum vigebat ætate, et revelata divinitùs habebatur ; ad Ecclesiam autem pertinet de traditionum authenticitate judicare, genuinasque à falsis et spuriis infallibiliter secernere.

Articulus II.

De Patrum testimoniis.

More nostro juvat nonnihil adnotationum subjicere quæ conferre possint ad elucidandum, ut par est, quæstionis statum, quo non percepto, neque assertionum ratio, neque vis responsionum rectè attingitur.

1° Patres hìc vocantur auctores ecclesiastici, quorum testimonio confirmantur doctrinæ vel disciplinæ capita, de quibus catholicos inter, aut contra novatores movetur controversia. Non eodem loco habentur omnes : ut enim civilibus in causis, ita in Religionis negotiis non tam numerantur testes quàm ponderantur ; si causa suis ritè libretur momentis ; ita etiam inter Patres, qui tùm sanctitatis, tùm eruditionis laude præstiterunt insignem quoque ope-

ram in debellandis omnibus, vel quibusdam speciatim hæresibus, impenderunt, majorem inde procul dubio illi conciliant sibi fidem; tales fuerunt in refellendis Arianis SS. Athanasius, Hilarius, etc., in expugnando Pelagianismo SS. Augustinus, Prosper Fulgentius, in dejiciendâ Nestorianorum hæresi, SS. Leo, Cyrillus Alexandrinus. Adducuntur opportunè nonnulli egregiis animi dotibus, virtutum splendore, ipsoque commendati martyrio, qui errores aliquot sectati sunt, diversis post illorum mortem ætatibus profligatos; at Ecclesiæ communioni constanter cùm adhæserint, ejus quas protulisset definitionibus obtemperare animo parati, eorum advocatur meritò testimonium, ad excutiendas controversias, quarum in genere nulla eos asperserit novitatis suspicio; eâ ratione citantur honorificè SS. Irenæus, Millenariorum quamvis amplexus sit placita; S. Cyprianus, rebaptizantium licet inventa propugnaverit: aliud enim est errare in rebus ab Ecclesiâ nondùm definitis et ad credendum propositis, aliud Ecclesiæ repugnare decretis, et ab ejusdem communione desciscere. Imò et ad sanæ defensionem doctrinæ haud infrequenter adhibetur quorumdam expressa testificatio, qui aliqua dogmata deseruerunt universalis munita Ecclesiæ consensu et suffragio: in aliis rebus appellantur testes, in quibus erroris crimen non subierunt. Hos inter numerari possunt inprimis Tertullianus et Origenes: quantùmvis erraverint, atque aberrando suæ ipsorum detraxerint auctoritati, causam tamen Religionis strenuè in multis adjuverunt profundi et acris ingenii subsidiis, affluenti scientiarum copiâ, elaboratis æternam ad memoriam scriptis; mente nimirùm revolvas immortale Tertulliani opus de Præscriptionibus adversùs hæreticos, et Origenis contra Celsum exquisitas lucubrationes.

2° Patres inter extiterunt, quorum libros expressâ, sed generali approbatione cohonestavit Ecclesia: sic Constantinopolitana synodus œcumenica V, Collat. 3, se spontè declarat sequi «sanctos Patres et doctores Ecclesiæ, «Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium «Theologum, Gregorium Nissenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem «Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, «Proculum. Suscipimus omnia, inquit eadem «synodus, quæ de rectâ fide et condemnatione «hæreticorum exposuerunt.» Celebratum sub Gelasio summo pontifice Romanum concilium custodienda et recipienda decernit opuscula «beati Cypriani martyris et Carthaginensis episcopi; item opuscula beati Nazianzeni episcopi; «item opuscula B. Basilii Cappadociæ episcopi; «item opuscula B. Athanasii episcopi; item «opuscula B. Joannis Constantinopolitani episcopi; item opuscula B. Hilarii Pictaviensis «episcopi; item opuscula B. Ambrosii, Mediolanensis episcopi; item opuscula B. Augustini «Hipponensis episcopi; item opuscula B. Hieronymi,» etc. Alia est Ecclesiæ approbatio, quæ specialis nuncupatur, et longè majorem præbet scriptis auctoritatem: quæ sic approbata sint, v. g., in condemnandis Pelagianorum, semi-Pelagianorumque erroribus, nihil sancivit Ecclesia, quod non esset ab operibus S. Augustini depromptum.

3° Dùm Patrum adducitur et extollitur auctoritas, ad eam in iis attenditur quæ ad Religionis causam attineant, non autem eò loci investigatur quid eorum valeat testimonium in rebus merè philosophicis, seu fidei deposito, morumque informationi extraneis; quin et inspiciendum est in ipsis dogmaticis quæstionibus, quid protulerint ac tradiderint tanquàm ab Ecclesiâ definitum: quid autem ediderint tanquàm theologicis adhuc permissum disceptationibus.

4° Hoc hæreticis ac Luthero præsertim solemne est, ut Patrum sententias aut omninò dedignentur, aut parvi faciant, licet iisdem ad oppugnandam Ecclesiæ catholicæ doctrinam, ambitiosè uti videantur, quoties ea sibi congruere putaverint: audiatur cæteros inter ipse Calvinus, cùm aliàs frequenter, tùm de æternâ prædestinatione, de S. Augustino tanquàm Calvinianis penitùs patrocinante erroribus gloriatur. «Augustinus ipse adeò totus noster «est, inquit, ut si mihi confessio scribenda «sit, ex ejus scriptis contextam proferre «abundè mihi sufficiat.»

5° Pravitatis ut hæreticæ proprium est Patrum auctoritatem despicere, ita catholicæ pietatis semper fuit eosdem studiosè venerari, quos probatos habeat Ecclesia fidos traditionis testes, sanæ magistros doctrinæ, prævias populis ad veritatem faces: quoties ergo appellantur, ipsi etiam reverenter habendi sunt, quos nostris quibusdam sententiis adversari suspicamur; cavendum est ne alii aliis opponantur absque premente necessitate; curandum, quàntùm fieri potest, ut si quos inter se dissidere existimaveris, benignâ enitaris interpretatione conciliare; nec obliviscendum id eorum nonnullis aliquando, in suis tractandis

sententiis usu venire, quod agricolis, qui rectam ut ad lineam efficaciùs valeant arbores devexas reflectere, easdem ultra modum inclinare aliquando videantur.

Denique, sicut sapienter admonet Vincentius Lirinensis, refugienda est novatorum nequitia, qui sancti cujusque viri memoriam, tanquàm sepultos jam cineres profanâ manu ventilant, et quæ silentio præterire oportebat, redivivâ opinione diffamant, sequentes ipsius vestigia Cham, qui nuditatem patriarchæ Noe, non modò operire neglexit, sed eam fratribus suis irridendam enuntiavit; unde tantam læsæ pietatis meruit offensam, ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur; beatis suis fratribus impudentiâ dissimilis, qui venerandi senis prædictam nuditatem, « nec suis temerare oculis, nec alienis patere voluerunt : sed « aversi, ut scribitur, texerunt eum : quod est « erratum sancti viri, nec approbâsse, nec « prodidisse, » Commonit. 1, cap. 11.

His observatis sit

PROPOSITIO PRIMA.

In controversiis de fide ac moribus certissimum præstat argumentum unanimis Patrum consensus.

Probatur 1° : In Scripturarum expositione et divinorum determinatione dogmatum, admovent ipsa generalia concilia testimonium Patrum, ut depulsâ novitate, agitatas lites dissolvere tutò valeant; quod de sanctâ synodo generali Ephesinâ sic adnotavit Vincentius Lirinensis : « Ubi, inquit, cùm de sanciendis « fidei regulis disceptaretur, ne qua illìc forsitan profana novitas in modum perfidiæ Arminensis obreperet, universis sacerdotibus, « qui illò ferè ducenti numero convenerant, « hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes « verò catholicos fuisse et permansisse constaret, ut scilicet ritè atque solemniter ex « eorum consensu atque decreto, antiqui dogmatis religio confirmaretur, et profanæ « novitatis blasphemia condemnaretur. » Commonit. 2, cap. 2.

In promptu quisque habet aliarum synodorum acta, in quibus, sicut observat doctissimus Petavius, theolog. Dogmatum Prologomenis, cap. 2, « tùm ad Scripturæ dirigendam « interpretationem, tùm ad disceptandas ex « iis controversias, et statuenda fidei dogmata, « multùm testimonio veterum Patrum antisti- « tes utuntur : atque ex eorum se pendere « placitis, et ipsos auctores sequi profitentur; « ut in Ephesinâ, Chalcedonensi, quintâ « sextâ, septimâ, œcumenicis, est factum. Quod « ipsum et provinciarum ac nationum synodi « pleræque testatæ sunt. »

Relatâ Clementis V in concilio Viennensi, de quodam loco Joannis Evangelistæ istâ « enuntiatione : « Nos ad sanctorum Patrum et « doctorum communem sententiam, apostolicæ « considerationis aciem convertentes, sacro « approbante concilio declaramus, » etc., aptè subjicit citatus auctor : « Sedes ergo Apostolica, et Viennense concilium, cùm de fide et « intelligentiâ sacrarum litterarum pronuntiant, sanctorum communem sensum, tanquàm Thesei filum tenent, eosque quasi duces intelligentiæ sequuntur. »

Concilium quoque Lateranense, sub Leone X, act. 11, ut addit idem theologus, præcipit omnibus qui Evangelicam veritatem populo docturi sunt, ut sanctam Scripturam juxta interpretationem doctorum quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent, nec quisquam eis proprio sensu contrarium aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant, quæ à præfatorum doctorum interpretationibus non discordant.

2° In hujusce argumenti confirmationem vocari possunt ipsimet Patres, qui receptam in Ecclesiâ de Patrum auctoritate sententiam, assiduo antecessores suos appellandi studio testificantur. Paucos è multis proferemus. S. Cyrillus Alexandrinus in defensione anathematismi octavi adversùs Orientales, hæc protulit memoratu digna : « Omnibus enim quibus « integra mens est, propositus est hic scopus, « ut illorum opiniones sequantur, quoniam et « ipsi apostolicâ traditione cùm mentem impleverint suam, et fidei doctrinam rectè ac « citra labem et errorem admodùm tractâsent, luminaria in mundo fuerunt, verbum « vitæ continentes. » Hæc accuratè ex Græco expressa sunt. S. Ambrosius, in tertio ad Gratianum de fide libro : « Servemus, ait, præ- « cepta majorum, nec hæreditaria signacula « ausi rudis temeritate violemus : librum sacerdotalem quis nostrùm resignare audeat, « signatum à confessoribus, et multorum jam « martyrio consecratum? » S. Hieronymus in epist. ad Evagrium : « Revolvi me, inquit, ad « veterum libros, ut viderem quid singuli di- « cerent, ut tibi quasi de multorum consilio

« responderem. » S. Augustinus in lib. de Utilitate credendi, cap. 7, Honoratum qui sacros libros sine alienâ ope et legere, et intellígere se posse confideret, sic alloquitur : « Itane est? « nullâ imbutus poeticâ disciplinâ, Terentium « sine magistro attingere non auderes; Asper, « Cornutus, Donatus, et alii innumerabiles « requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi, « tu in sanctos libros sine ducè irruis, et de « his sine præceptore audes ferre senten- « tiam! »

Rectè igitur, ut adnotat citatus jam Pétavius, Martinus papa I, in Lateranensi synodo illud Victoris Carthaginensis approbat, quo hortabatur « nihil permittere dici noviter à quopiam, « quod sanctorum Patrum traditio minimè defi- « nivit; » et in decreto synodi ejusdem, anathematismus decimus septimus sic habet : « Si « quis secundùm sanctos Patres non confitetur « propriè, et secundùm veritatem omnia quæ « tradita sunt, et prædicata sanctæ cathólicæ « et apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindèque à « sanctis Patribus et venerandis universalibus « quinque conciliis, usque ad unum apicem « verbo et mente, condemnatus sit. » Inde colligitur quàm prudentèr et appositè id à concilio generali Tridentino pronuntiatum sit. « Ad coercenda petulantia ingenia decernit, « (sancta synodus), sess. 4, decreto de editione « et usu sacrorum librorum, ut nemo suæ pru- « dentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad « ædificationem doctrinæ christianæ pertinen- « tium, sacram Scripturam ad suos sensus « contorquens, contra eum sensum quem te- « nuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est « judicare de vero sensu et interpretatione « Scripturarum sanctarum, aut etiam contra « unanimem consensum Patrum ipsam Scrip- « turam sacram interpretari audeat, » etc.

3° Quare autem tanti habeatur momenti, ac tantæ auctoritatis Patrum conspirans testimonium, gravibus id potest rationibus convinci; hanc optimam famosus ipse nimiùm Beza subministrat, suæ licet detrimento causæ; comprobato enim, S. Augustini verbis, quodam Ecclesiæ dogmate, ita exclamat in opusculo de Unitate divinæ essentiæ : « *Quis* « *sano homini persuaserit, aliter docuisse* S. Au- « gustinum de Trinitate, quàm Africanas Ec- « clesias, et istas rursùs aliter quàm cátholicus « consensus ferret, sensisse? »

Non ideò solùm Patrum innitimur testimonio, quòd per se illi digni sunt quibus fides adhibeatur, sed multò magis quòd in illorum testificatione, traditionis apostolicæ memoria continetur, ad ætatem usque nostram perpetuâ scriptorum successione perducta.

Rationem hanc disertè jamdudùm indicaverat S. Cyrillus Alexandrinus in egregio quod ipsius attulimus testimonio : « Quoniam et ipsi « (Patres) apostolicâ et evangelicâ traditione « cùm mentem implêssent suam, et fidei doctri- « nam rectè ac citra labem et errorem admo- « dùm tractâssent, luminaria in mundo fuerunt « verbum vitæ continentes. » Hinc edocemur quem præsertim ad usum conducant Patrum testimonia : nimirùm ut ex illis constet inviolatæ perpetuitas traditionis; quam dùm testantur pleno consensu tot probatissimi testes, temeritatis ac proterviæ crimen non effugiet, fidem illis qui abrogare audeat in causâ religionis; cùm enim, ut disserit Melchior Canus de Locis theologicis, lib. 7, « sive concionatores, sive scriptores omnes, qui sanctis « antiquis successêre, sacræ Scripturæ sensum « populo tradiderint, juxta doctrinam à sanctis « acceptam, populus autem sensum eumdem « fidenter acceperit, nimirùm qui concordem « sanctorum veterum expositionem rejicit, in- « telligentiam quam hactenùs Ecclesia habuit, « rejicere convincitur. » Porrò si liceat hominum quorumlibet ingenio et arbitratui sacram exponere Scripturam, nihil firmum relinquetur : errorum inventrici et patronæ novitati patebit aditus, ubi erat antea castæ et incorruptæ sanctuarium veritatis.

Solvuntur objecta.

Objicies : Quantiscumque laudibus Patrum exornaveris testimonium, longè illud inferius est canonicorum scriptorum attestatione : nec nisi probabilem assensum ex suâpte naturâ potest elicere. Ita de illo judicârunt ipsi præsertim SS. Augustinus et Thomas, cùm multis in locis S. Augustinus, tùm speciatim epist. 19, ad S. Hieronymum; post commendatam auctorum sacrorum maximam auctoritatem : « Alios « autem ita lego, inquit, ut quantâlibet sanc- « titate, doctrinâque præpolleant, non ideò « verum putem quidquid ipsi ita senserunt; « sed quia mihi vel per illos auctores canoni- « cos, vel probabili quod à vero non abhorreat, « persuadere potuerunt. » Idem auctoritate S. Thomæ confirmatur in his verbis, 1 part. quæst. 1, art. 8, ad 2 : « Auctoritatibus ca- « nonicæ Scripturæ utitur sacra doctrina ex « necessitate argumentando, auctoritatibus « autem aliorum doctorum Ecclesiæ proba bili-

« ter arguendo » Etverò undenam aliquot veterum scriptorum testimoniis quæ in alicujus dogmatis confirmationem afferuntur, accerseretur irreformabilis auctoritas? nullibi asserta illis inspiratio, nec infallibilitas ; ergo.

Resp : Quantacumque consentientibus in aliquam doctrinam Patribus adscribatur auctoritas, illos tamen inter et canonicos scriptores, animadvertenda duo intercedunt discrimina : primùm, vel unus auctor canonicus quilibet; indubitatam in omnibus, ut indicavimus, meretur fidem, quam profectò singuli ac seorsim sumpti conciliare sibi nequeunt scriptores alii singuli, vel probatissimi ; secundùm, quantâcumque sanctitate et doctrinâ polleant scriptores ecclesiastici non inspirati, non ea sanctitatis et doctrinæ præstantia omnem excluderet errandi formidinem, si ageretur de aliquâ propriâ ipsorum adstruendâ sententiâ (nec aliud voluerunt SS. Augustinus et Thomas).

Sed dùm consonante suffragio doctrinam referunt ac testificantur tanquàm suâ ipsorum ætate receptam in Ecclesiâ, nihil est quod deterrere debeat à suscipiendo firmiter illorum testimonio, cui plurimùm certè impertitur momenti, inclyta tum pietatis, tum eruditionis fama, et Ecclesiæ commendatio. Hinc tantùm apud Catholicos eorum valuit auctoritas illustrioribus etiam seculis : « Sic enim, ut verbis « utamur Melchioris Cani de Locis theolog. « lib. 7, cap. 3, versùs finem, Hieronymus « Helvidii dogma revicit; sic Basilius ad Am« philochium, Spiritûs sancti divinitatem asse« ruit ; sic Augustinus Donatistas et Pela« gianos refellit; sic Paulus Samosatenus à « celebri quodam scriptore superatus est ; « sic Theodoricus Alexandrini concilii defini« tiones comprobavit; sic Leo Papa apud Leo« nem imperatorem, Eutychem, ejusque secta« tores confudit, astruxitque à sanctis docto« ribus consentientibus nullos nisi impios et « hæreticos discrepare. » Hinc verò, non intemperanti studio, secundùm suum commonitorium absolvit Vincentius Lirinensis, necessum esse omnibus, asseverando « qui sese Ec« clesiæ matris legitimos filios probare student, « ut sanctæ sanctorum Patrum fidei inhæreant, « adglutinentur, immoriantur : profanas verò « novitates detestentur, horrescant, insecten« tur, persequentur. » Operæ pretium est eò loci exscribere adnotationem ex ejusdem auctoris commonit. 1, cap. 39, decerptam. « Quæ tamen « antiqua sanctorum Patrum consensio, non in « omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed so« lùm certè præcipuè in fidei regulâ magno no« bis studio, et investiganda est et sequenda. » Proposita ut exhauriatur objectio, fatemur auctoribus ecclesiasticis quales nomine *Patrum* donari solent, non esse promissum expressis verbis absolutæ donum inerrantiæ : attamen cùm in Ecclesiâ universali, unanimis eorum et quasi conflatus consensus semper habitus sit tanquàm firmissima et necessariò tenenda in exponendis Scripturis ac definiendis de doctrinâ moribusque controversiis regula, inde certissimâ consecutione colligitur non passurum esse Christum, talis ut consensio indulgeat et assentetur errori; tùm enim Ecclesia vel deserere cogeretur eam quam tanquàm veritatis tesseram hactenùs habuerit, vel eidem adhærendo, ipsa tum aberraret. Cæterùm recordandum est in mentem quod hujus initio quæstionis præfati sumus, nimirùm concordi Patrum testimonio totam non constitui traditionem : hæc enim coalescit ex ipsis etiam conciliorum decretis, constanti Ecclesiæ praxi, imò et inanimatis multis quidem monumentis.

Inst. : Canonico in libro si vel una deprehenderetur falsitas, totius libri nutaret, quin et dilaberetur certitudo; cùm igitur in libris Patrum occurrant aliquando errores quos refellere oporteat, undenam posset eorum concinenti quantùmlibet testimonio haberi inconcussa fides? — Resp. : Cavillatio est istud argumentum : en disparitas est; nec falli, nec fallere unquàm potest Deus æterna incommutabilisque veritas : unde inter afflatos Spiritu sancto scriptores reponi non posset qui vel unius erroris convinceretur; at licet multis ex testibus non inspiratis nonnulli, in asserendâ propriâ suâ sententiâ, nonnunquàm erravissent, non inde consequens est ipsos in testificando notorio aliquo suis temporibus facto, aut omnes deceptos fuisse, aut communi consensu voluisse ac potuisse errorem efficaciter propinare.

Propositio II. — *Si Patres inter se dissentiant, tum illis adhærendum qui omnibus ponderatis auctoritate antecellant.*

Explicatione aliquâ, non probatione indiget ista propositio : quoties enim auctoritate transigendum est, majori auctoritati eorum qui testes vel duces habeantur, esse assentiendum, ratio ipsa docet, et insita prudentia. Verùm ut tutò secernatur quæ sit præstantior et ideò sectanda auctoritas dissentientibus inter se doctrinæ aut disciplinæ testibus, non sisten-

dum est intrà unius ævi limites : adeunda et quasi interroganda, quantùm fieri potest, *latitudo traditionis;* quamobrem dùm congeruntur ejusdem monumenta, non unius duntaxat seculi appellantur scriptores, sed pertentantur et inquiruntur diversæ ætates, ac proferuntur ex abundanti thesauro nova et vetera. Quòd si peragendâ disquisitione detegeretur majorem partem auctorum ecclesiasticorum unius ævi, in sententiam devergere quæ probanda non videretur, in his quæ aliunde ad catholicum dogma non pertinerent, tùm progrediendo ad auctores ecclesiasticos priorum ætatum, et utriusque conferendis, dijudicari posset quorumnam præferendum sit testimonium.

Sic tempore Bellarmini et Melchior Cani, pars longè major theologorum et canonistarum, sacramenti matrimonii ministros habebat ipsos contrahentes; multi tamen deinceps contrariam arripuêre sententiam, nec ea ipsis opinio vertitur crimini; talis autem opinionis patroni antiquioribus hanc viguisse constanter seculis contendunt, atque ita majorem sibi testium vindicare numerum : sic etiam quas Ultramontani tuentur sententias de indirectâ Ecclesiæ potestate in temporalia, de auctoritate summi pontificis in ipsum generale concilium, etc., multò quidem plures nunc habent vindices quàm oppositæ illis sententiæ; sed qui Ultramontanis adversantur placitis ad antiquiores provocant ætates : v. g., fortiter propugnant, ante Gregorium VII, neminem pontificem, neminem scriptorem, potestatis id genus arrogâsse summo pontifici, vel ipsimet universali Ecclesiæ. Illinc tamen, ut liquet, non sequitur decernente et judicante cum summo pontifice, longè et notoriè majori parte episcoporum, opus esse aliquando ad absolutam hujusce decreti certitudinem recurrere ad priores ætates; tale enim judicium, ut latè probavimus, habendum est supremum Ecclesiæ universalis judicium, quæ quocumque tempore judicet, infallibiliter pronuntiat; absoluto munita divinæ ac perpetuæ assistentiæ promisso.

Quæres qualem Patribus, seu auctoribus ecclesiasticis, auctoritatem conferat Ecclesiæ illos commemorantis commendatio, aut ejusdem quæ generalibus duntaxat verbis in eorum opere cadat approbatio?

Resp. 1° : Ex illâ Ecclesiæ approbatione, qualis impenditur in decreto synodi V œcumenicæ, et in decreto concilii Romani sub Gelasio, quæ retulimus, non sequitur, mereri in omnibus suis scriptis indubitatam fidem eos qui tali approbatione afficiuntur; sunt enim inter illos quos errore quodam lapsos esse constat; v. g., erravit S. Cyprianus circa baptismum ab hæreticis administratum : erravit S. Hilarius propugnando immunem fuisse à doloris sensu passionem Christi; sunt quorum unus docet aliquando quæ deditâ operâ refellit alter; deinde, si vellet Ecclesia doctoris alicujus opera ita comprobare, ut vel unam illius auctoris sententiam non liceret adducere in dubium, singulas ejusdem scriptorum partes discuti oporteret et ad amussim expendi; atque, ut disserit Alphonsus Tostatus, Defens. part. 2, cap. 81, « isto modo non fuisset facta « approbatio unius de libris Augustini in du- « centis annis, etiam Ecclesiâ semper actu « congregatâ. »

Resp. 2° : Ad quatuor maximè capita revocari possunt cum eodem auctore, quæ ex delineatâ Ecclesiæ approbatione accedunt commendatis ab eâdem operibus : primum est, inquit, quòd Ecclesia concedit expressè omnibus Christi fidelibus quòd legant ea. Secundum est, quòd judicat illa utilia ad doctrinam fidei et morum, et ob hoc laudat ea. Tertium est, quòd Ecclesia tollit opusculis approbatis suspectionem de hæresi voluntariâ, quæ est verè hæresis. Nam, ait, illa quæ approbantur, licet non sint omninò discussa ab Ecclesiâ, sicut si deberent singulæ partes approbari, tamen generali quâdam discussione cognoscuntur, et apparet ex eis quomodò auctor eorum in omnibus catholicè sentiat, hoc est, animo in omnibus ab hæresi alieno. Quartum est, quòd dat eis quamdam auctoritatem quam aliàs non habebant. Scilicet, quòd quando aliquis allegaverit dictum alicujus libri approbati per Ecclesiam, facit probationem, etiamsi ipse auctor nullam causam dicti sui ostendat.

Resp. 3° : Quando partes aliquas operis alicujus specialiter approbat, easque tenendas et credendas proponit expressè Ecclesia, tum ab illis resilire nefas, aut de iisdem ambigere, sicut nec à cæteris dogmatibus ab ipsâ definitis. Sic edita contra Pelagianam et semi-Pelagianam hæresim decreta, ex firmissimis S. Augustini sententiis, ut diximus condita sunt.

MONITUM.

Unicuique sanè eximium opus visus est Ballerini tractatus de vi ac ratione primatûs Romanorum pontificum in tertio Cursûs nostri volumine recusus. Nonnulli verò professores egregii Romamque corde toto amplexi ad nos scripsêre quædam traditiones de infallibilitate summorum pontificum spectantia, in hoc tractatu esse omissa vel satis explicitè non dicta; suadentes ut in illius complementum opus P. Petitdidier clarissimum accederet. Cui consilio eò libentiùs obtemperamus, quòd præsens volumen, vastâ paginarum amplitudine quasi attenuatum, sic congruam corpulentiam simul et augmentum perutile percipiat.

Tractatus de quo hìc agimus tanti fit, ut Benedictus XIII auctori Breve apostolicum mittere non dubitaverit.

« Dilecte Fili, inquit summus pontifex, sa-
« lutem et apostolicam benedictionem. Quòd
« eruditionem tuam ad ornamentum domûs
« Dei conferre gestias, in tui quidem nominis
« ac pietatis laudem, animi verò nostri singu-
« larem lætitiam cedit, ac tore etiam confidi-
« mus, ut infirmis aut errantibus strenui la-
« bores tui doctrinâ consulant ac proficiant
« exemplo. Itaque dignum tuâ virtute ac reli-
« gione erga hanc sanctam sedem studium
« gratissimò paternæ benignitatis sensu com-
« plexi sumus, tibique persuasum esse opta-
« mus nos ad omnem gratificandi tibi occasio-
« nem libenter incubituros; præsertim autem,
« ut jurium tuorum in causâ abbatiæ Seno-
« nensis ratio (sicut par est) habeatur, dili-
« genter curabimus. Neque ullas benevolentiæ
« partes omittemus, ut à laudabili curâ, uti-
« liumque studiorum proposito, nulla te aut
« molestia aut necessitas avocet. Perge igitur
« pontificiam tibi benignitatem, bonorum lau-
« dem, ac divina potissimùm beneficia demereri,
« quorum pignus esse cupimus apostolicam be-
« nedictionem, quam tibi, dilecte Fili, peraman-
« ter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum
« Petrum sub annulo Piscatoris die 24 Decembris
« MDCCXXIV, pontificatûs nostri anno primo. »

MATTHÆI PETITDIDIER VITA.

Petitdidier (Matthæus), abbas S. Petri Senonensis, ordinis S. Benedicti, præsesque congregationis SS. Vitoni et Hydulphi, in vículo Lotharingiæ, cui S. Nicolai nomen, natus est. Philosophiæ theologiæque curriculum emensus in abbatiâ S. Mihieli, variasque ad dignitates sui ordinis evectus, episcopatu Macræ *in partibus* honoratus est à Benedicto XIII, qui eum præterea pontificiæ sedis assistentem sibi devinctum voluit. S. pontifex ipse celebravit sacræ inaugurationis solemnia, novoque episcopo mitram valdè pretiosam largitus est. Petitdidier Romani primatûs defensor usquè acerrimus, Eliam Dupinum magnâ cum doctrinâ judiciique maturitate circa quæstionem hanc impugnavit, in opere dicto: *Annotationes in Bibliothecam ecclesiasticam*, 3 vol. in-8°. Dedit insuper dissertationem de sententiâ concilii Constantiensis circa S. Pontificis infallibilitatem, in-12, Luxemburgi, 1724-1725. Duplex præterea texuerat opus contra PP. Jesuitas; ipse verò unum et fortè utrumque retractavit. Gallicè vulgò scripsit auctor noster; sed pleraque illius opera in linguam italicam jussu Benedicti XIII primùm translata, et latinitate demùm donata sunt. Quod nunc damus opusculum, quale ab ipso auctore correctum et adoptatum est, referimus.

Petitdidier in abbatiâ Senonensi obiit anno 1728, sexaginta et novem annos natus.

DE AUCTORITATE ET INFALLIBILITATE SUMMORUM PONTIFICUM.

Materia quam præsenti opere tractandam suscepi, à trecentis annis theologorum animos multùm agitavit, atque in diversa traxit divisitque. Quidam auctoritate (quod venditant) concilii Constantiensis fulti, summos pontifices, quoad ea quæ fidem concernunt œcume-

nicorum conciliorum judicio subjici, ab his quoque illorum decisiones in examen vocari ac corrigi posse, consequenter hujusmodi Romanorum pontificum definitiones, in quantum à S. sede emanatæ sunt, non esse infallibiles, talesque quibus se omnibus fideles submittere teneantur; tanquàm veritatem in dictâ synodo Constantiensi definitam ac decisam, tueri ac defendere minimè dubitant. Alii è contra hinc pro certo ac indubitato tenentes, quæstionem hanc à synodo Constantiensi minimè fuisse definitam seu decisam, illinc verò doctrinæ anterioribus ad dictam synodum Constantiensem temporibus ubique terrarum traditæ et approbatæ constanter adhærentes, tenent quòd omnes et singulæ summorum pontificum in materiâ fidei decisiones ac definitiones ad universam Ecclesiam, sive per expressas Constitutiones, sive per conciliorum particularium confirmationem directæ, pro infallibilibus haberi debeant, talibusque quibus cunctorum, qui fidem catholicam profitentur, mentes subjici oporteat.

In hâc sententiarum varietate nil magis quàm se fidem orthodoxam tueri, utrinque asserunt theologi. Qui enim infallibilitatem summorum pontificum in rebus fidei decernendis impugnant, doctrinam suam, eò quòd, ut aiunt, in œcumenicâ synodo definita atque à summo pontifice ibidem electo approbata fuerit, pro fidei articulo haberi debere contendunt. Qui verò eamdem infallibilitatem propugnant, anteriorum ad prædictam synodum Constantiensem seculorum traditioni innixi, imò sacrarum paginarum auctoritate fulti, opinionem suam absque fidei catholicæ læsione rejici, vel ei contradici fas non esse constanter asserunt: equidem tamen non diffitentur, hanc sacratioris theologiæ particulam hactenùs nondùm expressè ab Ecclesiâ definitam fuisse, hinc satis immeritò invidioso hæresis nomine notari eos, qui eidem manus dare renuunt; at planè tamen persuasum sibi habent, minimèque dubitant, quin, si moderno tempore in quâdam œcumenicâ synodo hæc quæstio ad decidendum proponeretur, ubi cuique liberè mentem suam aperire licitum foret, in summorum pontificum favorem definiretur.

Quandoquidem autem hæc ultima sententia, quæ summorum pontificum infallibilitati favet, magis fundata majorique in Ecclesiâ auctoritate niti mihi videtur, quàm prima eidem summorum pontificum infallibilitati adversans, hinc eamdem præsenti opere stabilire conabor; quod ut meliori faciliorique methodo, minorique confusione præstare queam, illud pluribus capitibus distinguam.

CAPUT PRIMUM.

Præjudicia quædam adversùs opinionem illorum qui summos pontifices fallibiles esse contendunt.

Inter omnes convenit quòd in materiâ fidei ac religionis, omnis nova opinio saltem tanquàm suspectam haberi debeat, atque è contrà illi duntaxat sententiæ adhærendum sit, quæ antequàm opinio cujus datum notum epochaque fixa est, introduceretur, tradita ac pro certâ in Ecclesiâ habita fuit.

Et hoc est principium super quod primum fundo præjudicium adversùs opinionem quam impugnare aggredior. Opinio quæ tenet quòd decisiones summorum pontificum in materiâ fidei ad universam Ecclesiam directæ errori obnoxiæ sint, atque revisione egeant, primùm decimo quinto seculo enata, necnon in orbem catholicum invecta est; ante magnum illud et fatale Occidentis schisma (ubi usque tres papæ de supremâ in Ecclesiâ auctoritate adeò inter sese decertare visi sunt, ut quisque illorum certis in regionibus pro vero Ecclesiæ capite agnosceretur), nullus theologus, nullus sanctus Pater, nullum concilium œcumenicum aut particulare, verbo nullus auctor catholicus inventus est qui expressè docuerit quòd decisiones generales summorum pontificum in materiâ fidei errori obnoxiæ sint, neque ad suam receptionem fideles obligent; verùm è contrario, quotquot ante deploranda illa tempora hunc articulum tractaverunt, publicè et audacter docuerunt quòd hujusmodi Romanorum pontificum definitiones Ecclesiam obligent, nec minori quàm ipsa concilia generalia auctoritate polleant.

Ad probandam novitatem opinionis illorum, qui summorum pontificum infallibilitatem negant, illiusque originis epocham determinandam, non alio mihi opus est testimonio, quàm illorum ipsorum, qui, quia vel eam pepererunt, vel omnium primi propugnârunt, illius quasi parentes sunt, Gersonem ac Majorem hìc intelligo. Ita desuper Gerson loquitur de Potestate eccles. cons. 12: « Ante celebra-
« tionem sacrosanctæ hujus Constantiensis sy-
« nodi, sic occupaverat mentes plurimorum
« litterarum magis quàm litteratorum ista tra-
« ditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset
« de hæreticâ pravitate vel notatus vel damna-

« tus; hujus rei signum accipe, quia post de-
« clarationem, et quòd urgentius est, determi-
« nationem et practicationem ejusdem sanctæ
« synodi, inveniuntur qui talia passim asserere
« non paveant. » In opere etiam de Excomm., postquàm per modum quæstionis proposuisset, num appellatio à papâ ad concilium teneret hæc habet : « Dixerunt olim ante concilium
« generale Pisanum et Constantiense, quòd hoc
« nullo modo licebat; et allegant jura sua pro
« se valdè, ut eis videtur, expressa. Sed con-
« stanter nunc asseritur quòd est hæresis
« damnata per Constitutionem concilii Con-
« stantiensis. » Hæc Gerson. Major autem non minùs quàm ille hanc epocham exprimit, de Potestate eccles. c. 15 : « Duo sunt modi, in-
« quit, oppositi dicendi, quorum unus tenet
« papam esse supra concilium universale; hunc
« modum tenuerunt aliqui cardinalium, et te-
« nent communiter Thomistæ, et Romæ, ut
« asseritur, nulli fas est oppositum tueri.
« Alium modum semper nostra Universitas Pa-
« risina à diebus concilii Constantiensis imi-
« tata est; sic quòd in eâ, qui prædictam
« viam tenuerit, in campo cogitur eam revo-
care. »

En igitur originem opinionis illius, quæ in præsentiarum tanquàm Parisinæ Facultati propria orbem circumvolat. Definita à concilio Constantiensi benè aut malè intellecto (quod in sequentibus examinabimus) superioritas synodi supra papam eò Gersonem ejusque sequaces impulit, ut concluderent papæ decisiones, eò quòd concilio generali subjectæ sint, minimè infallibiles esse. At exinde apprimè legitimum de hujus opinionis falsitate deduco præjudicium. Enimverò doctrina per mille quadringentos hactenùs annos in Ecclesiâ incognita, primùmque occasione duntaxat invidiosi cujusdam schismatis introducta, vera utique Ecclesiæque doctrina esse non potest.

Secundò, in favorem infallibilitatis summorum pontificum de contrariâ opinione ex his præjudicatum esse videtur, quòd nempe ante memoratum schisma nostram sententiam omnes theologi unanimiter receperint ac docuerint, ut sequentibus demonstrabimus; quòd eam doctores Facultatis Parisiensis, ut et aliarum Universitatum, tanquàm doctrinam indubitatam tradiderint; quòd id ipsum omnes canonistæ præstiterint; quòd episcopi eidem semper manus dederint, nec unquàm ulli in mentem venerit ut illam in dubium vocaret. Nonnisi igitur novitatis cujusdam cupidine Gersoni, paucisque aliis suæ ætatis theologis opinionem suam in theologiam invehere placuit. Tertium præjudicium exinde colligitur, quòd, cùm temporibus Photii, Græci schismatici hancce infallibilitatis Romanorum pontificum prærogativam dubiam facere attentâssent, auctores catholici, qui eos nono sequentibusque seculis impugnârunt, tam eorumdem summorum pontificum ad concilia superioritatem, quàm in decernendis rebus fidei infallibilitatem velut doctrinam ab Ecclesiâ semper receptam et adoptatam propugnârint, ut apertè habetur ex operibus tum Æneæ Parisiensis episcopi, tum Ratrami Corbeien is monachi, qui seculo nono floruerunt, cùm etiam Anselmi Avelsbergensis episcopi, qui seculum undecimum illustrabat, tum etiam ex operibus SS. Thomæ et Bonaventuræ, qui seculo decimo tertio orbem christianum decorârunt. Enimverò, nisi quis hos adeò illuminatos doctores doctrinam suæ ætatis Ecclesiæ ignorâsse, aut controversos inter Latinos et Græcos augere articulos, sicque plura ac majora ad horum cum illis reunionem impedimenta interponere ipsis volupe duntaxat fuisse, criminari malit, fateri cogetur, quòd illis quibus modò dicti floruêre doctores seculis, nullus catholicus extiterit, qui hujus sententiæ fidem in dubium unquàm vocârit; imò, quod notatu apprimè dignum est, cùm Anselmus, Avelsbergensis episcopus, imperatoris Lotharii in urbe Constantinopolitanâ tunc temporis legatus, hâc de re cum Nechite, viro ob profundam scientiam in Ecclesiâ Græcâ spectatissimo, publicam collationem habuisset, hic Nicomediæ antistes ultrò quidem Romanis pontificibus primatum in Ecclesiâ, jusque in œcumenicis conciliis præsidendi concedebat : « Romana Ecclesia, inquiebat, Spicil. tom. 13,
« cui nos quidem inter has sorores primatum
« non negamus, et cui in concilio generali
« præsidenti, primum honoris locum reco-
« gnoscimus, » etc. At dictis Romanis pontificibus quamdam supremam de omnibus Ecclesiis judicandi potestatem tribui debere inficiabatur; aliàs, inquiebat, reliquæ Ecclesiæ nonnisi mancipia forent Romanæ : « Quid
« igitur nobis (sunt ejus verba) Scriptura-
« rum scientia? quid nobis litterarum studia?
« quid sapientum Græcorum nobilissima inge-
« nia? Sola Romani pontificis auctoritas,
« quæ, sicut tu dicis, super omnes est, uni-
« versa hæc evacuat, solus ipse sit episcopus,
« solus magister, solus præceptor, solus de

« omnibus sibi soli commissis, soli Deo, sicut « solus bonus pastor, respondeat. »

An non idipsum profectò hâc ipsâ nostrâ ætate asserere videmus eos, qui Romanorum pontificum supra concilia superioritatem, eorumque infallibilitatem negant? fatentur quidem ipsorum primatum, jusque in œcumenicis præsidendi conciliis; at cum Græcis schismaticis ab ipsis absolutam potestatem, jusque de omnibus judicandi Ecclesiis audacter removent. Quòd si hujus rationem exigas, non aliam reddunt, quàm quòd aliàs concilia inutilia forent, solisque deinceps auscultandum esset Romanis pontificibus. Quod tamen supra adductus Anselmus nomine Ecclesiæ Latinæ propugnat, ut videri potest in memoratâ collatione, nosque suo loco referemus.

Quartum præjudicium in eo consistit, quòd ab Ecclesiæ primordiis ad nostra usque tempora Romani pontifices nullam unquàm fidei definitionem ediderint, quam non illicò cum debitâ veneratione universa susceperit, ac amplexa fuerit Ecclesia. Ipsi sunt qui concilia approbârunt, aut in aliis conciliis sententiam dixerunt, hæreticos damnârunt, Constitutiones dogmaticas ediderunt, omnia recipiente ac sequente Ecclesiâ. Ipsorum decisionibus, velut cuidam omnium fidei controversiarum termino, cuncti fideles semper adhæserunt. Quòd si autem Romani pontifices subinde concilia, sive generalia, sive particularia convocare consultum duxerunt, id sanè factum est, non tam ut in sententiam Catholici adducerentur, quàm ut hæretici pleniùs ac nervosiùs convincerentur, quippe quibus solemne est tum denique œcumenica appellare concilia, cùm se à S. sede damnatos conspiciunt.

Quintum denique præjudicium est, quòd opinio quæ summos pontifices synodis subjicit, quæque in ipsis infallibilitatis privilegium non agnoscit, moderno tempore in solo Franciæ regno circumferatur, contrariâ interim per reliquas orbis catholici partes triumphante, omniumque episcoporum, doctorum, et theologorum mentes occupante, quamque omnes Universitates tradant, omnes religiosi ordines propugnent, ac cuncti denique populi credant. Et quis arbitretur quòd omnes reliqui orbis status ac regna ad tantum tantique momenti fidei articulum cæcutiant, Franciaque solus ille orbis angulus sit, quem dissipatis ignorantiæ tenebris veritas illustret? Cùm verò dicitur quòd hæc Galliæ mens sit, benè mediam partem ab eâ resecare oportet. Enimverò satis magnus hodiedùm episcoporum, doctorum etiamnum Parisiensium, religiosorum, pastorum, variique statûs ecclesiasticorum numerus ibidem reperitur, tanquàm indubitabile tenentium et infallibilitatem Romanorum pontificum, et, quod ad idem redit, eorumdem supra concilia auctoritatem et eminentiam; præcipuè autem et vel maximè, prout alibi, etiam in isto regno plebs hanc doctrinam ita sibi persuasam habet, tantâque erga summorum pontificum nomen reverentiâ ac observantiâ afficitur, ut absque indignatione quâdam vel minimum in contrariæ opinionis favorem audire nequeat. Sed hæc de præjudiciis dicta sufficiant. Examinemus modò quænam sint illa principia quibus sententia quæ summorum pontificum infallibilitatem propugnat, innititur; et quoniam in materiâ dogmaticâ non alia tenenda sunt, quàm S. Scriptura et traditio, videamus num hæc duo principia huic doctrinæ faveant.

CAPUT II.

Privilegium infallibilitatis summorum pontificum supra S. Scripturam fundatum est.

Nullus Catholicorum dubitat quin Salvator noster divo Petro primatum in Ecclesiâ tradiderit; cùm igitur in hoc principio omnes conveniant, nonnisi ex quodam cavillationis spiritu, occultæque cupiditatis S. sedis prærogativarum diminuendarum genio, quidam in dubium vocare velle videntur, num idem primatus illi traditus et confirmatus fuerit per tres famosos illos textus, qui communiter adduci desuper solent: videlicet Matth. 16, v. 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et Luc. 22, v. 31 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Item cùm Salvator noster Christus Dominus post resurrectionem suam Petrum trinâ vice interrogâsset, num ipsum plus quàm cæteri Apostoli diligeret, eidem denique universam suam concredidit Ecclesiam his verbis : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.*

Occultâ igitur, ut dixi, quâdam solummodò cupidine divi Petri prærogativas diminuendi impelluntur il qui in dubium vocare velle videntur, num per hos textus Christus

Dominus D. Petrum visibile caput, pastoremque primarium suæ Ecclesiæ constituerit. Doctor Launoius, qui in suis Epistolis Romanorum pontificum auctoritati diminuendæ totus incubuit, omnesque vires exeruit, ut hos S. Scripturæ textus summis pontificibus inutiles redderet, eò animum appulit ut assereret eosdem à SS. Patribus variè explicari ac interpretari; quibusdam primum locum de ædificatione Ecclesiæ super ipsum D. Petrum, aliis verò non supra divum Petrum duntaxat, sed super omnes Apostolos intelligentibus; aliis autem voces istas, *hanc petram*, divinitatis, quam Petrus confessus fuerat, *fidem* interpretantibus; aliis denique per *petram* ipsum Christum Dominum intelligi debere affirmantibus. Ex quo memoratus doctor concludit non certò posse inferri quòd hoc textu prærogativæ quæ summis pontificibus communiter tribuuntur, sufficienter stabiliantur.

Verùm quàm debile sit istud doctoris Launoii argumentum, facilè demonstrari potest. Illud quidem auctoritate concilii Tridentini roborare nititur ex eo quòd dictum concilium prohibeat ne quis S. Scripturæ sensum unanimi SS. Patrum sensui tribuat contrarium; sed exemplo apparet istud suum argumentum nonnisi merum paralogismum esse. Enimverò multùm inter se differunt, asserere (prout asseruit laudatum concilium) fas non esse in exponendis sacris paginis sequi sensum omnibus SS. Patribus contrarium; et dicere, non licere sensum iisdem sacris paginis tribuere, quem omnes ac singuli SS. Patres sectati non fuerint. Ut ergo, dicet quis, aliquem sensum S. Scripturæ tribuere queat, sufficit, si modò quorumdam SS. Patrum auctoritate illum solidet, cui auctoritati cæteri SS. Patres non contradixerint. Atqui hìc nullus ex SS. Patribus in medium adduci potest, qui primo sensui contradixerit, quique asseruerit Christum Dominum non ædificâsse Ecclesiam suam supra D. Petrum; consequenter doctoris Launoii argumentum de se ruit.

Præterea varii hi sensus, quos huic sacræ Scripturæ textui SS. Patres tribuerunt, tam parùm sibi invicem contrariantur, quin potiùs perfectè concordent. Verum namque est quòd Salvator noster Ecclesiam suam supra D. Petrum, tanquàm primum post ipsum Christum, fundamentum ædificaverit. Verum item est quòd præterea eam supra cæteros Apostolos, qui omnes post D. Petrum illius fundamenta sunt, ædificaverit. Nec minùs verum est quòd etiam illam supra fidem suæ divinitatis fundârit. Certum denique est eam præ omnibus super Christum tanquàm supra essentiale, firmum ac immobile fundamentum ædificatam esse; et quòd hæc ita se habeant, omnesque istæ expositiones perfectè inter sese conveniant, inconcussè ex eo evincitur quòd, ut ipse doctor Launoius fatetur, iidem SS. Patres textui, de quo nunc agimus, binas, imò ternas usque explicationes apposuerint, sanctusque Augustinus omnes quatuor adhibuerit. Sed nusquàm reperietur quòd vel unus eorum huic loco morales explicationes tribuendo, litteralem sensum qui divum Petrum respicit, quemque Ecclesiæ doctores ad hujus S. Apostoli in Romanâ sede successores semper extenderunt, excluserit.

Quòd si hunc locum secundùm se examinemus, profectò liquet quòd Salvator noster, cùm divum Petrum ob id beatum pronuntiavit, quòd per æterni Patris revelationem divinitatem suam agnovisset, quantus honor felixque sors illum maneret, verbis sequentibus declarare voluerit, ei promittendo nempe, quòd super ipsum tanquàm super fundamentum, adversùs quod nulla inferorum nequitia unquàm prævalitura esset, Ecclesiam suam ædificaturus esset. Et quemadmodùm hæc promissio secundùm Patres ad hujus Apostoli successores pertransiit, ita dubitari non potest quin locus iste et eorum primatum et infallibilitatem stabiliat. Si enim Ecclesia ideò immobilis et inconcussa manet, quia super D. Petrum, ejusque successores fundata est, sequitur quòd singuli successores hujus Ecclesiæ capitis similem in fide habere debeant firmitatem, parique fortitudine Ecclesiæ columnam suffulcire, utpote cujus sunt fundamenta. Referemus in sequentibus Patrum testimonia utrumque stabilientia; sufficiat hìc cum D. Hieronymo epist. ad Damasum dixisse: « Cathedræ Petri communione consocior, su« per hanc petram ædificatam Ecclesiam scio; « quicumque extra hanc domum agnum co« medit, profanus est. » Et cum S. Augustino in Psal. contra part. Donat. : « Numerate « sacerdotes vel ab ipsâ sede Petri, et in or« dine Patrum quis cui successit, videte; ipsa « est petra quam non vincunt superbæ infe« rorum portæ. » A nullo controvertitur quòd locus secundus, quem ex S. Lucâ retulimus, peculiariter D. Petrum respiciat. Sed qui tenent Romanos pontifices in fidei quæstionibus

infallibiles non esse, indefectibilitatem fidei in divo Petro personalem fuisse, nec ad ejus successores pertransiisse contendunt. At nos decursu operis nostri demonstrabimus hanc ipsorum assertionem malè fundatam esse, sanctosque Patres ac antiquos theologos longè aliter hâc de re sensisse. Nec denique id controverti potest, quòd scilicet tertio S. Scripturæ loco Salvator noster D. Petrum singulari quodam privilegio præ cæteris Apostolis decorârit. Quærit enim ab ipso, num ipsum plus quàm cæteri Apostoli diligat, quâ interrogatione, tertiò usque repetitâ, ei demùm tam oves quàm agnos suos pascendos tradit. Quis post hæc dubitabit quin ipsum peculiariori præ cæteris Apostolis modo suæ Ecclesiæ pastorem constituerit, ipsique suorum agnorum et ovium curam demandando, totam Ecclesiam commiserit?

Quòd si quis secundùm D. Augustinum dicere velit, quòd hâc occasione D. Petrus universam Ecclesiam repræsentârit, nec hæc privilegia ad suam duntaxat personam restricta fuerint, longè abest, ut hanc doctrinam rejiciam, aut ei contradicam, quin potiùs per illam summorum pontificum auctoritatem optimè et mirum in modum firmari contendam. Profectò namque, si concilium Constantiense ad ostendendum quòd auctoritate totius Ecclesiæ polleret, eamque præ manibus, ut ita dicam, teneret, non meliùs hanc universalem potestatem exprimere se posse arbitratum est, quàm si assereret se universam repræsentare Ecclesiam, quis dubitabit, quin D. Petrus, si in occasionibus de quibus nunc agitur (id est, cùm Salvator noster asseruit se super ipsum Ecclesiam suam ædificaturum, eumque illius pastorem constituit), universam repræsentavit Ecclesiam, potestatem etiam generalem super eamdem receperit? Quòd si tunc universa Ecclesia eminenter in D. Petro, ut in capite suo, residebat, an non naturaliter concludi debet, quòd omnis influentia Christi Domini in suum corpus mysticum in hocce corpus per medium et organum capitis illius transierit?

CAPUT III.

Qualem ideam primis Ecclesiæ seculis de auctoritate Romanorum pontificum in quæstionibus fidei habuerint fideles.

Antequàm super hoc puncto historiam ecclesiasticam consulamus, operæ pretium erit ideam quam de auctoritate D. Petri, post Salvatoris nostri in cœlos ascensionem, nobis ob oculos ponunt Acta Apostolorum, vel momento contemplari. Id namque ad ea confirmanda quæ de privilegiis quibus eum Dei Filius decoravit, præcedenti capite retulimus, multùm, ni fallor, conferet. Et quidem vix Salvator Apostolos suos visibiliter deseruerat, cùm ecce statim beatus Petrus primatum suum in collegio apostolico exercere conspicitur. Hoc habetur per illud quod de electione divi Matthiæ ibidem refertur, ubi cùm D. Petrus proposuisset supplendum esse in dicto collegio infelicis Judæ locum, universus cœtus iis quæ ipsi ab isto Ecclesiæ capite proposita fuerant, detulit. Ad quæ D. Joannes Chrysostomus: « Meritò, inquit, primus Petrus omnem auc- « toritatem usurpat in negotio, ut qui omnes « habet in manu; ad hunc enim dicit Christus: « *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* » Post sancti Spiritûs descensionem, ubique D. Petrum in fronte, ut ita dicam, Apostolorum collocatum cernimus. Omnes ipsi in silentio auscultant: ipse solus Judæos in die Pentecostes oratione compellit, scelusque exprobrat quod Christum Jesum crucifigendo contraxerant, atque ut in eum credant hortatur; ipse solus claudum ad portam templi mendicantem alloquitur, eumque sanat; ipse solus rationem de hoc miraculo populo, qui ibidem convenerat, reddit; ipse solus cum D. Joanne audacter principibus sacerdotum, magistratibusque respondet; ipse solus fulgentissima patrat miracula, quippe de ipso solo refertur quòd illius umbra omnis generis morbos curârit; ipse solus Judaicam Ecclesiam, id est, primos fideles, regit ac gubernat, Ananiamque et Saphiram ob commissam fraudem morte damnat; ipse solus ad Evangelium prædicandum primò destinatur; ipse solus denique in consilio Hierosolymitano sententiam pronuntiat ac fert. Quibus addi potest, quòd, cùm in carcere detineretur, universa Ecclesia pro ipsius liberatione ad Deum preces fundere non destiterit, donec eamdem obtinuerit. Et hæc sunt quæ de iis quæ in ipsis Ecclesiæ primordiis gesta sunt, in Actis Apostolorum legimus, è quibus utique, ni fallor, patet quòd à tempore ascensionis Salvatoris nostri cæteri Apostoli D. Petrum, et ut caput Ecclesiæ, et ut suum superiorem semper agnoverint ac reveriti fuerint. Modò ad ipsius successores transeamus.

Si loco falsarum decretalium, quæ sub nomine summorum pontificum, qui tribus primis Ecclesiæ seculis floruêre, cusæ fuerunt, verè suppeterent eorumdem Epistolæ, luculenta ac

illustria procul dubio de potestate quam omni tempore in Ecclesiâ exercuerunt, atque de observantiâ quam fideles ipsorum decisionibus exhibuerunt, argumenta probationesque suppeditarent; at cùm immanes turbines, quibus illis persecutionum temporibus Ecclesia agitata fuit, earum majorem partem nobis è manibus excusserint, cogimur ad ea pauca calamum sistere, quæ historia ecclesiastica nobis reliquit.

Primo igitur jam Ecclesiæ seculo, cùm Ecclesia Corinthiorum variis scissionibus conquateretur, ad Ecclesiam Romanam confugit, ut ibi remedium ad ea mala inveniret, quibus tunc in discrimen adduci videbatur. Beatus Clemens, qui eo tempore Ecclesiæ Romanæ gubernacula tenebat, hisce medelam ferre cupiens, illustrem Epistolam ad dictæ Corinthiorum Ecclesiæ rectores dedit, quæ adhuc superest, quâ pacem et tranquillitatem pristinam in istâ Achaiæ metropoli restituit, illosque in fide firmavit, prout testantur scriptores antiqui.

Sequenti seculo, Victor pontifex Romanus abusui qui longo jam tempore in Asiâ vigebat, mederi cupiens, illius provinciæ episcopos eò adegit, ut se Ecclesiæ Romanæ, potiorique cæterarum Ecclesiarum parti accommodarent, dieque Dominicâ, et non cum Judæis, decimâ quartâ lunâ, videlicet martii, Pascha celebrarent. Polycratem verò Ephesiorum, aliosque istius provinciæ episcopos suis mandatis, sub prætextu traditionis cujusdam ab Apostolis receptæ obedire renuentes, ab Ecclesiæ communione removit, vel saltem removere voluit. At cùm plures episcopi, præcipuè autem S. Irenæus, Lugdunensium archiepiscopus, humiliter ipsi exposuissent hæc extrema non convenire, nec congruere ut Asiatici ob praxim quamdam quam à suis prædecessoribus receperant, à totius Ecclesiæ unione removerentur, scissio quidem integra, aut saltem continuata non fuit. Non satis liquet num Asiatici tandem Victori papæ manus dederint. Id hujus fidem facere potest, quòd D. Athanasius commemorans eos qui tempore concilii Nicæni die Dominicâ Pascha non celebrabant, nihil omninò de Asiaticis loquatur, sed tantùm Syriæ, Ciliciæ ac Mesopotamiæ incolarum mentionem faciat; verùm quidquid de eo sit, ex hujus tamen contentionis narratione manifestum est quòd jam à seculo secundo Romani pontifices emergentes in Ecclesiâ difficultates et controversias tam in Oriente quàm Occidente determinârint ac definierint, quòdque illi quos excommunicabant, à totius etiam Ecclesiæ communione remoti ac resecti fuerint. Synodus item Nicæna, decisioni Victoris papæ se conformans, decrevit ut omnes Catholici die Dominicâ Pascha celebrarent, et qui ad contrariam praxim animum obstinârunt, tanquàm hæretici habiti, atque ut tales ab Ecclesiæ corpore resecti sunt, ut habetur ex secundâ et tertiâ synodis œcumenicis, ut interim multa alia veterum monumenta omittamus.

Seculo tertio, cùm Novatianus, schismate in Ecclesiâ Romanâ suscitato, hujus Ecclesiæ sedem invadere attentâsset, atque conatus machinationesque suas irritas fore, necnon Cornelium per totum orbem pro vero Romano pontifice haberi perspexisset, novam hæresim excogitavit, contendens, prout refert Eusebius, iis qui tempore persecutionis fidem catholicam ejurâssent (quamvis omnia quæ viderentur ad veram pœnitentiam spectare, omninò postmodùm peragerent), nullam prorsùs salutis spem reliquam fieri. Quâ de causâ Cornelius coacto Romæ concilio Novatiani errorem damnavit, cui damnationi dein omnes Ecclesiæ non minori unanimitate quàm si illa hæresis in concilio œcumenico damnata fuisset, acquieverunt. Neminem latet contentio illa quæ paulò post in causâ baptismi hæreticorum orta est; Stephanus papa postquàm resciisset quòd S. Cyprianus Carthaginensis antistes, Africanique episcopi hæreticos ad Ecclesiæ communionem revertentes rebaptizari juberent, quamvis jam priùs in nomine SS. Trinitatis baptizati fuissent, fortiter huic errori restitit, definiitque oportere in hoc quemadmodùm et in omnibus aliis antiquam sequi Ecclesiæ traditionem. Quanquàm verò S. Cyprianus, eò quòd id tanquàm quid merè disciplinam spectans consideraret, decisioni papæ hic deferendum esse non arbitratus fuerit, atque in hoc magnorum Orientis episcoporum auctoritate fulciretur; nihilominùs universa Ecclesia papæ decisionem amplexa est, et licet S. Cyprianus in communione Ecclesiæ perstiterit, atque in eâ extremum diem obierit, ii tamen qui pervicaciter ipsius praxim postmodùm secuti sunt, in hæreticorum numerum rejecti sunt.

Cùm sub ejusdem papæ regimine Marcianus episcopus Arelatensis Novatiani hæresim amplexus fuisset, D. Cyprianus desuper per litteras Stephanum certiorem reddidit, rogans ut dictum hæreticum episcopum deponeret, aliumque in ejus locum suffici ac ordinari curaret. Ex quo apparet quantâ potestate tunc temporis in universâ Ecclesiâ usi sint Romani pontifices

Id insuper probatur ex eo quòd, cùm duo Hispaniarum episcopi, qui è suis sedibus ejecti fuerant, eumdem papam implorâssent, rogâssentque ut in pristinas dignitates ipsos restitueret, Stephanus secundùm ea quæ illi exposuerant, ipsos restituerit; et quamvis hæc restitutio locum non habuerit, eò quòd dictum papam circumvenisse, ipsique falsa exposuisse deprehensi sint, nihilominùs tamen exinde manifestè liquet quòd fideles Romam tanquàm ad supremum tribunal concurrerint.

Cùm eodem seculo Dionysius Ecclesiæ Romanæ presbyter ad sedem Apostolicam evectus fuisset, quidam erga D. Dionysium patriarcham Alexandrinum malè affecti, eum ad papam detulerunt, quasi non orthodoxè de Filio Dei sentiret, necnon in quibusdam operibus minùs catholicè de eo scripsisset; illicò Dionysius papa ad eum litteras dedit, mandans ut suæ fidei rationem redderet, cui mandato memoratus patriarcha promptè obediens, apologiam edidit, quam Romam misit, in quâ expressiones sibi objectas de crimine purgabat, demonstrabatque se in scripto illo de quo agebatur, propriis terminis divinum Verbum Patri consubstantiale esse expressisse. Hanc historiæ particulam à S. Athanasio acceptam retulimus, à quo etiam illud habemus, quòd nempe concilium Nicænum ab his binis Dionysiis vocem *consubstantialis* mutuârit. Ex hoc facto apparet quòd illo seculo, sicut et sequentibus, Romani pontifices, cùm de fide agebatur, omnimodam in omnes Ecclesias exercuerint jurisdictionem, quippe cùm patriarcha Alexandrinus (quemadmodùm cæteri) eisdem suæ fidei rationem reddere teneretur.

CAPUT IV.

Qualem ideam historia quarti et quinti seculi de auctoritate Romanorum pontificum nobis ob oculos ponat.

Hìc ab iis quæ sub Julio papâ gesta sunt, initium nobis sumendum est; nec enim de iis quæ sub illius prædecessoribus contigêre (si ea quæ contentionem Donatistas inter et Cæcilianum Carthaginensem episcopum concernunt, excipias), quidquam certi habemus. Hæc igitur nobis historiæ memoriâ prodita sunt. Cùm Eusebiani perspicerent quòd S. Athanasius, post obitum Constantini Magni, à quo Trevirim relegatus fuerat, sedem suam Alexandrinam repetiisset, nec eum ibidem diutiùs pati possent, in ejus locum, ipso ejecto, quemdam Pistum nomine, ejusdem cum ipsis fidei, Arianum nempe, sufficere conati sunt; quo per vim intruso, legationem ad Julium papam ad obtinendas pro illo putatitio episcopo communionis litteras mittunt, sub prætextu quòd D. Athanasius, in synodo Tyri habitâ, ob varia scelera, de quibus per informationes in Mareote adversùs ipsum factas abundè convictus foret, damnatus fuisset; verùm D. Athanasius suo nomine quosdam ex suis presbyteris Romam misit, qui Eusebianorum legatos falsi postulârunt ac convicerunt; quo super hi Julium papam rogârunt, quatenùs synodum, in quâ hæc causa discuteretur ac dijudicaretur, convocare dignaretur; Julius, eorum postulatis deferre cupiens, litteras tum ad Eusebianos, tum ad Athanasium exarat, tempusque indicit quo utrique se concilio sistere deberent : mandato pontificis statim quidem obtemperavit hic sanctus patriarcha; at verò Eusebiani, satis superque subodorantes fraudes suas, clandestinaque adversùs Athanasium concilia Romæ haud prævalitura, synodum Antiochiæ cogunt, ubi abdicato iterùm Athanasio, in ejus locum Gregorium quemdam ordinant; malè digestam dein ad papam Julium mittunt Epistolam, in quâ, postquàm conquesti essent quòd de novo causam Athanasii discutere voluisset, se excusant quòd in synodo Romanâ comparere non possint. Ast hæc minimè obfuêre quin papa concilium cogeret, in eoque Athanasium in suam communionem reciperet.

Julius dein litteris Orientalium tam suo quàm concilii nomine respondit, Athanasii innocentiam tuetur, Eusebianorum objectiones diluit, vanos prætextus refellit, eorumque conventus et conciliabula reprobat, additque quòd si S. Athanasius nocens fuisset, Orientalium officium postulâsset ut, priusquàm ad illum damnandum convenissent, episcopo Romano scriberent, ipsiusque desuper decisionem expectarent : « Cur autem, inquit, de « Alexandrinâ potissimùm Ecclesiâ nil nobis « scriptum est? an ignoratis hanc esse consue« tudinem ut primùm nobis scribatur, et hinc, « quod justum est, decernatur? Sanè si qua « hujusmodi suspicio in illius urbis episcopum « (Athanasium nempe) cadebat, ad hanc Ec« clesiam scribendum fuit. » Ex his, ni fallor, palam fit magnitudo potestatis Romanorum pontificum, qui seculo quarto Ecclesiæ præfuerunt, quippe cùm concilia particularia de uno patriarchâ Alexandrino judicare non tantùm non possent, nisi priùs à Romano ponti-

fice petita licentia; sed id etiam, quod, quamvis eam petiissent, nihil tamen desuper, nisi quod ipsis summus pontifex præscripsisset, agere valerent.

Socrates de hâc Julii papæ Epistolâ agens, contendit quòd in eâ dictus papa conqueratur, quòd « contra canones ipsum ad concilium « non vocâssent, cùm ecclesiasticâ regulâ in- « terdictum sit ne præter sententiam Romani « pontificis quidquam ab Ecclesiâ decer- « natur. » Sozomenus, idem referens, omne id quod absque consensu Romani pontificis fit, irritum esse ac nullum ait. Auctor quoque Historiæ Tripartitæ ita rem vertit, ut dicat, « non oportere præter sententiam Romani « pontificis concilia celebrari. » Minimè me latet, quosdam nostræ ætatis eruditos asserere quòd auctores, quos modò citavi, Epistolæ Julii papæ sensum ultra modum exaggerârint. Fieri quidem potuit, ut memorati scriptores ad ea, dùm scribebant, respexerint, quæ suâ ætate de more factitabantur; verùm, quamvis id verum esset, ipsorum tamen testimonium non desineret magni ponderis esse, siquidem duo priores Græci erant, ac seculo quinto scribebant, tertius autem seculo sequenti.

A Julio ad Damasum papam, Liberii successorem, Valentiniano et Theodosio imperantibus, transeo. Tria quoad hunc pontificem non levis momenti occurrunt, quæ ad propositum meum multùm faciunt. Primum est, quòd circa annum trecentesimum septuagesimum secundum, synodum Romæ coegerit, in quâ ea quæ priùs in Ariminensi conventu actitata fuerant, damnata sunt, atque formulæ fidei, à concilio Nicæno præscriptæ, unicè adhærendum esse definitum fuit. Sic autem inter alia dictum Romanum concilium loquitur : « Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit « per numerum Arimini congregatum, neque « Romanum episcopum, cujus ante omnia de- « cebat (vel *oportebat*, ἔδει) expectare decre- « tum, neque Vincentium, qui tantis annis « episcopatum inviolabiliter custodivit, neque « alios talibus præbuisse consensum. » Ex hoc textu infero quòd secundum istud concilium, omnis episcoporum conventus, quantùmvis numerosissimus, si absque Romani pontificis consensu instituatur, illegitimus sit, illiusque de fide definitiones prorsùs nullæ sint, nisi per ejusdem Romani pontificis consensum confirmatæ fuerint. Si hæc Damasus particulari cuidam Epistolæ inseruisset, dici forsitan posset quòd in propriâ causâ loquatur; at cùm hic numerosa loquatur synodus, profectò dubitari non potest quin conformiter ad regulas disciplinamque illo tempore in Ecclesiâ receptam discurrat.

Secundum, quod occurrit, est quòd, quamvis Apollinaris hæresis in Oriente orta fuerit, Damasus tamen, prout referunt Sozomenus et Rufinus, omnium primus eam damnârit. Cùm enim D. Basilius Orientalesque Sabinum diaconum et Timotheum illicò Romam misissent, ut adversùs hæreses quibus tum Oriens concutiebatur, suppetias et auxilium peterent, Damasus præsentibus Timotheo et Petro Alexandrino, qui Romam se receperat, concilium coegit, ac in eo dictam Apollinaris hæresim damnavit. Cùmque Timotheus presbyter hujus synodi acta in Orientem retulisset, statim Orientales, numero circiter centum quinquaginta, Antiochiæ convenerunt, ibique concilii decisionem receperunt, eique subscripserunt.

Tertium est, quòd idem Damasus (cùm concilium Nicænum quidquam adversùs hæreses nondùm natas statuere haud potuerit), in aliâ iterùm synodo novam fidei formulam confecerit, cui anathemata adversùs Macedonianos et Apollinaristas adjecit, hancque formulam Paulino patriarchæ Antiocheno miserit, ut iis qui de contrariis erroribus suspecti erant, si aliàs in Ecclesiæ communionem recipi cuperent, eamdem subscribendam traderet. Ex hoc formulari liquidò constat, quantâ injustitiâ Græci à tempore sui schismatis contenderint quòd Romani pontifices absque eorum convocatione non potuerint determinare, Spiritum sanctum à Filio procedere sicut à Patre; cùm id concilium Constantinopolitanum in suo Symbolo non inseruisset, eò quòd Damasus papa jam seculo quarto iis quæ concilium Nicænum de Spiritu sancto atque Verbi incarnatione asseruerat, addidisset, Græcis minimè convocatis, idque nullatenùs improbantibus.

Damaso sub finem quarti seculi successit Siricius; ex ipsius Epistolis decretalibus satis apparet quantùm ipsius jurisdictio se extenderit. Hic unicè sententiam quam suo Romano clero præsidens adversùs Jovinianum, necnon ejus adhærentes, illorumque errores tulit, commemorabo. Errores damnavit, eorum autem auctores anathemate confixit. Cùmque desuper suam sententiam aliis episcopis transmisisset, Jovinianus, suique adhærentes ubique terrarum tanquàm execrabiles habiti et ut hæretici agniti fuêre. D. Ambrosius, suæque provinciæ episcopi quoad hoc papæ rescripserunt, laudatâque ipsius

super gregem Christi pastorali vigilantiâ, declarant quòd factam ab ipso memoratorum hæreticorum damnationem recipiant. Sic Epistolam ordiuntur : « Recognovimus litteris Sanc- « titatis tuæ boni pastoris excubias, qui dili- « genter tibi commissam januam serves, et « piâ sollicitudine Christi ovile custodias, dig- « nus quem oves Domini audiant et sequantur; « et ideò quia nôsti oviculas Christi, lupos « facilè deprehendis, et occurris quasi provi- « dus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, « feralique ululatu Dominicum ovile disper- « gant. » Sic autem illam finiunt: « Itaque Jo- « vinianum, Auxentium, etc., quos Sanctitas « tua damnavit, scias apud nos quoque se- « cundùm judicium tuum esse damnatos. » Id hìc adhuc de Anastasio papâ addendum, quòd, teste D. Hieronymo, Origenis errores in Oriente jam damnatos, etiam damnârit, hæcque damnatio totò Occidente recepta fuerit. « Quan- « quàm, inquit Epist. ad Pammach. et passim, « celebri sermone vulgatum sit beatum quo- « que papam Anastasium, eodem fervore, quia « eodem spiritu est, latitantes in suis foveis « hæreticos persecutum, ejusque litteræ do- « ceant damnatum in Occidente, quod in Ori- « ente damnatum est. »

Hæc sunt quæ ad demonstrandam quarti seculi de auctoritate Romanorum pontificum ideam, notatu digniora inveni. Id solummodò addam, quòd, secundùm ejusdem D. Hieronymi testimonium, tam Orientis quàm Occidentis Ecclesiæ ad ipsos recurrerint, eosque in emergentibus dubiis consuluerint, ex quo patet quòd tunc temporis tanquàm totius Ecclesiæ oracula habiti fuerint. Photius etiam, lib. de Synod. prim., postquàm de secundo concilio œcumenico disseruisset, suarum partium esse arbitratus est etiam addere quòd à Damaso papâ confirmatum fuisset. « Quibus, inquit, « haud multò post, et Damasus Romæ episco- « pus eadem confirmans, suoque consensu « comprobans, accessit. » Quâ confirmatione tum denique œcumenici auctoritatem adeptum est, quamvis ex solis Orientis episcopis compositum fuerit.

Initio seculi quinti, Anastasio vitâ defuncto, in thronum Apostolicum successit Innocentius I. Cùm autem ipsius pontificatus ad decem et septem fermè se extenderit annos, longioris operæ foret, omnia ea quæ per id tempus gesta sunt, referre. Ea igitur retulisse sufficiet, quæ graviora sunt, magisque ad propositum faciunt.

Primum quod occurrit, est sacrarum Scripturarum canon; cùm enim Exuperius episcopus Tolosanus super variis rerum capitibus hunc papam consuluisset, ultimum erat ut dignaretur ei indicare quosnam Scripturæ libros pro canonicis recipi oporteret. Ad hoc ipsi papa respondet, ipsosmet canonicos libros enumerando, quem numerum hodiè adhuc sequitur tenetque Ecclesia. Satis autem notum est quòd usque ad hanc præfati summi pontificis declarationem, opiniones super plerisque S. Scripturæ libris, qui modò canoni inserti sunt, in Ecclesiâ divisæ fuerint, quòdque hic summus pontifex eorum numerum omnium primus determinârit. Hincmarus etiam, aliique Franciæ episcopi sæpiùs fassi sunt quòd à sede Apostolicâ, et per illius auctoritatem sacrarum Scripturarum canonem tenerent. Quòd si illo seculo episcopi in re tanti momenti auctoritatis ac decisionis summi pontificis tanquàm infallibilis rationem aliquam iniri posse non credidissent, an ad illum pro canone hoc determinandò recursum habuissent, an ejus decisio dubia solvisset, mentesque, prout fecit, tranquillâsset?

Secundum, quod occurrit, est, quòd Innocentius I, Macedoniæ episcopis scribens ratione quarumdam quæstionum disciplinam tantummodò spectantium, nihilominùs injuriam sanctæ sedi illatam interpretatus sit, quòd ipsius desuper factas decisiones in dubium vocare ausi essent : « In quibus litteris (inquit, « loquens de Epistolâ quam ad ipsum dictæ « provinciæ episcopi exarârant) multa posita « pervidi quæ stuporem mentibus nostris indu- « cerent, facerentque nos non modicùm dubi- « tare utrùm aliter putaremus, an illa ita « essent posita, quemadmodùm personabant. « Quæ, cùm repeti pluries fecissem, adverti « sedi Apostolicæ, ad quam relatio missa quasi « ad caput Ecclesiarum currebat, aliquam fieri « injuriam, cujus adhuc in ambìguum senten- « tia duceretur. » Quòd si hic papa ferre non poterat ut ad eas decisiones, quæ nonnisi disciplinam spectabant, quisquam hæsitaret, quid, quæso, dixisset, si suâ ætate eas quæ fidem concernebant quis in dubium vocare ausus fuisset?

Tertium quod ingentem illam auctoritatem, quâ per totum etiam Orientem pollebant Romani pontifices, demonstrat, est illud, quod ratione D. Joannis Chrysostomi gestum est. Hic sanctus vir, cùm factione Theophili Alexandri è sede suâ ejectus atque in exilium amandatus fuisset, de-

super apud Innocentium conquestus est. Hic papa gestorum à synodo per Theophilum congregatâ, quam semper tanquàm latrocinium quoddam respexit, nullam omninò rationem habuit, sed cum D. Chrysostomo communicare non desiit, omnemque conatum adhibuit, quatenùs concilium cogeretur, ubi prædicto sancto jus suum tribueretur, turbæque hâc occasione excitatæ sedarentur. Verùm cùm aversus ab isto sancto imperatoris Arcadii animus id impediret, ejusque adversarii nomen ipsius ex sacris dypticis expungi fecissent, Innocentius, et cum eo totus Occidens, universum Orientem à suâ communione suspendit, nec cuiquam Orientalium post hujus sancti obitum communicare voluit, nisi priùs ipsius memoria pristinæ veneration restituta, cum iis qui ejus innocentiam propugnârant reconciliatio inita, ejusque nomen sacris dypticis reinsertum fuisset; quibus tandem apertissimi etiamnum D. Chrysostomi hostes cedere coacti fuerunt, quemadmodùm inter alia monumenta ex Epistolâ hujus papæ ad Alexandrum patriarcham Antiochenum colligi potest.

At hujus papæ pontificatum, sanctæque sedis auctoritatem commendabiliorem adhuc reddunt ea quæ in negotio Pelagii et Cœlestii contigerunt: cùm enim sub finem pontificatûs Innocentii episcopi Africæ in binis synodis, Carthaginensi nempe et Milevitanâ, magno numero congregati horum hæreticorum perniciosa dogmata damnâssent, sua acta pontifici miserunt, atque pro impetrandâ eorumdem confirmatione scripserunt: « Hoc itaque gestum, inquit ad eum synodus Carthaginensis, « domine frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis mediocritatis nostræ etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas pro tuendâ salute multorum, et quorumdam perversitate etiam corrigendâ. » Et inferiùs: « Quæcumque autem alia ab eis objiciuntur, non dubitamus venerationem tuam, « cùm gesta episcopalia perspexerit, quæ in « Oriente in eâdem causâ confecta dicuntur, « id judicaturam, unde omnes in Dei miseri« cordiâ gaudeamus. » Milevitana autem sic loquitur: « Quia te Dominus gratiæ suæ præ« cipuo munere in sede Apostolicâ collocavit, « talemque nostris temporibus præstitit, ut « nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si « apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesiâ « suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu « possis vel fastidiosè vel negligenter accipere, « magnis periculis infirmorum membrorum « Christi, pastoralem diligentiam, quæsumus « adhiberedigneris. » Et inferiùs: « Sed arbitra« mur, adjuvante misericordiâ Domini Dei no« stri, qui te et regere consulentem, et oran« tem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis « tuæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate « depromptæ, faciliùs eos, qui tam perversa et « perniciosa sentiunt, esse cessuros. » Ita Africani episcopi in duabus synodis maximo numero congregati loquuntur. Post latam sententiam ad sanctam sedem tanquàm ad majorem auctoritatem pro illius confirmatione impetrandâ confugiunt. Quæ verò binis hisce Epistolis respondet dictus summus pontifex, longè adhuc aliter S. sedis in fidei quæstionibus auctoritatem demonstrant.

Ut ab iis, quæ synodo Carthaginiensi rescribit, initium sumamus: « Antiquæ, inquit, « traditionis exempla servantes, et ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis « vigorem, non minùs nunc in consulendo « quàm antea, cùm pronuntiaretis, verâ ratione « firmâstis, qui ad nostrum referendum appro« bâstis esse judicium, scientes quid Apostolicæ sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum « sequi desideremus Apostolum, debeatur, & « quo ipse episcopatus et auctoritas nominis « hujus emersit. Quem sequentes tam mala « damnare novimus, quàm probare laudanda. « Vel id verò, quòd Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse « calcanda, quod illi non humanâ, sed divinâ « decrevêre sententiâ, ut quidquid quamvis « de disjunctis remotisque provinciis ageretur, « non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus « sedis notitiam perveniret, ut tota hujus sedis « auctoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio, « firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ec« clesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ « procederent, et per diversas totius mundi « regiones puri latices capitis incorrupti « manarent) quid præcipere, quos abluere, « quos velut cœno immundabili sordidatos, « mundis dignâ corporibus undâ vitare. » Hæc qui attentè legerint, sinceroque animo examinaverint, inficiari non poterunt 1° quòd secundùm D. Innocentium quæstiones fidem concernentes omni tempore ad S. sedis judicium perlatæ fuerint; 2° quòd hæc traditio super S. Scripturam, id est, super prærogativas à Salvatore D. Petro concessas fundata sit; 3° quòd decisiones ab hâc S. sede emanatæ nulli errori subjectæ sint: *Puri latices capitis incorrupti manarent*; 4° quòd omnes to-

tius orbis Ecclesiæ ad iis se conformandum obstrictæ semper fuerint : *Quid præcipere, quos abluere, quos vitare,* etc.

Sed aptiora adhuc et firmiora sunt, quæ responsi loco synodi Milevitanæ antistitibus scribit : « Diligenter ergo, inquit, et congruè « apostolici consulitis honoris arcana (honoris, « inquam, illius, quem præter illa quæ sunt « extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ec- « clesiarum) super anxiis rebus quæ sit te- « nenda sententia ; antiquæ scilicet regulæ « formam secuti, quam toto semper ab orbe « mecum nôstis esse servatam. Verùm hæc « missa facio : neque enim hoc vestram credo « latere prudentiam. Qui id etiam actione fir- « mâstis, scientes quòd per omnes provincias « de apostolico fonte petentibus semper re- « sponsa emanent ; præsertim quoties fidei « ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, et « coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id « est, sui nominis et honoris auctorem referre « debere, velut nunc retulit vestra dilectio, « quòd per totum mundum possit Ecclesiis « omnibus prodesse. Fiant enim necesse est « cautiores, cùm inventores malorum ad du- « plicis relationem synodi, sententiæ nostræ « statutis viderint ab ecclesiasticâ communione « sejunctos. Gemino igitur bono charitas vestra « fungatur ; nam et canonum potiemini gratiâ « servatorum, et beneficio vestro totus orbis « utetur. Quis enim catholicorum virorum « cum adversariis Christi velit ulteriùs miscere « sermonem? Quis saltem ipsam lucem vitæ « communione partiri? »

Hæc D. Innocentii papæ verba 1° et quidem modo clariori magisque evincente, omnia èa quæ quoad responsionem synodo Carthaginensi factam jam adnotavimus, demonstrant ; 2° quòd nihil quoad fidem pro deciso ac definito habitum fuerit, quin priùs ad sedem D. Petri delatum fuisset, summusque pontifex desuper sententiam tulisset ; 3° quòd ante dicti summi pontificis definitionem synodorum particularium determinatio ut suspensa habita fuerit : *Super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia ;* 4° quòd quidquid ante hanc summi pontificis definitionem episcopi determinâssent aut definiissent, nonnisi meræ consultationis ac relationis ob difficultatem quamdam summo pontifici factæ vim habuerit : *Ad relationem duplicis synodi ;* 5° quòd sententia papæ, quâ synodos confirmare solebat, ultimatum quoddam judicium fuerit, vi cujus, qui damnati fuerant, à communione Ecclesiæ excludebantur : *Sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiasticâ communione sejunctos ;* 6° quòd tam episcopi, quàm cæteri fideles se judiciis à summis pontificibus latis semper submiserint : *Quis enim catholicorum virorum cum adversariis velit ulteriùs miscere sermonem?* Quòd si per hæc Romanorum pontificum infallibilitas super traditionem toti terrarum orbi notam non stabilitur, planè per quæ stabiliri possit, non capio.

Insuper relatio illa, quam hisce super rebus soli papæ fieri oportebat, minimè concilia excludebat, cùm videlicet rebus nondùm sufficienter discussis, summus pontifex hujusmodi synodos convocare consultum ducebat, quatenùs, priusquàm sententiam diceret, meliùs desuper informaretur. Videmus etiam quòd primis illis Ecclesiæ seculis, cùm res magni momenti occurrebant, vix non semper hujusmodi synodos summi pontifices convocârint.

Quòd si quis, eò quòd se his S. Innocentii papæ Epistolis premi sentiret, eò animum induceret, ut hunc pontificem in propriâ causâ locutum fuisse, sibique ipsi testimonium reddidisse assereret, facilè ipsi responderi posset 1° quòd supponi non debeat, quasi adeò pius ac sanctus pontifex ad extollendam sedis Apostolicæ auctoritatem fraude uti voluerit ; 2° quòd quamvis id agere intendisset, non tamen coram tam doctis ac perspicacibus episcopis, quales tunc erant episcopi Africæ, tum antiquam traditionem tum Ecclesiæ canones ad hoc proferre, minùs adhuc eosdem episcopos in hujus rei testes vocare, idque æquè ipsis ac sibi notum perfectumque esse, asserere unquàm ausus fuisset ; 3° quòd ipsimet Africanæ Ecclesiæ episcopi se ejus confirmatione ac judicio egere non dubitârint, prout ex binis supra adductis eorum Epistolis, quibus ad ipsum recurrerant, demonstravimus ; 4° verùm omnibus desuper os occludit judicium, quod de istis binis S. Innocentii papæ rescriptis fert D. Augustinus, cùm asserit quòd hic summus pontifex omnibus, prout sanctam sedem decebat, responderit epist. 186 : « Missæ sunt itaque, inquit, de hâc re, ex duo- « bus conciliis, Carthaginensi et Milevitano, « relationes ad Apostolicam sedem... Scripsi- « mus etiam ad beatæ memoriæ papam Inno- « centium præter relationes litteras familiares, « ubi de ipsâ causâ aliquantò diutiùs egimus. « Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, « quo fas erat atque oportebat Apostolicam « sedem. »

Modò ad Zozimum Innocentii successorem

pervenimus. Qui papæ infallibilitatem impugnant, contendunt quòd in errorem lapsus sit, Cœlestii fidei Professionem approbando, in quâ iste Pelagii discipulus peccatum originale negabat. At omisso quòd licet id verum esset, nihil sententiæ, quam propugno, officere posset, eò quòd Zozimus nunquàm definierit non dari peccatum originale; ad istam calumniam destruendam nonnisi D. Augustini, qui ubique hujus papæ fidei ac æquitati apologistam defensoremque egit, testimonio nobis opus est. Nimis longum foret omnia ejus loca desuper referre; duo igitur vel tria nobis sufficient. Ait ergo 1° quòd Zozimus Cœlestio intimari fecerit, ut se omnibus, quæ ab Innocentio papâ definita fuerant, submitteret; atqui apertè articulum de peccato originali definierat, ad Bonif. lib. 2, c. 4: « Quis non « videat, inquit, quemadmodùm sit colligatus « Cœlestius, et vinculo saluberrimo obstrictus, « ne ulteriùs defendere auderet, in baptismate « parvulorum non dimitti originale peccatum?» 2° Quòd si Zozimus papa ad Cœlestium recipiendum quodam modo inclinare visus sit, « voluntas emendationis, inquit cap. 3, non « fallacitas dogmatis approbata est. Profectò « (pergit ulteriùs idem S. doctor) quidquid « interea lenius actum est cum Cœlestio, ser- « vatâ duntaxat antiquissimæ et robustissimæ « fidei firmitate, correctionis fuit clementissi- « ma suasio, non approbatio exitiosissima pra- « vitatis. Et quòd ab eodem sacerdote postea « Cælestius et Pelagius repetitâ auctoritate « damnati sunt, paululùm intermissæ jam ne- « cessariò proferendæ severitatis fuit, non « prævaricatio priùs cognitæ, vel nova cognitio « veritatis.» 3° Cùm postmodùm Julianus hunc summum pontificem ob damnatos Pelagium et Cœlestium prævaricationis arguere ausus fuisset, hisce D. Augustinus istud rejicit opprobrium, l. 6 cont. Jul. c. 12: « Quale est autem, « inquiens, quòd beatæ memoriæ Zozimum « Apostolicæ sedis episcopum, ut in tuâ pravi- « tate persistas, prævaricationis accusas? Qui « non recessit à prædecessore suo Innocentio.» 4° Nec aliâ de causâ, quàm ut istam Juliani calumniam refelleret, idem D. Augustinus, l. 2 ad Bonif. c. 3: « Si, quod absit, inquit, « ita tunc fuisset de Cœlestio vel Pelagio judi- « catum in Romanâ Ecclesiâ, ut illa eorum « dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis papa In- « nocentius damnaverat, approbanda et tenen- « da pronuntiarentur, ex hoc potiùs esset præ- « varicationis nota clericis Romanis inurenda.»

En habes, quo modo quâve ratione D. Augustinus Zozimi papæ fidem æquamque agendi rationem propugnârit. Viderint igitur illi qui, exemplo ac imitatione Juliani hominis Pelagiani, Cœlestii errores ab hoc papâ illicò approbatos fuisse contendunt, quam partem amplecti malint, an Juliani hunc papam calumniantis, an verò D. Augustini illum innocentem declarantis. Tanquàm indubitatum ergo manere debet, quòd Zozimus iniquam Cœlestii doctrinam nunquàm approbârit. Quòd si virus sub hujus hæretici fidei professione latitans non statim detexit, nulli id mirum esse debet, cùm compertum sit quòd sequentibus seculis non defuerint auctores etiam catholici, qui istam Cœlestii fidei formulam, tanquàm præcellentis cujusdam Ecclesiæ doctoris partum, absque ullâ difficultate receperint. Postquàm autem Zozimus fraudulentam Cœlestii astutiam erroresque cognovit, illum ad respondendum super fide suâ ad determinatam diem citavit; hic autem hæreticus, pervidens nullum sibi reliquum fore remedium, quo damnationem suam eludere valeret, nisi sincero animo errori nuntium remitteret, clam se Româ subduxit ac evasit, ita ut Zozimus adversùs Pelagium et Cœlestium, eorumque hæresim solemne judicium tulerit, quod per totum catholicum orbem misit (cùm id Innocentius morte præventus præstare non potuisset), ut omnes episcopi illud acceptarent, eique subscriberent, quod accuratè executioni mandatum fuit; omnes enim episcopi, paucis (iis scilicet qui Pelagio ejusque errori adhærebant) exceptis, se judicio papæ submiserunt atque subscripserunt. Nullum vidimus coactum fuisse concilium ad examinandum num papa non deceptus fuisset, nec usquàm reperitur, in provinciis pontificiam Constitutionem discussam fuisse, nusquàm aliud, quàm perfecta docilitas, integraque sententiæ à sanctâ sede emanatæ submissio reperta est. Nullus ad se necessitati subscribendi subducendum contendit, Romanum pontificem non esse infallibilem; nec id ipsimet Pelagiani episcopi asserere ausi sunt; nam (eò quòd hæresim, quam in corde gestabant, nondùm patefacere animus esset) isto duntaxat utebantur prætextu, se scilicet damnationi illorum hominum subscribere non posse, quos errores illos tueri ipsimet non audierant, propter quos à Romano pontifice damnati fuerant: imò litteras ad Zozimum exarârunt, quibus illum ad approbandam eorum excusationem inducere conabantur, iis-

Cypriano; Antiochenæ annis 268 et 270, contra Paulum Samosatenum; Eliberitana, quarto seculo; Arelatensis, anno 314; Laodicæna, anno 366 vel 367; Gangrensis eodem seculo.

3° In conciliorum collectionibus, præter illa quibus soli subscripserint episcopi, adstantibus licet plurimis presbyteris, quale fuit Hispalense (Séville), adstante religiosissimo clericorum cœtu, obversantur alia multa quibus subscribentes presbyteri, subscribendi modo multùm differunt ab episcopis : v. g., anno 448, particulari synodo ad proscribendum Eutychen ejusque dogmata celebratæ, sic ab episcopis subscriptum est : « Flavianus episcopus Constantinopol. definiens, seu judicans, « subscripsi. » Sic autem à presbyteris : « Andreas presbyter et archimandrita, subscripsi « in depositione Eutychetis. » Tom. 4 Conc. Hanc in synodum hæc adnotavit Natalis Alexander : « Subscripserunt, inquit, episcopi triginta duo, abbates verò viginti tres : sed notandus est longè diversus subscribendi modus « episcoporum et abbatum : illi enim subscripserunt hâc formulâ : Basilius N. episcopus, judicans subscripsi. » Hi verò sic : « N. presbyter « et archimandrita, subscripsi in depositione « Eutychetis : quo ex discrimine colligitur « episcopos adesse comitiis ut judices, abbates « verò ut honorificos spectatores : illos sententiam dicere, istos sententiæ ab episcopo latæ « assensum præbere. » Haud prætereundum videtur quod S. Bernardus presbyter et abbas, de quodam novatore scripsit ad Innocentium II : « Dicebam, inquit, scripta ejus sufficere ad « accusandum eum, nec meâ referre, sed « episcoporum, quorum esset ministerii de dog« matibus judicare. » Epist. 189.

4° Obruendis judicum auctoritate hæresibus, non presbyterorum, at episcoporum judicia constanter opposuerunt synodi ac SS. Patres; his, v. g., compellat monitis Nestorium synodus Alexandrina : « Sentias autem et doceas quæ « nos universi sive per Orientem, sive per Oc« cidentem episcopi et magistri, præsulesque « populorum credimus et docemus. »

Legatur epistola concilii Ephesini ad imperatores Theodosium et Valentinianum : « Per« absurdum est, inquit, ducentorum et decem « sanctorum episcoporum numero, et per « ipsos reliquus totus orbis consentit, triginta « tantùm numero sese opponere. » Tomo 3. Eamdem hæreticos reprimendi rationem secuti sunt SS. Athanasius, Basilius, Augustinus et alii quorum passim occurrunt testimonia, cùm ad orthodoxa dogmata, judiciorum auctoritate muniendâ animum intenderunt. Eâdem mente tradit S. Cyprianus, « hæreses inde obortas « esse, quòd episcopi contemnantur, et frustra « sibi blandiri eos qui, pacem cum episcopis « non habentes, obrepunt, et latenter apud « quosdam communicare se credunt. » Epist. 69.

5° Judicandi in causis fidei auctoritatem si Christus presbyteris contulerit, vel eam episcopis et illis conjunctim et indivisè, vel separatè et divisim suppeditavit; si conjunctim et indivisè, hoc est, si unâ et individuâ judicandi potestate donaverit tum episcopos, tum presbyteros, æqualis erunt auctoritatis jure divino utrique in dirimendis fidei controversiis : unum eodem jure constituunt judicum ordinem, quantùmcumque aliunde antecellant episcopi : ergo generalibus in conciliis quocumque numero affluant presbyteri, voce deliberativâ non magis quàm episcopi poterunt defraudari; ergo episcopos si vincant numero, auctoritate quoque judicii eosdem superabunt : presbyterorumque sententiæ tùm erit inhærendum, dissentiant quantùmlibet episcopi; hinc in definiendum aliquod dogma quamvis conspirarent omnes omninò tam dispersi quàm congregati episcopi, irreformabilis haberi non posset definitio, si decreto illorum vel æqualis duntaxat presbyterorum numerus obstiterit : quod facillimè potest contingere, cùm tanta sit eorum præ episcopis multitudo; ergo, etc.

Si autem dicatur episcopis et presbyteris separatè et divisim datam esse à Christo Domino judicandi auctoritatem, 1° ubinam revelatum est hanc aliis præter Apostolos, et quidem seorsim ab Apostolis fuisse subministratam? Legitur quidem apud S. Lucam, designatos esse à Domino 72, quos misit binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo ipse erat venturus, cap. 10. At de potestate judicandi in causis fidei, ne ullum verbum : ubi autem hanc enuntiat Christus, Apostolos, et eos quidem solos, ut ostendimus, alloquitur. 2° Si separatim ac divisim, fidei judices, eosque pariter infallibiles constituerit Dominus episcopos et presbyteros, ergo statim atque constiterit prolatum esse ab ordine episcopali decretum aliquod dogmaticum, continuò erit illud suscipiendum, ipsique tum exteriùs, tum interiùs, etiam ante obsequendum est, quàm compertum sit quid de illo judicent presbyteri, hoc ipso certissimè erraturi, quo irreformabile decretum reprobare aut labefacere attentarent. 3° Auc-

toritas illa dijudicandi fidei controversias quæ adscriberetur presbyteris, quo pacto valeret absolutum imperare atque obtinere obsequium, nisi indubitatis niteretur momentis? Nam dubiæ auctoritati indubitanter credere nemo sanæ mentis jusserit; an verò indubitata censeri potest illa judicandi auctoritas, quam et ordo episcopalis commentitiam arbitratur, et sibi concessam inficiatur eorum longè maxima pars quibus fingitur esse vindicandam, tot aliunde impugnatam auctoritatis rationumque momentis, ut non nisi ad eludenda Ecclesiæ dogmatica ipsa decreta, conflctam illam esse, pro certo tenendum sit, ac manifestè appareat?

Solvuntur objecta.

Objic. 1° : Ipso jure divino et instituti sunt parochi, et eisdem competit munus ac potestas docendi; ergo ex eâ potestate si colligatur judices fidei constitutos esse divinitùs episcopos, idem quoque colligi pronum est saltem de parochis.

Resp. : Non ex quocumque docendi munere et potestate colligimus, episcopis collatam esse à Christo necessariam dijudicandis fidei controversiis auctoritatem; divino illos jure hâc auctoritate donatos esse, ex eo conficitur quòd ut successores Apostolorum et in pascendo grege dominico electi principes, acceperint à Christo docendi potestatem speciali perpetuæ infallibilitatis promissione communitam, quâ nascentes aut redivivos errores profligare, congruentibus hæreticos pœnis coercere, salvum et integrum ab imminentibus periculis præstare valeant commissum sibi apostolicæ fidei depositum.

Verbis ut Bossuetii utamur depromptis ex celeberrimâ quam habuit oratione ad clerum Gallicanum de unitate fidei : « C'est dans le « Saint-Siége principalement, et le corps épis- « copal uni à son chef, qu'il faut chercher et « trouver le dépôt sacré de la doctrine ecclé- « siastique, confié aux évêques par les Apô- « tres. » Quo ex principio illud consequitur, quod idem observat præstantissimus ille defensor Ecclesiæ, lib. 2 Variationum cap. 15, in causis fidei genuinos esse judices episcopos, ad eosque solos definitionem jure divino pertinere.

Absit tamen ut parochis adjudicare velimus profectam à jure divino institutionem : at eodem jure (nec abnuunt), subjiciuntur episcopis, sicut septuaginta discipuli Apostolis; disponente quidem Christo, erudiendis destinantur populis, at missionem seu institutionem canonicam mutuentur oportet ab episcopis, doctrinamque tradant quæ primariis ab illis approbata sit et manaverit pastoribus. Haud suspicari licet ab orthodoxâ unquàm fide defecturam esse sacerdotum secundi ordinis maximam aut etiam majorem notoriè partem: tum enim nimium in periculum errandi conjiceretur fidelium societas, illorum solita documentis imbui : ad solos nihilominùs episcopos, ut probatum est, refertur *activæ* infallibilitatis divina promissio, neque in fidei placitis, ac fideli christianarum institutionum ministerio consistet ordo sacerdotalis, nisi quatenùs episcoporum decretis et institutis constanter inhæreat.

Eò falluntur adversarii, quòd non satis advertant quantùm differat à judicis auctoritate jus ac munus docendi, quale exercetur à sacerdotibus secundi ordinis; docent parochi, docent etiam alii qui ad prædicandum approbati sint presbyteri; nec ideò tamen munere defunguntur judicis; tribunali carent, in quo sententias dicere valeant; *coercitivâ* carent auctoritate quâ delinquentibus obstinatis debitas possint irrogare pœnas : at ipsâmet potestate *legislativâ* pollent, et quidem divino jure episcopi, ut suo loco speciatim demonstrabitur : potest ordo episcopalis in causis fidei et condere decreta quibus universæ debeant obsequium Ecclesiæ, et adhibere anathemata quibus universo in orbe constringantur, qui pertinaciter restiterint : nec mirum, cùm Ecclesiæ gubernandæ præpositi sint à Spiritu sancto episcopi; hæc est igitur summa divinæ ordinationis : Ecclesiæ Dei regendæ præposuit Apostolos; tantæ administrationis muneri adjunxit dirimendarum de religione controversiarum potestatem, et eam quidem infallibilem; in episcopos tanquàm in Apostolorum hæredes transmittendam statuit plenitudinem hanc potestatis, immortali necessariam Ecclesiæ; comprobatam ab episcopis, et irreformabili determinatam judicio doctrinam, sacerdotes secundi ordinis, ipsimet parochi in plebes sibi commissas fideliter transfundendam accipiunt ac trajiciunt; sic viget *totum corpus* (Christi morale) *compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem, in mensuram uniuscujusque membri, augmentum faciens in ædificationem suî in charitate*, ad Ephes. cap. 4, v. 16.

Objic. 2° : Habetur tanquàm insigne conciliorum exemplar synodus Hierosolymitana de

que quamdam fidei professionem junxerunt : « Hæc, ut nobis, inquientes, secundùm ca- « tholicam fidem visum est, vestræ Sanctitati « conscripta transmisimus ; quæ si aliter pu- « tatis tenenda, rescribite ; sin autem.... certa « sit Sanctitas vestra, nos ad audientiam ple- « nariæ synodi provocare. » Ex quibus apparet quòd tunc primùm ad concilium generale appellaturi essent, si papa ipsis rescribere, eosque instruere renueret ; in hoc ergo suam ad concilium generale fundabant appellationem, quasi in hoc denegata ipsis esset justitia.

Postmodùm, cùm ipsis exprobraretur quòd, cùm cæteri omnes episcopi papæ Constitutionem acceptâssent, eique subscripsissent, ipsi soli in suâ sententiâ obstinati permanerent, divulgabant hujusmodi subscriptiones ab indoctis episcopis, qui singuli in suis diœcesibus nullâ ad hoc coactâ synodo subsignârant, extortas fuisse : « Simplicibus episcopis sine « congregatione synodi in locis suis sedentibus « extorta subscriptio est, » inquit S. August. ad Bonif. l. 4, c. 12. (Nonne idem his nostris diebus de exteris episcopis, qui Constitutionem *Unigenitus* acceptârunt ac subsignârunt, evulgatur ?) At hujusmodi subterfugium contemptum est, nec tanti ponderis eorum appellatio fuit, ut impedire valeret, quin eos Zozimus papa episcopatibus suis spoliârit, atque dein imperatoribus mandantibus in exilium acti fuerint. D. Augustinus eorum appellationem non aliter quàm ut intolerabilem quamdam superbiam respiciebat : « Istorum su- « perbia, inquit ibidem, quæ tantùm se extollit « adversùs Deum... hanc etiam captare gloriam « intelligitur, ut propter illos Orientis et Oc- « cidentis synodus congregetur. » Et profectò quis credat hos episcopos seriò œcumenici concilii convocationem exoptâsse ? Quæ enim spes exinde eis affulgere poterat ? Cæteri omnes totius orbis episcopi Constitutionem Zozimi acceptârant ac subsignârant ; ergone sperabant futurum ut illos ad retractationem in concilio inducerent ? At verò hæc spes valdè temeraria fuisset : vel enim episcopi Constitutionem acceptârant, quia papam infallibilem, divumque Petrum per os Zozimi locutum fuisse credebant, prout concilium Chalcedonense de S. Leone papâ asserit, et hoc casu eò firmiùs in concilio id quod priùs subsignârant, propugnâssent ; vel ideò subscripserant, quia errores quos Zozimus damnabat, omninò compertos habebant, et sic nullâ ratione à suâ sententiâ per episcopos Pelagianos dimoveri se passi fuissent. Unde satis apertè colligitur, hos episcopos nonnisi suæ depositionis pro crastinandæ aut omninò impediendæ gratiâ, quam aliàs se evitare non posse ultrò prævi debant, concilium appellâsse.

Verùm à Zozimo papâ non discedendum est, quin priùs palam fiat, quid ipsemet de S. sedis decisionibus sentiat ac loquatur, Epist. ad episc. Afric. : « Quamvis, inquit, Patrum tra- « ditio Apostolicæ sedi tantam auctoritatem « tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus « auderet, idque per canones semper regulas- « que servaverit, et currens adhuc suis legibus « ecclesiastica disciplina Petri nomini, à quo « ipsa quoque descendit, reverentiam, quam « debet, exolvat. Tantam enim huic Apostolo « canonica auctoritas per sententias omnium « voluit esse potentiam, ex ipsâ quoque Christi « Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, « et soluta vinciret ; par potestatis data condi- « tio in eos qui sedis hæreditatem ipso an- « nuente meruissent ; habet enim ipse cùm « omnium Ecclesiarum, tùm hujus maximè, « ubi sederat, curam, nec patitur aliquid privi- « legii, aut aliqua titubare aura sententiæ, cui « ipsa sui nominis firma et nullis hebetata mo- « tibus constituit fundamenta, et quæ sine « periculo temerè nullus incessat. » Ex his Zozimi verbis habetur quòd eamdem cum suo prædecessore tenuerit sententiam, eamdem traditionem, eosdemque Ecclesiæ canones adduxerit, eamdem denique ad D. Petrum, utpote cui Salvator non modò primatum in suâ Ecclesiâ, sed et privilegium in suis decisionibus non errandi tradiderit, relationem allegârit. Habetur insuper istud privilegium ad omnes ejus successores pertransiisse, ex eo quòd hic beatus Apostolus singulari modo Romanæ Ecclesiæ curam gerens, nullum suorum successorum in suis decisionibus titubare permittat ; unde per evidentem consequentiam sequitur quòd nulli in Ecclesiâ licitum sit S. sedis decisiones aut in dubium vocare, aut mutare. Quid expressius et clarius pro infallibilitate dici posset ?

Idipsum non minùs clarè Zozimi successor Bonifacius in Epistolâ 15, ad Orientis episcopos, exprimit, quam ipse Zozimus Africæ episcopis scribens expresserit ; ubique enim contendit quòd nulli liceat S. sedis definitiones ad novum examen adducere, quòdque injuriam D. Petro inferat quisquis id facere præsumpserit : « In cujus contumeliam, inquit, « quisquis insurgit, habitator cœlestium non

« poterit esse regnorum. *Tibi*, inquit, *dabo* « *claves regni cœlorum*, in quæ nullus sine « gratiâ Janitoris intrabit. » Quòd cùm Ecclesia fundata sit supra D. Petrum, quicumque dignitatis sacerdotalis particeps esse cupit, ei se subdere teneatur; quòd nullus unquàm se sedis Apostolicæ culmini (cujus judicium in quæstionem adducere non licet) opponere ausus sit, quin sibi propriam suam damnationem attraxerit : « Nemo unquàm, « inquit, Apostolico culmini, de cujus judicio « non licet retractari, manus obvias audacter « intulit; nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui « de se voluit judicari. » Quòd Ecclesiæ patriarchales æquè ac cæteræ S. sedis auctoritatem agnoscant; quòd in rebus magni momenti ad eam confugere soleant, quòdque sæpius ejus implorârint auxilium; quòd D. Athanasius ejusque in Alexandrinâ Ecclesiâ successores id persæpè factitârint; quòd, cùm in Ecclesiâ Antiochenâ divisiones in episcopatu ortæ fuissent, non solùm sedes Apostolica consuluta fuerit, verùm quòd Flavianus ad hoc, ut tanquàm illius sedis antistes agnosceretur, ad eam recurrere, illiusque gratiam implorare debuerit, quòdque ab eâ litteras communionis receperit; quòd etiam, cùm imperator Theodosius Nectarium in sedis Constantinopolitanæ episcopum eligi curâsset, hujus electionis litteras confirmatorias à Romano pontifice solemni ob id ad eum missâ legatione expetierit; et denique quòd, sub pontificatu Innocentii, Orientis episcopi qui à S. sede ratione D. Chrysostomi defecerant, deputationem Romam miserint ad pacem ab ipso postulandam, eamque obtinuerint. Hæc Bonifacius papa.

Si horum summorum pontificum testimonia occulta et incognita mansissent, nec nisi sequentium seculorum serie primùm prodiissent, forsan quis suspicari posset, quòd suis successoribus ad privilegia quæ nullatenùs ad ipsos spectarent, sibi arroganda titulos erigere voluerint. At Epistolæ sunt integris regionibus scriptæ, et ad cunctos episcopos directæ, in quibus dicti Romani pontifices ipsosmet episcopos eorum, quæ ad ipsos exarabant, notorietatis testes esse jubebant. Epistolæ, inquam, sunt, quæ semper cum omni reverentiâ susceptæ fuerunt, quibus nullus unquàm contradixit, seu quoad ea quæ in se continebant, vel minimum dubii indicium dedit. Audebitne ergo hâc nostrâ ætate quis absque ingenti temeritate iis se opponere, quæ primis Ecclesiæ seculis tanquàm indubitata habita semper fuêre?

D. Augustinus, epist. olim 139, pro principio statuit, quòd Ecclesia nullum errorem unquàm proferat, nullum approbet, nec si quis proferatur, super eo taceat. « Ecclesia Dei, « quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, « nec approbat, nec tacet, nec facit. » Quòd si igitur hæc summorum pontificum doctrina quidquam erroneum aut falsum continuisset, prout Galliæ pars moderno tempore contendere audet, quî fieri potuisset ut tam perspicaci seculo, quale fuit illud quo S. Augustinus floruit, universus orbis obmutesceret, nullusque episcopus, nullus doctor, nullusque scriptor adversùs hanc doctrinam reclamaret? quî fieri potuisset, ut spatio mille fermè annorum nemo inveniretur qui ei contradicere ausus esset, quin potiùs universus catholicus orbis in ejus confirmationem conspirârit, prout factum est, nosque sequentibus declarabimus?

Ordinis ratio quidem postularet, ut hîc de Bonifacii successoribus, qui seculo etiam quinto rebus Ecclesiæ præfuerunt, sermonem texerem; at cùm præsens articulus quàm maximè prolixus jam sit, aliundeque desuper occasione videlicet conciliorum Ephesini et Chalcedonensis loqui magis congruat, id modico temporis intervallo differam, ut quid super eamdem materiam senserint priorum Ecclesiæ seculorum Patres et doctores, interim referam. Non possum tamen quin, priùsquàm ad istud examen transeam, adnotem quousque quarto et quinto seculis jurisdictio summorum pontificum in universâ Ecclesiâ se extenderit.

Sciendum igitur est, quòd memoratis seculis summi pontifices sibi causarum majorum, id est, alicujus momenti rerum, præsertim earum quæ fidem respiciebant, cognitionem reservabant. « Si majores causæ (inquit D. « Innocentius, ad Vict. Rotom. scribens) in « medium fuerint devolutæ, ad sedem Apo« stolicam, sicut synodus statuit, et beata « consuetudo exigit, post judicium episcopale « referantur. »

Quod verò attinebat ad minoris momenti causas contentionesque in Ecclesiis particularibus emergentes, easdem vicariis, quos in diversis provinciis ac regionibus præficiebant, dijudicandas relinquebant. Hujusmodi vicarios habebant in Galliis, in Hispaniâ, in Siciliâ. Quod verò ad plures Orientis partes, unum habebant in Macedoniâ episcopum, nempe Thessalonicensem, cujus jurisdictio se exten-

debat in Achaiam, Thessaliam, in Epirum novam et veterem, in Cretæ insulam, Daciam, Mœsiam, Dardaniam, aliasque Ecclesias. Sequentibus temporibus Romani pontifices hujusmodi vicarios etiam habuerunt in Africâ, prout habetur ex Epistolis D. Gregorii. In omnibus hisce regionibus ac provinciis summi pontifices per suos vicarios immediatam exercebant jurisdictionem; nam absque horum vicariorum consensu nullus poterat in episcopum consecrari. Insuper isti vicarii de omnibus causis, quas Romam deferri necesse non erat, judicabant, synodos cogebant, quando id opportunum censebant; præcedentiam, quæ primatibus debetur, habebant, imò inter primates primi ac præcipui erant.

CAPUT V.

Qualem ideam Patres Græci aliique auctores ecclesiastici primis quinque seculis de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei habuerint.

A famoso sancti Irenæi illustris illius Galliarum martyris testimonio hunc articulum incipiemus. Cùm enim natione Græcus fuerit, communiter Græcis Patribus adnumeratur, et eò magis, quòd Græcâ linguâ scripserit. Sanctus hic doctor adversùs hæreses quæ ad sua usque tempora Ecclesiam turbârant, præcipuè autem adversùs Valentinianos scribens, novatores istos ad antiquam Ecclesiæ traditionem in Apostolicis Ecclesiis absque ullâ variatione hactenùs conservatam revocat. Sed Ecclesiæ Romanæ traditioni tanquàm principali præcipuè adhæret, sicque de illâ disserit: « Quoniam longum est... omnium Ecclesiarum « numerare successiones, maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ à duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per suî placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem et malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem (vel secundùm novam editionem, *potiorem*) principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in quâ semper ab his qui sunt undique fideles, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. »

Tria in isto S. Irenæi loco notanda veniunt. 1° Quòd tempore S. Irenæi Catholici per Romanæ Ecclesiæ traditionem, quæ ab Apostolorum tempore de episcopo in episcopum transierat, hæreticos confundere solebant, novitatisque convincere. 2° Quòd in istâ Ecclesiâ ab omnibus totius orbis fidelibus semper conservata fuerit Apostolorum traditio. 3° Quòd omnes totius mundi fideles teneantur istius Ecclesiæ (tanquàm quæ cæteris prælata sit) fidei adhærere. Quòd si successores SS. Petri et Pauli in suis decisionibus errori obnoxii essent, profectò hæretici argumento ab istius Ecclesiæ traditione petito non ampliùs convinci possent, nec ampliùs dici posset, quòd per hanc traditionem vera fides in mentibus totius orbis christiani fidelium conservetur; nec denique dici posset, quòd hujus Ecclesiæ prærogativæ omnes in toto orbe Christianos, ut fide ipsi uniantur, obligent. Oportet ergo secundùm doctrinam sancti Irenæi fateri, quòd D. Petri successores hujus sancti Apostoli traditionem deserere aut in fide errare non possint.

Non arbitror ullum reperiri Catholicum qui ad eludendam hujus textûs vim cum ultimorum seculorum hæreticis dicat, quòd quidem hoc quadrârit pro tempore S. Irenæi, quòdque Ecclesia Romana ad ipsius usque tempora fidem puram integramque servaverit, à quâ postmodùm degenerârit: præterquàm enim quòd Gnostici id ipsum de D. Petri successoribus asserere potuissent, quin tamen illud probare valuissent, incassùm quis Romanam Ecclesiam à temporibus S. Irenæi fidem mutâsse probare conaretur.

Anonymus quidam, qui ante aliquot annos omne venenum, quod vel unquàm hæretici adversùs summos pontifices evomuêre, corrasit, tribusque exiguis voluminibus, quæ lucis publicæ fecit, conclusit, ab hoc textu se liberare arbitratur, tribuendo videlicet principatum, non Ecclesiæ Romanæ, sed ipsi urbi propter imperatores. Cuperet, ut, cùm S. Irenæus dicit, *necesse est omnem convenire Ecclesiam*, id ita intelligeretur, quòd scilicet totus mundus Romæ quædam negotia tractanda haberet, quòdque illò omnes homines se conferebant propter imperatores. At istud effugium, quod anonymus ab hæreticis, sicut et alia multa mutuavit, omninò vanum est. Omisso enim, quòd S. Irenæus de Ecclesiâ, non de urbe Romanâ loquitur, sensus anonymi supponeret S. Irenæum voluisse ut omnes totius orbis fideles nemine excepto Romam se confer-

rent, ut ibi illius Ecclesiæ traditionem acciperent; at hoc ita ridiculum est, quàm quod magis. Salmasius, quantùmvis hæreticus, sincerior tamen meliorisque fidei fuit; fatetur quippe quòd hic textus de fide summorum pontificum intelligi debeat. Sic enim S. Irenæi verba explicat de Primat. papæ, c. 5 : « Necesse est omnem Ecclesiam convenire, et « concordare in rebus fidei ac doctrinâ cum « Romanâ Ecclesiâ. »

Origenes in Epistolam ad Romanos scribens, l. 5, asserit, quòd cùm Salvator noster D. Petrum totius suæ Ecclesiæ pastorem, supremam videlicet potestatem summam rerum illi tribuendo constituit, solummodò de ejus amore ipsum interrogârit. Nam quamvis locus iste nonnisi indirectè infallibilitatem probet, tamen ex eo manifestum est quòd antiquiores Patres textum sancti Joannis : *Pasce oves meas,* specialiter de D. Petro explicârint.

Idem de S. Basilio dicendum est : « Beatus « Petrus, inquit, qui omnibus quidem discipu« lis prælatus, solus verò qui majus omnibus « testimonium habuit, et beatus declaratus, cui « claves regni cœlorum creditæ sunt. » Verùm magis ad propositum nostrum facit, quod alibi refert idem sanctus doctor; agens enim de Eustatio Sebaste episcopo, qui ob perversa sua dogmata sede suâ pulsus fuerat, narrat quòd, cùm dictus Eustatius Romam ad papam confugisset, Epistolam inde retulerit, vi cujus sedi suæ restituebatur, cui statim Tyanæa synodus detulit, quamvis ignotum ei esset, de quibus à Romano pontifice interrogatus fuisset, aut quid ipse respondisset. Ex his enim satis apertè agnoscit Basilius, Romanum pontificem in Cappadociâ, sicut et alibi, tanquàm supremum fidei judicem, centrumque catholicitatis habitum fuisse. « Quæ verò, inquit, sint illi à « beatissimo episcopo Liberio proposita, et ad « quæ consenserit, nobis clam est; nisi quòd « Epistolam attulit, per quam restitueretur. « Eam ubi Tyanææ synodo exhibuit, in suum « locum restitutus est. »

Eusebius Cæsariensis, Serm. in *non veni pacem mittere,* vel alius antiquus auctor, qui sub Ipsius nomine circumfertur, de principe Apostolorum ait, quòd sit verè beata petra in quâ et sumus positi. S. Cyrillus Jerosolymitanus dicit quòd D. Petrus supra cæteros Apostolos longè eminuerit, χορυφαιότατος, eorumque caput fuerit καὶ προσατητῶν Ἀποστόλων : insuper addit, quòd ipse claves regni cœlorum gesserit.

S. Gregorius Nazianzenus, orat. 7, D. Petrum Ecclesiæ columen nominat. Item : « Vides, inquit orat. 26, quemadmodùm ex Christi « discipulis, magnis utique omnibus, et excel« sis atque electione dignis, hic petra vocetur, « atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam « accipiat. » Petrus ergo, juxta hunc S. doctorem, Ecclesiæ columen, fideique immobile fundamentum constitutus est. Videamus modò num hoc privilegium ad hujus Apostoli successores pertransiisse arbitretur. Id sanè agnoscit in carmine, quo de Româ tam veteri, quàm novâ agit : « Fides, inquit, vetustæ « (Romæ) recta erat jam antiquitùs, et certa « perstat nunc, item nexu pio quodcumque « labens sol devinciens; ut universi præsidem « mundi decet, totam colit qui Numinis con« cordiam. »

S. Joannes Chrysostomus docet, quòd D. Petrus constitutus sit vertex et coryphæus collegii apostolici, quòd ipsi claves regni cœlorum à Salvatore traditæ fuerint, atque ab eo fide ad regendam Ecclesiam immobili imbutus fuerit. « Quid igitur ? inquit Hom. 55 « in Matth., Petrus omnium Apostolorum os, « vertex consortii totius. » Et paulò post : « Quid igitur Christus? *Tu es Simon filius Jo« næ, tu vocaberis Cephas.* Nam quia Patrem « meum prædicâsti, ego etiam illum nomino, « qui te genuit : ac si diceret : Quemadmodùm « tu Jonæ filius es, sic ego Patris mei Filius « sum... *et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Item : « Hìc apertè prædixit magnam eorum « qui crediturì et erant, et sunt, multitudinem « fore, et sublimiora sapere ipsum fecit, et « Ecclesiæ pastorem constituit. » Ex his habetur quòd, juxta hunc sanctum doctorem, pastorale munus, sublimiorque sapientia ad Petri successores transire debuerit.

Idem sanctus de Salvatore nostro disserens hoc addit : « Animadvertis, quo pacto etiam « ipse ad altiorem de se opinionem Petrum « adduxit, et his duabus pollicitationibus Fi« lium Dei revelat et ostendit. Nam quæ Deus « concedere solus potest, peccatorum scilicet « remissionem, et ut Ecclesia tot tantisque « fluctibus impetu irrumpentibus immobilis « maneat, cujus pastor et caput piscator homo « atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, « adamantis naturam firmitate superet. » Idem iterùm sanctus D. Petrum Jeremiæ comparans : « Ipsum (Jeremiam nempe), inquit, « quidem genti uni Pater, hunc autem (Pe« trum scilicet) universo terrarum orbi Chri-

« stus præposuit... Pater quidem ei revelatio-
« nem Filii sui dedit; Filius autem partim, ut
« tam Patris, quàm Filii sui revelationem ubi-
« que terrarum posset seminare; partim et
« quamvis homo esset mortalis, cœlesti tamen
« potestate polleret, et claves haberet regni
« cœlorum. Ita Petrus Ecclesiam per univer-
« sum orbem amplificatam, cœlo etiam ipso
« validiorem monstravit : *Transibunt enim*, in-
« quit, *cœlum et terra, verba autem mea non*
« *transibunt.* »

Idem sanctus in quodam sermone de SS. Petro et Paulo, agens (Serm. 1 de debit. decem mille Talent.) de S. Petro, ait quòd sit « splendor totius mundi, columba castissima, « Apostolorum doctor, firma fidei petra, seni- « lis Ecclesiæ sapientia. » Denique alibi dicit, quòd Petrus sit princeps corporis apostolici, os discipulorum, columna Ecclesiæ, ac fidei firmamentum, totius terrarum orbis piscator, qui homines ex erroris abysso, ut eos in cœlum eveheret, extraxerit. Quis autem non statim videat, quòd hæc omnia effectum suum consequi non possent, nisi ad divi Petri successores transierint?

Verùm id adhuc clariùs ex iis habetur, quæ in alio sermone in illa verba : *Paulus vocatus*, de beato Petro dicit : « Christus Petrum à « virtute sic vocavit, et in ejus nomine firmi- « tatis fidei argumentum et indicium colloca- « vit, ut appellatione suâ perpetuò tanquàm « magistrâ quâdam ejusmodi firmitatis utatur. »

S. Cyrillus Alexandrinus de interrogatione Salvatoris, Matth. 16, disserens, ait, Dial. de Trin., quòd D. Petrus cùm eidem Salvatori dixisset, quòd esset *Christus Filius Dei vivi*, statim his verbis mercedem suam receperit : *Beatus es, Simon Barjona*, etc. « Scienter, inquit « clamabat, dicens : *Tu es Christus Filius Dei* « *vivi*. Jam verò de illâ sententiâ, remunerationem non multò post reportavit, Christo « dicente : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro* « *et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,* « *qui in cœlis est; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam* « *meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs* « *eam*. Per annuntiationem nihil aliud quàm « inconcussam et firmissimam discipuli fidem « vocavit, in quâ Ecclesia Christi ita fundata « et firmata esset, ut non laberetur, et esset « inexpugnabilis inferorum portis, in perpe- « tuum manens. »

Theodoretus, qui in suis Commentariis verba Salvatoris ad Petrum eodem, quo D. Chrysostomus modo explicat, ita ad quemdam Ecclesiæ Romanæ presbyterum scribit, epist. 116 ad Renat. : « Oro sanctitatem tuam, sanctissimo « archiepiscopo persuadeat, ut apostolicâ au- « ctoritate utatur, et ad concilium vestrum ad- « volare præcipiat; habet enim sanctissima illa « sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, « principatum multis nominibus; usque hoc « ante omnia, quòd ab hæreticâ tabe immunis « mansit, nec ullus contraria sentiens in illâ « sedit; sed apostolicam gratiam integram ser- « vavit. »

Flavianus episcopus Constantinopolitanus, in Epistolâ ad D. Leonem papam, sic de iis quæ Eutyches hæreticus eidem summo pontifici scripserat, loquitur : « Libellos vobis direxit « plenos fallaciâ atque calliditate, dicens judi- « cii tempore libellos se dedisse appellationis, « et nobis, et hìc convenienti sancto concilio, « et appellâsse vestram sanctitatem; quod ne- « quaquàm ab eo factum est, sed etiam in hâc « parte mentitus est, tanquàm per fallaciam « mendacii subrepere se sanctis auribus vestris « putans. » Hæc quoad ea quæ appellationem concernunt; nunc etiam alteram Epistolæ partem audiamus : « Propriam faciens causam, « et ecclesiasticam disciplinam simul decernere « damnationem adversùs eum regulariter fa- « ctam, et per propria scripta dignare. Con- « fortate autem et piissimi imperatoris fidem. « Causa enim eget solo vestro solatio et defen- « sione, quâ debeatis consensu proprio ad « tranquillitatem et pacem cuncta perducere. « Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ « per eam factæ sunt, facillimè destruentur, « Deo cooperante per vestras sanctissimas lit- « teras. Removebitur autem et concilium, quod « fieri divulgatur, quatenùs nequaquàm ibi san- « ctissimæ turbentur Ecclesiæ. »

Ex hoc integro Flaviani loco patet 1° quòd tam in Oriente quàm in Occidente, etiam durante synodo aliquâ, et ante illius sententiam ad papam appellare licitum fuerit. 2° Quòd talis appellatio synodi judicium suspenderit; quamvis enim id Flavianus expressè non dicat, illud tamen implicitè saltem, et modo æquipollenti concedere videtur. 3° Quòd, cùm papa synodum aliquam particularem firmabat, judicium ipsius supremum fuerit, nec ampliùs quoad hoc aliam synodum convocari opus fuerit.

Addamus hìc insuper quòd, cùm concilium quoddam pronuntiâsset, ac aliquem damnâsset, is nihilominùs ad papam appellare adhùc potuerit (Flavianus enim, cùm ab illegitimo

Ephesino concilio se damnatum conspexisset, ab eo ad D. Leonem papam appellavit, hæcque appellatio tanquàm legitima atque secundùm canones facta habita fuit, prout ex Epistolâ Valentiniani imperatoris ad Theodosium juniorem constat; D. item Leo hujus concilii nullam rationem habuit, verùm illud tanquàm latrocinium quoddam rejecit, Theodosiumque interpellavit, quatenùs omnia suspenderet, donec per aliud concilium Orientis turbæ sedatæ essent.

Sozomenus in suâ Ecclesiasticâ Historiâ, l. 6, c. 22, agens de magnâ illâ contentione quæ quoad divinitatem S. Spiritûs in Oriente suscitata fuerat, rem ita prosequitur : « Episcopus Romanus de eâ contentione certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut unà cum sacerdotibus Occidentis Trinitatem, et consubstantialem esse, et gloriâ æqualem existimarent. Quo facto singuli rebus ab Ecclesiâ Romanâ semel judicatis acquieverunt, et controversia finem habere visa est. »

Hæc sunt præcipua Græcorum Patrum, quos primis quinque Ecclesiæ seculis floruisse historiæ memoriâ tenemus, pro summorum pontificum infallibilitate testimonia; quibus tamen alia adhuc addam, cùm scilicet de conciliis sermo mihi erit.

Objicere hìc fortè quis posset, quòd Patrum testimonia quæ de prærogativis D. Petri disserens adduxi, de illius successoribus explicari aut intelligi non debeant, sicque ex eo quòd Salvator noster D. Petrum fidei basim ac firmamentum constituerit, minimè sequatur ejus infallibilitatem ad ipsius pertransiisse successores. Verùm eos qui hoc objiciunt peramanter rogo, ut attendere velint, quòd secundùm Patres hæ prærogativæ D. Petro unà cum primatu Ecclesiæ, et ut illius capiti traditæ fuerint, atque quòd cùm Patres illum fundamentum, basim, columen Ecclesiæ vocant, ipsumque immobilem ac inconcussam fidem recepisse prædicant, hæc omnia attributa duntaxat sint, quæ qualitatem quâ tanquàm supremum Ecclesiæ caput præditus erat, sequuntur. Cùm igitur nemo Catholicorum unquàm dubitârit quin hæc supremi capitis qualitas ad omnes D. Petri successores pertransierit, inde sequitur, quòd attributa, quæ Patres D. Petro in dictâ qualitate Ecclesiæ capitis et pastoris tribuerunt, ad ipsius etiam pertransierint successores, prout patet ex Sozomeni et Flaviani testimoniis, quod id effectivè in Oriente æquè ac in Occidente agnitum fuerit.

CAPUT VI.

Qualem ideam Patres Latini quinque primorum seculorum de auctoritate papæ in materiâ fidei habuerint.

Hunc articulum à contentione illâ quæ ratione baptismi hæreticorum S. Cyprianum inter et S. Stephanum Papam sub finem sui pontificatûs intercessit, ordiri oportet : cùm enim hic sanctus Carthaginensis episcopus, iis, quæ ipsi desuper Romanus pontifex præscripserat, se submitterè noluerit, hinc, qui hodiè summorum pontificum infallibilitatem impugnant, suæ opinionis patrocinium istud hujus sancti martyris exemplum præ primis adducunt. Nam si, inquiunt, tempore S. Cypriani Romani pontifices infallibiles crediti fuissent, S. Cyprianus Africæque episcopi, qui conciliis quæ in controversiâ Baptismi hæreticorum celebrata fuerunt, interfuêre, se utique papæ non opposuissent, nec contrarium ei quod Stephanus statuerat determinâssent : oportet ergo, ut illâ ætate Romani pontifices in suis decisionibus non crederentur infallibiles. En objectionem, quantùm arbitror, clarè expositam; ei ergo in præsentiarum respondendum est.

Priùs tamen suppono tanquàm principium, quòd S. Cyprianus ejusque adhærentes, prout quoad hoc inter omnes convenit, in errore fuerint. Hoc itaque supposito,

Respondeo 1° nihil frequentius esse, quàm quòd illi qui semel in errorem quemdam lapsi sunt, putantque se eumdem auctoritate sacræ Scripturæ tueri posse, auctoritati visibili, à quâ damnantur, subdi renuant, fulti, ut ipsi autumant, sacrarum paginarum auctoritate, cùm certum sit magis oportere obedire Deo quàm hominibus. Enimverò quis unquàm dubitavit, quin Ecclesia universalis quoad dogmata infallibilis sit, conciliique œcumenici ex toto terrârum orbe convocati, atque ex Romano pontifice et episcopis compositi decisio inerrabilis sit? quis, inquam, Catholicorum id vel somniando in dubium unquàm revocavit? Et tamen certum est, quòd hâc viâ non omnes errores finem acceperint; nonne potiùs è contrario experientia docuit, quòd ill. ipsi qui hujusmodi concilia plenis buccis appellârant, iisque omnem submissionem sponderant, eisdem tum obedire renuerint cùm se ab ipsis damnatos viderunt? Et quis inde inferre audebit, quòd concilia œcumenica non sint infallibilia? An quis ergo ita argumentari

posset: Si quarto et quinto seculis constitisset, quòd concilia œcumenica in suis decisionibus infallibilia essent, tot et tanti episcopi qui erroribus Arii, Nestorii, Eutychetis adhæserunt, procul dubio concilio Nicæno, Ephesino et Chalcedonensi acquievissent; ergo utique tunc in Ecclesiâ hujusmodi concilia, qualia hæc fuerunt, non credebantur infallibilia? Quemadmodùm dicitur: Si constitisset summos pontifices esse infallibiles, tunc utique S. Cyprianus S. Stephani decisioni acquievisset; non ergo tunc credebantur infallibiles, consequenter nec tales sunt.

Sed quid opus est, dicet fortè aliquis, hìc D. Cyprianum confundere atque hæreticis episcopis comparare? Ad hoc respondeo, me S. Cyprianum tanquàm magnum episcopum gloriosumque Christi martyrem colere et venerari, at ideò tantùm, quia in communione Ecclesiæ mortuus est, atque pro Christo Jesu sanguinem suum fudit, non verò ideò, quia D. Stephano papæ se opposuit; nam omnibus denique accuratè perpensis in errore erat, et qui in Africâ praxim ipsius postmodùm secuti sunt, hæretici facti sunt; nec enim majorem reverentiam habuerunt erga plenariæ synodi illius (de quâ S. Augustinus) definitionem quàm S. Cyprianus habuerit erga summi pontificis decisionem. Quòd si ergo tunc concilia œcumenica credebantur infallibilia, dicant nobis adversarii, cur tot Africæ episcopi post illud concilium in sententiâ obstinati permanserint, An unquàm D. Cyprianus dixit quòd ideò se submittere nollet, quia papa infallibilis non esset, de cætero paratum se esse decisioni concilii œcumenici acquiescere? profectò hujus nullum vestigium in ejus scriptis apparet. Meritò igitur contenderim comparationem meam æquissimam esse, talemque, ut ex illâ speciosum illud argumentum ab auctoritate seu potiùs agendi ratione S. Cypriani petitum evanescat.

Secunda responsio, quâ huic objectioni occurro, quæque tam sancti viri pervicaciam quodammodò excusat, in hoc consistit, quòd pro certo B. Cyprianus quæstionem de baptismo hæreticorum non ut quid fidem, sed tantùm ut disciplinam spectans respexerit. Et cùm praxis illa analogiæ fidei conformior ei videretur, iis quæ ipsi à papâ hâc in re præscribebantur, deferre noluit. Toti orbi notum est quòd, quamvis fides immutabilis sit, ut ait Tertullianus, tamen quæ disciplinam spectant, diversa in diversis Ecclesiis esse queant; quòdque, ut dicit D. Hieron., quævis Ecclesia in hocce rerum genere in suo sensu abundare possit. Hæc autem praxis, jam antequàm ipse S. Cyprianus ad episcopatum evectus, imò fortè antequàm natus fuisset, in ejus Ecclesiâ stabilita fuerat, eamque rectam et S. Scripturæ contrariâ conformiorem arbitrabatur; inde factum est, ut censeret se auctoritati summi pontificis cedere non teneri. Constat illum malè egisse, sanctusque Augustinus, qui omnem conatum adhibuit ut ipsius errorem minueret, nunquàm tamen illum omninò à peccato excusavit.

Quòd autem hìc sanctus vir quæstionem de quâ tunc agebatur, non aliter quàm ut rem disciplinæ respexerit, modus, quo in capite sui concilii mentem suam desuper aperit, invictum nobis suppeditat argumentum. Propositâ igitur ibidem dictâ quæstione pergit in hæc verba: « Superest, ut de hâc ipsâ re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem « judicantes, aut à jure communionis aliquem, « si adversum senserit, removentes. Neque « enim quisquam nostrum episcopum sese « episcoporum constituit, aut tyrannico terrore « ad obsequendi necessitatem collegas suos « adigit, quando habeat omnis episcopus pro « licentiâ libertatis et potestatis suæ arbitrium « proprium, tamque judicari ab alio non pos- « sit, quàm nec ipse potest alterum judicare, « sed expectemus universi judicium Domini « nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet « potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ « suæ gubernatione, et de actu nostro judi- « candi. »

Vix verbum in hoc toto S. Cypriani alloquio est, quod non feriat ac inconcusso probet quòd secundùm hunc sanctum episcopum, nonnisi de aliquo disciplinæ capite quæstio agitata fuerit. Si enim de quodam fidei articulo tunc agi credidisset, an 1° dicere potuisset quòd nec ipse nec sui collegæ doctrinam contrariam damnare, aut eos qui illam tuerentur, à communione excludere intenderent? Annon apertum est, quòd cùm de fide rei cardo vertitur, impossibile sit vel unum definire articulum, quin extemplò ii omnes qui contrarium senserint, damnentur ac excommunicentur? Annon ipse D. Cypr. post Cornelii papæ decisionem tali modo erga Novatianos se gessit? et annon ex eo etiamnum quòd cum hæreticis communicare fas non sit, ipsorum usque baptismum rejiciendum esse contendebat? 2° Liberumne est cuilibet episcopo, cùm de fide

agitur, quidquid lubuerit, amplecti ac credere? nec à quoquam judicari aut damnari, nec ipse vicissim quemquam judicare aut damnare poterit? 3° Verumne est, quòd in matèriâ fidei quivis episcopus nullum alium judicem habeat præter solum Christum? Si hoc est, tunc nullus episcopus ab universâ etiam Ecclesiâ in unum corpus coactâ judicari poterit; atverò certum est hujus sententiæ nunquàm fuisse S. Cyprianum. Manet ergo tanquàm constans et indubitatum, quòd S. Cyprianus quæstionem de baptismo hæreticorum purè putà ut quoddam disciplinæ punctum respexerit. Et sic validum illud ac magnum adversariorum argumentum in fumum abire cogitur.

Sed ipsa S. Cypriani opera tantisper volvamus, inquiramusque quid de sede Apostolicâ, cùm tranquillior necnon Romanis pontificibus conjunctior esset, senserit. Verùm antequàm hic singula referantur, non abs re erit quoad primum mox adductum D. Cypriani locum notâsse, quòd medio tertii seculi æquè ac temporibus Tertulliani, Romani pontifices se episcoporum episcopos esse, jusque habere cæteros ad mandatorum suorum observantiam cogendi prætenderint. Veniamus modò ad hujus Patris in favorem Romanorum pontificum testimonia.

Famosissimus hujus S. Patris locus est ille qui libro de Unitate Ecclesiæ adducitur; sic ergo ibi habet S. Cyprianus : « Loquitur Do« minus ad Petrum : *Et ego dico tibi, quia tu es « Petrus,* etc. Et iterùm eidem post resurre« ctionem suam dicit : *Pasce oves meas.* Super « illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi « pascendas mandat oves suas. Et quamvis « omnibus post resurrectionem suam parem « potestatem tribuat, et dicat : *Sicut misit me « Pater, ego mitto vos,*... tamen ut unitatem ma« nifestaret, unam cathedram constituit, et uni« tatis ejusdem originem ab uno incipientem « suâ auctoritate disposuit. » Et inferiùs : « Exordium ab unitate proficiscitur, ut una « Christi Ecclesia, et cathedra una monstre« tur... Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui « cathedram Petri, super quam fundata est « Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ esse confidit? » En iterùm similem fermè locum : « Deus unus « est, et Christus unus, et Ecclesia una, super « Petrum Domini voce fundata. Aliud altare « constitui, aut sacerdotium novum fieri, præ« ter unum altare, et unum sacerdotium non « potest. »

Ex his S. Cypriani textibus liquet 1° quòd hic S. doctor istos Evangelii textus : *Tu es Petrus,* etc.; et : *Pasce oves meas,* de personâ divi Petri explicârit ac exposuerit. 2° Quòd prætenderit, quòd per hoc Salvator noster peculiari modo supra div. Petrum Ecclesiam suam fundârit, cunctasque oves suas, id est, universam Ecclesiam curis suis commiserit. 3° Quòd ipsum illiusque successores unitatis catholicæ centrum constituerit. 4° Quòd secundùm ipsum idem fuerit à cathedrâ divi Petri abscedere, ac Ecclesiæ obsistere, aut ab eâ se separare. Nunc autem dicat mihi, quæso, quivis sinceræ fidei vir, num ergo div. Cyprianus eos cathedræ, id est, successoribus divi Petri unitos crediderit, qui non eamdem cum his successoribus fidem tenuerunt. Certum est enim, quòd primum ac essèntialissimum unitatis vinculum sit fidei unitas; divus ergo Cyprianus credebat fidei veritatem ab hâc unitatis cathedrâ inseparabilem esse : quod etiamnum in aliâ quâdam suarum epistolarum asserit : nam de fidelissimo Diacono, ipsiusque adhærentibus, qui schisma cum eo fecerant, atque sibi Ecclesiæ Romanæ communionem procurare conabantur, agens : « Navigare ar« dent, inquit epist. 55, et ad Petri cathedram « atque Ecclesiam principalem, unde dignitas « sacerdotalis exorta est, à schismaticis et pro« fanis litteras ferre : nec cogitare eos esse Ro« manos, quorum fides Apostolo prædicante « laudata est, ad quos perfidia habere non « possit accessum. » Ergone fides Romanæ sedis incorruptibilis esset, si illam mutare possent Romani pontifices, aliamque docere, quàm quæ ipsis ab Apostolorum principe consignata est? Idem sanctus in suâ ad Antonianum epistolâ 52, expressè notat quòd hic episcopus ipsum rogâsset, ut illius litteras ad Cornelium papam transmitteret, quatenùs exinde papa penitùs ac pro certo sciret, quòd Antonianus illi, id est, Ecclesiæ catholicæ communione unitus esset. Interim tamen si illis qui contrariam sectantur opinionem, credere velimus, potest quis in eâdem fide summo pontifici uniri, quin fidem catholicam profiteatur. Nam, quod benè notandum est, agebatur tunc de fide hujus episcopi, qui in suspicionem adductus fuerat, quasi cum Novatianis sentiret. « Scripsisti, inquit ad illum D. Cyprianus, etiam, « ut exemplum earum litterarum ad Cornelium « collegam nostrum transmitterem, ut depositâ « omni sollicitudine jam sciret te secum, hoc « est, cum Ecclesiâ catholicâ communicare. » Idem sanctus, in epistolâ 45, Ecclesiam

Romanam radicem et matricem Ecclesiæ catholicæ nuncupat.

Quid denique de potestate Romanorum pontificum in Ecclesiâ, præcipuè autem cùm de fide agebatur, S. Cyprianus senserit, ipsa ejus ad Stephanum papam epistola 67 satis apertè etiamnum demonstrat. In hâc epistolâ ipsum certiorem reddit, quòd comperisset Marcianum Arelatensem episcopum in hæresim Novatianorum prolapsum esse, rogatque ut illum excommunicet, atque tam ad provinciam Salyorum (ad episcopos) quàm ad Arelatensem Ecclesiam litteras dirigat, imperetque ut alium episcopum, qui hanc Ecclesiam gubernet, deligant. « Dirigantur (inquit) in Provin- « ciam et ad plebem Arelatæ consistentem à te « litteræ, quibus abstento Marciano alius in « locum ejus substituatur, et grex Christi, « qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulne « ratus contemnitur, colligatur. »

Doctor Launoius, cui hæc epistola variis ex rationibus incommodum creabat, omnem lapidem movit, ut eam supposititiam esse persuaderet. Sed in hoc apud omnes eruditos malè audiit ac explosus est. Dominus Dupinus Remarq. tom. 1, a. de S. Cypr., illius naturalem sensum in alienum detorserat, sed ipsi demonstratum est, glossas suas malè fundatas esse, nullâque ratione propugnari posse.

A sancto Cypriano Optatus separari non debet, utpote, qui præterquàm quòd ex eâdem regione originem trahat, insuper eodem quo hic sanctus martyr, modo de cathedrâ S. Petri disserat. Sic ergo loquitur cont. Parm. lib. 2 : « Igitur negare non potes, scire te in urbe Ro- « mâ Petro primo cathedram episcopalem esse « collocatam, in quâ sederit omnium Apostolo- « rum caput Petrus : unde et Cephas appella- « tus est, in quâ unâ cathedrâ unitas ab omni- « bus servaretur, ne singuli Apostoli singulas « sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus « et peccator esset, qui contra singularem ca- « thedram alteram collocaret. Ergo cathedrâ « unicâ, quæ prima est de dotibus, sedit prior « Petrus, cui successit Linus, etc. Liberio Da- « masus hodiè, qui noster est socius, cumque « nobis totus orbis, commercio formatarum, in « unâ communionis societate concordat. » Et in alio ejusdem operis loco sic adhuc loquitur : « Claves legimus accepisse Petrum principem « scilicet nostrum, cui à Christo dictum est : « *Tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ infe-* « *rorum non vincent eas.* Unde ergo est, quòd « claves regni vobis usurpare contenditis, qui « contra cathedram Petri vestris præsumptio- « nibus et audaciis sacrilegio militatis? »

Ex his Optati locis facilè habetur, 1° quòd primatum D. Petri ex his Christi verbis : *Tu es Petrus,* etc., eruat. 2° Quòd doceat cathedram divi Petri in Ecclesiâ unicam esse; si enim cæteri Apostoli peculiares non habuerunt, tunc à fortiori nec illorum successores hujusmodi habere potuerunt. 3° Quòd D. Petrus Apostolorum, id est, totius Ecclesiæ caput et princeps sit, quòdque ejus successores iisdem prærogativis gaudeant. 4° Quòd claves quas D. Petrus pro se suisque successoribus accepit, nulli errori obnoxiæ sint : *Portæ inferorum non vincent eas;* quòd hæ claves in Ecclesiâ Romanâ conserventur, quòdque nonnisi ab eâ solâ recipiantur, utpote cùm omnes illi qui ab eâ per communionem et obedientiam non dependent, eas habere minimè possint. Id ipsum expressiùs habet adhuc alibi, ubi : « Beatus « Petrus, inquit lib. 7,... et præferri omnibus « Apostolis meruit, et claves regni cœlorum « cæteris communicandas solus accepit. » Quòd si igitur successores D. Petri capita ac principes Ecclesiæ sunt, tunc profectò ad eos spectabit Ecclesiam gubernare; quòd si quoque claves eorum nulli unquàm errori subjici possunt, tunc neque in hujusmodi regimine errare poterunt, præterquàm quòd meritò dici possit Salvatorem nostrum suæ Ecclesiæ de tali capite utique providere noluisse, quòd corpus in præceps agendi capax esset. Longè aberat Optatus, ut de infallibilitate summi pontificis in materiâ dogmaticâ dubitaret, quin potiùs ei supremam de causis etiam personalibus judicandi potestatem tribuat : de sententiâ enim à Melchiade in favorem Cæciliani latâ disserens, per illam processum finitum fuisse asserit : « Cæcilianus, inquit lib. 1, omnium supra me- « moratorum sententiis innocens est pronun- « tiatus, etiam Melchiadis sententiâ, quâ judi- « cium clausum est. » Quod in idem recidit, ac id quod hâc de re S. Augustinus habet; quòd, scilicet, post judicium Melchiadis Constantinus congregari fecerit synodum Arelatensem, non quòd id necessitas exposceret, sed solummodò, ut Donatistarum impudentia arceretur. « Dedit « ille, inquit, aliud Arelatense judicium, non « quia jam necesse erat, sed eorum perversita- « bus cedens, et omni modo cupiens tantam « impudentiam cohibere. »

Sanctus Ambrosius nomine synodi Aquileiensis adversùs antipapam Ursicinum vel Ursinum, imperatoribus Gratiano, Valentiniano et

Theodosio scribens, Ecclesiam Romanam caput imperii Romani nuncupat : « Totius orbis, « inquit Ep. 11, Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam sanctam Apostolorum fidem « ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia « vestra. Inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant. » In suis item ad Gratianum imperatorem de fide libris, de duabus Jesu Christi naturis, secundùm quarum unam orat, secundùm alteram verò præcipit, agens : « Ut « scias, inquit I, 4 et 5, quia secundùm hominem « rogat, divinitate imperat, habes in Evangelio, « quia Petro dixit : « *Ego rogavi pro te, ut non « deficiat fides tua.* Eidem autem supra dicenti : « *Tu es Christus Filius Dei vivi;* respondit : *Tu « es Petrus, et super hanc petram ædificabo « Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum.* Ergo quia propriâ auctoritate regnum « dabat, hujus fidem firmare non poterat? « quem cùm petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicavit. » Idem sanctus in Commentario in Evangelium Lucæ, exponens illud quod ibidem habetur de naviculâ Petri, quam Christus ad instruendos populos ascenderat, demonstrat hanc naviculam fuisse figuram et typum Ecclesiæ à D. Petro gubernatæ, atque ad illum solum spectare difficiles de fide quæstiones decidere. « Ergo, inquit, quia S. Mat« thæus illa prælibaverat, S. Lucas eam sibi « navim, in quâ Petrus piscaretur, elegit. « Conturbatur ista quæ Petrum habet, etsi « multa illîc discipulorum merita navigabant, « tamen eam adhuc perfidia proditoris agita« bat. In utrâque Petrus; sed qui suis meritis « firmus est, turbatur alienis... Ergo non tur« batur hæc navis, in quâ prudentia navigat, « abest perfidia, fides aspirat. Quemadmodùm « enim turbari poterat, cui præerat is in quo « Ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turba« tio, ubi modica fides; hîc securitas, ubi per« fecta dilectio. Denique etsi aliis imperatur, « ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur : « *Duc in altum,* hoc est, in profundum disputa« tionum. Quid enim tam altum, quàm altitu« dinem divitiarum videre, scire Dei Filium, et « professionem divinæ generationis assumere? « In hoc altum disputationis Ecclesia à Petro « ducitur..... Quæ sunt autem Apostolorum, « quæ jubentur laxari retia, nisi verborum « complexiones, et quasi quidam orationis si« nus et disputationum recessus, qui hos quos « ceperint, non admittant? » Denique scribens in psalmum 40, postquàm dixerat, quòd divus Petrus Salvatorem usque ad domum Caiphæ secutus fuisset, hæc addit : « Ipse est « Petrus qui dixit : *Tu es Petrus, et super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi ergo « Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla « mors, sed vita æterna. Et ideò addidit : *Et « portæ inferi non prævalebunt ei, et tibi dabo « claves regni cœlorum.* Beatus Petrus, cui non « inferorum porta prævaluit, non cœli porta « se clausit, sed è contrario destruxit inferni « vestibula, patere fecit cœlestia. In terris « itaque positus, cœlum aperuit, inferos clau« sit. »

Ex his S. Ambrosii locis apparet, 1° quòd Ecclesia Romana sit caput fidelium omnium. 2° Quòd ab eâdem Ecclesiâ omnes totius orbis episcopi quoad communionem catholicam tanquàm à scaturigine fidei semper dependerint. 3° Quòd D. Ambrosius D. Petri primatum super ista verba : *Tu es Petrus,* etc., fundârit, quòdque Salvator eidem *Petri* nomen imponendo indicare voluerit, quòd ipsum tanquàm fundamentum et basim fidei constitueret. 4° Quòd navicula Petri (Ecclesiæ typus) nullis unquàm agitetur tempestatibus, aut si agitatur, tunc id solum ob aliorum periculum fiat. 5° Quòd ab hâc naviculâ omnis perfidia amandata sit, eamque fides ubique ducat. 6° Quòd ratio cur nunquàm agitetur, sit, quia qui ei præest est fundamentum ac basis fidei. 7° Quòd ibi duntaxat agitatio inveniatur, ubi fides tenuis est, in hâc verò Petri naviculâ omnis semper securitas sit. 8° Quòd aliis Apostolis, ut retia sua jacerent, soli autem Petro, ut in altum maris, id est, in profundas fidei quæstiones cymbam duceret, dictum sit. 9° Quòd, ubicumque Petrus est, ibi etiam Ecclesia, necnon absque ullo mortis periculo vita æterna sit, utpote cùm ille ipse sit, qui de inferno triumphat, cœlumque reserat.

Liquidò constat, quòd hæ omnes D. Ambrosii expressiones æquè de Petri successoribus, ac de propriâ illius personâ intelligi debeant. Enimverò cùm, e. g., dicit, quòd, *ubi Petrus est, ibi etiam Ecclesia inveniatur,* profectò certum est, quòd hîc non loquatur de personâ hujus Apostoli, quippe qui jam ante trecentos, et quod excurrebat annos, è vivis excesserat; verùm de Petri successore, in quo divus Petrus per suam fidem semper adhuc vivebat, et ad quem ejusdem D. Petri prærogativæ jure successionis devolutæ fuerant. Ex quo ergo concludi debet, quòd, cùm ibi Ecclesia esse non possit, ubi fides non est, Petri successores ut Ecclesiæ capita hujusque principis Aposto-

lorum successores in errorem prolabi haud possint. Inde, inquam, concludere necessum est, quòd sint fidei fundamentum ac basis, talemque fidem profiteantur, quæ nunquàm concuti aut labefactari potest, sed quam omnimoda ac integra certitudo semper comitatur. Concludi debet ulteriùs, quòd ipsis solis Christus Dominus demandârit, ut Ecclesiæ naviculam in profundas fidei quæstiones ducerent. Concludere adhuc oportet, quòd papa sit caput totius orbis christiani. Concludere tandem cogimur, quòd, cùm universa Ecclesia, ut vera sit Ecclesia, illi uniri debeat, non alienam à suâ profiteri fidem debeat, eò quòd, ut jam adnotavimus, hujus unionis præcipuus nodus ac præcipuum vinculum fides sit : *Una fides, unum baptisma.*

Sed priusquàm hunc sanctum Ecclesiæ doctorem deseramus, referenda adhuc sunt ea quæ nomine Capuanæ synodi Theophilo Alexandrino scribit; hanc illi tradebat provinciam, ut pacem in Ecclesiâ Antiochenâ, quam diuturnum schisma turbârat, restitueret. Atverò concilii placitum esse dicit, ut omnia ad episcopum Romanum referrentur, nec quidquam, quod eidem displicere posset, statuere præsumeret Theophilus : « Sanè (inquit) referendum « arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Ro- « manæ sacerdotem Ecclesiæ : Quoniam præ- « sumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi « displicere nequeant. Ita enim erit consultum « sententiæ ; ita pacis et quietis securitas, si id « vestro statuatur consilio, quod communioni « nostræ dissensionem non afferat; ut nos quo- « que acceptâ vestrorum serie statutorum, cùm « id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia « Romana haud dubiè probaverit, læti fructum « hujusmodi examinis adipiscamur. »

Veniamus ad D. Hieronymum : sanctus hic doctor, cui doctrina tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesiæ apprimè nota erat, nec minimùm titubat in agnoscendâ sanctæ sedis in personâ papæ infallibilitate ; sic enim ad Damasum papam scribit : « Quoniam vetusto « Oriens inter se populorum furore collisus, « indiscissam Domini tunicam desuper textam « minutatim per frusta discerpit, et Christi « vineam exterminant vulpes..., ideò mihi ca- « thedram Petri et fidem apostolico ore lauda- « tam censui consulendam, inde nunc meæ « animæ postulans cibum, unde olim Christi « vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas « elementi liquentis, et interjacens longitudo « terrarum me à pretiosæ margaritæ potuit « inquisitione prohibere. Ubicumque fuerit « corpus, ibi congregabuntur et aquilæ..... « Apud vos solos incorrupta servatur Patrum « hæreditas,... Vos estis lux mundi, vos sal « terræ, etc... Ego nullum primum, nisi Chri- « stum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathe- « dræ Petri communione consocior. Super « illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. « Quicumque extra hanc domum agnum co- « mederit, profanus est. Si quis in Noe arcâ « non fuerit, peribit regnante diluvio..... De- « cernite, si placet, et non timeo tres hypo- « stases dicere. »

Hæc S. Hieronymi verba nullo indigent commentario; in illis quippe omnia ad sequendam papæ decisionem tanquàm regulam infallibilem, etiam contra propriam opinionem, disposita inveniuntur. Enimverò persuasum sibi omninò habebat nullum ab hâc regulâ discedere posse, quin ad proprium rueret interitum, quemadmodùm ii qui in arcâ Noe erant, ab eâ pedem referre non potuissent, quin se diluvii aquis submergi cernerent, iique qui in eâ non erant, certò submergebantur.

Idem sanctus adversus Jovinianum scribens dicit, quòd D. Petrus inter Apostolos ut fundamentum Ecclesiæ selectus fuerit : « Ut, « capite constituto, schismatis tolleretur occa- « sio. » Et in Epistolâ ad Theophilum Alexandrinum : « Scito, inquit, nihil esse nobis « antiquius, quàm Christi jura servare, sem- « perque meminisse Romanam fidem aposto- « lico ore laudatam, cujus se esse participem « Alexandrina Ecclesia gloriatur. » Et denique in Epistolâ ad Pammachium : « Quisquis « es, inquit, assertor novorum dogmatum, « quæso te, ut parcas Romanis auribus, et « parcas fidei quæ Apostoli voce laudata est. « Cur profers in medium, quod Petrus et « Paulus edere noluerunt? En ergo fidem « SS. Petri et Pauli semper ex integro in Ec- « clesiâ Romanâ conservatam. »

Nec minùs summorum pontificum infallibilitatem S. Augustinus, præclarum illud Ecclesiæ sidus, quàm cæteri sui seculi Patres agnovit. Verùm quia ii qui contrariam sectantur opinionem, ex ejus doctrinâ non exiguum subsidium capere se autumant, operæ pretium erit, priusquàm ea quæ in favorem summorum pontificum protulit referantur, quæ ex illo pro contrariâ sententiâ adducuntur destruere.

Objiciunt ergo adversarii, quòd hic S. do-

ctor nunquàm crediderit quòd summus pontifex in materiâ fidei infallibilis judex sit, eò quòd adversùs Donatistas disputans atque de S. Cypriano sermonem faciens, dicat quòd hic sanctus Carthaginensis episcopus non putaverit se sententiæ Stephani papæ deferre teneri, eò quòd rationes illæ quæ ipsum in suâ praxi retinebant, nondùm dilutæ ac solutæ sibi viderentur, nec desuper quidquam adhùc à concilio plenario definitum esset. Arbitrabatur ergo quòd à papâ ad concilium generale, tanquàm ad auctoritatem superiorem et per consequens solam infallibilem, appellare fas esset.

Aliud adhuc argumentum ex eo deducunt adversarii, quòd idem S. Augustinus adversùs eosdem Donatistas ratione Cæciliani disputans dicat, quòd si post Melchiadis papæ, ipsiusque collegarum judicium, Cæciliani inimici arbitrarentur se injustè damnatos fuisse, ad concilium generale, ubi causæ examen renovaretur, recursum habere possent. Ex quo eamdem consequentiam adversùs papam in favorem concilii deducunt.

Antequàm his difficultatibus respondeam, percommodum mihi videtur, ea quæ de conciliis œcumenicis dicit S. Augustinus. l. 1 de Bapt. referre, quòd nempe ipsorum judicia reformari ac corrigi possint per concilia posteriora, cùm nempe detegitur quod priùs occultum erat. Si hic S. doctor id de papæ judiciis asseruisset, quantum, bone Deus, triumphum canerent ii quos hìc impugnamus, quique ad extollenda supra summos pontifices concilia omnes vires exerunt! Verùm nihil tale in D. Augustino de summis pontificibus invenient. Sic igitur de ejusmodi conciliis disserit : « Ipsa concilia, quæ per singulas « regiones vel provincias fiunt, plenariorum « conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex uni- « verso orbe christiano, sine ullis ambagibus « cedere : ipsaque plenaria sæpè priora po- « sterioribus emendari, cùm aliquo experi- « mento rerum aperitur quod clausum erat, « et cognoscitur quod latebat, sine ullo typho « sacrilegæ superbiæ, sine ullâ inflatâ cervice « arrogantiæ, sine ullâ contentione lividæ « invidiæ, cum sanctâ humilitate, cum « pace catholicâ, cum charitate christianâ. » Viderint modò illi qui decisiones conciliorum summorum pontificum decisionibus præferunt, quisnam sensus huic loco tribuendus sit, quatenùs cum iis quæ tum de plenario concilio, tum Ecclesiæ doctrinâ pluribus locis dicit S. Augustinus, conciliari possit. Ego interim ad propositas difficultates accedo.

Primæ igitur objectioni respondeo, divum Augustinum, qui S. Cypriani opinionem, quoad quæstionem de baptismo perfectè exploratam habebat, minimè latuisse, quòd sanctus iste controversiam de baptismo hæreticorum non aliter quàm ut punctum disciplinæ respexerit. Nunquàm probare quis poterit quòd Stephanus papa illam tanquàm articulum fidei decideriit, quin potiùs ex pluribus locis contrarium eluceat. 1° Quia S. Cyprianus episcopique Africani, qui ejusdem cum illo opinionis erant, hanc quæstionem ita, ut quid scilicet merè disciplinam spectans, sumpserunt. 2° Ex terminis, quibus quoad praxin, quæ ab aliquo jam tempore in diœcesi Carthaginensi vigebat, usus est D. Stephanus : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* 3° Quia ipsi episcopi Africæ, qui post S. Cyprianum in câdem hæreticos rebaptizandi praxi perstiterunt, in communione Ecclesiæ permanserunt, nec ut schismatici habiti sunt, nisi postquàm decisioni plenarii concilii se subdere renuerunt. 4° Quia S. Augustinus expressè notat, quòd ante plenarii concilii hâc super re decisionem cuique licitum fuerit, S. Cypriani praxin sequi absque ullâ charitatis amissione, dummodò per id pax Ecclesiæ non turbaretur : « De baptismi « ergo quæstione, inquit l. 1 de Bapt. cont. « Donat., c. 18, quantùm arbitror, satis dis- « serui, et quia hoc manifestissimum schisma « est, quod Donatistarum nomine nuncupa- « tur, restat, ut de baptismo piè credamus, « quod universa Ecclesia à sacrilegio schisma- « tis remota custodit. In quâ tamen si aliud « alii, et aliud alii adhuc de istâ quæstione « salvâ pace sentirent, donec universali concilio « unum aliquid eliquatum sincerumque pla- « cuisset, humanæ infirmitatis errorem coope- « riret charitas unitatis, sicut scriptum est : « *Quia charitas cooperit multitudinem peccato-* « *rum.* Quia enim absente cætera inaniter ha- « bentur, eâdem præsente quædam venialiter « non habentur. »

Hoc supposito, dico paradoxum haud esse vel in minimo summorum pontificum in rebus fidei infallibilitatem non tangere, quòd S. Augustinus asserat, etiam post D. Stephani sententiam plenarii concilii decisionem adhuc superfuisse expectandam. Et quidem hujus rationes jam supra, ubi scilicet de S. Cypriano agebam, expendi. Nec verò in materiâ disciplinæ, perampla ac magna quædam Ecclesia

tenetur praxin à longo tempore apud se stabilitam deserere, ut iis quæ Romæ practicantur, se conformet, donec in concilio generali universa Ecclesia Romanæ praxin adoptârit, eamque cæteris particularibus Ecclesiis observandam præscripserit. Quod tamen non agit, nisi in urgentissimis gravissimisque occasionibus. Non ignoro, quòd in similibus summorum pontificum Victoris et Stephani casibus, absolutè loquendo, iidem auctoritate suâ uti potuissent. Verùm cùm in Victoris casu, ipsi expositum fuisset, quòd exinde magnas turbas in Ecclesiâ, imò fortè schisma quoddam causaturus esset, necnon idipsum respectu Stephani factum fuisset, aut ipsemet viso illo magno Africanorum episcoporum divo Cypriano junctorum numero, idem prævidisset, uterque à censuris abstinuêre, atque ad duas Ecclesias reducendas commodiorem ac favorabiliorem expectavêre occasionem. Hæc quoad Paschæ celebrationem se obtulit in concilio Nicæno; cùm enim istud concilium idem quod Victor papa decrevisset, atque per hoc Ecclesiæ Romanæ disciplinam tanquàm toti Ecclesiæ propriam adoptâsset, qui concilii decreto rebelles extiterunt, tanquàm schismatici habiti sunt. Cùmque concilium illud œcumenicum, de quo S. Augustinus, idem quoad baptismum hæreticorum fecisset, qui se huic generali disciplinæ per istud concilium stabilitæ conformare renuerunt, pariter ut schismatici rejecti sunt.

Quod alteram objectionem ex Cæciliani negotio desumptam attinet, vel ex eo, quòd tunc de causâ quâdam personali tantùm ageretur, resolutio facilis est. Equidem jamdudùm inter omnes convenit, quòd hujusmodi causæ revisioni subjectæ sint. Nec tamen ideò S. Augustinus causam Cæciliani plenario concilio subjici oportuisse arbitratus est, cùm dixit ep. olim 162 : « Ecce putemus illos epi-« scopos qui Romæ judicârunt, non bonos « judices fuisse : restabat adhùc plenarium « totius Ecclesiæ concilium, ubi etiam cum « ipsis judicibus causa posset agitari; ut si « malè judicâsse convicti essent, eorum sen-« tentia solveretur. » Sanctus hic doctor istud nonnisi *ad duritiam cordis* loquitur, quippe cùm ipsi res intercederet cum obstinatis, qui se judicio Melchiadis papæ subjicere nolebant. Nam eodem loco fatetur id necessarium non fuisse, Constantinumque ideò duntaxat Arelatense concilium cogi fecisse, ut nempe Cæciliani inimicorum impudentia cohiberetur. « Dedit ille, inquit, aliud Arelatense jud-« cium (aliorum scilicet episcoporum) non « quia jam necesse erat, sed eorum perversi-« tatibus cedens, et omninò cupiens tantam « impudentiam cohibere. »

His sublatis difficultatibus examinemus modò, quæ de decisionibus summorum pontificum in materiâ fidei S. Augustini mens fuerit. Audacter asserere quis potest, quòd, si arma D. Augustini ab auctoritate exteriori petita adversùs Pelagianos invicta fuêre, summorum pontificum in materiâ fidei decisio supremum quoddam judicium sit, vel secùs, quòd argumentum quod ex damnatione per summos pontifices Innocentium et Zozimum factâ deducit, pessima sit probatio, fasque non fuerit appellationi ab episcopis Pelagianis ad futurum œcumenicum concilium interjectæ non deferre. Nam denique si verum est, quòd omnis appellatio ad judicem superiorem suspensiva sit, atque tunc temporis concilium tanquàm ipso papâ superius habitum fuerit, cur ergo nulla ad ipsorum appellationem facta fuit reflexio? cur non obstante et post ipsammet appellationem sedibus suis ejecti, ac in exilium amandati fuerunt?

Sic igitur D. Augustinus in quodam sermone, serm. 2 de Verb. Apost. de Pelagianis disserit : « Rursùs ubi tales inveneritis, oc-« cultare nolite, redarguite contradicentes, « et resistentes ad nos perducite. Jam enim « de hâc causâ duo concilia missa sunt ad « sedem Apostolicam. Inde etiam rescripta ve-« nerunt; causa finita est, utinam aliquando « error finiatur! » Quæro nunc, quomodò S. Augustinus post judicium Romanum causam finitam esse dicere potuisset, si illud judicium supremum esse non ratus fuisset? Nedùm enim lis quævis finita est, quando ab eo qui sententiam tulit, ad superius tribunal appellari fas est : atqui secundùm D. Augustinum per duo illa rescripta Romam allata causa finita erat; ergo secundùm D. Augustinum non dabatur tribunal superius, ad quod recurrere licitum foret.

Anonymus quidam auctor, qui ultimis hisce temporibus super isto D. Augustini loco dissertationem edidit, omnem conatum adhibuit ut ostenderet, quòd ex hoc textu non possit inferri S. sedis judicium pro ultimato haberi debere. Ait enim, quòd secundùm mentem hujus sancti doctoris verba hæc : *Causa finita est*, non sit principium quoddam universale, quod omnis generis casibus ap-

plicari possit : atverò cur hoc? Ideò, inquit, quia hic sanctus doctor in negotio D. Cypriani aliter locutus est. Id ego concesserim, ibi quippe de re prorsùs ab hâc diversâ agebatur, prout jam supra demonstravi. Ideò etiam, pergit ulteriùs, quia Pelagiani jam in multis aliis conciliis damnati fuerant. Verùm vel illa concilia chimærica sunt, ut illud Theodori Mopsuesteni, aut Pelagio faventia, ut conventus Hierosolymitanus conciliumque Diospolitanum, aut citato S. Augustini sermone posteriora, ut Antiochenum, sub Theodosio. Adeòque hæ allegationes extra chorum saltant. S. Augustinus nonnisi de duabus synodis à S. sede confirmatis loquitur, contenditque, quòd causa finita sit per decisionem summorum pontificum. Et hoc est, ad quod responderi debet. Sed Pelagiani, inquit ulteriùs hic auctor, ubique terrarum rejecti erant; hoc quidem verum est, post damnationem à S. sede emanatam; priùs verò Pelagium protegebant episcopi Hierosolymitani; Cœlestiusque, quamvis in Africâ jam damnatus fuisset, nihilominùs in Oriente presbyter ordinatus est. Sed, inquit adhuc anonymus, omnes totius orbis episcopi illos damnârunt. Hoc iterùm verum est, postquàm scilicet Zozimus papa Decretalem suam ad subscribendum iis transmiserat, quam omni ex parte absque ullâ difficultate executi, eamque tanquàm supremum quoddam judicium reveriti sunt. Decem et octo episcopi subscribere renuerunt, quapropter sedibus suis ejecti fuerunt. Sed secundùm auctorem nostrum, Pelagii errores in omnium oculos saliebant : *Aperta proluvies.* Hoc quidem tenet quoad articulum de peccato originali, sed quoad ea quæ bina concilia canonibus suis de gratiâ definierunt, non ita verum est, cùm ipse D. Augustinus, de Grat. et lib. Arb. c. 1, non uno loco fateatur, quæstionem de gratiâ tantis implicitam esse difficultatibus, ut cùm gratia stabilitur, liberum negari arbitrium videatur, cùmque liberum arbitrium propugnatur, gratia negari videatur.

Verùm, inquit denique anonymus noster, si D. Augustinus ex his verbis : *Causa finita est*, generale quoddam principium deducere voluisset, an solummodò bis in cunctis suis operibus hanc loquendi formulam adhibuisset? At, et quamvis semel tantummodò ita locutus fuisset, an propterea probatio minùs convincens evaderet? Sed et istud verum non est, quòd tantum bis hâc de re locutus fuerit; nam præter locum, de quo nunc agitur, desuper etiam, Ep. 157, loquitur, ubi : « Hæresis « (inquit) novæ auctores, vel certè acerrimi « notissimique suasores, cùm Pelagius et Cœ- « lestius extitissent, conciliorum episcopa- « lium vigilantiâ, in adjutorio Salvatoris, qui « suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus ve- « nerabilibus antistitibus Apostolicæ sedis, « papâ Innocent. et papâ Zozimo, nisi cor- « recti etiam egerint pœnitentiam, toto orbe « christiano damnati sunt. » Ecce jam duo loca; alia adhuc adducimus. Lib. 1 contra Julian. c. 1 : « Puto tibi, inquit, eam partem « orbis sufficere debere, in quâ primum « Apostolorum suorum voluit Dominus glorio- « sissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ « præsidentem beatum Innocentium si audire « voluisses (Julianum hæreticum alloquitur) « jam tunc periculosam juventutem tuam Pe- « lagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit « vir ille sanctus Africanis respondere conci- « liis, quàm quod antiquitùs Apostolica sedes « et Romana cum cæteris tenet perseveranter « Ecclesia? » Nota hic per transennam, quòd secundùm D. Augustinum Romani pontifices Occidentali Ecclesiæ præsidebant : *Cui Ecclesiæ præsidentem.*

In ultimo adversùs Julianum opere, lib. 1, n. 9 : « Vestra, inquit, apud competens ju- « dicium communium episcoporum modò causa « finita est. Nec ampliùs vobiscum agendum « est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi « ut probatam de hâc re sententiam cum pace « sequamini. Quod si nolueritis, à turbu- « lentâ, vel invidiosâ inquietudine cohibea- « mini. »

Ut denique palam fiat, quòd secundùm D. Augustinum sententia per summos pontifices lata omne aliud excludat examen, ea adhuc referre placet, quæ in eodem opere Juliano inculcat, lib. 2 : « Quid adhuc quæris examen, « inquit, quod apud Apostolicam sedem jam « factum est? Quod denique jam factum est « in episcopali judicio Palæstino. Ergo hæresis « ab episcopis jam non est examinanda, sed « coercenda est potestatibus christianis. » Juxta D. Augustinum igitur, postquàm sedes Apostolica semel quid examinavit ac dijudicavit, negotiumque quoddam in hoc tribunali tractatum fuit, actum est, causaque finita, nulla ampliùs episcoporum discussio admittitur, res jam in ultimâ instantiâ dijudicata est, nec aliud superest, quàm ut potestates seculares ad reprimendos puniendosque inquietos

spiritus novis discussionibus Ecclesiam turbare molientes implorentur.

Et hæc est sat ampla, ni fallor, illius S. Augustini termini : *Causa finita est*, explicatio, menti hujus S. Doctoris longè utique conformior, cùm ab ipsomet D. Augustino deprompta sit, quàm ea quam ipsi memoratæ Dissertationis auctor tribuit. Ait quidem dictus auctor, quòd tunc solummodò de duobus fidei articulis ab universâ Ecclesiâ explicitè jam creditis cum Pelagio agebatur. Si hoc ita esset, tunc frustra sanè ac intempestivè calamum D. Augustinus fatigâsset. Quare ergo tot opera et volumina adversùs hos hæreticos edidit? Cur viginti integros annos illis impugnandis consumpsit? Et cur, postquàm illos etiamnum jam profligaverat, eruditissimi ac sanctissimi Galliarum viri centum adhuc annis decertârunt, omnemque lapidem moverunt conatumque adhibuerunt, ut saltem partem horum profligatorum dogmatum iterùm erigerent? Quis non videt, quàm ridiculum hic consilium anonymus noster inierit? Notandum etiam venit, quòd summi pontifices D. Leo et Gelasius longè post obitum D. Augustini, episcopos, ut sollicitè adversùs hosce hæreticos vigilarent, adhortati sint significârintque eorum hæresim ita subtilem esse, ut, si vel modicum quid illius sectatoribus concederetur, illicò iterùm cristas erigeret.

Sed à D. Augustino discedendum non est, quin priùs aliqua adhuc loca in favorem S. sedis ex eo duxerimus. Agens igitur de Cæciliano : « Poterat, inquit Epist. 161, non cu-
« rare conspirantem multitudinem inimicorum,
« cùm se videret, et Romanæ Ecclesiæ, in quâ
« semper apostolicæ cathedræ viguit princi-
« patus, et cæteris terris, unde Evangelium ad
« ipsam Africam venit, per communicatorias
« litteras esse conjunctum. » In alio item opere, ubi contra Petilianum disputat, cùm hic episcopus Donatista dixisset, quòd illa cathedra quam se possidere episcopi catholici jactitabant, esset pestilentiæ cathedra, ipsi in hæc verba respondet D. Augustinus lib. 2, c. 51 :
« Verùmtamen si omnes per totum orbem ta-
« les essent, quales vanissimè criminaris, ca-
« thedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in
« quâ Petrus sedit, et in quâ hodie Anastasius
« sedet ; vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quâ
« Jacobus sedit, et in quâ hodie Joannes sedet,
« quibus nos in catholicâ unitate connectimur,
« et à quibus vos nefario furore separâstis?
« Quare appellas cathedram pestilentiæ, cathe-
« dram apostolicam?... Hæc si cogitaretis non
« propter homines, quos infamatis, blasphe-
« maretis cathedram apostolicam, cui non
« communicatis.

Denique S. Augustinus, exemplo Optati et S. Irenæi, hæreses quæ suâ ætate Ecclesiam vexabant impugnans, ad successionem summorum pontificum in sede D. Petri confugit, eorumque enumerationem ab hoc Apostolo usque ad papam Anastasium, qui tunc temporis Ecclesiæ gubernacula tenebat, complectitur. Ad quid autem taliter egisse hos Patres censebimus, nisi ut nobis palam facerent, quòd fides D. Petri in ipsius successoribus semper adhuc vivida subsistat? Idem etiam S. doctor adversùs Manichæos scribens, hanc summorum pontificum in cathedrâ D. Petri successionem motivis, quæ ipsum Ecclesiæ catholicæ adstringebant, annumerat : « Tenet me, in-
« quit, cont. Epist. Fund. c. 4, in Ecclesiæ
« gremio, ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pa-
« scendas oves suas post resurrectionem Do-
« minus commendavit, usque ad præsentem
« episcopatum, successio sacerdotum. » Nisi enim pro certo habuisset fidem beati Petri in omnibus summis pontificibus inseparabiliter manere, quid, quæso, debilius esse potuisset, quàm hoc motivum? Idem etiam motivum præfatus S. doctor adversùs Donatistas adducens : « Numerate, inquit in Ps. cont. part. Don.,
« sacerdotes, vel ab ipsâ sede Petri, et in ordine
« illo Patrum, quis cui successit, videte ; ipsa
« est petra, quam non vincunt superbæ infe-
« rorum portæ. »

A divo Augustino Possidius separandus non est. Hic episcopus in Vitâ dicti S. Augustini cap. 18, loquens de Pelagio et Cœlestio, summorum pontificum Innocentii ac Zozimi adversùs hos hæreticos sententiam, Ecclesiæ catholicæ judicium nuncupat : « Illi, inquit, tantæ
« sedis antistites (Innocentius nempe et Zo-
« zimus) suis diversis temporibus eosdem no-
« tantes, æquè à membris Ecclesiæ præciden-
« tes, datis litteris ad Africanos, ad Orientis
« et Occidentis Ecclesias, eos anathematizan-
« dos et devitandos ab omnibus Catholicis
« censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ
« catholicæ probatum judicium, etiam piissi-
« mus imperator Honorius audiens ac sequens,
« suis eos legibus damnatos inter hæreticos
« haberi debere constituit. » Hæc Possidius in Vitâ S. Augustini.

Sanctus Prosper fidelis ille D. Augustini discipulus, ubi de Ecclesiâ Romanâ, aut potiùs

summis pontificibus, agit, sui magistri vestigiis semper inhæret. Loquens enim in suo poemate de damnatione Pelagii et ejus adhærentium, hoc encomio Romanos decorat pontifices, quòd nempe primi sententiam tulerint, non quidem quasi concilia Africana non præcesserint, sed quòd præcipuam suam auctoritatem à damnatione per S. sedem factâ acceperint. Sic ergo loquitur :

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ principalis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Et inferiùs :

Tu causam fidei flagrantiùs, Africa nostra,
Exequeris, tecum suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenêre tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu,
Decernis, quòd Roma probet, quòd regna sequantur.

Addenda sunt hìc ea quæ idem sanctus adversùs Cassianum scribens habet de Ingr. cap. 2 et 3 : Non ergo, inquit, cum istis novâ acie « dimicandum est, nec quasi contra novos « hostes specialia sunt ineunda certamina. « Tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in « superbiæ suæ sociis ac principibus corrue- « runt, quando B. M. Innocentius nefandi er- « roris capita apostolico mucrone percussit ; « quando Pelagium ad proferendam in se suos- « que sententiam Palæstinorum synodus coar- « ctavit ; quando Africanorum conciliorum « decretis beatæ recordationis papa Zozimus « sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impio- « rum detruncationem gladio Petri dexteras « omnium armavit antistitum ; quando sanctæ « memoriæ papa Bonifacius piissimorum impe- « ratorum catholicâ devotione gaudebat, et « contra inimicos gratiæ Dei non solùm apo- « stolicis, sed etiam regiis utebatur edictis... « Unde et venerabilis memoriæ pontifex Cœ- « lestinus..., sciens damnatis non examen ju- « dicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse « præstandum, Cœlestium quasi non discusso « negotio audientiam postulantem totius Italiæ « finibus jussit extrudi ; adeò et prædecesso- « rum suorum statuta, et decreta synodalia « inviolabiliter servanda censebat, ut, quod « semel meruerat abscindi, nequaquàm admit- « teret retractari. » Ex totâ hâc S. Prosperi doctrinâ liquet : 1° Quòd secundùm ipsum papâ sit caput totius orbis christiani ; 2° quòd illius sit monarcha quoad spirituale : *Quidquid non possidet armis, Religione tenet ;* 3° quòd vi sententiæ à summis pontificibus latæ, ac post eamdem, totius orbis episcopi Pelagianos damnârint : *Apostolico mucrone percussit. Gladio Petri dexteras omnium armavit antistitum ;* 4° quòd, cùm summi pontifices semel quid definierunt, illorum judicium in dubium vocare non ampliùs licitum sit. Ex quibus facile est conclusionem deducere.

Cassianus in suo tractatu de Incarnatione, lib. 3, c. 12, ita de D. Petro loquitur : « Inter- « rogemus summum illum, et inter magistros « magistrum, qui Romanæ Ecclesiæ guberna- « culum regens, sicut fidei habuit, ita et sacer- « dotii principatum. » Nullus unquàm dubitavit, quin ea quæ divus Petrus tanquàm Romanus episcopus habuit, ad ipsius successores transierint. Si ergo secundùm Cassianum tam principatum fidei quàm sacerdotii habuit, eumdem ipsius successoribus disputare nemo potest.

Divus Petrus Chrysologus in Epistolâ ad Eutychen, sic eum alloquitur : « In omnibus « hortamur te, ut his quæ à beato papâ Roma- « næ urbis scripta sunt, obedienter attendas. « Quoniam B. Petrus, qui in propriâ sede vivit « et præsidet, præstat quærentibus veritatem. « Non enim pro studio pacis et fidei, extra « consensum Romanæ civitatis episcopi, cau- « sas fidei audire non possumus. »

Gennadius de Innocentio papâ in Catalogo disserens : « Innocentius, inquit, urbis Romæ « episcopus, scripsit decretum occidentalium et « orientalium Ecclesiarum adversùs Pelagianos « datum. Quod postea successor ejus latiùs « promulgavit. »

Quòd si denique liceat ab ipsis Ecclesiæ hostibus testimonia petere, illud, quod ipse hæresiarcha Pelagius reddidit, afferamus. Antequàm enim à S. sede damnatus fuisset, fidei Professionem papæ obtulit, quam his verbis finit : « Hæc fides est, papa beatissime, quam « in Ecclesiâ catholicâ didicimus, quamque « semper tenuimus et tenemus. In quâ si minùs « peritè, aut parùm cautè, aliquid fortassè « positum est, emendari cupimus à te, qui « Petri et fidem et sedem tenes. Sin autem hæc « nostra Confessio apostolatûs tui judicio com- « probatur, quicumque me maculare voluerit, « se imperitum, vel malevolum, vel etiam non « catholicum, non me hæreticum compro- « babit.

CAPUT VII.

Testimonia Romanorum pontificum super privilegiis sanctæ sedis.

Qui doctrinæ quam propugno adversantur, ægrè ferunt, cùm ad stabilienda Romanæ sedis privilegia ipsos summos pontifices adduci cernunt; testes eos esse aiunt, quorum testimonium, utpote in propriâ causâ et ad proprium favorem suspectum esse debeat. Sed 1° nonne antiquum omnium totius orbis episcoporum testimonium recipitur, cùm monumentis publicis sibi competentia jura expresserunt, nemoque fuit qui ea illis disputârit, aut se iis opposuerit? Idem de regibus, principibus, aliisque dicendum. Quâ igitur ratione quis contendere potest quòd summi pontifices deterioris conditionis sint quàm alii, quòdque testimonium de suæ sedis privilegiis, quod eâ, quâ floruerunt, ætate maximè publicum fuit, cuique nemo unquàm contradixit aut obstitit, deterioris conditionis sit quàm illa de quibus primùm disserui? 2° Plerique horum summorum pontificum fuerunt viri non modò ob dignitatem atque scientiam, verùm et probitatem omni veneratione digni, nec pauci sunt ex eis quos Ecclesia tanquàm sanctos colit ac veneratur. Nullus ergo hìc suspicioni locus esse debet, quasi adeò præstantes viri eò se superbiâ et ambitione abripi siverint, ut non puderet sibi ipsismet prærogativas ac privilegia attribuere, quæ sibi minimè deberi sciren nec ipsa traditio in eis agnosceret. Unde ipsorum testimonia non minoris ponderis esse debent quàm aliorum Ecclesiæ Patrum. Ad validius ergo sententiæ nostræ argumentum, quâ potero brevitate, eadem referam.

Multa jam de D. Innocentio papâ delibavimus; sed ut seriem summorum pontificum ordine resumamus, unicum locum adhuc ex illo hìc adducemus. Sic ergo Epistolam ad quemdam episcopum, qui illum consuluerat, orditur : « Mirari non possumus dilectionem « tuam sequi instituta majorum, omniaque « quæ possunt aliquam recipere dubitationem, « ad nos quasi ad caput, æquè ad apicem epi« scopatûs referre, ut consulta videlicet sedes « Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum ali« quid faciendumque pronuntiet. »

Cœlestinus papa hujus nominis primus, litteris D. Cyrilli Alexandrini, et ipsiusmet Nestorii, hæresim, in quam hìc Constantinopolitanus episcopus lapsus fuerat, edoctus, adversùs ipsum sententiam tulit, in quâ inter alia sic eum alloquitur : « Apertè igitur hanc no« stram scias esse sententiam, ut nisi de « Christo Deo nostro ea prædices quæ Romana, « et Alexandrina, et universalis Ecclesia te« net..., et hanc perfidam novitatem, quæ hoc « quod venerabilis Scripturâ conjungit, nititur « separare, intra decimum diem à primo inno« tescentis tibi hujus conventionis die nume« randum apertâ et scriptâ confessione dam« naveris, ab universalis de Ecclesiæ catholicæ « communione dejectum. Quam formam judi« cii... ad sanctum consacerdotem meum Ale« xandrinæ urbis antistitem... destinavimus, « ut agat vice nostrâ, quatenùs statutum no« strum, et tibi, et universis fratribus innote« scat; quia omnes debent nôsse quod agitur, « quoties omnium causa tractatur. » En sententiam à papâ super aliquo fidei puncto in formâ latam, et ad universam Ecclesiam pro ejusdem observatione directam, vi cujus Constantinopolitanus episcopus, nisi intra decem dierum spatium post significationem errores suos retractet, damnatur ac excommunicatur. Ex quo utique claret quòd Cœlestinus hìc tanquàm supremus judex agat, cujus judicium nulli reformationi subjectum est. Verum quidem est quòd ad preces sancti Cyrilli papa consenserit, ut suæ sententiæ insinuatio tantisper suspenderetur, sub spe quòd Nestorius ad se ipsum rediturus esset. Atverò, cùm Nestorius in suo errore obstinatus permansisset, trinam canonicam monitionem ipsi nomini Cœlestini papæ fecit divus Cyrillus. Cùm interim hoc negotium ingentes motus ac turbas in Oriente excitaret, Nestoriusque ab imperatore Theodosio protectionem impetrâsset, dictus imperator concilium Ephesi cogi curavit, quod per modum executionis sententiæ à Cœlestino latæ Nestorium damnavit et anathematizavit, prout suo loco dicemus.

Sixtus papa, D. Cœlestini successor, Joanni Antiocheno post hujus patriarchæ atque Orientalium cum S. Cyrillo reconciliationem scribens, hisce eum alloquitur : « Hæc sanctitatem « tuam volumus prædicare, quæ scribis. Ex« pertus es negotii præsentis eventu, quid sit « sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus « in successoribus suis, quod accepit, hoc tra« didit. Quis ab ejus se velit separare doctrinâ, « quem ipse inter Apostolos primum Magister « edocuit? Non hunc auditus per alterum, non « sermo lectus instruxit, doctus est cum aliis « ore doctoris; non scripturæ, non scriptorum « passus est quæstionem : absolutam et sim-

« plicem fidem, et quæ controversiam non « haberet, accepit. » Evidens est hunc pontificem non dubitâsse sanctum Petrum doctrinam suam successoribus suis transmisisse, horumque doctrinam non magis errori esse obnoxiam, ac ipsamet divi Petri doctrina est.

Nihil hìc de D. Leone dicam ; occasionem quippe de eo loquendi nanciscar, cùm ad concilia pervenero.

Ad Gelasium papam ergo transeo ; sic porrò ad Orientis episcopos scribens loquitur : « Quorumlibet sententiis pontificum ligata, « B. Petri sedes jus habet resolvendi, utpote « quòd de omni Ecclesiâ jus habeat judicandi, « neque cuiquam de ejus liceat appellare judi- « cio ; siquidem ad illam de quâlibet mundi « parte canones appellari voluerunt, ab illâ « autem nemo sit appellare permissus. » Sic iterùm de quibusdam orientalibus episcopis agens, qui Romanos pontifices nimìi supercilii arguebant, Acacii à suâ, hoc est, Apostolicâ sede aliàs damnati memoriam purgare detrectaverant, in eos insurgit : « Ineptias itaque « suas sibi servent, ait, ni resipiscant potiùs « cogitantes Christi vocem non esse superfluam, « quæ confessioni beati Petri Apostoli inferni « portas nunquàm prævalituras asseruit. Qua- « propter non veremur, ne apostolica sententia « resolvatur, quam et vox Christi, et majorum « traditio, et canonum fulcit auctoritas, ut « totam potiùs Ecclesiam semper ipsa dijudicet. » Plura adhuc loca ad stabiliendam superioritatem summorum pontificum supra concilia hìc adducere possem ; verùm præterquàm quòd id nimis prolixum foret, de eo insuper loquendi redibit occasio, ubi scilicet de conciliis tractabo.

Agatho, in Epistolâ ad imperatorem pro convocatione sextæ œcumenicæ synodi, sic loquitur : « Petrus spirituales oves Ecclesiæ ab « ipso Redemptore omnium ternâ commenda- « tione pascendas suscepit. Cujus adnitente « præsidio hæc apostolica ejus Ecclesia nun- « quàm à viâ veritatis in quâlibet erroris parte « deflexa est; cujus auctoritatem utpote Apo- « stolorum omnium principis semper omnis ca- « tholica Ecclesia, et universales synodi fide- « liter amplectentes in cunctis secutæ sunt. » Ex hoc textu liquet quòd secundùm Agathonem papam D. Petrus suos successores ab omni errore semper præservaverit, quòdque universa Ecclesia illorum doctrinam tanquàm ipsimet D. Petro propriam semper amplexa ac secuta sit. Quis proin asserere ausit quòd D. Petrus in materiâ dogmaticâ fuerit aut sit errori obnoxius? Eadem repetit idem Agatho in Epistolâ ad concilium.

Certè prætereundus non est, quem ferè oblitus eram, D. Gregorius Magnus, cujus tum humilitas tum modestia, quæ passim in ejus micat operibus, suspicari non sinit, eum ultra limites sanctam sedem extollere voluisse ; ille, inquam, Gregorius, qui nomen universalis episcopi, tanquàm blasphemiæ nomen, semper respuit. Itaque hic summus pontifex de auctoritate sanctæ sedis in materiis fidei non aliter quàm sui prædecessores loquitur, suæque Ecclesiæ privilegia ab ipsâ etiamnum Christi Domini auctoritate depromit. Sic enim loquitur lib. 4, epist. 20 : « Cunctis « Evangelium scientibus liquet quòd sancto « et omnium Apostolorum Petro principi Apo- « stolo totius Ecclesiæ cura commissa est; « ipsi quippe dicitur : *Petre, amas me? pasce « oves meas ; ecce Satanas expetivit vos, ut « cribraret vos sicut triticum. Ego autem oravi « pro te, ut non deficiat fides tua; et tu ali- « quando conversus, confirma fratres tuos. Tu es « Petrus, et super hanc petram ædificabo Eccle- « siam meam, et portæ inferi non prævalebunt « adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlo- « rum, et quodcumque solveris super terram, erit « solutum et in cœlo, et quodcumque ligaveris « super terram, erit ligatum et in cœlis.* Ecce « claves regni cœlestis accepit, potestas ei « ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei « totius Ecclesiæ, et principatus tribuitur, et « tamen universalis Apostolus non vocatur; « et vir sanctissimus Joannes, consacerdos « meus, vocari universalis episcopus cona- « tur! » Et in quâdam epistolâ ad Vigilium Arelatensem episcopum, in quâ ipsum suum vicarium in Galliis constituebat, hæc ipsi quoad difficultates, quæ fortè occurrerent, injungit : « Si qua verò, inquit, inquisitio de « fide, vel fortassè aliarum rerum inter epi- « scopos causa emerserit, quæ discerni difficì- « lùs possit, collectis duodecim episcopis ven- « tiletur, atque decidatur. Si autem decidi « nequiverit, discussâ veritate, ad nostrum ju- « dicium referatur. » Et in sequenti epistolâ, quæ ad omnes regni Childeberti episcopos directa est, significat ipsis quòd Vigilium vicarium suum constituerit ad auctoritativè terminandas controversias ac lites, quæ inter episcopos oriri possent : « Si quam verò con- « tentionem, inquit, quod longè faciat divina « potentia, de fidei causâ evenire contigerit,

« aut negotium emerserit, cujus vehemens sit « fortè dubietas, et pro suî magnitudine judi- « cio sedis Apostolicæ indigeat, examinatâ « diligentiùs veritate, relatione suâ ad nostram « studeat perducere notionem, quatenùs à no- « bis valeat congrua sine dubio sententia « terminari. » In aliâ item epistolâ, quam ad Eulogium patriarcham Alexandrinum scripsit: « Quis nesciat, inquit, sanctam Ecclesiam in « Apostolorum principis soliditate firmatam, « qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut « Petrus à petrâ vocaretur? Cui veritatis voce « dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum;* cui « rursùs dicitur : *Et tu aliquando conversus,* « *confirma fratres tuos;* iterùmque : *Simon* « *Joannis, amas me? Pasce oves meas.* Itaque « cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen « principatu sola Apostolorum principis sedes « in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis « unius est. » Ex his D. Gregorii locis patet 1° quòd tres illi famosi, quos adducit, Evangelii textus, intelligi debeant de primatu D. Petri, utpote cui Christus suæ Ecclesiæ regimen commisit, quòdque hi qui contrarium tenent, Evangelium non intelligant : *Omnibus scientibus Evangelium liquet;* 2° quòd hæ D. Petri prærogativæ ad ipsius successores pertransierint, eò quòd dicat quòd super ipsum stabilita sit Ecclesia; 3° quòd de infallibilitate horum D. Petri successorum in quæstionibus fidei nullatenùs dubitârit, cùm præcipiat ut difficiliores super hâc materiâ quæstiones, quas episcopi in unum congregati decidere non potuerint, ad eum modo certo omnisque dubii experte, per ultimatum quoddam judicium ultimato ab ipso decidendæ referantur. *Quatenùs à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.*

Ipsismet hujus magni papæ verbis usus est Joannes papa VIII, in epistolâ, sicut hæc D. Gregorii, ad quemdam etiam Arelatensem episcopum directâ. Sed et idem Joannes papa non minùs clarè se explicat in quâdam aliâ ad Bulgarorum regem epistolâ : « Sanctam « Romanam Ecclesiam, inquit ibidem, B. Pe- « trus in hâc fide fundatam proprio sanguine « cum Paulo Domino Deo consecravit et dedi- « cavit, etc. Sicut aqua non potest alibi tam « munda et limpida, quemadmodùm in fonte « unde originem pertrahit, inveniri, ita et fides « nunquàm omninò poterit alibi tam pura et « tam nitida reperiri, sicut in Ecclesiæ nostræ « vivario, ubi tam... Ille polorum claviger « ubertim et purissimè congregavit, qui ex « ipso fonte vivo hanc cœlitùs hausit, et lim « pidissimam consecrandam mandavit. »

Oporteret potiorem Nicolai I Epistolarum partem describere, si ea omnia quæ in favorem S. sedis illiusque in Ecclesiâ potestatis scribit, referre vellemus. Cùm enim ipsi cum Photio, qui primus Græcos adversùs Ecclesiam Romanam excitavit ac rebellare fecit, negotium intercesserit, coactus fuit sæpiùs de hujus Ecclesiæ prærogativis sermonem texere- sive cùm ad ipsummet Photium, sive ad Michaelem imperatorem scriberet. Non modò igitur suæ sedis infallibilitatem propugnat, verùm etiam expressè asserit quòd Ecclesia Romana sit supra omnia concilia, quòdque horum decisiones in legem non transeant, nisi in quantum à Romanis pontificibus confirmatæ sunt. « Non « ergo dicatis, inquit epist. 8 ad imperatorem, « non eguisse vos in causâ pietatis Romanæ Ec « clesiæ, quæ collecta concilia suâ auctoritate « confirmat, suâ moderatione custodit. Unde « quædam eorum quia consensum Romani ponti- « ficis non habuerunt, validitatem perdiderunt. » Id postmodùm exemplo concilii Ephesini secundi, in quo omnes qui ei interfuerant episcopi ipsique patriarchæ errorem definierant, necnon exemplo Iconoclastarum conciliabuli, probat. « Quoniam ait, cùm secundùm cano- « nes, ubi est major auctoritas, judicium infe- « riorum sit deserendum, ad dissolvendum sci- « licet, vel ad roborandum, patet profectò se- « dis Apostolicæ, cujus auctoritate major non « est, judicium à nemine fore retractandum, « neque cuiquam de ejus liceat judicare judi- « cio, siquidem ad illam de quâlibet mundi « parte canones appellari voluerunt, ab illâ « autem nemo sit appellare permissus. Juxta « quod et Bonifacius et Gelasius, sanctissimi « præsules, non suis adinventionibus, sed Ec- « clesiæ Romanæ consuetudinem non ignoran- « tes dicunt. » Supervacaneum foret plura ex eodem papâ referre.

Leo IX, in Epistolâ ad Michaelem Cærularium patriarcham Constantinopolitanum, adducto famoso illo S. Lucæ textu : *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, etc., sic pergit : « Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, « qui orationem illius, cujus velle est posse, « audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à se- « de principis Apostolorum, Romanâ videlicet « Ecclesiâ, tam per eumdem Petrum quàm « per suos successores convicta atque expug- « nata sunt omnium hæreticorum commenta, « et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs

« non defecit, neque in finem deficiet, sunt « confirmata ? »

Qui Romanorum pontificum infallibilitatem impugnant, omnem conatum adhibent ad eludenda testimonia quæ ex præfatis Romanis pontificibus adducuntur. Modò dicunt quòd testimonium reddant in propriâ causâ; modò quòd per verbum, *Ecclesia*, universa intelligi debeat catholica Ecclesia; modò quòd hæc testimonia tantùm loquantur de Romanâ Ecclesiâ, non verò de summis pontificibus. Sed vanas has cavillationes diluere perfacile est. Primæ jam respondi, aliæ duæ autem longè contemptibiliores sunt; hinc enim ex ipsis Romanorum pontificum verbis claret quòd non nisi de sede ac Ecclesiâ Romanâ loquantur, non verò de totâ, seu universâ Ecclesiâ; illinc verò non minùs apertum est quòd per Ecclesiam Romanam ipsos beati Petri in hujus Ecclesiæ sede successores designent. An non enim oppidò ridiculum foret huic Ecclesiæ infallibilitatem concedere, iis interim qui illius sunt capita, hocce privilegium adimere? Quòd si Ecclesia Romana infallibilitate gaudet, id sanè aliter intelligi aut esse non potest, quàm si in iis duntaxat qui eam gubernant, et ex quorum ore loquitur ac definit, reperiri dicatur. Infallibilitas quam Romani pontifices suæ Ecclesiæ tribuunt, fundata est super promissiones Salvatoris D. Petro factas, privilegiaque quæ ipsi pro se et suis successoribus concessit. Consequenter, si fidei infallibilitas unum ex his privilegiis est, tunc hujus Apostoli successores, ii sunt qui eâdem gaudent.

Superfluum ac inutile vel maximè foret, plura testimonia ex summis pontificibus deprompta referre, cùm ii ipsi quos oppugnamus, facilè conveniant Gregorium VII Romanorum pontificum infallibilitatem propugnâsse, hancque opinionem postmodùm ad ejus pertransisse successores. Verùm quia doctor Launoius contendit quòd certi quidam Romani pontifices in præsentis quæstionis circumstantiis se ipsos fallibiles, œcumenicisque conciliis inferiores ultrò agnoverint, atque ad hoc Innocentii III quamdam Epistolam adducat, in quâ Innocentius se apud regem excusat quòd ipsi dispensationem aliquam, quæ juri naturali repugnabat, nisi auctoritate concilii œcumenici impertiri non posset, cùm tamen probè nôsset, nec id concilium œcumenicum posse, hâc igitur ratione operæ pretium esse videtur demonstrare quæ hujus summi pontificis circa infallibilitatem Romanorum pontificum mens fuerit. Plura quidem desuper ex illo adducere possem testimonia, at unicum sufficiet; depromptum est ex epistolâ quâdam ad patriarcham Constantinopolitanum scriptâ, in quâ disserens de primatu quem Romana Ecclesia à D. Petro accepit et habet, sic eum alloquitur: « Pro eo « Dominus orâsse fatetur, inquiens in articulo « passionis : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat « fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma « fratres tuos.* Ex hoc innuens manifestè quòd « successores ejus à fide catholicâ nullo un- « quàm tempore deviarent, sed revocarent « magis alios, et confirmarent etiam hæsitan- « tes, per hoc sic ei alios confirmandi potesta- « tem indulgens, ut aliis necessitatem impone- « ret obsequendi. »

Tempus est ut præsenti capiti finem imponam; non possum tamen, quin priùs id quod veritas ab ore famosi cujusdam nostræ ætatis doctoris, qui doctrinæ quam tueor, è diametro oppositus esse videtur, extorsit, pro coronide referam. Hic ergo auctor de quodam scripto loquens, cui titulus est : *Dictatura Gregorii VII*, quod hujus papæ partum esse non credit, ait quòd ex viginti septem articulis, quibus comprehenditur, quidam veri sint, quidam autem falsi; veris adnumerat sequentes : *Quòd Ecclesia Romana à solo Christo fundata fuerit; quòd majores causæ ad illam referri debeant; quòd Ecclesia Romana nunquàm errârit, nec pro catholico habendus sit qui huic Ecclesiæ non conjungitur.* At si hic ultimus articulus verus est, per necessariam consequentiam sequitur quòd Ecclesia Romana sit infallibilis; si enim infallibilis non esset, posset quivis esse catholicus, qui tamen cum Ecclesiâ Romanâ non concordaret. Hic ultimus articulus sequitur etiam ex præcedenti, quia si Ecclesia Romana nunquàm erravit, sequitur quòd omnis ille christianus, qui ei fide non conjungitur, catholicus non sit.

CAPUT VIII.

Quid concilia œcumenica aliaque de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei censuerint. Et quomodò Romani pontifices se gesserint respectu conciliorum œcumenicorum.

Pauca admodùm habemus, quæ quoad Romanos pontifices ex concilio Nicæno adducamus, eò quòd monumenta ea nobis desint, quibus agnoscere possimus quæ pars in hoc concilio fuerit Sylvestri papæ, et ea quæ supersunt, pro authenticis haberi haud possint. Id unum scimus, quòd referente concilio sexto

generali Nicænum à papâ Sylvestro et imperatore Constantino coactum fuerit. Certum est aliunde quòd hic pontifex illùc suos legatos cum instructionibus, quæ ampliùs non supersunt, miserit. Dubitari vix potest quin Osius Cordubensis episcopus unus ex istis legatis fuerit. Cùm enim Ariani apud D. Athanasium asserant quòd hic ille fuerit qui Nicææ præsedit, non videtur quâ ratione hujusmodi honor simplici cuidam Orientalibus incognitæ civitatis episcopo delatus fuisset, nisi hunc locum nomine Romani episcopi occupâsset, prout in concilio Sardicensi fecit. Tradit insuper D. Athanasius, de sentent. Dionys., quòd concilium à Dionysio papâ et Dionysio Alexandrino vocem *consubstantialis*, quæ postmodùm tantam molestiam Arianis creavit, mutuârit.

Ampliorem materiam nobis suppeditat concilium Sardicense. Nam 1° ibidem invenimus papam vocari *caput Ecclesiæ*, utpote qui Petri sedem teneat; quòd ipsius intersit de omnibus informationem sumere; quòd diversarum provinciarum episcopi teneantur ipsum de omnibus quæ agitantur reddere certiorem. « Hoc « enim, inquit, istud concilium, optimum et « congruentissimum esse videbitur, si ad caput, « id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis « quibuscumque provinciis Domini referant « sacerdotes. » 2° In signum honoris divo Petro in personâ suorum successorum debiti præscribit can. 3 et 5, quòd si quis episcopus in aliquo episcoporum conventu damnatus fuerit, sibi providere possit per appellationem ad S. sedem, quòdque papa novos judices tum nominare debeat, qui causam examinent, quam ad vicinæ provinciæ episcopos remittere poterit, imò etiam, si id consultum duxerit, illùc ex suâ parte commissarios, qui unà cum episcopis judicent, specialem eis tribuendo potestatem ipsius nomine judicandi, aut denique negotium finiendi, prout nempe ipsius prudentia ei faciendum suggesserit, mittere poterit. « Petri memoriam (sunt verba concilii) honoremus, ut ab iis qui judicaverunt « scribatur Julio Romanorum episcopo, et per « propinquos provinciæ episcopos, si opus sit, « judicium renovetur, et cognitores ipse præbeat.... » Si quis autem postulet suum negotium rursùs audiri, et ad suam supplicationem Romanum episcopum judicare visum fuerit, ut à proprio latere presbyteros mittat, et sit in potestate ipsius, quodcumque rectè habere probaverit; et si decreverit oportere eos mitti, qui cum episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus à quo missi sunt; et hoc ponendum est. 3° Decernit quòd si quis episcopus, qui judicio suorum confratrum depositus fuerit, palam testificetur quòd sibi adversùs eorum judicium providere per viam appellationis velit, ipsi successor substitui non possit, donec episcopus Romanus finalem desuper sententiam tulerit. « Si quis episcopus « fuerit depositus judicio episcoporum, qui sunt « in viciniâ, et dicat rursùs sibi defensionis « negotium competere, non priùs in cathedram « alius substituatur, quàm Romanus episcopus « causâ cognitâ sententiam tulerit. »

Synodus Ephesina, cui S. Cyrillus Alexandrinus nomine, et ut locum tenens Cœlestini papæ præsedit, postquàm Nestorii scripta examinâsset, deprehendissetque in eis impietatem contineri ac doceri, declarat, act. 1, se adstringi ad ferendam adversùs ipsum depositionis sententiam, impellentibus ad id tam sacris canonibus, quàm Cœlestini Romani episcopi litteris, ex quibus utique patet non dubitâsse hujus concilii Patres, se teneri obedire papæ mandatis, illiusque litteras pari cum sacris canonibus passu ambulare. Verba ipsius synodi adducimus: « Deprehendentes..., illum impiè « sentire et prædicare; coacti per sacros ca« nones, et epistolam sanctissimi patris nostri « et comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ « episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugu« brem hanc contra eum sententiam necessariò « venimus. » Insuper ex eâdem synodo habetur quòd Philippus Presbyter, et episcopi Arcadius, et Projectus papæ legati, cùm primùm post Nestorii damnationem ad concilium venissent, petierint, ut ipsis acta prælegerentur: « Ut, « inquiebat Philippus, sequentes formulam « sanctissimi papæ Cœlestini, qui hanc curam « nobis commisit, et vestræ etiam sanctitatis « judicia vestra confirmare possimus. » Postea, lectisque actis, sic pergit Philippus Presbyter: « Nulli dubium, imò seculis omnibus notum « est, quòd sanctus beatissimusque Apostolorum « princeps et caput, fideique columna, et Ec« clesiæ catholicæ fundamentum, à Domino « nostro Jesu Christo Salvatore humani generis « ac Redemptore, claves regni accepit, solven« dique ac ligandi peccata potestas ipsi data « est, qui ad hoc usque tempus, et semper in « suis successoribus vivit, et judicium exercet. « Hujus itaque secundùm ordinem successor et « locum tenens sanctus beatissimusque papa « noster Cœlestinus episcopus nos, ipsius præ« sentiam supplentes, ad hanc sanctam syno-

« dum misit, » etc. Deinde ipse aliique légati sententiam adversùs Nestorium latam confirmant, et ad petitionem concilii in hujus confirmationis argumentum illius acta subsignant. « Sancta synodus dixit : Cùm Arcadius, et Pro- « jectus reverendíssimi religiosissimique epi- « scopi, et legati, et Philippus Presbyter Apo- « stolicæ sedis legatus, consentanea sint locuti, « consequens est, ut promissis satisfacientes, « etiam subscribendo acta confirment, proinde « actorum commentarii ipsis adhibeantur. » Hæc sunt, quæ in hâc œcumenicâ synodo actitata sunt. Nec clariùs infallibilitas Romanorum pontificum stabiliri potest, quàm Philippus Presbyter in suo alloquio stabilierit. Si enim D. Petrus in suis successoribus semper vivit, ac virtute potestatis et privilegiorum à Christo Domino acceptorum judicium exercet, si semper est columna fidei et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, nemo dubitare potest, quin judicia quæ per suos successores exercet, infallibilia sint. Longè autem abfuit, ut huic Philippi Presbyteri allocutioni quisquam hujus synodi episcoporum contradiceret, quin potiùs ab omnibus ingenti cum applausu recepta fuerit ut *consentanea*. Et certè longè ab eorum mente erat ut contradicerent, quandoquidem Philippus nihil protulerat quod non ab omnibus seculis, id est, ab Ecclesiæ incunabilis notum esset. Erubescant igitur moderni theologi quòd in controversiam adducere audeant id quod primis Ecclesiæ seculis tanquàm omninò manifestum, minimèque dubium habitum fuit.

Id insuper hìc notandum venit, quòd videlicet hujus concilii Patres Epistolam ad Cœlestinum papam directam, in quâ ei in suo conventu actitatorum rationem reddebant, hisce concluserint : « Perlectis in sanctâ synodo com- « mentariis actorum in depositione impiorum « Pelagianorum et Cœlestianorum, Cœlestii, « Pelagii, Juliani, Perfidii, Flori, Marcellini, « Orentii, et eadem cum illis sentientium, quæ « à tuâ pietate de ipsis decreta et constituta « sunt, judicavimus nos ea solidaque perma- « nere debere. » Ex quo patet quòd istud generale concilium absque ullo novo examine horum hæreticorum damnationi à summis pontificibus factæ subscripserit.

Verùm antequam hocce concilium deseramus, anticipanda est difficultas, quæ ex eo formari posset, quòd nempe cùm papa Cœlestinus adversùs Nestorium, nisi intra decem dierum spatium resipisceret, erroremque retractaret, sententiam pronuntiâsset, nec ipse Nestorius errorem retractâsset, papæ tamen sententia executioni mandata non fuerit. Non abs re igitur erit notâsse quòd, cùm desuper S. Cyrillus ad Cœlestinum litteras dedisset, summus hic pontifex annuerit, ut sententiæ suæ executio tamdiù suspenderetur, quamdiù spes aliqua affulgeret hunc episcopum ad fidem orthodoxam reducendi. Binæ istæ epistolæ extant in actis concilii.

Notandum denique est, quòd in instructione quam suis legatis Cœlestinus dederat, ipsis expressè ac specialiter mandârit, ut quoad ea quæ ille definierat, nullam contentionem admitterent, eosque damnarent qui lites desuper movere ausuri essent. « Ad disceptationem, « inquit, si fuerit deventum, vos de eorum « sententiis dijudicare debetis, non subire « certamen. » Ex quo liquet quòd dictus papa suos legatos non ideò ad synodum miserit, ut ibi quid credendum foret addiscerent, atque se iis quæ ibidem episcopi definituri essent, submitterent, verùm ut quod ipse jam definierat à concilio reciperetur.

Hìc omitterem quidquam de secundo concilio Ephesino, quod nonnisi Dioscori patriarchæ Alexandrini latrocinium fuit, dicere, nisi operæ pretium esset notâsse quòd D. Leo papa solus ille fuerit qui temeritatem ac impietatem Dioscori coercuit, inutilemque reddidit. Enimverò, nedùm sufficere arbitratus est quòd se viriliter adversùs illud conciliabulum doclarârit, illudque reprobârit, quamvis eidem tres Orientis patriarchæ subscripsissent; sed insuper totis viribus tum apud imperatorem Theodosium, tum Pulcheriam egit, quatenùs liberum concilium cogi permitterent, per quod turbæ quas istud conciliabulum in Oriente suscitârat, sedarentur, imò ad hoc imperatoris Honorii ac imperatricum apud Theodosium ejusque sororem commendationem adhibuit. Sed quia Honorii imperatoris Epistola ad propositum meum multùm facit, mearum partium esse arbitror, quædam ex eâ hìc adducere. Sic ergo de Romano episcopo disserens, loquitur : « Nostris « diebus servare debemus venerationem quæ « dignitati B. Petri debetur, quatenùs beatis- « simus Romanæ civitatis episcopus, cui prin- « cipatum sacerdotii super omnes antiquitùs « contulit, locum habeat ac facultatem de fide « et sacerdotibus judicare, domine sanctissime « pater, ac venerabilis imperator. » Et inferiùs postulat « ut prædictus sacerdos (sanctus Leo « papa) congregatis ex omni orbe etiam reliquis

« sacerdotibus intra Italiam omni præjudicio « submoto, à principio omnem causam (Eutychetis) quæ vertitur, sollicitâ probatione « cognoscens, sententiam ferat quam fides et « verbum divinum expostulant. » Sic imperatores, sicut et alii de episcopis Romanis eorumque de fide etiam in œcumenicâ synodo judicandi potestate loquebantur.

Veniamus modò ad Chalcedonense concilium. Primum, quod notandum occurrit, est illud, quòd secundùm D. Gregorium Magnum pluribus suarum Epistolarum locis, hoc concilium episcopis Romanis titulum *universalium episcoporum* obtulerit, quo tamen uti Romani pontifices noluerunt, ne exinde cæteros episcopos de suâ dignitate dejicere aut exauctorare velle viderentur. Apprimè certum est quòd non præpostero hoc sensu dictum concilium Romanis pontificibus titulum universalis episcopi tribuebat, sed ad significandum duntaxat, quòd omnes episcopos antecellerent, atque generalem quamdam inspectionem super totam haberent Ecclesiam.

Secundum, quod occurrit, est quòd idem sanctus Leo numeroso huic episcoporum cœtui scribens, procul absit ab eo, ut declaret se in iis, quæ circa fidem definituri essent, subscribere paratum esse, prout nostrâ ætate ad id Romanos pontifices teneri contenditur; quin è contra illis ipsemet legem constituat, quæque ipsis agenda sint, præscribat. « Nunc, inquit, « in vicariis meis adsum, qui ductum in fidei « prædicatione non desum, ut qui non potestis « ignorare quid ex antiquâ traditione credamus, « non possitis dubitare quid cupiamus. Unde, « fratres charissimi, rejectâ penitùs audaciâ « disputandi contra fidem divinitùs inspira- « tam, vana errantium infidelitas conquiescat. « Non liceat defendi quod non licet credi, cùm « secundùm evangelicas auctoritates, secun- « dùm propheticas voces, apostolicam doctri- « nam plenissimè et lucidissimè per litteras « quas ad B. memoriæ Flavianum episcopum « misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sa- « cramento Incarnationis Domini nostri Jesu « Christi pia et sincera confessio. » Ecce quomodò D. Leo hujus concilii Patribus legem præscribat.

Tertiò notandum venit, quòd, quamprimùm synodus Chalcedonensis formata fuit, Paschasinus unus ex D. Leonis legatis declarârit quòd hujus S. pontificis omnium Ecclesiarum capitis mandatum præ manibus haberet, per quod statuerat ne Dioscorus archiepiscopus Alexandrinus in concilio sederet, aut si secùs, ipsius legati à concilio discederent; ad quæ cùm magistratus, seu judices, qui nomine imperatoris concilio intererant, institissent, ut ergo palàm fieret, in quo hic episcopus hanc degradationem meritus fuisset, Lucentius etiam divi Leonis legatus respondit, necessum fore ut judicii sui rationem redderet, eò quòd, cùm nullatenùs ad ipsum spectaret, potestatem judicandi sibi arrogâsset, atque absque auctoritate aut licentiâ sedis Apostolicæ, quod tamen nec unquàm factum fuisset, nec licuisset, synodum cogere præsumpsit. « Beatissimi « (sunt verba Lucentii) atque apostolici viri « papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium « Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus « apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum « episcopus non sedeat in concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse « est; si ergo præcipit vestra magnificentia, « aut ille egrediatur, aut nos eximus.... (Ad « quæ) gloriosissimi judices dixerunt:... Causa « quæ objicitur, specialiter manifestetur. Lu- « centius.... dixit: Judicii sui necesse est eum « dare rationem, quia cùm personam judicandi « non haberet, præsumpsit, et synodum ausus « est facere sine auctoritate sedis Apostoli- « cæ, quod nunquàm licuit, nunquàm factum « est. »

Quartò venit notandum, quòd cùm actione secundâ magistratus, seu judices ab imperatore delegati, petiissent ut, secundùm normam conciliorum Nicæni et Constantinopolitani, præcisè de fide tractaretur, cunctique concilii Patres se nec latum unguem à dictorum conciliorum fide discessuros respondissent, Cecropius, Sebaste episcopus, addiderit quòd formula fidei quoad Incarnationem à sanctissimo Romano episcopo edita fuisset, quòd concilium eam sequeretur, hujusque Romani pontificis Epistolæ omnes episcopi subscripsissent. Ad quæ continuò reliqui episcopi clamârunt, se eadem omnes dicere, hancque expositionem sufficere, nec aliam fieri licitum esse. « Cecropius reverendissimus episcopus Seba- « stenopolitanus dixit: Emerserunt quæ ad « Eutychen pertinebant, et super iis forma « data est à sanctissimo archiepiscopo Romanæ « urbis, et sequimur eum, et Epistolæ omnes « subscripsimus. Reverendissimi episcopi cla- « maverunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt « quæ exposita sunt, alteram expositionem « non licet fieri » Patet hìc utique quòd Chal-

cedonense concilium nullâ prorsùs factâ mentione Constantinopolitani sub Flaviano habiti, in quo Eutyches damnatus fuerat, soli S. Leonis decisioni adhæreat.

Quinta observatio modum spectat quo Dioscorus in hoc concilio damnatus fuit. Recensitis igitur ibidem attentatis ab isto archiepiscopo in pseudo Ephesinâ synodo perpetratis, sic ulteriùs declarant Chalcedonenses episcopi: « Sed tamen talibus ab eo audacter commissis « deliberabamus, ut de priore suâ pessimâ « actione aliqua ei præstaretur clementia.... « Sed quoniam secundis excessibus priorem « iniquitatem valdè transcendit, præsumpsit « enim et excommunicationem dictare adver- « sùs sanctissimum et beatissimum archiepi- « scopum magnæ Romæ Leonem..... Unde « sanctissimus et beatissimus archiepiscopus « magnæ et senioris Romæ Leo per nos et per « præsentem S. synodum unà cum ter beatis- « simo et omni laude dignissimo B. Petro Apo- « stolo, quî est petra et crepido catholicæ « Ecclesiæ, ut rectæ fidei fundamentum, nu- « davit eum tam episcopatûs dignitate, quàm « etiam et ab omni sacerdotali alienavit mini- « sterio. » Ex isto aliisque ecclesiasticis monumentis habetur apertè quòd omnia quæ à Romanis pontificibus fiebant, D. Petro tanquàm suos successores dirigenti semper attributa fuerint; et insuper quòd Ecclesia Romana sub hujus Apostoli nomine basis ac fundamentum fidei catholicæ nuncupetur. Sed præsens concilii locus iis omninò silentium imponere debet, qui in id quod sequentibus seculis, *sacro approbante concilio,* summi pontifices definierint, glossantur. Libenter enim scire cuperem, quantùm inter se differant asserere quòd papa absens per concilium definiat, et dicere quòd papa præsens approbante concilio pronuntiet.

Sexta observatio est, quòd cùm tredecim Ægyptiorum episcopi ad concilium recipi postulâssent, quamvis etiam ad concilii requisitionem Eutychen unà cum suis adhærentibus anathematizâssent, à concilio tamen rejecti fuerint, eò quòd Epistolæ S. Leonis, nisi eos præeunte agmenque ducente patriarchâ Alexandrino, subscribere renuerint, quod tanquàm dolum quemdam interpretati concilii Patres clamavêre quòd quicumque subscribere nollet, hæreticus esset: « Omnes reverendis- « simi episcopi clamaverunt: *Subscribant Epi-* « *stolæ Leonis,* qui non ei subscribit, hæreticus « est. » Et inferiùs: « Reverendissimi episcopi « clamaverunt: *Ut Leo, sic credimus;* qui con- « tradicunt, Eutychianistæ sunt. Leo rectè « exposuit. Magnificentissimi et gloriosissimi « judices dixerunt: Ergo addite judicio secun- « dum judicium sanctissimi patris nostri Leonis, « duas esse naturas unitas in Christo incon- « vertibiliter, et inseparabiliter, et inconfusè. »

Septima observatio est, quòd, postquàm concilium Nicænæ et Constantinopolitanæ synodorum de divinis personis fidem amplexum fuisset, Epistolas S. Cyrilli ad Nestorium de Incarnatione etiam adoptârit, eisque D. Leonis Epistolam adjunxerit his verbis: « Quibus « etiam (concilium) et Epistolam magnæ et « senioris urbis Romæ præsulis beatissimi et « sanctissimi archiepiscopi Leonis, quæ scripta « est ad sanctæ memoriæ archiepiscopum Fla- « vianum, ad perimendam Eutychis malam « intelligentiam, utpote et magni illius Petri « confessioni congruentem, et communem « quamdam columnam existentem adversùs « perversè sentientes, ad confirmationem re- « ctorum dogmatum congruenter aptavit. »

Octava observatio est, quòd, quamvis conciliabulum Ephesinum à Chalcedonensi rejectum ac reprobatum fuerit, nihilominùs ordinatio Maximi Antiocheni in eo facta ratihabita fuerit hâc solâ ratione quòd D. Leo eum in suam communionem recipiendo, in episcopatu Antiocheno illum confirmârit. Ex quo liquet, quanta tunc etiam in Oriente Romanæ Ecclesiæ auctoritas, quanta observantia erga illud omne quod ipsius auctoritate fulciebatur, habita fuerit: « Anatolius.... dixit: Igitur definimus « nihil horum valere, quæ in illâ.... (Ephesinâ « pseudosynodo) sunt confecta, nisi illud circa « sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ « civitatis episcopum: quoniam et sanctissimus « Leo Romanus archiepiscopus in communio- « nem eum recipiens, præesse eum Antiochen- « sium judicavit Ecclesiæ. Quam formam se- « quens, et ipse approbavit, et præsens omne « sanctorum concilium. »

Nona denique observatio in eo consistit quòd D. Leo, finito concilio, omnibus qui ei interfuerant episcopis scribens, declaret quòd concilium unicè quoad ea quæ fidem concernunt, approbet, ob quam solummodò causam, videlicet de consensu sedis Apostolicæ, coactum fuerat; irritum autem et nullum id omne pronuntiet, quod in præjudicium Nicænorum canonum in eo actitatum fuerat. « Fraterna, « inquit, unitas, et omnium fidelium corda « cognoscant, non solùm per fratres, qui vi- « cem meam executi sunt, sed per approba-

« tionem gestorum synodalium propriam vo-
« biscum inisse sententiam, in solâ videlicet
« fidei causâ.... propter quam generale conci-
« lium, et ex præcepto christianorum princi-
« pum, et ex consensu Apostolicæ sedis placuit
« congregari....; infirmum et irritum erit,
« quidquid à prædictorum Patrum canonibus
« discrepavit. »

Ad ea quæ modò retuli, attendant velim illi qui summos pontifices conciliis submittunt. Ex unâ parte Leo papa pseudosynodum Ephesinam annullat, et tamen in eâ excipit Maximi ordinationem ; ex alterâ verò concilium Chalcedonense approbat, et in eo evectionem Anatolii Constantinopolitani excipit. Quid aliud hoc est, nisi absolutum in concilia exercere judicium ? Quòd si quis dicat quòd hujus papæ declarationibus non obstantibus nihilominùs Orientales episcopum Constantinopolitanum pro patriarchâ agnoverint, omisso quòd Nicolaus papa asseveret, imperatorem et Anatolium submississimas desuper huic papæ exarâsse litteras, sufficit quòd totus Occidens illius in hoc judicium sit secutus.

Verùm antequàm Chalcedonense concilium deseramus, respondere oportet prætenso illi Epistolæ S. Leonis in hocce concilio facto examini. Sic ergo argumentantur adversarii : Si concilium Chalcedonense summos pontifices infallibiles credidisset, non utique Epistolam S. Leonis ad Flavianum, priusquàm illam acceptaret, ad examen vocâsset ; atqui illam ad examen vocavit ; ergo episcopi ibidem congregati non credebant summos pontifices esse infallibiles. En objectionem. — Ad quam respondeo 1° quòd verum non sit quòd synodus quæ ex plus quàm quingentis episcopis composita erat, hanc Epistolam, antequàm eam acceptârit, examini subjecerit, eò quòd, prout jam vidimus, quamprimùm de fide tractari cœptum fuit, universum concilium exclamârit, eamdem plenè expositam esse in Leonis papæ Epistolâ, eique omnes subscripsisse. Non ergo concilio adscribi debet quod ad summum nonnisi exiguo hujus synodi episcoporum numero convenire potest. 2° Etsi etiamnum supponeremus, valdè exiguum hujus synodi episcoporum numerum Ecclesiæ traditionem super prærogativas S. sedis ignorâsse, ac consequenter de doctrinâ iis contentâ dubitâsse, quid hoc officeret contra plusquàm quingentos episcopos, qui de iis optimè instructi erant, easque suâ agendi ratione approbabant ac agnoscebant ? 3° Ad hoc ut quis dicere posset, horum paucorum episcoporum dubium infallibilitati summorum pontificum quodammodò obesse necessum foret, ut dubium illud de aliquo puncto in suo vero, ac nativo sensu intellecto circa hujus Epistolæ doctrinam versatum fuisset ; si enim illorum dubium in eo duntaxat constitit, quòd nempe verum hujus Epistolæ sensum non intelligerent, quo explicato, illi se demùm prout alii submiserint, quale præjudicium id infallibilitatis doctrinæ afferre potest ? an ergo licitum non erit petere instructionem super eo quod quis non intelligit ? Atverò certum est quòd dubium horum paucorum episcoporum in eo solummodò fundatum fuerit, quòd scilicet hujus Epistolæ sensum non satis benè comprehenderent, propter linguæ differentiam in quâ scripta erat. « Factum « est autem nobis, inquiunt, certum de Epistolâ « missâ ab ipsius beatitudine à sanctissimis « episcopis Paschasino et Lucentio, qui locum « continent Apostolicæ sedis, qui nobis diluci- « daverunt quæ linguæ obscuritas subnotabat. » 4° Notandum est, quòd hæc dubia non in pleno ibidem concilio dilucidata fuerint, sed tantùm in particulari quodam colloquio cum legatis sanctæ sedis, episcopoque Anatolio habito, qui cùm verum Epistolæ sensum ipsis exposuissent ac inculcâssent, plenè ac omnimodè iisdem etiam satisfecerunt.

Sed dicet fortè aliquis : Hi episcopi aliquid in hâc Epistolâ contineri arbitrabantur, ex quo ratione quarumdam vocum ii qui personam Christi dividebant, fulcimentum sibi adsciscere possent : « Aliqua autem, inquiunt, « nobis ex ipsâ obstiterunt verba, ut partitionem et separationem aliquam demon- « strantia sic volentibus sapere. » Hoc quidem verum est, sed ex hoc ipso infero quòd hi episcopi nil nisi orthodoxum in Epistolâ D. Leonis invenerint, verùm solummodò timuerint, quamvis immeritò, ne Nestoriani quibusdam hujus Epistolæ verbis abuterentur. Quòd si hoc sufficeret ad concludendum hos episcopos non agnovisse papam esse infallibilem, aut illum habuisse fallibilem, idem profectò de conciliis œcumenicis dici posset. Quoties enim in concilio Tridentino accidit, ut cùm definitiones penitùs jam confectæ, ac in chartam conjectæ essent, quidam episcopi, veriti ne aliqui iis abuterentur, effecerint, quatenùs iis quædam verba adderentur, quædam autem rescinderentur, prout videre est in historiâ hujus concilii ? Dicetne exinde aliquis hos episcopos concilia œcumenica infallibilia non

censuisse? an non in hujuscemodi conventibus cuique licitum semper est sua dubia proponere, atque super iis quæ non intelligit elucidationem petere? Etverò quid in causâ fuit, ut Symbolo Nicæno vox *consubstantialis* adderetur? An non quorumdam episcoporum monitio, qui confecto jam Symbolo animadverterunt, quòd hâc voce omissâ, Ariani integrum Symbolum secundùm omnes suos articulos admissuri essent, quin tamen errores suos deponerent? Quamvis igitur quidam termini in Epistolâ D. Leonis addendi aut mutandi fuissent (quod nihilominùs factum non est), id nullum præjudicium Romanorum pontificum infallibilitati afferret, quemadmodùm conciliorum auctoritati nullum affert.

Quis præterea ignorat quòd synodus Constantinopolitana huic Nicæno Symbolo plura addiderit tam quoad Incarnationem quàm divinitatem S. Spiritûs, quin propterea Symbolum Nicænum aut erroris aut insufficientiæ argui possit?

Verùm etsi contra actorum tenorem supponeremus quòd concilium Chalcedonense super doctrinâ in S. Leonis Epistolâ contentâ verum formârit dubium, an tale dubium, cùm constet malè fundatum fuisse, ad infallibilitatem Romanorum pontificum in dubium revocandam aptius foret, quàm dubium de voce *consubstantialis* in concilio Nicæno formatum, ad infallibilitatem conciliorum œcumenicorum in dubium revocandam? Historiæ quippe memoriâ proditum est, quòd ibidem quidam episcopi arbitrati sint hoc termino errori Pauli Samosateni januam iterùm pandi posse, qui nihilominùs acceptâ illius vocis clariori notitiâ absque ullâ cunctatione subscripserunt. An non eâdem ratione dici posset, hos episcopos œcumenica concilia infallibilia non credidisse, quâ diceretur quòd illi de quibus in concilio Chalcedonensi mentio fit, non crediderint papam esse infallibilem, si verum esset, quod tamen non est, quòd hi episcopi super doctrinâ sancti Leonis dubium aliquod habuerint, quod malè fundatum esse ipsis postea demonstratum esset?

En, quantùm arbitror, plus quàm sufficientem enodationem ac elucidationem prætensi illius S. Leonis Epistolæ examinis, ob quod ab aliquot jam annis tantus strepitus ad concludendum Romanos pontifices non esse infallibiles excitatus est. Sed de hoc in sequentibus plura.

Concilium Constantinopolitanum sub Mennâ patriarchâ, agens de contemptu quo Antymus Chalcedonense concilium divique Leonis Epistolas prosequebatur, sic de Leone loquitur: *Qui fuit illuminator et columna Ecclesiæ, quique firmavit fideles, ut ambularent in rectâ semitâ.*

Idem concilium narrat et approbat, quòd Agapetus papa, cùm Constantinopolim appulisset, ibidem Antymum deposuerit, atque hujus civitatis sede expulerit, in quâ hoc solo se tuitus erat quòd imperatori promisisset se ea omnia expleturum, quæ Romanus pontifex mandaret, dedissetque ad alios patriarchas litteras quibus se Apostolicæ sedi per omnia consentire obtestabatur. « Apud ejus sereni- « tatem (sunt verba concilii) fraudulentis ra- « tionibus usus promisit se omnia facturum, « quæcumque summus pontifex magnæ sedis « Apostolicæ decerneret. Et ad sanctissimos « patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apo- « stolicam sedem. » Notandum autem est quòd, cùm Antymus ita loquebatur, non de ejus agendi aut vivendi ratione ageretur, sed de ejus fide, quam ut exponeret, ab imperatore urgebatur. Secundùm mentem ergo imperatoris ac Orientis patriarcharum, submissio omnibus iis quæ ab episcopo Romano definita erant, infallibile catholicitatis argumentum erat. Idem concilium Antymum damnando profitetur se id solùm sequi, quod post examinatam causam Agapetus papa determinârat. Et Mennas patriarcha suo suffragio concilii sententiam confirmans, testatur se id facere intuitu eorum quæ Agapetus jam definierat, etc. « Respi- « cientes, inquit, ad ea quæ placuerunt nuper « sanctæ memoriæ Agapeto papæ antiquæ Ro- « mæ. » Et declarans quòd nihil aliud agat quàm quod sedi Apostolicæ obtemperet, addit quòd omnes eos qui in hujus sedis communione sunt, recipiat, eos autem damnet quos hæc sedes damnavit. « Nos enim, sicut vestra « charitas novit, Apostolicam sedem sequimur « et obedimus; et ipsius communicatores ha- « bemus communicatores, et condemnatos ab « ipsâ et nos condemnamus. » Sic patriarchæ et episcopi Orientis seculo sexto de summis pontificibus censebant ac loquebantur.

Nullam hìc mentionem faceremus de quinto concilio œcumenico, vel ex eo, quòd secundùm D. Gregorium Magnum, non ob fidei negotia, sed solummodò ratione certarum personarum, Theodori Mopsuesteni videlicet, Ibæ et Theodoreti convocatum fuerit; at cùm ex eo adversarii in eâ quæ, cùm de concilio Chalcedonensi ageremus, de Epistolâ S. Leonis ad Flavianum, diximus, objectionem deducant;

eidem respondere partium mearum esse arbitror. Sic igitur habet objectio : In hoc concilio adductâ ex synodo Chalcedonensi Epistolâ S. Cyrilli ad Nestorium, in quâ duodecim illa anathemata continentur, unà et S. Leonis ad Flavianum Epistolâ, relatoque voto eorum qui quoàd hanc Epistolam primi opinati fuerant, Patres quinti concilii addunt quæ sequuntur : « Ex his, quæ recitata sunt, manifestum est, « quomodò sanctæ synodi ea quæ apud eas « proferuntur, probare solent. Cùm enim illi « sanctissimi viri, qui recitatas Epistolas scripserunt, sic splenduerunt, tamen Epistolarum « earum comprobationem non simpliciter, nec « sine inquisitione fecerunt, nisi per omnia « cognovissent consonare eas expositioni et « doctrinæ sanctorum Patrum, ad quam et « collatio facta est. »

Respondeo illud à Patribus quintæ synodi allegatum, è quorum re multùm intererat principium istud supponere, ut inde inferrent Epistolam Ibæ à synodo Chalcedonensi non fuisse approbatam, ad meram facti quæstionem reduci, num videlicet concilium Chalcedonense Epistolam S. Leonis suspenderit, donec examinata atque cum sanctorum Patrum doctrinâ collata fuerit, necne. Atqui jam demonstravimus, quòd, quamprimùm magistratus, seu judices ab imperatore delegati, ut de fide tractaretur, proposuissent, omnes episcopi declarârint non aliâ decisione opus esse quàm S. Leonis Epistolâ, quæ, quid credi oporteret, præscripserat, et quam omnes acceptâssent. Quod ergo postmodùm quilibet episcopus de hujus papæ Epistolâ asseruit, non debet dici acceptatio virtute et ad consequentiam critici cujusdam examinis facta; verùm solummodò magis expressa primæ eorum sententiæ declaratio ex intentione Eutychianistis super hâc famosâ Epistolâ sempiternum imponendi silentium facta. Nec enim quidquam aliud dicunt, quàm quòd hæc D. Leonis Epistola fidei Nicæni Constantinopolitani et Ephesini conciliorum conformis sit, quod quidem primâ fronte perspectum erat, quodque ipsi statim initio animadverterant.

Notandum insuper est, 1° quòd Anatolius, qui primus loquitur, jam longo priùs tempore hanc Epistolam acceptârat ac subsignârat, quippe quem S. Leo tenquàm episcopum Constantinopolitanum agnoscere noluerit, nisi hâc conditione, ut scilicet ante omnia hanc Epistolam acceptaret eique subscriberet; 2° quòd idem dicendum sit de Maximo Antiocheno; cùm enim à pseudosynodo Ephesinâ in sedem Antiochenam evectus fuisset, dubitari nullatenùs potest, quin D. Leo, cui placuerat ejus ordinationem confirmare, ipsum etiam ad subscribendum compulerit; 3° quòd in votis episcoporum quoad hanc Epistolam non agatur de discussionis alicujus examine, invictè ex eo probatur, quòd Paschasinus et Lucentius S. sedis legati idem desuper dicant quod cæteri; certum enim est quòd hi legati suum de hâc Epistolâ judicium nunquàm suspenderint, aut ante illius acceptationem, num sanctorum Patrum doctrinæ concordaret, discusserint.

Quando ergo episcopi declarant hanc Epistolam conformem esse fidei primorum conciliorum, aliud non dicunt, quàm quod nostrâ ætate plures fecerunt episcopi, qui, quamvis Romanum pontificem infallibilem esse sibi omninò persuasum haberent, nihilominùs cùm Constitutionem *Unigenitus* acceptârunt, declarârunt quòd traditioni Ecclesiæ conformis esset. Quemadmodùm enim ineptum foret dicere quòd hi ultimi Bullam *Unigenitus* nonnisi per discussionis viam acceptâssent, suamque acceptationem ante illius examen suspendissent, æquè sanè absurdum foret de Patribus Chalcedonensibus similem velle formare discursum. Quòd si igitur Patres quinti concilii rem aliter sumpserunt, id ideò factum fuisse censendum est, quòd videlicet eò libentiùs hunc sensum amplexi sint, quò magis ac opportuniùs proposito quod de damnandâ Ibæ Epistolâ, sub prætextu quòd Chalcedone sufficienter examinata non fuisset, conceperant, favebat.

Ut denique obstinatioribus satisfiat, hìc addendum est quòd concilium Chalcedonense in suâ ad Martianum imperatorem relatione expressè declaret, « quòd in personâ Romani « episcopi, impenetrabilem in omni errore « propugnatorem Deus providerit, qui veritatem in ultimâ evidentiâ posuerit. » Quòd si ipsius Epistolæ Patrum testimonia addiderint, id solummodò convincendorum Eutychianistarum gratiâ factum fuerit, qui mortali odio hanc Epistolam prosequebantur; de cætero illum (divum nempe Leonem) nec minimum quid in doctrinâ innovâsse. « Confidere nam- « que oportet vestram pietatem, inquiunt, quia « nihil præter fidem, quæ olim à sanctis Patri- « bus annuntiata est, venerabilis pontifex Ro- « manus innovavit, atque ut nulla his qui « apostolicum virum per invidiam lacerare ni- « tuntur, relinquatur occasio, consonantia « Epistolæ ejus sanctorum Patrum testimonia,

« ad certiorem notitiam vestræ pietatis ex mul-
« tis pauca subdidimus. » Si igitur aliqui hujus Chalcedonensis synodi Patres fuerunt, qui S. Leonis Epistolam ut eamdem cum S. Patribus conferrent, discusserint, id unicè ideò factum est, ut nempe Eutychianistis silentium imponerent, qui eam ferre non poterant. Nam, ut eodem loco concilii Patres dicunt : « Creden-
« tibus quidem sufficit ad utilitatem fidei indi-
« scussa perspectio ad confessionem pii dog-
« matis devotos pertrahens animos. His autem,
« qui doctrinam rectam pervertere moliuntur,
« ad singula, quæ malè pariunt, oportet occur-
« rere. » Eodem intuitu eâdemque intentione D. Leo Proterio episcopo Alexandrino scribens cupiebat ut non modò suam Epistolam, sed etiam illa Patrum testimonia, quæ ei addita fuerant, publicè legi faceret.

Modò concilium sextum œcumenicum attigimus, in quo Honorius papa unà cum auctoribus hæresis Monotheliticæ damnatus fuit. Qui Romanorum pontificum infallibilitatem impugnant, ex hoc concilio inferunt, vel summos pontifices non esse infallibiles, vel saltem hujus concilii Patres ipsosque Romanos pontifices, qui illud confirmârunt, tales haud censuisse. Ad resolvendam ac diluendam hanc objectionem, non sufficeret Honorium à Monothelitarum hæresi liberare, prout plures veteres scriptores fecerunt, inter quos fuit S. Maximus Martyr, qui ipso concilii sexti tempore floruit, et hodiedùm adhuc faciunt omnes fermè theologi, iique ipsi qui infallibilitatem impugnant, prout videre est in thesibus anno 1723 in conventu cleri Gallicani defensis; id enim primam tantummodò objectionis partem solveret, semperque regeri posset quòd saltem concilium sextum censuerit Romanos pontifices hæresim aliquam invehere ac tueri posse.

Respondeo igitur quòd hæc objectio nullatenùs me respiciat, nec vel in minimo quæstionem, quam hìc post cardinalem Bellarminum, illosque qui infallibilitatem propugnant, tracto, attingat. Ut ex eâ contra me quidquam concludi posset, necessum foret ut Honorii Epistola decretalis fuisset ad universam Ecclesiam directa, in quâ hæresis tanquàm articulus ab omnibus fidelibus credendus proposita fuisset. Verùm id non ita se habuit : hæc enim Honorii Epistola nihil aliud fuit quàm particulare quoddam responsum alicui episcopo Constantinopolitano factum, in quo Honorius in laqueum, quem ipsi patriarcha ille tetenderat, incidit, approbando, videlicet, ut unius aut binæ operationis in Christo Jesu vocabula supprimerentur. Quæstionem igitur quam ego hìc tracto, hæc objectio non concernit. Inter omnes convenit quòd papa tanquàm doctor privatus non tantùm errorem approbare, sed et in hæresim prolabi, sicque hæreticus fieri possit, non verò cùm tanquàm summus pontifex articulum aliquem toti Ecclesiæ credendum proponit. In primo ergo sensu Patres concilii sexti in suâ damnatione Honorium Monothelitis miscuerunt.

Nec nobis quis dicat quòd hæc distinctio primùm nunc et à paucis diebus adinventa sit, ad molestiam, videlicet, quam infallibilitatis propugnatoribus objectiones ex quorumdam summorum pontificum Epistolis hæresim sapientibus desumptæ facessunt, declinandam. Nam præterquàm quòd hæc distinctio in se ipsâ rationabilis sit, sufficit quòd quæstio de infallibilitate se tantùm teneat ex parte decisionum Romanorum pontificum toti Ecclesiæ propositarum; damnatio autem à concilio facta, in responsum unius papæ cuidam priva to episcopo datum, solummodò cadat.

Præterea hæc distinctio nova non est, seu primùm nostris enata diebus, utpote quâ ante quadringentos jam annos universa Francica natio usa fuit in scripto quodam Clementi V papæ adversùs Bonifacium oblato. Sic ergo natio Gallica in dicto scripto loquitur : « Non
« quæritur de hæresi papæ quondam ut papæ,
« sed ut privatæ personæ, nec ut papa potuit
« esse hæreticus, sed ut privata persona. Nec
« unquàm aliquis papa ut papa potuit esse
« hæreticus, et ideò cùm de ejus mortui hæ-
« resi quæritur, non habet congregari concì-
« lium generale. Estis enim vos, pater sanctis-
« sime, Jesu Christi vicarius, totum corpus Ec-
« clesiæ repræsentans, qui claves regni cœlo-
« rum habetis, nec congregatum totum gene-
« rale concilium sine vobis et nisi per vos posset
« cognoscere. » Ita seculo 17 Gallia loquebatur.

Ex his, ut id per transennam tantùm dicam, apparet ineptia auctoris scripti cujusdam anno 1719 in-4° impressi; qui auctor, ut probaret Romanos pontifices non esse infallibiles, allegat quòd Galli Bonifacium papam VIII hæresis accusârint, quòdque secundùm dominum Fleury primùm seculo 15 doctores cœperint de infallibilitate Romanorum pontificum loqui. Enimverò ex his verbis, quæ primùm retuli, satis abundè liquet quòd jam initio seculi 14 firma constansque opinio fuerit, summos pontifices ut summos pontifices esse

infallibiles atque totum Ecclesiæ corpus repræsentare, nec concilia quidquam nisi cum illis ac per illos determinare posse. Adeòque prætensam illam Bonifacii VIII hæresim, ipsis ultrò fatentibus Gallis, illum nonnisi tanquàm privatam personam, non verò ut papam respexerit.

Ut igitur ad concilium sextum redeamus, firma probatio constansque argumentum, quòd, cùm Honorium damnavit, eum non aliter quàm ut privatam personam particularemque auctorem respexerit, habetur ex eo quòd Agatho papa in Epistolâ ad imperatorem Constantinum Pogonatum, in ipso concilio relatâ illiusque actis insertâ, expressis verbis infallibilitatem summi pontificis doceat, quòdque hujus concilii episcopi in suâ ad imperatorem relatione hanc Epistolam laudibus cumulârint, quin vel unus eorum contradixerit, aut ea quæ Agatho de infallibilitate successorum D. Petri in illâ expresserat, in dubium revocârit. Sic igitur hic papa imperatorem alloquitur: « Porrigere dignemini clementissimam dexteram apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum B. Petrus Apostolus tradidit, non ut sub modio condatur, sed tubâ clariùs in toto orbe prædicetur, quia ejus vera confessio à Patre de cœlis est revelata, pro quâ à Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus, qui et spiritales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit; cujus annitente præsidio hæc apostolica ejus Ecclesia nunquàm à viâ veritatis in quàlibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem, utpote Apostolorum principis, semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiæ Christi lumiaria claruerunt, et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti. » Ex hoc loco patet 1° quòd nullus unquàm pontifex summus in fide errârit; 2° quòd omnia concilia etiam generalia sedis Apostolicæ doctrinam fideliter secuta sint; 3° quòd idem omnes sancti doctores præstiterint, quòdque ideò solùm in Ecclesiâ claruerint, quia tanquàm fideles discipuli eamdem amplexi fuerunt; 4° quòd hæ S. sedis prærogativæ confessionis D. Petri, necnon auctoritatis in hujus confessionis præmium super universam Ecclesiam traditæ effectus sint.

Verùm, ne fortè quis eò mentem abducat, ut asserere non vereatur, Agathonem papam de tempore jam præterlapso, non autem de futuro tunc locutum fuisse, ad destruendam hanc chimæricam prætensionem, nihil requiritur aliud quàm ut ea adducantur quæ paulò post idem Agatho subjungit: « Hæc est enim, inquiens, veræ fidei regula, quam et in prosperis, et in adversis, vivaciter tenuit ac defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquàm errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibatâ fide tenùs permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliis fatus est: *Petre, Petre,* inquiens, *ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum; quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divinâ dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. » Non video, quâ ratione quidquam expressius ad stabiliendam perpetuam summorum pontificum infallibilitatem isto S. Agathonis testimonio desiderari posset. Illud tamen cum applausu lectum ac receptum fuit in concilio sexto œcumenico, eique dictum concilium saltem per tacitum consensum acquievit, quod secundùm omnes Catholicos sanctique Augustini placitum sufficit. *Ecclesia* (inquit hic S. doctor lib. 3 contra Crescon.) *errores* (contra fidem) *nec patitur, nec tacet, nec facit.*

Conformiter ad hanc doctrinam et fidem Agatho in memoratâ Epistolâ declarat se suis legatis in mandatis dedisse ut simpliciter sedis Apostolicæ fidem intimarent cum expressâ prohibitione, ne vel minimum illi adderent vel mutarent. « Licentiam proinde eis, inquit, sive auctoritatem dedimus, apud tranquillissimum vestrum imperium, dùm jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quan-

« tum eis duntaxat injunctum est, ut nihil « profectò præsumant augere, minuere, vel « mutare; sed traditionem hujus Apostolicæ « sedis, ut à prædecessoribus apostolicis pon- « tificibus instituta est, sinceriter enarrare. » Ex his apparet quòd summi pontifices suos legatos ad œcumenica concilia ideò miserint, ut ibidem videlicet legem ferrent, non verò à concilio acciperent; quod tamen ideis quas moderno tempore quidam theologi sibi formant, nobisque obtrudere volunt, valdè contrarium est. Videri etiam potest Epistola concilii Romani, in quâ idipsum, quod Agatho, hujus concilii episcopi repetunt, per quod satis apertè liquet quòd Oriens et Occidens ad agnoscendas S. Sedis prærogativas æqualiter tunc concurrerint. Unicum hìc Epistolæ hujus locum refero; sic ergo inter alia loquuntur memorati concilii Romani Patres: « Nos autem, « licet humillimi, summis viribus enitimur, ut « christiani vestri imperii respublica, in quâ « B. Petri Apostolorum principis sedes fundata « est, cujus auctoritatem omnes christianæ « nobiscum nationes venerantur et colunt, « per ipsius B. Petri reverentiam omnium « gentium sublimior esse monstretur. Personas « autem de nostræ humilitatis ordine prævidi- « mus dirigere ad vestræ Deo protegente « fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrùm, « id est, omnium per septentrionales vel occi- « duas regiones suggestionem, in quâ et Apos- « tolicæ nostræ fidei confessionem prælibavi- « mus, afferre debeant, non tamen tanquàm de « incertis contendere, sed ut certa atque im- « mutabilia compendiosâ definitione proferre. »

Notandum etiam est, quòd octavâ sexti hujus concilii actione, ubi quilibet episcopus mentem suam exponit, nihil aliud agant quàm ut quisque illorum in particulari declaret quòd illud sequatur, quod Agatho papa quoad quæstionem duarum voluntatum ac operationum imperatori rescripserat. Sic inter alia loquitur Domitius episcopus Prusiados: « Sug- « gestiones directas à patre nostro Agathone « sanctissimo archiepiscopo apostolicæ et prin- « cipalis sedis Romæ, ad à Deo coronatum et « mansuetissimum nostrum dominum et ma- « gnum Victorem imperatorem, tanquàm ex « Spiritu sancto dictatas per os sancti ac bea- « tissimi principis Apostolorum Petri, et digito « prædicti ter beatissimi Agathonis scriptas « suscipio et amplector, et ita credo, ita sen- « tio. » In sermone denique acclamatorio ad imperatorem, sic universa synodus loquitur: « Summus autem nobis concertabat Apostolo- « rum princeps; illius enim imitatorem et sedis « successorem habuimus fautorem, et divini « sacramenti mysterium illustrantem per litte- « ras. Confessionem tibi à Deo scriptam, illa « Romana antiqua civitas obtulit, et dogmatum « diem ab occiduis partibus exattulit, charta et « atramentum videbatur, et per Agathonem « Petrus loquebatur. »

Ut modò ad concilium Nicænum secundum, quod septimum œcumenicum est, veniamus, non minùs constat legem in illo tulisse papam Adrianum, ejusque definitionem præscripsisse, cui definitioni universa Græca Ecclesia numero trecentorum quinquaginta episcoporum acquievit. Nam 1° hic papa imperatori Constantino ac Irene imperatrici scribens, ante omnia postulat ut in præsentiâ suorum legatorum pseudo-synodo, quæ sacras imagines damnaverat, anathema diceretur, tam ob impietatem decisionis ipsius, quàm quia absque consensu Ecclesiæ Romanæ congregata fuerat: « In primis, inquit, pseudo- « syllogum illud quod sine Apostolicâ sede « enormiter et irrationabiliter, nequiterque « contra sanctorum venerabilium Patrum tra- « ditionem de sacris imaginibus actum est, « anathematizetur, præsentibus missis no- « stris. »

2° Adrianus papa in eâdem Epistolâ, postquàm suæ sedis prærogativas super hæc Evangelii verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., stabilivit, asserit, per hæc verba S. sedem super omnes totius orbis Ecclesias constitutam fuisse, divumque Petrum suum principatum semper adhuc exercere. « Cujus « sedes, inquit, in toto orbe terrarum primatu « fungens, caput omnium Dei Ecclesiarum « constituta est. Et quemadmodùm B. Petrus « Apostolus per Domini præceptum regens « Ecclesiam nihilominùs subsequenter et tenuit « semper, et retinet principatum. »

3° Quòd ad Ecclesiam Romanam pertineat cuncta concilia suâ auctoritate confirmare. « Quod præceptum universalis Ecclesiæ nul- « lam magis oportet exequi sedem, quàm pri- « mam, quæ unamquamque synodum et suâ « auctoritate confirmat, et continuâ modera- « tione custodit. »

4° In ejusdem papæ Epistolâ ad Tarasium patriarcham, postquàm ab illo exegisset ut sedis Apostolicæ super universam Ecclesiam

principatum agnosceret, hujusque Ecclesiæ fidem ex intimo cordis reciperet : « Cui si « adhærere cupit vestra sanctitas, et nostræ « Apostolicæ sedis, quæ est caput omnium « Ecclesiarum Dei, sacram et orthodoxam for- « mam incorruptè atque incontaminatè ex pro- « fundo cordis et sinceritate mentis custodire « studet, ut reverà orthodoxa et Dei ultrix « existens, » insuper vult, ut ante omnia suo nomine ab imperatoribus postulet, quatenùs sacras imagines restituant, aliàs se illius ordi- nationi haud consensurum esse : « Si autem « sacras imagines illis in partibus non restitue- « rent, consecrationem vestram recipere non « audemus. »

5° Lectis in synodo Adriani tam ad imperatorem quàm patriarcham Tarasium litteris, hanc petitionem hujus papæ legati fecerunt : « Dicat nobis, inquiunt, sanctissimus patriar- « cha Tarasius regiæ civitatis, si consentiat « litteris sanctissimi papæ senioris Romæ « Adriani, an non? Ad quæ Tarasius respon- « det quòd, cùm Apostolus Paulus ad Romanos « scribens dixerit quòd ipsorum fides annun- « tiata esset in universo mundo, hoc testimo- « nium sequi necessarium sit, inconsultèque « agat, qui huic conatur resistere. » Cùmque iidem papæ legati etiam ab ipsâ synodo quæ- siissent, num et illa Adriani litteras reciperet, respondit illa, se eas recipere, sequi ac admit- tere : « Sancta synodus dixit : Sequimur, « suscipimus et admittimus. » Post quæ, cùm quilibet episcopus opinatus fuisset, non aliud cuncti effati sunt, quàm quòd credant ac con- fiteantur id quod S. papa Adrianus in suis litteris docuit. Imò unus ex illis apertè ac in- genuè declarat hasce Adriani papæ litteras esse ultimum ac divinum orthodoxæ fidei termi- num. « Joannes episcopus Tauromensiæ dixit: « Cùm veluti divinus orthodoxiæ terminus sint « litteræ quæ ab Adriano papâ senioris Romæ « ad piissimos imperatores, necnon ad Tara- « sium.... missæ sunt, ita profiteor, suscipiens « sacras iconas secundùm antiquam traditio- « nem Ecclesiæ catholicæ. » Quem cæteri omnes dein *similiter* (prout concilium ipsum loquitur) secuti sunt.

6° Tarasius, in Epistolâ ad episcopos pa- triarchatuum Antiocheni et Alexandrini, trium patriarcharum ipsisque subditorum episcopo- rum, qui sub infidelium dominio erant, absen- tiam, quòd voluntaria non fuisset, nullum concilio præjudicium afferre asserit, eò quòd idem in concilio sexto evenisset, à quo nihilo- minùs veritas statuta ac definita fuisset, eò quòd apostolicus papa Romanus synodi con- vocationi consensisset, atque in eâ per suos legatos præsedisset. « Sed nullum ex hoc san- « ctæ adhæsit synodo præjudicium ; neque « vires habuit prohibitio aliqua statuendi et « manifesta faciendi recta dogmata pietatis, « præcipuè cùm sanctissimus et apostolicus « papa Romanus concordaverit, et in eâ inven- « tus per apocrysarios suos sit. »

Qui infallibilitatem summorum pontificum agnoscere renuunt, ex hoc concilio eamdem impugnandi ansam arripere conantur, sicque argumentantur : Postquàm Adrianus papa I, qui hoc concilium coegerat, eique per suos legatos præsederat, illud confirmâsset, illius acta ad Franciæ ac Germaniæ episcopos misit, ut etiam ab ipsis reciperetur. Hi episcopi in synodo Francofordiensi curante Carolo Magno congregati, non modò illud recipere nolue- runt, sed prorsùs damnârunt ; atqui, aiunt adversarii, non ita egissent, si papam infalli- bilem censuissent ; ergo illum non censuerunt infallibilem, etc. En objectionem.

Sed molestum sanè esse debet iis qui huic summorum pontificum privilegio adversantur, quòd nobis nonnisi homines qui in errore fuerunt, objicere valeant. Modò quoad cele- brationem paschæ, nobis objiciunt Polycratem Ephesiorum episcopum ; modò quoad bapti- smum, S. Cyprianum et Firmilianum ; modò quoad gratiam, Pelagianos ; modò iterùm quoad pascha, S. Columbanum ; nunc autem episcopos concilii Francofordiensis. Hæ sunt illæ scaturigines, è quibus speciosa ac præ- clara scilicet sua adversùs summorum pontifi- cum infallibilitatem argumenta hauriunt ad- versarii.

Respondeo ergo synodi Francofordiensis ob- jectioni, quòd si ad rigorem de mente hujus sy- nodi Patrum ratiocinari quis vellet, eâdem, imò potiori ratione dicere posset, quòd œcumenica concilia non censuerint infallibilia, quàm ut hanc adversùs summos pontifices conclusionem deduceret : notandum enim est, 1° quòd nul- latenùs de papâ locuti fuerint, et quòd nonnisi quoad concilium mentem suam exposuerint, cujus doctrinam, quam non capiebant (utpote cùm illud criminarentur, quòd sanctis imagi- nibus eumdem cum illo, qui sanctissimæ Tri- nitati tribuitur, cultum præscripsisset) dam- nârunt. Ergo censuerunt, inferre quis posset, quòd concilium œcumenicum in quâdam fidei definitione errare possit, et quidem enormiter.

Eò planè objectio ex hoc concilio eruta deduceret, quòd utique auctoritatem conciliorum œcumenicorum eversum iret. 2° Hi episcopi insuper errabant in jure, eò quòd cultum imaginibus per prostrationes, oscula et incensationes exhibitum damnarent, quamvis illum respectu crucis, libri Evangeliorum ac sanctarum reliquiarum nihilominùs approbarent; imò videbantur imagines absolutè rejicere, cùm, ut libris Carolinis habetur, id neque in veteri Testamento, neque in novo præcipi affirmarent.

Ad excusandos igitur hujus synodi Patres dicendum est, eos credidisse Adrianum papam, antequàm concilium Nicænum II confirmâsset, illius acta, ut ab ipsis examinarentur, illis transmisisse, et quia arbitrati fuerunt, inibi idololatriam renovari, eò quòd imaginibus cultus supremus tribueretur ac præscriberetur, longè abfuit, ut illud approbarent, quin potiùs omninò damnârint. Hanc ipsorum mentem ac dispositionem fuisse persuasum facit, quòd difficultates suas in opus quoddam redegerint, quod *Librorum Carolinorum*, nomine postmodùm nuncupatum est, eò quòd Carolus Magnus illud ad papam transmittendi provinciam in se susceperit, atque etiam de facto per abbatem Engelbertum transmiserit.

Ut autem Adrianus papa hocce opus recepit, statim imperatori respondit, et quatenùs intelligeret, quòd potiùs S. sedi quàm erroneis, quibus hi libri scatebant opinionibus adhærere teneretur, à stabiliendâ suæ sedis auctoritate initium sumit his verbis : « Evangelium scien- « tibus liquet quòd voce Dominicâ sancto et « omnium Apostolorum principi Petro claves « regni cœlorum, et totius Ecclesiæ cura com- « missa est. Ipsi quippe dicitur : *Petre, amas me?* « *Pasce oves meas.* Ipsi dicitur : *Ecce Satanas* « *expetivit cribrare vos sicut triticum, et ego pro* « *te, Petre, rogavi, ut non deficiat fides tua. Et* « *tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* « Ipsi dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc pe-* « *tram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ in-* « *feri non prævalebunt adversùs eam : et tibi dabo* « *claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris* « *super terram, erit ligatum et in cœlo; et quod-* « *cumque solveris super terram, erit solutum et in* « *cœlo.* Ecce cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur, et ipse vices suas vicariis « suis pontificibus relinquere dignoscitur Ec- « clesiæ curam gerendi. » Inde ad opus quod contra concilium Nicænum fabricatum fuerat, gradum faciens, ei se respondere ait, non ut ullum hominem defendat, sed ut antiquam Ecclesiæ Romanæ traditionem sequatur, atque suorum prædecessorum Romanorum pontificum doctrinam tueatur : « Non quemlibet, « absit, hominem defendentes; sed olitanam « sanctæ catholicæ apostolicæ Romanæ Eccle- « siæ tenentes, priscam prædecessorum nostro- « rum sanctorum pontificum sequimur doctri- « nam, rectæ fidei traditionem modis omnibus « vindicantes. »

In contextu dein Adrianus, postquàm demonstrâsset quòd ad damnandos Iconoclastas sui prædecessores concilia tenuissent, quòdque ipse, nisi hæc hæresis fuisset, convocationi Nicæni concilii nullatenùs consensisset, p. 956 : « Neque nos postmodùm fieri annueremus, nisi « pro tot millibus animarum, quæ in hæresi « manentes, et quotidie in eam deficientes, in « laqueo periclitabantur diaboli; » post hæc, inquam, hisce suam supremam in Ecclesiâ auctoritatem demonstrat : « Et idcircò nequa- « quàm nos quispiam terminos patrum nostro- « rum transgredi facere valebit, neque novita- « tes vocum imponere; sed in eâ orthodoxâ « fide quam suscepimus manentes, et olitanam « traditionem amplectentes, prædecessorum « nostrorum sanctissimorum pontificum (Ro- « manorum) procul dubio veneramur et tene- « mus pro sacris imaginibus concilia, nullum « quemlibet jam exinde contrarium sermo- « nem suscipientes, neque rationem redden- « tes. »

Idem Papa postmodùm ad concilium Nicænum regressum faciens, illud ipso mandante coactum fuisse asserit : « Sic synodum istam « secundùm ordinationem nostram fecerunt, « et in pristino statu sacras venerandas imagi- « nes erexerunt. » Quòd Græci ibidem nihil aliud egerint, quàm quòd fidem, quam ipse eis præscripserat, professi sint. « Et sicut de imagi- « nibus S. Gregorii sensum et nostrum conti- « nebatur, ita et ipsi in eâdem synodo defini- « tionem confessi sunt, his osculum et hono- « rabilem salutationem reddidêre. » Quòd hâc de causâ istud concilium admiserit et confirmârit, ut per hoc impediret, ne Græci, qui antea sacras imagines aboleverant, ad vomitum redirent : « Et ideò ipsam suscepimus syno- « dum; nam si ipsam minimè recepissemus, et « ad suum priorem vomitum fuissent reversi, « quis pro tot millium animarum Christiano- « rum interitu habuit reddere rationem ante « terribile divini judicis examen, nisi nos so-

« lummodò? » Et hæc sunt, quæ ratione concilii Francofordiensis, à quo œcumenica VII synodus damnata fuerat, Carolinorumque Librorum gesta fuêre.

Ab hoc tempore, quamvis Franciæ episcopi aliquanto adhuc tempore sub falso prætextu quòd Adrianus sententiam mutâsset, in hujus concilii Nicæni rejectione perstiterint, tamen postmodùm se auctoritati summorum pontificum subdiderunt, imaginum cultum, prout definitus fuerat, receperunt, Nicænumque concilium tam in Galliâ quàm Germaniâ sicut alibi pro concilio œcumenico habitum et agnitum fuit. Ita ut objectio quæ contra infallibilitatem summorum pontificum ex concilio Francofordiensi adducitur, potiùs è contrario pro eâ faciat, eamdemque probet ac demonstret.

Verùm antequàm à concilio Francofordiensi discedamus, partium mearum esse censeo, priùs adnotare, quòd, cùm istud concilium Elipando archiepiscopo Toletano Felicique episcopo Urgellensi, qui Nestorii hæresin renovabant, anathema dixisset, necnon eâdem sententiâ omnes eos qui eorum errorem sectarentur, perstrinxisset, jus tamen ultimatò de rebus fidei judicandi summis pontificibus competere agnoverit; hæc quippe suæ definitioni, ac sententiæ subjunxit, p. 1011 : « Reservato « per omnia juris privilegio summi pontificis « Domini et Patris nostri Adriani primæ sedis « beatissimi Papæ. » Sic concilium, quod seipsum *plenariam synodum* nuncupabat, loquebatur.

Tandem ad octavum œcumenicum concilium, quod quartum Constantinopolitanum est, pervenimus : de hoc concilio dici potest quòd, si suprema Romanorum pontificum potestas in aliis conciliis manifestata fuit, in isto singulari ac peculiari quodammodò effulserit, cùm eâ solummodò ratione coactum fuisse videatur, ut nempe latæ per Romanos pontifices Nicolaum I et Adrianum II, contra usurpatorem Photium, atque in favorem legitimi Constantinopolitani patriarchæ Ignatii sententiæ executioni mandarentur. Totum mihi describendum foret concilium, si ea omnia referre vellem, quæ in eo S. sedis privilegia commendant; mihi igitur sufficiet, quædam quoad præcipua ejusdem concilii loca adnotâsse.

1° Statim in ipso hujus concilii exordio, et quamprimùm patriarcharum Orientalium legati credentiales suas produxerunt, S. sedis legati formulare quoddam Romani pontificis protulerunt, in quo Photii damnatio, atque patriarchæ Ignatii restitutio continebatur, nec non ante omnia postulârunt, ut omnes ac singuli concilii episcopi, hujus formularis apographum ipsi conscriberent, subsignarent, ac iterùm eisdem legatis redderent. Quod accuratè peractum fuit. In hoc autem formulari, præter ea quæ modò retuli, summus pontifex concilii episcopis infallibilitatem S. sedis his terminis ob oculos ponit ac demonstrat, p. 958 : « Quia non potest Domini nostri Jesu Christi « prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus,* « *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam* « *meam;* hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur « eventibus, quia in sede Apostolicâ immaculata est semper catholica reservata Religio, « et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo « fide atque doctrinâ separari minimè cupientes, et Patrum et præcipue sanctorum sedis « Apostolicæ præsulum, sequentes in omnibus « constituta, anathematizamus omnes hæreses, « simul cum iconomachis. »

En infallibilitatem summorum pontificum in promissione Christi fundatam, in concilio œcumenico luculenter stabilitam, atque ab omnibus catholicis Orientis episcopis apprimè cognitam. Cavillentur post hæc super hâcce S. sedis prærogativâ adversarii, quantùmcumque eis placuerit, nunquàm tamen evertere ac destruere poterunt, quod à generali concilio stabilitum est, et de quo quilibet episcopus in propriâ personâ, ac præsentiâ actuali professionem fidei edidit; imò id ipsum sub ejusdem formularis finem repetitur. Postquàm enim episcopi declarâssent, quòd patriarcham Ignatium reciperent ac venerarentur, prout ipsis à sede Apostolicâ injunctum fuerat, hæc addunt : « Quoniam, sicut prædiximus, sequentes in « omnibus Apostolicam sedem, et observantes « in omnia ejus constituta, speramus, ut in unâ « communione, quam sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in quâ est integra, et « vera christianæ Religionis soliditas, promittentes etiam, sequestratos à communione Ecclesiæ catholicæ, id est, non consentientes « sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra « recitanda non esse mysteria. Hanc autem « professionem meam ego ille episcopus manu « meâ scripsi, et tibi sanctissimo, ac ter beato, « ac coangelico nostro summo pontifici, et universali papæ Adriano, per legatos tuos.... « obtuli, mense illo, die illo, indictione « quotâ. »

Equidem verum est quòd in Græcis hujus

concilii exemplaribus, quæ habemus, hæc fidei professio decurtata, ac truncata sit, potioraque, quæ modò retulimus, in eis non inveniantur. At id fraude posteriorum Græcorum evenit; nam Anastasius Bibliothecarius, qui tunc imperatoris Ludovici II Constantinopoli legati munere fungebatur, quique ante S. sedis legatorum reditum unum etiam hujus concilii Græcum exemplar Romam attulit, illudque fideliter in Latinum, prout adhuc hodiè illud habemus, vertit, narrat quòd, postquàm Græci unusquisque in particulari formulari subscripsissent, illudque omnes Apostolicæ sedis legati reconsignâssent, quidam ex eis secretò patriarcham Ignatium ac imperatorem Basilium adierunt, ipsosque admonuerunt quòd malè egissent, Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ tam validè subjiciendo : « Non benè factum fuisse (sunt « verba Anastasii) quòd Ecclesiam Constan- « tinopolitanam tantâ subjectione Romanæ « subdi Ecclesiæ permiserint, ita ut hanc ei « tanquàm dominæ ancillam tradiderint. » Quibus permotus imperator, ex ipsâ legatorum domo, ipsis quidem ignorantibus ac absentibus, horum formularium partem auferri curavit. Quod cùm legati advertissent, desuper querelas suas ad Basilium deportârunt, ac postquàm ipsi declarâssent, se non audere sine istis instrumentis Romam reverti, omni semotâ dissimulatione asseruerunt, hoc furtum à nullo alio, quàm ab iis quos ipsis imperator ad custodiam dederat, committi potuisse. Imperator legatos, qui aliàs procul dubio concilium abrupissent, Romamque reversi essent, contristare ac irritare nolens, ipsis isthæc formularia, ad unum omnia reddi fecit, quæ cùm legati recepissent, Anastasio consignârunt, qui ea Romam asportavit, papæque extradidit; et quia ab ipso concilii, in quo hoc formulare refertur, versionem habemus, nullus dubitandi locus est, quin fidele, omnibusque iis quæ in dicto concilio actitata fuerunt, conforme sit. Cæterùm istud formulare in nullo differt ab illo quod à Græcis, ipsoque imperatore Constantinopolitano tempore Hormisdæ papæ jam subsignatum fuerat, prout in sequentibus à nobis dicetur.

2° Actione secundâ, refertur definitio à legatis patriarchatuum Antiocheni et Jerosolymitani facta Constantinopoli, in quâ dicunt quòd, cùm Acta concilii Romani sub Nicolao papâ litterasque ejus successoris Adriani præ manibus habeant, non arbitrentur, se diutiùs reddendæ Ecclesiæ tranquillitati moras nectere debere; quapropter declarent ac definiant, quòd totus terrarum orbis, quoad contentiones in Ecclesiâ Constantinopolitanâ motas, in omnibus obedire, atque se definitionibus ac decretis beatissimi papæ Nicolai submittere teneatur. « Est igitur (inquiunt) à « nobis editum et sancitum, de negotiis quæ « nunc mota sunt, ut omnimodis obsequantur « et obediant definitionibus et decretis beatis- « simi papæ Nicolai omnes homines. » Quæ cùm in concilio publicè lecta fuissent, cuncti episcopi ea se approbare professi sunt : « Sancta synodus exclamavit : Placet omni- « bus. »

3° Actione tertiâ, in quâ Ignatii ad Nicolaum papam epistola refertur, postquàm hic patriarcha inter alia dixisset quòd ars ad curandos corporis morbos medium adinvenisset multiplicandi medicorum numerum, sic ad papam orationem convertit : « Earum verò « quæ sunt in membris Christi et Dei Salva- « toris omnium nostrûm capitis, et sponsæ « catholicæ, et apostolicæ Ecclesiæ, unum « et singularem præcellentem et catholicissi- « mum medicum ipse princeps summus, et « fortissimus sermo, et ordinator, et curator, « et solus ex toto Magister Deus omnium pro- « duxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem « et paternam almitatem; propter quæ dixit « Petro magno, et summo Apostolorum : *Tu* « *es Petrus, et super hanc petram ædificabo* « *Ecclesiam meam.* Et iterùm : *Tibi dabo cla-* « *ves regni cœlorum. Et quodcumque solveris su-* « *per terram, erit solutum et in cœlis.* Tales « enim beatas voces non secundùm quamdam « utique sortem Apostolorum principi solùm « circumscripsit et definivit; sed per eum ad « omnes qui post illum secundùm ipsum effi- « ciendi erant summi pastores, et divinissimi « sacrique pontifices senioris Romæ, transmi- « sit, et ideò ab olim et prisco tempore in « exortis hæresibus et prævaricationibus era- « dicatores et peremptores malorum zizanio- « rum, et tabefactorum et penitùs insana- « bilium ægrotantium membrorum, multi « multoties facti sunt, eorum qui sanctitatem, « et summam paternitatem tuam illic præces- « serunt; successores scilicet principis Apos- « tolorum, et illius zelum in fide, quæ secun- « dùm Christum est, imitantes, et nunc « nostris temporibus beatitudo tua dignè « tractavit datam sibi à Christo potestatem. »

Ex his verbis à concilio generali adoptatis

eadem prorsùs quæ in formulari, de quo superiùs mentionem feci, habentur. Nam 1° S. sedis Apostolicæ privilegia fundantur super promissiones Christi in famosis illis Evangelii textibus. 2° Hæ promissiones factæ fuerunt beato Petro pro se et suis in Ecclesiâ Romanâ successoribus. 3° Per has promissiones Romani pontifices modo peculiari et excellenti constituti sunt medici Ecclesiæ. 4° Ad hoc à Christo catholicitatem in superlativo gradu receperunt. 5° Virtute harum promissionum ac munerum, quæ receperunt, hæreses suis temporibus suscitatas destruxerunt ac exterminârunt, quod vi potestatis sibi à Christo traditæ præstare semper continuant. Hisce profectò nihil accuratius pro stabiliendâ infallibilitate summorum pontificum desiderari posse arbitror.

4° Cùm magistratus, qui nomine imperatoris concilio intererant, petiissent, ut Photii adhærentes intromitterentur, ad percipiendum, nùm iis quæ concilium definiturum erat, se subdere vellent, papæ legati huic petitioni se opposuerunt, asserentes, eos jam esse à Nicolao papâ damnatos, atque secundùm canones judicia Romanorum pontificum abrogari vel rescindi non posse; ad summum igitur intromitti eos posse, ad papæ videlicet sententiam percipiendam. Quod acceptatum fuit. « Nobis, inquiunt papæ legati, non licet « rescindere judicium sacrorum Romanorum « pontificum; hoc enim contrarium est cano- « nicis institutis... Verùmtamen ut manifes- « tiorem eis justam judicationem S. Romanæ « Ecclesiæ faciamus, ingrediantur, et exau- « diant legi synodicas definitiones et judicia « beatissimi papæ Nicolai, et certificentur « magis ac magis. »

5° Eâdem actione referuntur epistolæ duæ Nicolai papæ ad imperatorem, quibus summè applauserunt, easque acceptârunt omnes concilii episcopi. Sic autem primam orditur Nicolaus epistolam. « Principatum divinæ « potestatis, quem omnium Conditor electis « suis Apostolis largitus est, super solidam « fidem principis Apostolorum, Petri videli « cet, soliditatem constituens, ejus egregiam, « imò primam sedem deliberavit. Nam voce « dominicâ ipsi dictum est : *Tu es Petrus, et « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, « et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* « Petrus denique à firmitate petræ, quæ « Christus est, structuram universalis Eccle- « siæ inconcussam et fidei robore solidatam, « ita precibus suis munire non cessat, ut « errantium vesaniam rectæ fidei normâ re- « formare festinet, necnon intrepide eam « consocians, reunire procuret, quatenùs « portæ inferi malignorum utique spirituum « suggestiones atque hæreticorum impetus « non prævaleant ejusdem Ecclesiæ unitatem « refringere. » Et inferiùs ipsum imperatorem alloquens : « Ad ejus etenim (Apostolicæ tra- « ditionis) sicut ipsi scitis, inquit, integrita- « tem observationis, multoties conventus fue- « rit SS. Patrum, à quibus et deliberatum, ac « observatum extitit, qualiter absque Romanæ « sedis, Romanique pontificis consensu nul- « lius insurgentis deliberationis terminus da- « retur. »

En semper sedem Apostolicam super fidem beati Petri divinitùs fundatam, super fidem, inquam, in hâc sede permanentem, quæ, cùm semper recta ac firma sit, regula est, quâ universa catholica Ecclesia in unitate conservatur, interorumque portas, hæreses nempe, vincit. Quæ denique talis et tanta est, ut absque hujus sedis episcoporum consensu nihil in Ecclesiâ determinari possit, prout ipsâ concilia sæpiùs fassa sunt et agnoverunt.

In alterâ verò epistolâ ipsum imperatorem laudat quòd ad emergentia in Ecclesiâ Constantinopolitanâ inconvenientia Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum caput, etc., consulere voluerit : « Dùm aliqua, inquit, pag. « 1010, in sanctâ Constantinopolitanâ Eccle- « siâ... inconvenientia provenerint, hanc sa- « cram, catholicam et apostolicam, caput « omnium Ecclesiarum, Romanam scilicet Ec- « clesiam, quæ semper SS. Patrum sincerissi- « mas auctoritates in omnibus suis actibus « sequitur, consulere decrevit, ut ejus con- « sulta quæ ecclesiasticis conveniunt negotiis, « agere curaverit; procul dubio, quæ agenda « aut ambigenda fuerint, irretractabiliter cun- « cta disponere, ordinare atque definire poterit. « Ergo secundùm Nicolaum papam, quæ semel « ab Ecclesiâ Romanâ determinata fuerunt, in « dubium amplius vocari non possunt. »

In sequenti ad Photium epistolâ, idem papa sic loquitur, pag. 1031 : « Et quia universitas « credentium ab hâc sanctâ Romanâ Ecclesiâ, « quæ caput est omnium Ecclesiarum, doctri- « nam inquirit, integritatem fidei deposcit..., « oportet nos, quibus commissa est, sollicitos « esse, » etc.

6° Actione sextâ, cùm Photii fautores contendissent, quòd Ecclesiæ Romanæ judicia

non essent infallibilia, eò quòd multi, quos illa absolverat, postmodùm damnati fuerint, et vice versâ, multi, qui ab eâ damnati fuerant, absoluti fuerint, idque exemplis probare niterentur; Metrophanes Smyrnæ episcopus nomine synodi respondet, hæc, quæ de Ecclesiâ Romanâ protulerant, falsa esse, demonstratque exempla ab ipsis allegata contrarium non probare. « Verùm et quod dixisti, inquit, multos « Romanorum Ecclesiâ justificante, damnatos « arbitramur, et rursùs damnante, justificatos « habemus, falsum est et procul à veritate. »

7° Actione septimâ refertur epistola Nicolai papæ ad universum clerum omnesque patriarchatûs Constantinopolitani episcopos directa, in quâ inter alia sic ait : « Quapropter sicut « divinitùs inspirata sapientia vestra novit, « cunctarum Christi ovium curâ constringimur, « cùm vices illius per abundantiam cœlestis « gratiæ geramus, cui specialiter à Deo dici- « tur : *Pasce oves meas.* Et rursùs : *Et tu ali- « quando conversus, confirma fratres tuos ;* non « potuimus dissimulare aut negligere, quo- « minùs visitaremus oves dispersas et dissi- « patas, vel quominùs confirmaremus in fide « et bonis moribus fratres nostros et proxi- « mos. »

In eâdem epistolâ, postquàm idem summus pontifex dixisset oportere, ut ad episcoporum adhortationem imperator ea quæ in favorem Photii fuerant (quod tamen hactenùs præstare renuerat) annullaret, hæc addit : « Alioquin, « ut jam præfati sumus, sic Deo favente de « cætero vigilabimus, et studiis quibus possu- « mus insistemus, ut inter exanimes compu- « tentur qui in auctoritatem Petri non con- « senserint, imò Dei hanc ordinantis in Petro « non intellexerint : ita ut nec ista, quæ per- « niciosè compilata sunt, defendere, nec his « similia, ut non dicam scripto tradere, vel in « mente volvere quis ulteriùs audeat. » Inobediens ergo D. Petro, imò Christo Domino est, qui summo pontifici obedire, iisque quæ ipse definierit ac ordinârit, obsequi renuit; consequenter meretur ut inter spiritualiter mortuos reputetur.

8° Denique in secundo canone, qui in hâc octavâ synodo confectus fuit, dicitur, pag. 1327, quòd ibi summi pontifices Nicolaus et Adrianus ut organa S. Spiritûs, quibus omnis obedientia debeatur, respiciantur. « Obedite « præpositis vestris, et subjacete illis; ipsi enim « pervigilant pro animabus vestris, tanquàm « rationem reddituri; Paulus magnus Aposto- « lus præcepit. Itaque beatissimum papam « Nicolaum tanquàm organum S. Spiritûs ha- « bentes, necnon et sanctissimum Adrianum « papam successorem ejus, definimus atque « sancimus etiam omnia quæ ab eis synodicè « per diversa tempora exposita sunt et pro- « mulgata, tam pro defensione et statu Con- « stantinopolitanorum Ecclesiæ... quàm etiam « pro Photii... expulsione, servari semper et « custodiri. » Concilium quoque sententiam depositionis in clericos, et excommunicationis in laicos fert, qui his deferre renuerent.

Cùmque Photius eò temeritatis ac insolentiæ devenisset, ut in pseudo-synodo suâ Nicolaum papam damnaret, concilium œcumenicum suo canone 21 districtè inhibet, ne quisquam aliquid sinistri aut injuriosi adversùs papam effutire præsumat, nisi iisdem cum Dioscoro et Photio pœnis subdi maluerit : « Quisquis autem tantâ jactantiâ, et audaciâ « ausus fuerit, ut secundùm Photium, vel Dio- « scorum in scriptis vel sine scriptis injurias « quasdam contra sedem Petri Apostolorum « principis moveat, æqualem et eamdem quam « illi condemnationem recipiat. » Canon anathema jungit in illos qui potestatibus seculi fulti, papam aut quemdam patriarcham è suâ sede expellere attentarent. Ultimatò declarat pag. 1140, quòd, si deinceps difficultas aliqua aut dubium quoad sanctam Romanam Ecclesiam in quodam concilio œcumenico suboriri contingerent, tunc id cum eâ quæ huic Ecclesiæ debetur, veneratione ac reverentiâ tractandum sit, indeque profectus faciendus, omni tamen remotâ contra summos pontifices sententiam dicendi audaciâ. « Porrò si synodus universalis fuerit congregata et « facta fuerit etiam de sanctâ Romanorum Ec- « clesiâ quævis ambiguitas et controversia, « oportet venerabiliter et cum convenienti « reverentiâ de propositâ quæstione sciscitari, « et resolutionem accipere aut proficere, aut « profectum facere, non tamen audacter sen- « tentiam dicere contra summos senioris Romæ « pontifices. »

Ad hunc hujus œcumenici concilii canonem advertant, qui ultimis hisce temporibus tam exiguâ cum reverentiâ de summis pontificibus locuti sunt, atque perpendant quam pœnam meriti sint. Quòd si tanto, ut venditant, honore erga concilia generalia afficiuntur, cur eorumdem conciliorum in summos pontifices observantiam non etiam imitantur? et si hæc

concilia summum pontificem ob quamcumque causam damnare ipsi etiam toti in unum congregatæ Ecclesiæ temerarium esse crediderunt, quid de simplicibus privatis homunciones sentiendum erit, quos insolentia eò abduxit, ut non modò summos pontifices damnare, verùm etiam hæresis ultrò arguere, contra legis præceptum, quo dicitur : *Principi populi tui non maledices,* non erubescant?

Expositâ mente conciliorum œcumenicorum de auctoritate Romanorum pontificum atque beati Petri successorum prærogativis super ipsas Christi Domini promissiones fundatis, supervacaneum ac valdè inutile foret, idem ex conciliis particularibus demonstrare; qui enim auctoritati conciliorum œcumenicorum, quæ universa Ecclesia summâ semper veneratione prosecuta est, deferre renuerent, quantò minùs auctoritati conciliorum particularium cedere vellent! Sufficiet ergo mihi hic ea quæ Gallicum Turonense concilium seculo sexto celebratum dicit, referre; sic ergo in uno suorum canonum loquitur : « Quis sacerdotum « contra decreta talia, quæ à sede Apostolicâ « processerunt, agere præsumat? vel quis, « quod pejus est, contra sententiam quam vas « electionis Paulus Apostolus Spiritu sancto « ministrante promulgavit, aliud conscribere « ullâ ratione præsumat, cùm dicat ipse per « Spiritum sanctum : qui prædicaverit præter « id quod prædicavi, anathema sit? Et quorum « auctorum valere possit prædicatio, nisi quos « sedes Apostolica semper aut intromisit, aut « apocryphos fecit, et Patres nostri semper hoc « custodierunt, quod eorum præcepit auctori- « tas? Nos ergo sequentes quod vel Apostolus « Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in ca- « nonibus nostris inserentes, statuamus obser- « vandum. »

CAPUT IX.

Quid auctores ecclesiastici à seculo quinto usque ad Græcorum schisma, de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei censuerint.

Initium sumo ab Ennodio Ecclesiæ Ticinensis diacono, ac postea episcopo, qui anno 501 Apologiam concilii Romani ratione Symmachi papæ convocati ac celebrati, edidit. Hic episcopus, prout tota præstitit antiquitas, prærogativas sedis Apostolicæ ex promissionibus Salvatoris beato Petro factis deducit, consequenter ad quas episcopi hujus Apostoli successores summâ veneratione ac reverentiâ semper prosecuti sunt; quibus namque quidquid fidelium in toto terrarum orbe reperitur, in omnibus tanquàm membra suo capiti subjici necesse sit. « Dicas forsitan, inquit tom. 4 « Conc. p. 1353 : Omnium animarum talis erit « in illâ disceptatione conditio. Replicabo : Uni « dictum : *Tu es Petrus, et super hanc petram « ædificabo Ecclesiam meam, et quæcumque sol- « veris super terram, erunt soluta et in cœlo.* Et « rursùm sanctorum vice pontificum dignitatem « sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dùm « illi quidquid fidelium est, ubique submittitur, « dùm totius corporis caput esse designatur. » Conformiter concilio Romano contendit ac tenet, quòd nullum concilium convocari possit absque papæ consensu; ad id quod ipsi objiciebatur, exinde nempe sequi synodos provinciales quæ annuatim cogebantur nullas fore, eò quòd papæ auctoritas iis non interveniret, respondet quòd in ejus modi provincialibus synodis nullæ causæ majores quæ absque participatione summi pontificis conformiter sacris canonibus terminari non possunt, tractentur : « Legite, insanissimi, inquit, « aliquando in illis præter apostolici apicis san- « ctionem aliquid constitutum, et non de majori- « bus negotiis, ad collationem, si quid occurrit, « præfatæ sedis arbitrio fuisse reservatum. »

Multi nostræ ætatis critici exiguam istius Ennodii operis rationem ineundam esse censent, verùm non eadem fuit antiquitatis sententia; nam synodus, quæ anno 503 Romæ celebrata fuit, postquàm sibi illud prælegi fecisset, à Symmacho postulavit, ut liber iste conciliis insereretur, eamdemque deinceps, ac concilia summorumque pontificum decreta auctoritatem haberet. Ad quæ hisce Symmachus respondit : « Juxta vestram omnium fiat « voluntatem, et ut judicatis, apostolicâ ha- « beatur auctoritate, et inter apostolica, quod « dicitis, interponatur decreta, et sicut cætera « apostolica ab omnibus teneatur decreta. Ad « quæ omnes ter unâ voce responderunt, di- « centes : Ut fiat, rogamus. »

Verùm quia hujus operis mentionem fecimus, operæ pretium est, ipsius Symmachi papæ negotium ac causam paucis enarrare; ut, quanta fuerit summorum pontificum auctoritas, et quousque se reverentia ac observantia quibus fideles eos prosequebantur, extenderint, appareat. Postquàm antipapa Laurentium Symmachum de enormibus criminibus apud Theodoricum regem supremâ tum potestate Italiæ res curantem, accusâsset, rex episcopis regionis illius mandavit, ut Romam convenirent, de hâc causâ cogniturі, tranquillitatemque in hâc urbe

restituturi. Ad quæ episcopi rescripserunt regi, quòd ad ipsummet Symmachum spectaret synodum convocare, etc.; pag. 1323: « Memorati pontifices, quibus allegandi immi- « nebat occasio, suggesserunt, illum qui dice- « batur impetitus, debuisse synodum convo- « care, scientes quia ejus sedi primum Petri « Apostoli meritum vel principatus, deinde « secutâ jussione Domini conciliorum veneran- « dorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis « tribuit potestatem, nec antedictæ sedis an- « tistitem minorum subjacuisse judicio, in pro- « positione simili facilè forma aliqua testare- « tur. » Rex quantùmlibet Arianus, non tamen aliter se in hoc negotio gessit, quàm si catholicissimus princeps fuisset; respondit namquè, se nonnisi ad Symmachi preces synodum convocâsse, quibus episcopi acquieverunt. At quamvis jam in unum congregati essent, ulteriùs tamen progredi ausi non fuissent, nisi ipsemet papa ipsis declarâsset, se ad hoc illis auctoritatem tribuere. « Dùm in venerabili col- « lectione sermo de incipiendo haberetur nego- « tio, prout poscebat causæ tractatus, sanctus « papa Symmachus Basilicam Julii, in quâ « pontificum erat congregatio, ingressus est, « et de evocatione synodali clementissimo regi « gratias retulit, et rem desiderii sui esse testa- « tus est. Causa ergo de sacerdotum animis, « quæ de concilio nondùm firmato tristitiam « ministrabat, abscissa est. Auctoritatem ordi- « nis corrigendi, sicut poscebant ecclesiastica « statuta, in omnium, qui ibidem convenerant, « episcoporum præsentiâ se dare professus « est. » Cùm igitur consequenter ad hanc potestatem episcopi id de quo agebatur penitùs examinâssent, Symmachum coram hominibus innocentem declarârunt, omnia Dei inscrutabili committentes judicio. Pag. 1325: « Decer- « nimus harum necessitatum vel religionum « consideratione adstricti, et cœlesti inspi- « ratione perpensis omnibus quæ in causâ « erant, secretis, ut Symmachus papa sedis « Apostolicæ præsul, ab hujusmodi propositio- « nibus impetitus, quantùm ad homines respi- « cit (quia totum, causis obsistentibus superiùs « designatis, constat arbitrio divino fuisse di- « missum), sit immunis et liber, et christianæ « plebi sine aliquâ dè objectis oblatione, in « omnibus Ecclesiis suis ad jus sedis sùæ perti- « nentibus tradat divina mysteria. »

Cùm interim rumor per provincias dispersus fuisset, quòd episcopi adversùs Symmachum procedere vellent, illumque judicare, tota exinde commota est Ecclesia, atque undìque Romam delatæ litteræ quibus id impediretur. Pag. 1323: « Quidquid in eodem negotio actum « est, scriptis Romam ex diversis terrarum vel « regionum partibus Dei prosecutione præven- « tum est. »

Inter alios sanctus Avitus episcopus Viennensis, cùm hujus rei provinciam à Galliæ episcopis in se suscepisset, desuper senatui Romano senator ipse gravem exaravit Epistolam, in quâ pag. 1362: « Quamprimùm, in- « quit, supplici prece posco, ne celeberrimo « ordini vestro pagina hæc aliquod moveat, « quasi ab uno directa, fastidium, quoniam à « cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum « non minùs per mandata, quàm per litteras « oneratus, quæcumque à vobis omnes ambi- « mus, unus suggerenda suscepi. » Postmodùm idem sanctus Avitus testatur omnes Gallicanos episcopos in magnâ inquietudine ac perplexitate versari, eò quòd percepissent ipsorum caput calumniis impetitum fuisse. « Dùm de « causâ Romanæ Ecclesiæ anxii nimis ac trepidi « essemus, utpote nutare statum nostrum in « lacessito vertice sentientes: quos omnes una « criminatio utique sine invidiâ multitudinis « percusserat, si statum principis obruisset. » Quòd litteræ, quas de exitu concilii Romani acceperant, illos concepto jam timore admodùm liberârint, at quòd salvo honore, quo erga Italiæ episcopos afficiuntur, ipsis videatur, quòd illorum (Italiæ episcoporum) interfuisset eumdem (Symmachum papam) consolari, si apud regem accusatus fuisset; nec capere possent, quâ ratione provinciam in se susceperint judicandi suum superiorem, etc. Pag. 136: « Ita non facilè datur intelligi, quâ vel « ratione, vel lege ab inferioribus eminentior « judicetur. » Quòd in hoc temerarium consilium inierint; sed quòd ipsimet satis abundè comprehendissent id ad se non pertinere, cùm ipsis sufficerit regi insinuâsse, quòd nihil eorum, de quibus papa accusabatur, ipsis innotuerit, omniaque judicio divino committant. « Quòd synodus ipsa venerabilis laudabili cons- « titutione prospiciens causam quam (quod salvâ « ejus reverentiâ dictum sit) penè temerè sus- « ceperat inquirendam, divino potiùs servârit « examini, perstringens tamen, prout breviter « potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro « Theuderico regi de his quæ papæ dicebantur « objecta, patuisse. » Post quæ senatum tanquàm senator et tanquàm episcopus rogat ut non minorem Ecclesiæ quàm imperii statùs

rationem habere velit, nec minori amore in suâ Ecclesiâ sedem D. Petri, quàm suam civitatem, ut mundi apicem prosequatur. « Quasi « senator ipse Romanus, quasi christianus « episcopus obtestor... ut in conspectu vestro « non sit Ecclesiæ minor quàm reipublicæ status.... non minùs diligatis in Ecclesiâ vestrâ « sedem Petri, quàm in civitate apicem mundi. » Quòd ipsos roget, ut recogitent, hìc non solius Romanæ Ecclesiæ negotium duntaxat tractari; quòd, cùm de aliis episcopis res agitur, id quod nutare videtur, denuò firmari possit, at quòd ubi semel papa in dubium vocatus fuerit, tunc demùm episcopatus ipse vacillare incipiat. « Si profundo illo tractatûs « vestri consilio rem videtis, non ea tantum« modò, quæ Romæ geritur causa cogitanda « est. In sacerdotibus cæteris potest, si quid « fortè nutaverit, reformari; at si papa vobis vo« catur in dubium, episcopatus jam videbitur, « non episcopus vacillare. » Et ut intelligerent quòd summus pontifex quodammodò omnem Ecclesiæ fidem in manibus, ut ita dicam, teneret, hæc addit : « Nôstis benè, inter quas hæ« resum tempestates velut ventis circumflanti« bus fidei puppem ducamus. Si nobiscum « hujusmodi pericula formidatis, expedit ut « gubernatorem vestrum participato labore « tueamini. » Tandem hisce concludit : « Red« det rationem, qui ovili dominico præest, « quâ commissam sibi agnorum curam admi« nistratione dispenset; cæterùm non est gre« gis pastorem proprium terrere, sed judi« cis. »

Hanc sancti Aviti Epistolam paulò fusiùs ideò prosecutus sum, ut palam facerem quantâ hujus sancti viri ætate reverentiâ ac veneratione erga summum pontificem affecti fuerint omnes Galliæ episcopi, quantamque adversùs eum suscitatæ turbæ ipsis molestiam inquietudinemque creârint, quem ut universalem dominici gregis pastorem, quique fidei gubernacula teneret, suspiciebant. Hæc utique ipsis è calamo sancti Aviti, qui eorum mentem haud ignorare poterat, non excidissent, si summos pontifices hæreseos tempestatibus cedendi, aut in errorum scopulos impingendi capaces censuissent.

Cùm Possessor episcopus Africanus, qui initio sexti seculi Constantinopoli aderat, requisitus fuisset, ut super libris Fausti Reiensis episcopi mentem suam exponeret, nec tamen illis qui de hujus auctoris opinionibus disceptabant, satisfacere valuisset, ab imperii primoribus rogatus fuit, ut Hormisdam papam consuleret, quatenùs quid desuper sentiendum esset perciperetur. Sic verò dictus episcopus suam ad papam orditur Epistolam : « Decet et « expedit ad capitis recurrere medicamentum « quoties agitur de sanitate membrorum. Quis « enim majorem circa subjectos sollicitudi« nem gerit, aut à quo magis est nutantis « fidei stabilitas expetenda, quàm ab ejus « præside, cujus primus à Christo rector « audivit : *Tu es Petrus, et super hanc petram « ædificabo Ecclesiam meam?* » Hæ ergo Salvatoris nostri promissiones D. Petrum ejusque successores in fide firmârunt, quatenùs dubia quoad illam emergentia dilucidare atque cum certitudine decidere possint; ad quid enim ad eos in dubiis recurreretur, si illa responsa quæ darent in dubium vocare quis posset?

Ferrandus Diaconus fatetur quòd per confirmationem S. sedis ipsa etiam œcumenica concilia infallibilitatem suam obtineant : « Ubi majores, inquit, reperiret in Ecclesiâ « judices? Ante se habens in legatis suis « Apostolicam sedem, quâ consentiente, quid« quid illa definivit synodus, accepit robur « invictum. » Et inferiùs : « Universalia con« cilia, præcipuè illa quibus Romanæ Ecclesiæ « consensus accessit, secundæ auctoritatis lo« cum post canonicos libros tenent. » Et adhuc : « Quæ finiuntur judicantibus episcopis san« ctis, et ad beati Petri memoriam perducta « diligentiùs examinantur atque firmantur, se« quenda sunt, tenenda sunt, amplectenda « sunt; in retractatione sub quâlibet pietatis « occasione teneri non debent. »

In aliâ Epistolâ ad Sever.; de famosâ illâ propositione : *Unus de Trinitate crucifixus est*, disserens, ita illum cui scribit alloquitur : « Loquantur desuper hi, quibus sacerdotii « honos docendi auctoritatem tribuit; quod « me attinet, ad discendum paratus sum, nec « docere quidquam præsumo; interroga igi« tur, si quid veritatis cupis audire, principa« liter sedis Apostolicæ antistitem, cujus sana « doctrina constat judicio veritatis, et fulcitur « munimine auctoritatis. » Et hi sunt duo supremæ in fide auctoritatis characteres, doctrina videlicet veritatis in judiciis, et auctoritas quæ hujusmodi judicia recipere facit.

Justinianus imperator celebrioribus auctoritatis summorum pontificum in rebus fidei meritò sexti seculi testibus adnumerari debet.

Nam præter ea quæ, cùm adhuc tantummodò comes esset, pro reconciliatione orientalium episcoporum cum sanctâ sede sub Hormisdâ papâ cum imperatore Justino egit (de quibus sequentibus agam), cùm Constantinopoli in aliisque provinciis graves disceptationes exortæ fuissent, num de fide esset, necne, quòd unus de Trinitate crucifixus fuisset, pluribus ac frequentibus litteris apud Hormisdam papam pro hujus quæstionis decisione institit, cum sollicitatione quòd ipsius decisio omnes controversias sopitura esset, « Quòd si suscipiendum sit, paternâ provisione reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur.... De hâc intentione liberos nos properate reddere et securos; hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum. » Cùm autem Hormisdas papa hujus quæstionis decisionem usque ad suum obitum distulisset, eò quòd legati quos Constantinopoli habebat, timerent, ne ex parte eorum qui quoad hanc quæstionem callidiores videbantur, virus lateret, Justinianus ad imperii solium evectus, de consensu plurimorum orientalium episcoporum ad hujc propositioni conciliandam auctoritatem, edictum promulgavit, cujus confirmationem diligenter à Joanne papâ II petiit, quam et obtinuit, illudque insuper per Agapetum Joannis successorem denuò confirmari curavit; post quæ hæc propositio nullam ampliùs inter Catholicos difficultatem invenit.

Nec hâc solâ occasione Justinianus suæ erga S. sedem devotionis argumenta signaque edidit; multùm enim adhuc cum imperatore Justino laboravit, ut eidem sanctæ sedi totum Orientem reconciliaret, qui longo jam tempore ab eâ secessum fecerat propter schisma Acacii patriarchæ Constantinopolitani, qui adversùs summorum pontificum mandata à communione Petri Eluri et Petri Moggi Eutychianorum episcoporum separare se noluerat. Summi pontifices pro suâ parte hâc occasione communionem suam non modò Acacio, sed etiam omnibus iis episcopis, qui in ipsius sive adhuc viventis, sive jam vitâ functi communione permanserant, denegârunt; nec eos recipere voluerunt, nisi priùs formulari illi (quod, cùm de octavo concilio œcumenico ageremus, retulimus, quodque accuratissimam infallibilitatis summorum pontificum super promissiones Christi D. Petro factas fundatæ confessionem continet) subscripsissent; per quod invictè probatur quòd Græci à sui schismatis tempore, ex Græco hujus concilii textu, istius Apostolicæ sedis privilegii professionem resecuerint, sequendaque sit Anastasii Bibliothecarii versio. Ita ut minimè in dubium revocari possit, quòd Ecclesia Græca, quamdiù catholica fuit, summorum pontificum infallibilitatem agnoverit, illamque, tanquàm ad fidei suæ summam spectantem articulum professa fuerit.

Certum proinde est, quòd imperator Justinus comesque Justinianus illius in imperio successor hâc occasione omnem zelum demonstrârint, ut Hormisdæ papæ in omnibus satisfieret, cunctique Orientis episcopi huic formulari subscriberent. Cùmque Justinianus ad imperii solium evectus fuisset, ut suæ catholicitatis manifesta signa ederet, ipsemet formulari subscripsit, atque ad papam Agapetum misit.

Stephanus Larissiæ episcopus in Epistolâ ad Bonifacium II papam agnoscit, ac fatetur quòd privilegia quæ Salvator noster Romanæ sedi in personâ beati Petri concessit, omnia cæterarum Ecclesiarum privilegia transcendant, quòdque in confessione hujus sedis omnes Ecclesiæ requiem suam inveniant. « Etenim dixi quia auctoritas sedis Apostolicæ, quæ à Deo et Salvatore nostro summo Apostolorum data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit; in cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ. »

Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis diaconus in Epitome ecclesiasticæ historiæ, quam nobis reliquit, de secundo concilio Ephesino agens, ait quòd sanctæ sedis legati tyrannicum Dioscori agendi modum videntes, se omnibus quæ fiebant opposuerint; quòdque Flavianus Constantinopolitanus, cernens quòd adversùm se sententia lata fuisset, S. sedis legatis libellum, quo à concilio ad papam appellabat præsentârit. « Porrò locum obtinentes papæ Leonis, omnibus, quæ sunt gesta, contradixerant; Flavianus autem contra se prolatâ sententiâ, per ejus legatos sedem Apostolicam appellavit libello. » Et loquens postea de iis quæ in concilio Chalcedonensi in favorem sedis Constantinopolitanæ facta fuerant, ait quòd sedes Apostolica iis semper se opponere non destiterit, sed quòd favore imperatoris quodammodò adhuc fulcirentur. « Et licet sedes Apostolica nunc usque contradicat,

« quod à synodo firmatum est, imperatoris « patrocinio, permanet quodammodò. » Agens denique de exilio papæ Sylverii in Pataram Liciæ urbem, sic loquitur : « Sed Sylverio « veniente Pataram, venerabilis episcopus « civitatis ipsius venit ad imperatorem, et « judicium Dei contestatus est, tantæ sedis « episcopi expulsione, multos esse dicens in « hoc mundo reges, et non esse unum, sicut « ille papa est super Ecclesiam mundi totius « à suâ sede expulsus. Quem audiens impera- « tor revocari Romam Sylverium jussit. » Ex primo hujus auctoris loco habetur apertè usus ac consuetudo ab ipsorum œcumenicorum conciliorum judicio ad papam appellandi. Ex secundo verò, quòd S. sedes nihil eorum quæ in conciliis generalibus actitata fuerant, admitteret, nisi quæ ab ipsâ confirmata fuissent. Et ex tertio, quòd ubique terrarum Romanus pontifex tanquàm totius Ecclesiæ monarcha suspiceretur.

Sanctus Maximus Ecclesiæ Græcanæ theologus et martyr, in quodam Epistolæ fragmento asserit quòd quicumque sedem Romanam anathematizat, Ecclesiam catholicam anathematizet. « Omnis qui eos qui Pyrrhum « reprobaverunt anathematizat, sedem Roma- « nam, id est, catholicam Ecclesiam anathe- « matizat. » Et inferiùs, semper de Pyrrho agens : « Itaque inquit, si vult hæreticus non « esse, nec audire, non isti aut illi satisfaciat... « Festinet præ omnibus sedi Romanæ satisfa- « cere; hâc enim satisfactâ, communiter ubi- « que omnes pium hunc et orthodoxum prædi- « cabunt. Nam, addit, frustra solummodò « loquitur, qui mihi similes suadendos ac « subripiendos putat, et non satisfacit, et im- « plorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ « beatissimum papam, id est, Apostolicam « sedem, quæ ab ipso incarnato Dei Verbo, « sed et omnibus sanctis synodis secundùm « sacros canones et terminos, universarum « quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum « Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia « percepit et habet imperium, auctoritatem et « potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc « enim ligat et solvit, etiam in cœlo Verbum, « quod cœlestibus virtutibus principatur. Si « enim alios quidem satisfaciendos ducit, et « beatissimum Romanum papam nequaquàm « implorat, simile quiddam agit ei qui homici- « dii vel alterius cujusdam criminis redargui- « tur, et insontem se, non ei qui secundùm « leges judicandi jura sortitus est, exhibere « festinat; sed tantùm inutiliter et sine lucro « aliis et privatis hominibus munditiam sui « monstrare satagit actûs, qui nullam habeant « se solvendi à crimine potestatem. »

Sergius Cypri episcopus Epistolam ad Theodorum papam concilio Lateranensi sub Martino I celebrato insertam sic orditur : « Firma- « mentum à Deo fixum et immobile, atque « tituli formam lucidissimam fidei vestram « Apostolicam sedem constituit, ô sacer vertex, « Christus Deus noster. Tu es enim, sicut di- « vinum veraciter pronuntiat verbum, *Petrus*, « et super fundamentum tuum Ecclesiæ co- « lumnæ confirmatæ sunt; tibi et claves regni « cœlorum commisit, atque ligare et solvere « potestativè, quæ in terrâ et quæ in cœlis « sunt, promulgavit. Tu profanarum hæresum « depositor exisli, ut princeps et doctor or- « thodoxæ et immaculatæ fidei. » En semper sanctæ sedis privilegia supra promissiones D. Petro à Salvatore factas fundata; en ejusdem D. Petri successores factos, ut ille, fixum et immobile fidei fundamentum, suprà quod Ecclesiæ columnæ fundatæ concuti non possunt; en summos pontifices hæresis deturbatores ac destructores constitutos, ut qui orthodoxiæ principium immaculatamque fidem semper teneant.

Stephanus episcopus Dorensis Ecclesiæ Jerosolymitanæ suffraganeus à patriarchâ Sophronio Romam deputatus, non minùs clarè loquitur. « Assumanus autem, inquit, pennas « columbæ secundùm beatum David, et vole- « mus, et annuntiemus hæc omnia omnibus « præpositæ, dico autem summæ vestræ et « principali sedi, ad medicinalem sanitatem « emersi vulneris; quippe quoniam hoc po- « testativè olim et ab antiquitùs facere per « apostolicam sive canonicam consuevit auc- « toritatem, dùm apertissimè non solùm cla- « ves regni cœlorum creditæ sunt ei, atque « ipse solus ad aperiendum eas fidelibus quidem « dignè, minimè autem credentibus Evangelio « gratiæ claudere, magnus secundùm verita- « tem et princeps Apostolorum meruit Petrus; « sed etiam et pascere primus jussus est oves « catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dicit : « *Petre, amas me? Pasce oves meas;* et iterùm « ipse præcipuè ac specialiter firmam præ « omnibus habens in Dominum Deum nostrum « et immutabilem fidem, convertere aliquando « et confirmare exagitatos consortes suos et « spiritales meruit fratres : utpote dispensativè « super omnes, ab ipso qui propter nos in-

« carnatus est Deus, potestatem accipiens, et « sacerdotalem auctoritatem. » En semper supremam Romanorum pontificum auctoritatem eorumque infallibilitatem super tria Evangelii loca fundatam, quæ, si neotericis illis theologis, quos oppugnamus, fides habenda, neque divi Petri primatum, neque illius successorum privilegia respiciunt aut concernunt.

Addit insuper hic episcopus Stephanus, quòd Sophronius patriarcha ex apertâ harum prærogativarum cognitione, illum in montem Calvariæ duxerit, atque ibi per eum qui pro nobis crucifixus est, adjuraverit, ut pro fidei negotio iter Romam versùs arriperet, *ubi* (sunt ipsius verba formalia) *orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt*. Nec instare desisteret, donec divinâ Apostolicæ sedis prudentiâ novi errores deturbati ac destructi fuissent.

Quòd si ab Orientis finibus in Africam trajicere velimus, eamdem sanè doctrinam à Numidiæ, Byzacenæ, ac Mauritaniæ in synodo congregatis episcopis in communi quâdam Epistolâ ad Theodorum papam directâ invenimus prolatam et agnitam. « Magnum, inquiunt, « et indeficientem omnibus Christianis fluenta « redundantem apud Apostolicam sedem con- « sistere fontem, nullus ambigere possit, de « quo rivuli prodeunt affluenter, universum « largissimè irrigantes orbem Christianorum, « cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum « decreta peculiarem omnem decrevêre reve- « rentiam in requirendis Dei rebus, quæ om- « ninò et sollicitè debent, maximè verò, justè- « que ab ipso præsulum examinari vertice « apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam « mala damnare quàm probare laudanda. Anti- « quis enim regulis sancitum est, ut quidquid, « quamvis in remotis vel in longinquis positis « ageretur provinciis, non priùs tractandum « vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ « sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus au- « ctoritate, justa quæ fuisset pronuntiatio fir- « maretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ « velut de natali suo fonte prædicationis exor- « dium, et per diversas totius mundi regio- « nes, puritatis incorruptæ manarent fidei « sacramenta salutis. Quocirca humillimum « vestro apostolico culmini persolventes obse- « quium, » etc.

Venerabilis Beda idem pro Anglicanâ Ecclesiâ reddit testimonium; sic enim loquitur : « Ideò beatus Petrus, qui Christum verâ fide « confessus, vero amore secutus, specialiter « claves regni cœlorum et principatum judicia- « riæ potestatis accepit, ut omnes per orbem « credentes intelligant, quia quicumque ab « unitate fidei, vel societatis illius, quolibet « modo se ipsos segregant, tales nec peccato- « rum vinculis absolvi, nec januam possint re- « gni cœlestis ingredi. »

Alcuinus, qui tanquàm primus Universitatis Parisiensis auctor habetur, id æquè ac Beda exprimit; loquens enim in unâ ex suis Epistolis de quodam auctore : « Ne schismaticus, « inquit, inveniatur aut non catholicus, se- « quatur probatissimam Romanæ Ecclesiæ au- « ctoritatem; ut, unde catholicæ fidei initia « accipimus, inde exempla salutis nostræ sem- « per habeamus. Ne membra à capite separen- « tur suo, ne claviger regni cœlestis abji- « ciat, quos à suis deviâsse cognoverit do- « ctrinis. »

Auctor librorum Carolinorum, quantùmcumque oppositus religioso cultui, quem Ecclesia catholica sanctis imaginibus tribuit, tamen sanctam sedem ut fidei regulam agnoscit : « Qualiter, inquit, Romana Ecclesia cæ- « teris Ecclesiis à Domino prælata, et à fideli- « bus consulenda sit, prosequamur, præsertim « cùm non ab aliis Scripturis nisi ab his, quas « illa inter canonicas recipit, testimonia sint « assumenda, nec aliorum doctorum, nisi eo- « rum, qui à Gelasio, vel aliis sanctæ sedis « illius pontificibus suscepti sunt, dogmata sint « amplectenda. » Et postquàm dixerat, quòd Hieronymus, quem Damasus papa consulebat, ipse hunc papam super fidei rebus consuleret, hæc addit : « Quod regulariter omnes catholicæ « debent observare Ecclesiæ, ut ab eâ post « Christum ad muniendam fidem adjutorium « petant, quæ non habens maculam, nec ru- « gam, et portentosa hæresum capita calcat, et « fidelium mentes in fide corroborat. »

Hincmarus celebris Rhemorum archiepiscopus de Ecclesiâ Romanâ disserens : « Consulentes, « inquit, ante omnia, sicut et prima est in toto « orbe omnium Ecclesiarum mater, sanctam « catholicam et apostolicam Romanam Eccle- « siam; quæ non ab homine neque per homi- « nem, sed Dominum Jesum Christum, sicut « Petrus et Paulus apostolatum, ita et hæc « sancta sedes omnium civitatum meruit prin- « cipatum. » Et paulò inferiùs : « Piis, devotis, « atque catholicis, hoc potest et debet sufficere, « quod omnium Ecclesiarum mater sancta ca- « tholica atque apostolica docet Romana Ec- « clesia. Ipsa enim ut mater nos Christo ge- « nuit, nos religione nutrivit, nos doctrinâ

« instruxit, nos sicut in sancto Petro à Christo « firma petra accepit, doctores instituit, et « catholico lacte nutritos, et ad virum perfe- « ctum perductos, ad docendum alios infor- « mavit. » Et alibi : « De omnibus, inquit, du- « biis vel obscuris, quæ ad redactæ fidei teno- « rem, vel pietatis dogmata pertinent, sancta « Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum « mater et magistra, nutrix ac doctrix, est « consulenda, et ejus salubria monita sunt « tenenda. »

Neque aliud tenet Theodorus Studita; sic enim papam alloquitur : « Audi, apostolicum « caput, à Deo electe pastor ovium Christi, « claviger regni cœlorum, petra fidei, per quam « ædificata est Ecclesia catholica. Nam tu es « Petrus, Petri sedem exornans et gubernans... « Hùc ades, ab Oriente exurge, tibi dixit Chri- « stus : *Et tu aliquando conversus, confirma fra- « tres tuos*... Vos igitur verè illimis fons ac « sincerus, jam inde ab initio veræ fidei. Vos « ab omni hæreticorum procellâ longè positi, « securus totius Ecclesiæ portus. Vos à Deo « electa civitas ad salutis refugium. » Et alibi : « Quòd si, inquit, hoc minimè probet impera- « tor, deflexitque, ut ipse ait, à veritate Nice- « phorus antistes, mittenda est ad Romanum « ex utrâque parte legatio, et inde fidei acci- « pienda certitudo. » Decisio igitur summorum pontificum in materiâ fidei tam in Oriente quàm in Occidente tanquàm judicium, quod in dubium revocari non posset, suspiciebatur.

CAPUT X.

Quæ à tempore schismatis lis fuerit inter Græcos et Latinos de auctoritate summorum pontificum.

Qui leviter et quasi in cortice tantùm errorem Græcorum schismaticorum quoad summos pontifices examinârunt, in eo præcipuè illum consistere arbitrantur, quòd ipsorum primatum super omnes Ecclesiæ catholicæ episcopos negent. Verùm doctiores inter Græcos schismaticos, qui de causis hujus scissionis scripsêre, declarant quòd dictus primatus illius causa non sit; facilè quippe conveniunt quòd papa sit caput Ecclesiæ, quòdque ut talis jus habeat præsidendi in conciliis œcumenicis. Si contrarium tueri voluissent, necesse profectò fuisset, ut non tantùm acta conciliorum œcumenicorum, verùm insuper innumerabilia alia adhuc antiqua propriæ suæ Ecclesiæ monumenta, per quæ hic primatus invictè probatur, ighi adjudicâssent. Jam primo hujus tractatûs capite vidimus quòd Nechites archiepiscopus Nicomediensis seculo duodecimo absque ullâ tergiversatione de primatu papæ ultrò convenerit; ipsius verò absolutam potestatem, decisionumque infallibilitatem solummodò in controversiam traxerit. Nilus Cabasilas archiepiscopus Thessalonicensis sequenti seculo eadem sustinet in opere quod de primatu papæ composuit. Postquàm ibidem dixerat, papæ primatum non esse causam schismatis, hanc esse affirmat : « Quòd scili- « cet quæstio controversa communi œcume- « nicæ synodi decreto non sit confirmata, quòd « ejus solutio ac explicatio non fiat ex veteri « Patrum in ejusmodi negotiis consuetudine; « sed quòd Romani magistrorum partes in hâc « quæstione sibi sumant, alios verò instar « discipulorum dicto audientes habere velint. » In contextu dein infallibilitatem à fronte adoritur, eamque ab ipso etiam D. Petro removet : « Quòd verò impossibile sit, inquit, pa- « pam à rectitudine dogmatum aberrare, id « etiam ipsius Petri successionem excedit. Ille « enim etiam impegit, » etc. Verùm cùm ipsi Agathonis Epistolæ concilio œcumenico sexto insertæ, in quâ dicitur quod « apostolica « Petri Ecclesia nunquàm à viâ veritatis in « quâlibet erroris parte deflexerit, » satisfaciendum esset, illicò respondet, quòd Agatho papa non prætenderit, ut id ad litteram explicaretur. At satis superque advertens, hâc responsione objectioni non satisfactum iri, aliam quærit, asserens quòd tantùm de illo tempore quod illum præcesserat, locutus sit, nec in eâ futurum tempus includi voluerit, neque etiam id aliter à sanctâ synodo, quippe quæ Honorium damnavit, intelligi potuerit « De præterito tempore locutus est, futurum « non inclusit. » Fatetur autem hic auctor, quòd absque papâ nulli ecclesiastici canones condi possint, sed insimul contendit, quòd neque papa hujusmodi canones condere possit absque aliis patriarchis : « Ecclesiastici cano- « nes non possunt constitui sine papâ, sed « neque papæ id licet sine aliis quamdiù certè « apostolicis legibus paret. »

En igitur controversiæ Latinos inter et Græcos super auctoritate summi pontificis punctum ab hoc auctore præclarè fixum, quod pluribus adhuc aliorum Græcorum testimoniis probare valerem.

Si modernos theologos Gallos, qui summorum pontificum infallibilitati adversantur, super

istâ Græcorum cum Latinis contentione consuleremus, extemplò ad Græcorum partes accederent; etverò id ultra sanè quàm oporteat, de facto præstant, sive cùm summos pontifices conciliis subjiciunt, sive dùm contendunt, plures summos pontifices errâsse, sicque de hâc quæstione non aliter quàm Cabasilas ratiocinantur. Dispiciendum ergo est, num Galliæ, aliarumque nationum theologi, qui pro Ecclesiâ Latinâ adversùs Græcos schismaticos calamum strinxeruut, ejusdem cum modernis quibusdam theologis Gallis mentis fuerint, manusque hâc in parte Græcis dederint; aut num non potiùs contrarium, ut Ecclesiæ doctrinam propugnârint. Etverò haud difficile erit mihi demonstrare, quòd omnes pro summorum pontificum infallibilitate eorumque super ipsa concilia superioritate se declarârint.

Initium sume ab Æneâ episcopo Parisiensi, qui tempore Photii, id est, nono Ecclesiæ seculo scripsit adversùs ineptas exprobrationes, quas tunc Græci in Latinos jaciebant, quas inter hæc erat, quòd nempe privilegia Ecclesiæ Romanæ unà cum imperio ad Constantinopolitanam emigrâssent. Hic episcopus, ut hanc chimæram refutaret, postquàm demonstrâsset, Orientalem Ecclesiam illam ipsam esse, quæ hæresiarchas plerosque produxisset, ipsamque Constantinopolitanam sedem ab hâc labe immunem non fuisse : « Non « verò, addit, in Romanâ sede, Deo rectore, « tale unquàm contigit dedecus, ut aliquis « hæresiarches eidem præsideret, quam sum- « mus Apostolorum princeps suâ sessione illu- « stravit, et fuso sanguine consecravit, cui « suas regendas oves Dei Filius speciali curâ « commisit, nec mirum, quia ipsi dictum « fuerat : *Tu es Petrus, et super hanc petram* « *ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo cla-* « *ves regni cœlorum.* Ergo cui propriâ aucto- « ritate regnum dabat, hujus fidem firmare « non poterat? quem cùm petram dicit, fir- « mamentum Ecclesiæ judicavit. » Ex his apparet, quòd Æneas puritatem fidei sedis Apostolicæ fundet in promissione Christi D. Petro factâ, prout tota semper præstitit antiquitas. Et ne cuiquam dubium esset, quin infallibilitatem tueretur, statim iis quæ de Liberio papâ objici possent, ita respondet : « Quamvis « à fidei tramite non deviaret, exilio et minis « Ariani principis territus, non virtute, quâ « debuit, perfidis Arianis viriliter repugna- « vit. »

Cùm verò opus illud Æneæ nihil ferme aliud sit quàm collatio testimoniorum ex sanctis Patribus et summis pontificibus circa hunc articulum congestorum, inter alia referi unum ex Gelasio papâ, ubi dicit quòd summi pontifices potestatem habeant de universâ judicandi Ecclesiâ, nec cuiquam facultas sit aut potestas eos judicandi, illorumque judicia in examen revocandi. Quòd ab omni judicio ad eos appellari possit, ab ipsorum autem sententiâ appellare nulli fas sit. Imò Æneas sub fide certorum quorumdam monumentorum narrat, quòd Constantinus imperator pro reverentiâ erga summos pontifices Romam reliquerit : « *Dicens*, inquit, *non esse competens,* « *duos imperatores in unâ civitate simul tractare* « *commune imperium, cùm alter foret terræ,* « *alter Ecclesiæ princeps.* » Addit insuper, quòd imperator voluerit, ac decreverit, ut summus pontifex Ecclesiam in perpetuum, tanquàm supremus quidam propriorum statuum princeps, jureque regio gubernaret. « *In quibus* « *etiam inter alia specialiter contineri voluit,* « *ut apicem omnis principatûs Romanus papa* « *super omnem Ecclesiam, ejusque pontifices* « *perenniter, velut jure regio retineret.* » Hæc est idea quam nobis de Romanis pontificibus Æneas ob oculos ponit, consequenter illa ipsa quæ seculo nono in Galliâ omnium mentes occupabat, adeò sanè longè ab eâ diversa, quam moderni Galli libenter nobis imprimerent.

Ratramus monachus Corbeiensis ejusdem seculi scriptor eamdem nobis ideam in opere quod adversùs Græcos edidit, atque imperatori Carolo Calvo dedicavit, ante oculos ponit. Ibi postquàm dixerat quòd episcopo Constantinopolitano nullibi nisi in suâ diœcesi jurisdictio aliqua competeret : « Sed Romano pon- « tifici, inquit, hujus sollicitudinis curam « antiquitùs esse commissam, ad quem omnes « Ecclesiæ Christi respiciant; et cujus sit « officii de singulis ecclesiasticis rationibus « disponere, eamque tenere singulas provin- « cias ecclesiasticarum causarum formam, « quam pontifex Romanus constituerit, vel « concesserit; quòd approbant pontificum de- « creta Romanorum, omnibus Christi Ecclesiis « tam per Orientem quàm per Occidentem « positis directa, quæ veluti leges ecclesiasti- « corum negotiorum, et observantur ab omni- « bus et suspiciuntur. » Addit præterea, « quòd « iis, quæ imperatores Græci Ecclesiæ Con- « stantinopolitanæ attribuere conabantur, au-

tiquitas nulla suffragetur, synodorum decreta nulla, imperatorum pragmatica nulla, « quæ etsi aliqua monstrarentur, auctoritatis « pondus obtinere nequirent sine Romani « pontificis adstipulatione ; cujus tantæ manet « antiquitate tribuente potestatis jus, ut sine « permissionis illius auctoritate nec Constantinopolis, nec ulla civitas Orientalis vel « Occidentalis, obtinere privilegia valeat potestatis, nisi quæ fuerint à Romano pontifice vel concessa vel roborata, ipsi verò « maneat potestas atque sollicitudo omnium « Ecclesiarum concedendi vel disponendi quæcumque ecclesiasticis utilitatibus secundùm « ecclesiasticas regulas probata fuerint deservire. » Et iterùm : « Ex antiquis monumentis cernimus, inquit, omninò Romani pontifices auctoritatem super cunctas Ecclesias « Christi præeminere, ut omnes episcopi illum « habeant caput, et ab ejus judicio pendeat « quidquid in ecclesiasticis negotiis disponitur, ut ex ejus arbitrio vel maneat constitutum, vel corrigatur erratum, vel sanciatur « quodcumque fuerit innovandum. Et reverà « omnes Orientales Ecclesiæ, simul et Occidentales Romanæ civitatis præsulem semper « quasi caput episcoporum veneratæ sunt, et « ad ejus sententiam respexerunt, et de rebus « dubiis quæcumque decrevit, ejus judicium « sustinuerunt, illiusque decreto paruerunt. « Quæcumque concilia ejus sententiâ roborata « sunt, rata manserunt : quæ verò damnavit, « pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt. » Hæc omnia fusè probat Ratramus; unde liquet quòd adversùs Græcos absolutam super omnes totius orbis Ecclesias papæ potestatem, necnon illius super concilia superioritatem infallibilitatemque propugnet ac tueatur.

Cùm seculo undecimo Michael patriarcha Constantinopolitanus schisma renovâsset, Leo papa IX ad illam urbem legatos misit, qui, cùm frustra (obnitente videlicet hujus patriarchæ pervicaciâ) Ecclesiæ pacificationem ac redintegrationem tentâssent, illi anathemate dicto, infectis rebus redire coacti fuerunt. Horum legatorum unus erat Humbertus cardinalis Candidæ-Sylvæ, qui ea quæ Græci super pane azymo, aliisque quibusdam ritibus, Latinis objiciebant, refutavit. Cùm autem in iis Græcorum scriptis, quæ refutabat, nihil de papæ auctoritate dictum esset, quæstionem hanc in suis responsionibus non tetigit. Verùm cùm unius horum scriptorum auctor, Nicetas Pectoratus monachus nempe, ipsomet præsente imperatore Constantino Monomacho intra legatorum manus ea quæ adversùs Romanam universamque Latinam Ecclesiam ratione azymorum, sabbati et matrimonii sacerdotum scripserat, anathematizâsset, id tamen legatis nondùm satis fuit, sed insuper ipsum adegerunt, ut omnes eos, qui negarent Ecclesiam Romanam esse primam omnium Ecclesiarum, aut illius semper orthodoxam fidem vel in minimo præsumerent reprehendere, anathematizaret. « Insuper anathematizavit cunctos qui « ipsam sanctam Ecclesiam Romanam negarent « primam omnium Ecclesiarum esse, et qui « illius fidem semper orthodoxam præsumerent « in aliquo reprehendere. » Post quæ Nicetas sequenti die ad legatos se contulit, à quibus tam probè instructus fuit, ut de omnibus convictum eum in suam communionem ac amicitiam receperint.

Sub prædicti seculi finem S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, in tractatu quem adversùs Græcos de processione Spiritûs sancti edidit, sibi ipsorum nomine hæc objicit, cur Symbolo additum fuerit : *Filioque ?* item, quòd, si hoc faciendum fuisset, cur priùs negotium istud Ecclesiæ Græcæ non fuerit communicatum, ut super eo deliberaretur, hæcque additio communi consensu fieret? Primæ objectioni sic respondet : « Si quæratur, cur « hoc factum sit, dicimus, quia necesse erat « propter quosdam minùs intelligentes. » Secundæ verò, cur nempe desuper à Græcis nullum consilium expetitum fuerit, ita satisfacit : « Respondemus, quia et erat nimis difficile eorum episcopos de hâc re colligere, nec « erat necesse, unde non dubitant hoc in « quæstionem adducere... Quantò magis licuit « Latinis hoc constanter proferre, in quo omnes gentes et omnia regna quæ Latinis utuntur litteris, pariter concordant! » Hæ autem sancti Anselmi responsiones necessariò supponunt fuisse in Ecclesiâ Latinâ quamdam auctoritatem conciliis œcumenicis vel superiorem, vel ad minimum æqualem, eamque infallibilem. Nam Græcorum objectio inde proveniebat, quòd scilicet generalia concilia prohibuissent, ne quidquam concilio Constantinopolitano adderetur.

Hugo Ethevianus Tuschus in tractatu, quem seculo duodecimo Constantinopoli edidit, expressiùs adhuc desuper mentem suam exponit; sic enim loquitur : « Si Constantinopolitana synodus Nicæno adjecit Symbolo : *In Spiritum*

« sanctum *Dominum et vivificantem, ex Patre* « *procedentem;* si Chalcedonensis synodus quo- « que Constantinopolitanæ addidit synodo ; « *Perfectum in divinitate, perfectum in humani-* « *tate,* etc., nullâ reprehensione, nullâque « calumniâ notandus est antiquioris Romæ « antistes, quòd causâ interpretationis dictio- « nem unam, ex Filio procedere Spiritum, « sanctorumque plurium episcoporum, scien- « tissimorum cardinalium consensu habito, « apposuerit. Licuit enim ei semperque licebit « fratres confirmare, decreta edere, cudere « interpretationes, sicubi aliquid obscurè scri- « ptum sit. »

Cùm verò eodem seculo Anselmus Avelsburgensis episcopus ab imperatore Lothario legatus Constantinopolim missus fuisset, indictum antea colloquium super articulis, qui binas dividebant Ecclesias, cum Nechite Nicomediensi archiepiscopo, ad hoc, tanquàm suæ gentis viro eruditissimo, delecto, iniit. Unus autem hujus colloquii seu collationis articulus de Romano pontifice institutus est; nec ibi quæstio fuit de ejus primatu, quippe quem Nechites ultrò agnoscebat, ut capite primo ostendi, sed de ejus absolutâ duntaxat potestate ac infallibilitate, quam Græci ferre non poterant. Anselmus è contrario utrumque tanquàm ad fidem spectans propugnavit. Sufficit ad omnium convictionem, ea ipsa quæ dictus episcopus hâc de re profert, retulisse. Paulò quidem prolixiora sunt, at, ut spero, nullam cuiquam molestiam creabunt. Postquàm igitur de patriarchis Alexandrino et Antiocheno, qui propter D. Petrum quasdam prærogativas meruerunt, disseruisset, hæc addit: « Ad hoc etiam sancta Romana Ecclesia « præ cæteris à Domino præelecta speciali « privilegio ab ipso donata est, et beatificata, « et quasi quâdam prærogativâ omnibus Ec- « clesiis præeminet, et jure divino antecellit. « Aliis namque diversis in temporibus variis « hæresibus occupatis, et in fide catholicâ « nutantibus, illa supra petram fundata et so- « lidata semper mansit inconcussa, nullis falsis « et sophisticis hæreticorum argumentis à sim- « plicitate fidei... avelli potuit, quia scuto di- « vinæ sapientiæ, Domino largiente, contra « dolosas quæstiones semper munita fuit..... « Unde Dominus sciens alias Ecclesias hære- « ticâ impulsione nimiùm vexandas, et Roma- « nam Ecclesiam, quam ipse supra Petrum « fundaverat, nunquàm in fide debilitandam, « dixit Petro : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat* « *fides tua; et tu aliquando conversus, confirma* « *fratres tuos;* ac si apertè ei dicat: Tu qui « hanc gratiam accepisti, ut aliis in fide nau- « fragantibus, semper in fide immobilis et con- « stans permaneas, alios vacillantes confirma « et corrige, et tanquàm omnium provisor, et « doctor, et pater, et magister, omnium cu- « ram et sollicitudinem gere. Meritò ita pri- « vilegium prælationis super omnes accepit, « qui in conservandâ integritate fidei præ om- « nibus privilegium à Domino susceperat. »

Ulteriùs idem auctor : « Quocirca, inquit, « nulli fidelium convenit aliquatenùs dubitare, « seu in quæstionem ponere, sed firmissimè « tenere, quòd Petrus à Domino princeps Apo- « stolorum sit constitutus. Quemadmodùm au- « tem solus Romanus pontifex vice Petri vicem « gerit Christi, ita cæteri episcopi vicem ge- « runt Apostolorum sub Christo, et vice Chri- « sti sub Petro, et vice Petri sub pontifice « Romano ejus vicario. Nec in hoc aliquatenùs « derogatur alicui Apostolorum, si unicuique « humiliter suum attribuitur officium. »

Anselmus denique ad ipsum Nechitem orationem vertens : « Ecce vides, inquit, quasli- « bet hæreses hìc et ubique exortas à petrâ « fidei per Petrum Apostolum collisas et de- « structas; itaque non solùm ex prædictis, « verùm etiam ex aliis multis conciliis per « Orientem celebratis, necnon etiam ex plu- « rimis Africanorum conciliis, in quibus variæ « hæreses damnatæ sunt, constat Romanam « Ecclesiam duo privilegia divinitùs habere, « videlicet præ omnibus incorruptam purita- « tem fidei, et super omnes potestatem judi- « candi. »

Nullus à me expetet, ut reor, quatenùs plura ex isto auctore adducam. Sed ut liquidò constet, quòd in hoc colloquio de supremâ Romani pontificis potestate ac infallibilitate quæstio agitata fuerit, unicam hìc ex Nechitis responsionibus solummodò adducam : « Quæ si ita « sint, inquit, quid igitur nobis Scripturarum « scientia ? quid nobis litterarum studia, quid « sapientum Græcorum nobilissima ingenia ? « Sola Romani pontificis auctoritas, quæ, sicut « tu dicis, super omnes est, universa hæc « evacuat. Solus ipse sit episcopus, solus ma- « gister, solus preceptor, solus de omnibus sibi « soli commissis soli Deo sicut solus bonus pas- « tor respondeat. Quòd si autem in vineâ Do- « mini cooperatores habere velit, servato sibi « suo primatu, sua exaltatio ipsi humilitatis « præbeat motivum, neque fratres suos despi-

« ciat, quos Christus Jesus, qui veritas est, in « sinu Ecclesiæ genuit ut liberi sint, non ut « mancipia efficiantur. » Et inferiùs : « Hæc de « Ecclesiâ Romanâ elocutus sum, inquit, non « ut te offenderem ; enimverò illam æquè ac tu « veneror, quamvis illam tecum in omnibus « non sequar, nec id opus esse arbitrer. Interim « iis omnibus quæ de illius auctoritate protu- « listi stantibus, nihil nobis aliud reliquum fo- « ret, quàm ut omnes ritus nostros in admi- « nistratione sacramentorum absque ullo exa- « mine, imò ipsâ inconsultâ Scripturâ desere- « remus, illamque, quòcumque ejus cupiditas « duceret, clausis oculis sequeremur. »

Hæc sunt inconvenientia illa, quæ dictus archiepiscopus Nicomediensis adversùs supremam Romanorum pontificum auctoritatem ac infallibilitatem proponebat. Viderint illi, qui nostrâ ætate eamdem impugnant, num non ad partes hujus schismatici Græci transeant, atque propemodùm eadem quæ ille dicant.

Occurrunt mihi decimo tertio seculo duo famosi auctores, qui Græcos refutârunt : D. Thomas scilicet et S. Bonaventura, uterque Facultatis Parisiensis doctores. Ambo autem et absolutam Romanorum pontificum potestatem et infallibilitatem eorum tuentur. Ita desuper loquitur D. Thomas de Potest. q. 10, art. 4, ad 13 : « Sicut autem, inquit, posterior syno- « dus potestatem habet interpretandi symbolum « à priore synodo conditum, ac ponendi aliqua « ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet, « ita etiam Romanus pontifex hoc suâ auctori- « tate potest, cujus auctoritate sola synodus et « congregari potest, à quo sententia synodi « confirmatur, et ad ipsum à synodo appellatur; « quæ omnia patent ex gestis synodi Chalcedo- « nensis. Nec est necessarium quòd ad ejus « expositionem faciendam universale concilium « congregetur, cùm quandoque id fieri prohi- « beant bellorum dissidia, sicut in sextâ synodo « legitur quòd Constantinus Augustus dicit quòd « propter imminentia bella universaliter epi- « scopos congregare non potuit. Sed tamen illi « qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta « sequentes sententiam Agathonis papæ deter- « minaverunt, scilicet, quòd in Christo sint « duæ voluntates et duæ actiones. Et similiter « Patres in Chalcedonensi synodo congregati, « secuti sunt sententiam Leonis papæ, qui « determinavit Christum esse in duabus naturis « post incarnationem. » Recidet occasio plura adhuc ex divo Thomâ adducendi. S. Bonaventura de eâdem difficultate de quâ S. Thomas agens, de processione videlicet Spiritûs sancti, sic de Græcis loquitur : « Quia cùm reputarent « se sciolos, et vocati non fuerunt, noluerunt « profiteri quòd non erat per eos inventum. » Et paulò inferiùs addit quòd iidem Græci facti fuerint hæretici et schismatici, hæretici quidem, eò quòd opinionem suam tueri volentes, auctoritati Romanæ Ecclesiæ obsistere ausi sint ; schismatici verò, eò quòd ab ejus unitate recesserint.

Possem hìc alios adhuc auctores adducere, qui adversùs Græcos dimicantes summorum pontificum auctoritatem, eorumque infallibilitatem propugnârunt ; verùm hi sufficiunt ad demonstrandum quòd in illâ quoad papam contentione de his duobus articulis quæstio principaliter agitata fuerit.

Quòd si quis quærat quid hi duo articuli ad quæstionem de processione Spiritûs sancti, quæ contentionis illius principale objectum erat, faciant, respondeo quòd essentialem ad eamdem habuerint relationem ; et quidem hoc modo : Summus pontifex additionem illam, *Filioque,* Symbolo factam, auctoritate suâ firmârat, atque per hanc auctorisationem definierat, Spiritum sanctum æquè à Filio ac Patre procedere. Atqui nonnisi suprema in Ecclesiâ auctoritas, Symbolo in secundâ synodo œcumenicâ confecto, omniumque subsequentium conciliorum auctoritate firmato cum expressâ etiamnum prohibitione, ne quis in posterum quidquam in eo mutare præsumeret, aliquid addere poterat. Nonnisi item infallibilis quædam auctoritas fidei articulum definire poterat. Primum igitur adversùs Græcos justificari non poterat, nisi ipsis probaretur ac demonstraretur, papam pollere auctoritate ipsis etiam œcumenicis conciliis superiore ; sed et neque secundum, nisi illum in suis decisionibus infallibilem asserendo. Et hoc est quod Catholici, qui Ecclesiam adversùs Græcos schismaticos defenderunt, semper propugnârunt.

Libenter viderem, quomodò theologus ille, qui hos duos articulos negat, si ipsi res cum perito quodam Græco intercederet, se extricare quiret. Videtur mihi quòd Græcus ille, hujus theologi principiis insistens, ipsum cogeret ad hæc duo fatenda : Primum, quòd de fide non sit Spiritum sanctum ex Filio procedere, alterum, quòd Latini additionem illam, *Filioque,* faciendo, contra ordinem à Christo in suâ Ecclesiâ stabilitum prævaricati sint. Sic enim Græcus ille argumentaretur : Secundùm vos, domini mei theologi Galli, papa decidendo

articulum quemdam, non potest fideles ad suam decisionem tanquàm fidei articulum recipiendam obligare, quippe cùm auctoritas illius infallibilis non sit; ad hoc requiritur consensus totius Ecclesiæ vel congregatæ vel saltem dispersæ : illi enim soli Christus infallibilitatem in fidei dogmatibus promisit. Atqui articulus processionis Spiritûs sancti ex Filio æquè ac ex Patre ante nostram separationem in nullo concilio œcumenico definitus fuit, ut ipsimet concedere cogimini; nec ab Ecclesiâ dispersâ definitus fuit; nos enim Græci, qui tunc cùm, prout contenditur, à papâ decisus fuit, mediam ad minimum Ecclesiæ partem componebamus, nullatenùs ei consensimus, verùm contra reclamavimus, contrariamque semper professi sumus doctrinam. Ergo ille articulus secundùm vestra principia non poterat pro articulo fidei haberi, donec in aliquo œcumenico concilio pro tali decisus fuisset. Unde immeritò nobiscum tanquàm schismaticis et hæreticis hactenùs actum est, quòd decisioni, quæ vobis ipsis ultrò fatentibus fallibilis erat, acquiescere renuerimus. Et quia ab eo tempore nostri episcopi semper in hâc sententiâ perstiterunt, eosque repudiârunt, qui ex nostrâ natione in quibusdam conciliis eidem articulo consenserunt, semper quoad hoc punctum in eodem statu, in quo initio eramus, permanemus, semperque jus retinemus asserendi quòd articulus iste ex consensu totius Ecclesiæ nunquàm definitus fuerit.

Quod additionem Symbolo factam spectat, cùm vos ipsi concedatis quòd nulla auctoritas illud quod semel in conciliis œcumenicis determinatum fuit, mutare aut attingere possit, ex quo plura concilia generalia expressè prohibuerunt ne quis vel minimum in Symbolo Constantinopolitano tangere præsumeret, imò quædam synodi in illos qui ei quidquam addere vel demere ausi fuissent, anathema pronuntiârunt, diffiteri haud poteritis, quin ii, qui hanc additionem fecerunt, anathema incurrerint; et quia universa Latina Ecclesia hanc additionem fecit, vel saltem acceptavit, concludere oportet quòd universa vestra Ecclesia in anathema lapsa sit, atque contra ordinem à Christo Domino pro regimine suæ Ecclesiæ stabilitum prævaricata fuerit.

Vix ac ne vix quidem capio, quî theologus Gallus ille se manibus hujus Græci subripere valeret. Peritissimum quemdam illorum, quorum opera habemus, desuper consulere, quidque huic Græcanæ objectioni responderet, perspicere placuit; at sanè nihil debilius refutatuque facilius inveni, quàm id quod, ut se hoc incommodo ac difficultate liberet, in medium profert.

Auctores verò catholici, qui seculo nono et sequentibus adversùs Græcos calamum strinxerunt, nullam prorsùs hìc difficultatem aut incommodum sensêre; ipserum ætate Ecclesia nullatenùs dubitabat quin papa potestate omnibus conciliis superiore gauderet, ejusque decisiones in materiâ fidei infallibiles forent, omnesque fideles ad interiorem assensum obligarent.

CAPUT XI.

De mente Patrum et auctorum ecclesiasticorum super auctoritate Romanorum pontificum, eorumque in materiâ fidei infallibilitate, à seculo nono ad Scholasticorum usque tempora.

Initium sumo ab auctore Annalium Metensium, qui ad annum 865 ita loquitur : « Tiedgaudus et Guntarius Romam proficiscuntur, « ut coepiscopos suos ostenderent ecclesiastica atque apostolica exercuisse decreta; « stultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri « sedem aliquo pravo dogmate fallere posse « arbitrati sunt, quæ nec fefellit, nec ab ali« quâ unquàm hæresi falli potuit. »

Raterius episcopus Veronensis, qui initio seculi decimi floruit, in suo Itinerario ita de Ecclesia Romanâ loquitur : « Quâ ignoran« tiâ, quò meliùs exui, quò aptiùs possum, « quàm Romæ doceri ? Quid enim de eccle« siasticis dogmatibus alicubi scitur, quod « Romæ ignoretur ? Illìc summi illi totius or« bis doctores, illìc præstantiores enituerunt « universalis Ecclesiæ principes, illìc decre« talia, pontificum universorum congregatio, « examinatio canonum, approbatio recipien« dorum, reprobatio spernendorum; pos« tremò nusquàm ratum, quod illìc irritum, « nusquàm irritum quod illìc ratum fuerit vi« sum. Ubinam ergo meliùs insipientiæ con« sulitur meæ, quàm ubi fons sapientiæ cer« nitur esse ? »

S. Petrus Damian., in Epistolâ ad antipapam Honorium II, inter alia sic loquitur : « Præ« terea, si eos sacri canones hæreticos no« tant, qui cum Romanâ Ecclesiâ non con« cordant, quâ tu judicaberis dignus esse « sententiâ, qui, » etc.

Alibi de istius Ecclesiæ dignitate ad clerum populumque Mediolanensem sermonem faciens : « Quo pacto, inquit, honore indiget

« parvuli hominis, quæ laudes atque præco-
« nia ex ipsius ore sortita est Salvatoris? Quæ
« autem provincia per omnia regna orbis ter-
« rarum ab ejus ditione extranea reperitur,
« cujus arbitrio ipsum quoque cœlum ligatur
« et solvitur? Omnes autem sive cujuslibet
« patriarchatûs apices, sive metropoleon pri-
« matus, aut episcopatuum cathedras, vel
« Ecclesiarum cujuscumque ordinis dignita-
« tes, sive rex, sive imperator, sive cujusli-
« bet conditionis, homo purus instituit, et
« prout voluntas aut facultas erat, specia-
« lium sibi prærogativarum jura præfixit;
« Romanam autem Ecclesiam solus ille fun-
« davit, et super petram fidei mox nascentis
« erexit, qui beato vitæ æternæ clavigero ter-
« reni simul et cœlestis imperii jura commi-
« sit. Non ergo quælibet terrena sententia,
« sed illud verbum, quo constructum est cœ-
« lum et terra, per quod denique omnia con-
« dita sunt elementa, Romanam fundavit Ec-
« clesiam. Illius certo privilegio fungitur,
« illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium
« quin... qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab
« ipso summo omnium Ecclesiarum capite
« traditum auferre conatur, hic procul du-
« bio in hæresim labitur, et hic dicendus est
« hæreticus; fidem quippe violat, qui adversùs
« illam agit, quæ mater est fidei, et illi con-
« tumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis
« haud prætulisse cognoscitur. » Etin fine opus-
« culi: Ecce, inquit, omnem discretionis illius
« ordinem apud Mediolanensem urbem habi-
« tum breviter exposuimus; adhuc tamen
« utrùm sedis Apostolicæ judicio placeat,
« ignoramus. Nos enim si quid erravimus, ad
« Petri magisterium corrigendi libenter acce-
« dimus, et retractationis opprobrium non
« veremur. Hæc est enim illa, ut ita loquar,
« officina fabrilis, cui nimirùm is qui fabri
« dicebatur filius, præsidet, ad cujus regulam
« omnis meritò moneta reducitur, ad cujus
« rectitudinis lineam, quidquid uspiam fuerit
« depravatum, reformatur. »

Idem denique sanctus ad quemdam Orientis patriarcham ratione processionis Spiritûs sancti scribens, sic eum alloquitur: « Laudabilis
« planè sanctitatis vestræ prudentia, quæ
« solvendam sancti Spiritûs quæstionem, non
« ad alium quempiam refert, sed ad Petrum
« specialiter, quem cœlestis sapientiæ et po-
« tentiæ claves accepisse indubitanter agnos-
« cit. Nec decebat tantæ dignitatis et sapien-
« tiæ virum ab alio mysterii cœlestis arcana
« requirere, nisi ab illo potissimùm, quem
« non caro potuit, vel sanguis instruere, sed
« cui Deus ipse per se sua decreta dignatus est
« aperire. *Beatus es*, inquit, *Simon Barjona*,
« *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pa-*
« *ter meus, qui in cœlis est.* Hunc enim præ
« cæteris mortalibus de toto terrarum orbe
« Conditor orbis elegit, cui cathedram ma-
« gisterii principaliter in Ecclesiâ tenere,
« perpetuo privilegii jure concessit, ut quis-
« quis divinum aliquid ac profundum nôsse
« desiderat, ad hujus præceptoris oraculum
« doctrinamque recurrat. »

D. Anselmus Lucensis, in suo adversùs antipapam Guibertum opere, sic de summâ Romani pontificis potestate loquitur: « Romanus enim
« pontifex, ut sapientes nôrunt, non modò
« deponi, sed etiam nullo christiano jure à
« quolibet potest judicari. » Quoad infallibilitatem autem ipsius sic habet: « Firmamentum
« enim fidei christianæ in eorum sedibus per
« B. Petrum sessorem earumdem ita Deus lo-
« cavit, ut si unus ex tribus principalibus pa-
« triarchis ceciderit, duo stent; quòd si duo
« ceciderint, cùm pro fide Petri, ne deficiat, à
« Christo oratum sit, unius scilicet Romani
« patriarchæ fides, in quâ fratres suos confir-
« met, nunquam deficiat. Quod utique Christus
« Deus noster jam ostendere dignatus est in
« universalibus synodis jam octies universali-
« ter celebratis. Nam uno vel duobus à fide
« corruentibus, Romanus in ejusdem fidei fun-
« damento, licet pulsatus, licet concussus,
« tamen stetit immobilis. Cœlum enim et terra
« transibunt, verba autem ejus non transi-
« bunt, qui dixit: *Tu es Petrus, et super hanc*
« *petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ*
« *inferi non prævalebunt adversùs eam.* »

S. Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis, agens in quâdam synodo contra Thomam archiepiscopum Eboracensem, qui de primatu Angliæ cum illo ex eo contendebat, quòd D. Gregorius declarare potuisset, si voluisset, quòd privilegia, quæ Augustino concedebat, etiam ad ejus successores extendi deberent, in hæc ei respondet: « Quando Dominus et
« Salvator noster Jesus Christus dixit B. Pe-
« tro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædi-*
« *ficabo Ecclesiam meam; et tibi dabo claves*
« *regni cœlorum;* potuisset adjicere, si voluis-
« set: Eamdem potestatem successoribus tuis
« concedo. Verùm dicti prætermissio nihil re-
« verentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne
« his obviàm? referesne adversa? Enimverò

« omnium Christianorum conscientiis est in-
« dictum, ut nihilo minùs quàm beato Petro,
« successoribus ejus et minantibus adtremant,
« et serenam dignitatem indulgentibus gau-
« denter applaudant. Estque tunc omnium
« demùm ecclesiasticarum rerum rata dispen-
« satio, si successorum B. Petri fuerit com-
« probata judicio. Quid illud agit, nisi vis di-
« vinæ liberalitatis per Dominum Jesum à B.
« Petro in vicarios ejus diffusa?.... Ita quodam
« respectu sedes Romana est genus et totum
« omnium Ecclesiarum; et tamen in unaquâ-
« que Ecclesiâ totius christianæ fidei tota re-
« gnat integritas. Ipsa est major omnium Ec-
« clesiarum; et quod in eâ valet, debet valere
« in minoribus, ut potestas primi cujuscumque
« Ecclesiæ principis in succedentes dimanet,
« nisi si quid personaliter et nominatim exci-
« piatur. »

S. Anselmus divi Lanfranci in sede Cantuariensi successor, opus suum de Incarnatione Verbi Urbano papæ II dedicavit; sic igitur in suâ Epistolâ dedicatoriâ dictum Urbanum papam alloquitur : « Quoniam divina Providentia
« vestram elegit sanctitatem, cui vitam et fi-
« dem christianam custodiendam, et Ecclesiam
« suam regendam committeret, ad nullum re-
« ctiùs alium refertur, si quid contra catholi-
« cam fidem oritur in Ecclesiâ, ut ejus aucto-
« ritate corrigatur; nec ulli alii tutiùs, si quid
« contra errorem respondetur, ostenditur, ut
« ejus prudentiâ examinetur. » Ad quæ consequenter S. Anselmus opus suum censuræ summi pontificis subjicit. Meritò igitur Epistola dedicatoria ista hunc præfert titulum : *Domino et patri universæ Ecclesiæ in terrâ peregrinantis summo pontifici Urbano*, etc. Idem sanctus de omnibus Romanis pontificibus disserens sæpiùs in suis Epistolis hæc repetit: « Qui cùm dedi-
« gnantur apostolicis decretis, quæ ad robur
« christianæ religionis papa facit, esse obe-
« dientes, Petro utique Apostolo, cujus vice
« fungitur, imò Christo, qui Petro suam com-
« mendavit Ecclesiam, se probant esse inobe-
« dientes; quærant igitur, qui vicarii Petri,
« et in eo Petri et Christi decreta christiana
« contemnunt, alias regni cœlorum portas,
« quia certè per illas non introibunt, quarum
« claves Petrus Apostolus portat. Omnes nam-
« que, qui nolunt subjecti esse legi Dei, abs-
« que dubio deputabuntur inimici Dei. »

Patres concilii Quintelneoburgensis in Saxoniâ propè urbem Halberstadium, anno 1085, contra Germaniæ schismaticos celebrati, celebre etiam de doctrinâ Catholicorum suæ ætatis super infallibilitate summorum pontificum, eorumque in Ecclesiâ absolutâ potestate, reddunt testimonium. Sic enim in dicto concilio habetur : « Cùm ergo omnes juxta ordinem
« suum consedissent, prolata sunt in medium
« decreta sanctorum Patrum de primatu sedis
« Apostolicæ, quòd nulli unquàm liceat ejus
« judicium retractare, et de ejus judicio ju-
« dicare. Quod de totius synodi publicâ profes-
« sione laudatum et confirmatum est; et hoc
« utique contra Henricianos, qui fideles S.
« Petri constringere voluerunt, ut excommu-
« nicationem domini papæ Gregorii super Hen-
« ricum cum illis retractare præsumerent.
« Quidam autem (addit concilium) Bamber-
« gensis clericus, nomine Cunibertus, Romani
« pontificis primatui derogare volens, in me-
« diam synodum se contulit, asserens Roma-
« nos pontifices hunc sibi primatum adscrip-
« sisse, non aliunde concessum hæreditâsse,
« videlicet ut nullus de eorum judicio judicare
« debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant.
« Qui cùm apertè à totâ synodo confutaretur,
« præcipuè tamen à quodam laico convictus
« est per illud evangelicum : *Non est discipulus*
« *supra magistrum.* Cùm enim hoc generaliter
« in omnibus ecclesiasticis ordinibus obser-
« vandum deputetur, nec major à minore ju-
« dicetur, quis hoc vicario S. Petri denegare
« potuit, quem omnes Catholici pro domino
« et magistro venerantur? »

S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis, celebris ille ac famosus ecclesiasticæ libertatis propugnator, in Epistolâ ad omnes Angliæ episcopos, sic de sanctâ Romanâ sede loquitur: « Quis Romanam Ecclesiam caput omnium Ec-
« clesiarum et fontem catholicæ doctrinæ am-
« bigit esse? Quis claves regni cœlorum Petro
« traditas esse ignoret? Nonne in fide et doc-
« trinâ Petri totius Ecclesiæ structura consur-
« git, donec occurramus omnes Christo in vi-
« rum perfectum, in unitatem fidei, et agni-
« tionem Filii Dei?.... Quicumque sit, qui rigat
« aut plantat, Deus nulli dat incrementum
« nisi illi qui plantavit in fide Petri, et doctri-
« næ ipsius acquiescit. Sanè ad eum maxima po-
« puli judicia referuntur à Romano examinanda
« pontifice. Et dispositi sub eo matris Ecclesiæ
« magistratus, quatenùs in partem sollicitudi-
« nis acciti sunt, creditam exercent potestatem. »
« Et ep. 122 : « Solus, inquit, infidelis, aut qui
« eum errore superat hæreticus aut schismati-
« cus apostolicis obtrectat obedire mandatis.

Joannes Salisburiensis S. Thomæ contemporaneus et amicus, loquens de summo pontifice hæc habet : « Cujus ministerio Spiritus « sanctus totius falsitatis figmenta condemnat. »

S. Bernardus præclarum illud ac fulgidum ecculi duodecimi lumen, non minùs clarè quàm alii de Romanorum pontificum infallibilitate eorumque absolutâ in Ecclesiâ potestate disserit. Nam Innocentio papæ II scribens, his eum alloquitur : « Oportet ad vestrum referri « apostolatum pericula quæque et scandala emer- « gentia in regno Dei, et præsertim quæ de fide « contingunt. Dignum namque arbitror ibi po- « tissimùm resarciri damna fidei, ubi non po- « test fides sentire defectum. Hæc quippe præ- « rogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dic- « tum est : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat « fides tua?* Ergo quod sequitur, à successore « Petri exigitur : *Et tu aliquando conversus, con- « firma fratres tuos.* Id quidem modò necessa- « rium. Tempus est, ut vestrum agnoscatis, « pater amantissime, principatum, probetis « zelum, ministerium honoretis. In eo planè « Petri impletis vicem, cujus tenetis et sedem; « si vestrâ admonitione corda in fide fluctuan- « tia confirmatis, si vestrâ auctoritate conte- « ritis fidei corruptores... Cùm non aliud esset, « quod agerem pro injuriâ fidei, quam dole- « bam, operæ mihi pretium arbitror, si illum « monui, cujus arma potentia à Deo ad des- « tructionem in contrarium asserentium, ad « destruendam omnem altitudinem se extol- « lentem adversùs scientiam Dei, et in capti- « vitatem redigendum omnem intellectum ad « obsequium Christi. » Ex hoc D. Bernardi loco liquet, quòd nihil omnium eorum omiserit, quæ adduci possunt ad infallibilitatem Romanorum pontificum, eorumque supremam in fidei quæstionibus in Ecclesiâ potestatem nobis persuadendam : 1° Ad eorum sedem omnes quæstiones in ejusmodi materiâ emergentes referri oportet; 2° hoc ideò fieri debet, quia Romani pontifices in fidei decisionibus sunt infallibiles ; 3° ipsorum infallibilitas est fundata super promissiones Christi Domini; 4° omnes fideles his decisionibus mentem suam subjicere tenentur; 5° cùm sic summo pontifici obediunt, ipsi Christo Domino præstant obedientiam. Agebatur illâ occasione de erroribus Petri Abaelardi, divusque Bernardus non suo tantùm, sed etiam omnium Galliæ episcoporum nomine scribebat. Et quamvis synodus Senonensis Abaelardi errores, priusquàm sanctam sedem appellâsset, tanquàm doctrinæ sanctorum Patrum contrarios provisionaliter damnâsset, nihilominùs illius synodi Patres totum illud negotium ad summum pontificem retulerunt, illumque rogârunt, ut ultimatò de hoc negotio sententiam ferre dignaretur : « Nos « autem, inquiunt, licet appellatio ista minùs « canonica videretur, sedi tamen Apostolicæ « deferentes, in personam hominis nullam « voluimus proferre sententiam. Cæterùm sen- « tentias pravi dogmatis ipsius, quia multos « interfecerant.... tam verissimis rationibus, « quàm B. Augustini, aliorumque sanctorum « Patrum inductis à domino Clarævallensi au- « ctoritatibus, non solùm falsas, sed et hære- « ticas esse evidentissimè comprobatas, pridiè « ante factam ad vos appellationem damnavi- « mus. Et quia multos in errorem perniciosis- « simum et planè damnabilem pertrahunt, eas « auctoritate vestrâ, dilectissime domine, per- « petuâ damnatione notari, et omnes qui « pervicaciter et contentiosè illas defenderint, « vobis, æquissime pater, juxtâ pœnâ mulctari, « unanimiter et multâ precum instantiâ postu- « lamus. »

Objicit quidam auctor anonymus anno 1719 impressus, quòd, in negotio Gilberti de Porreriâ, cùm hic episcopus fideï suæ formulam confecisset, quam ad papæ judicium reformaturum se pollicebatur, S. Bernardus et episcopi synodi Rhemensis ex adverso etiam fidei suæ formulam confecerint, atque cum hâc declaratione summo pontifici obtulerint, quòd apud ipsos firmiter statutum esset, nec minimum in eâ mutare, sed quòd in suâ fide perstituri omninò essent. Ex quo hic auctor infert quòd nec D. Bernardus, qui synodi anima erat, nec episcopi, qui eidem synodo interérant, papam infallibilem censuerint. Facti seriem refert Godfridus monachus Cisterciensis in Epistolâ ad cardinalem Albanensem. Ego verò ex facto certo, quòd D. Bernardus papam infallibilem crediderit, Galliæque episcopi illum ut judicem in fidei quæstionibus infallibilem agnoverint, prout primùm demonstravi, infero quòd neque D. Bernardo, neque dictæ Rhemensis synodi Patribus id unquàm in mentem venerit, atque quòd, si cum quâdam audaciâ locuti sunt, id fecerint ex confidentiâ quam tum de catholicitate sui Symboli, tum de obtinendâ à summo pontifice illius confirmatione, prout contigit, conceperant.

Ex modo quo Otho Frisingensis historicus huic facto contemporaneus, illud refert, satis apertè constat, quæ tunc temporis sententia

de Romani pontificis infallibilitate viguerit. Narrat ergo quòd, cùm cardinales comperissent S. Bernardum episcoposque Galliæ symbolum quoddam edidisse, id vehementer indignati fuerint, ac desuper tanquàm de temerariâ sanctæ sedis auctoritatis violatione apud Eugenium III graviter conquesti fuerint, sic eum inter alia alloquentes : « Sed quid fecit abbas « tuus, et cum eo Gallicana Ecclesia? Quâ « fronte, quo ausu cervicem adversùs Romanæ « sedis primatum erexit? Hæc est enim sola « quæ claudit, et nemo aperit, aperit, et nemo « claudit. Ipsa sola de fide catholicâ discutere « habens, à nullo etiam absens hoc singulari « honore præjudicium pati potest. Sed ecce « Galli isti, etiam faciem nostram contemnen- « tes, tanquàm finituræ sententiæ ultimam « manum apponendo, nobis inconsultis fidem « suam scribere præsumpserunt. » Cùm verò Eugenius III has cardinalium querelas D. Bernardo retulisset, longè abfuit ut hic vel minimùm contradiceret, quin potiùs summâ humilitate ac reverentiâ responderit, atque se ob illa quæ objecta fuerant excusârit : « Ille, « inquit de S. Bernardo Otho, humiliter et « cum reverentiâ respondit, se, vel dominos « episcopos, nihil de præfatis capitulis defi- « niisse, sed quia ab episcopo Pictavino audie- « rat ut fides sua scriberetur, idcircò quia solus « nollet, illorum auctoritate ac testimonio « simpliciter se, quod sentiret, exposuisse. « Hocque tam humili quàm modesto ipsius re- « sponso, prædicta cardinalium indignatio ac- « quievit; ita tamen ut præfatum scriptum « tanquàm inconsultâ curiâ prolatum, velut « auctoritatis pondere carens, pro symbolo in « Ecclesiâ, quod in conciliis contra hæreses « congregatis fieri solet, non haberetur. » Hæc Otho Frisingensis. Adeòque, si verum est illos qui hanc formulam papæ obtulerunt, nimis audacter locutos esse, se ipsos retractaverunt per os illiusmet qui hujus scripti auctor erat, illudque sub episcoporum nomine composuerat.

Petrus Blesensis Urbano III papæ, nomine archiepiscopi Cantuariensis scribens, eique de ipsius in summum pontificem electione gratulans, sic Epistolam suam orditur : « Domus « Dei, quæ in lapide adjutorii super fundamen- « tum Apostolorum et prophetarum stabilita « est, à Petro et successoribus ejus formam « semper eruditionis et statum incolumitatis « accepit. Quod enim stipiti rami, quod ca- « piti membra, quod radii soli, quod fonti « rivuli, hoc Apostolicæ sedis eminentiæ, de- « bent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum « Religio christiana fundavit. »

Aelredus abbas Rievalensis in Angliâ, scribens in Isaiam prophetam, huncque locum ex Canticis canticorum exponens : *Si ignoras te, egredere :* « Quàm multi, inquit, fratres, hodiè « nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, « egressi sunt de Ecclesiâ, et separantes se à « vicario Christi, sequuntur præambulum an- « tichristi! Fratres, nemo vos seducat inanibus « verbis, nemo vobis dicat : Ecce hìc Christus, « vel ecce illìc, cùm in fide Petri semper sit « Christus, quam sancta Romana Ecclesia spe- « cialiter mutuavit à Petro, et servat in petrâ, « quæ est Christus... hujus Ecclesiæ primus « princeps Petrus fuit, cui dictum est : *Super « hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et « iterùm : *Pasce oves meas;* et : *Tibi dabo cla- « ves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris « super terram, erit ligatum et in cœlis,* etc. Hæc « est Ecclesia..., cujus plenitudo potestatis in « ipsius principe primo, de Oriente transmi- « grans in Occidentem, auctoritate Spiritûs « sancti in Romanâ resedit Ecclesiâ... Ex hinc « ob specialem excellentiam ipsius Ecclesiæ « episcopi, presbyteri et diaconi appellati sunt « cardinales... Sicut enim summus pontifex « ex legitimâ, et ut ita dicam, hæreditariâ « successione Petri obtinet principatum, ita « cæterorum Apostolorum potestas in cardi- « nales constat esse transfusa. Hæc est Eccle- « sia Romana, cui qui non communicat, hære- « ticus est. Illius interest, consulere omnibus, « judicare de omnibus, omnibus providere, « ad quam in Petro vox ista dirigitur : *Et « aliquando conversus, confirma fratres tuos.* « Quidquid ipsa statuerit, suscipio; appro- « bo, quod approbaverit; quod damnaverit, « damno. »

Petrus abbas Cellensis cuidam monacho abbatiæ S. Albani in Angliâ secundùm doctrinam in Epistolâ D. Bernardi ad canonicos Lugdunenses contentam, ratione festi Conceptionis beatæ Virginis scribens, idem quod S. Bernardus asserit; sic enim loquitur : « Est tamen « auro locus in quo conflatur, et habet argen- « tum venarum suarum principia, sedem Petri « et curiàm Romanam, quæ claves cœli prin- « cipaliter tenet, et clausura conciliorum Dei « reserata dispensante Deo, unguentum gratiæ « à capite usque in oram vestimenti habet « compluere. Hæc sedes Petri, id est, petra, « in quâ Moyses residet, videlicet lex Dei in-

« maculata convertens animas, fragosa quæque « hæreticorum conciliabula elidit et allidit, « profanas vocum novitates resecat et rescin- « dit, superflua confodit et jugulat, hiantia et « eclyptica complet et illustrat. Utinam salvâ « veritatis auctoritate lance communis concilii, « hæc domina et moderatrix totius christiani- « tatis, Conceptionem Virginis librâsset et ap- « probâsset, à mari usque ad mare hanc pro- « pagâsset, sole, id est, apostolico, ac lunâ, id « est, curiâ Romanâ præeunte! Tam securè « quàm expeditè in lumine vultûs eorum gres- « sus meos ponerem et disponerem ; ex hoc « videns vitare lubricum, et sequi solidum « et securum. » Hæc Petrus abbas monasterii Cellensis ad quemdam monachum, etc.

Cùm episcopi provinciæ Senonensis ab archiepiscopo Lugdunensi ad discutiendam concessionem investiturarum, quam Paschalis II ab imperatore Henrico adactus fecerat, ad concilium invitati fuissent, eò ire renuerunt, dictoque archiepiscopo per Ivonem Carnotensem inter alia hæc rescripserunt : « Ad hæc « non videtur nobis utile consilium, ad ea con- « cilia convenire, in quibus non possumus eas « personas, contra quas agitur, condemnare « vel judicare. Quia nec nostro, nec ullius ho- « minum probantur subesse judicio... Excusa- « mus innocentiam nostram, quâ et principales « Ecclesiæ claves nolumus suâ potestate priva- « re, quæcumque persona vices Christi habeat, « nisi manifestè ab evangelicâ veritate disce- « dat. » Idem Ivo Carnotensis Epist. 8 de Ecclesiâ Romanâ disserens : « Hujus, inquit, « judiciis et constitutionibus obviare planè est « hæreticæ pravitatis notam incurrere. »

Rupertus abbas idipsum, quod alii de summis pontificibus asserit : « Tantis autem hære- « sibus, inquit, lib. 2 de divin. Offic., c. 22, fer- « mentata est Græcia, ut mirum videri non de- « bet hoc, quòd de fermento immolat. Tantæ è « contra sinceritatis semper fuit sancta Ro- « mana Ecclesia, ut cui deest Scripturarum « notitia, vel argumentandi facultas, sola illi « de azymo contra Græcos sufficere debeat « ejus auctoritas. Nam (addidit) Constantino- « politana non solùm hæreticos, sed hæresiar- « chas protulit multos ; Romana verò Ecclesia « super apostolicæ fidei petram altiùs fundata, « firmiter stetit, et tam Græciæ quàm totius « orbis hæreticos semper confutavit, et de « excelso fidei tribunali datâ sententiâ judi- « cavit. »

Idem auctor exponens hunc Apocalypsis locum : *Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis*, ait quòd per has sedes intelligi debeant omnes ecclesiasticæ dignitates, imò ipsæ inferiores potestates, quibus Deus tribuit jus potestate clavium judicandi. Post quæ hæc addit : « Summum judicii hujus tri- « bunal in Ecclesiâ paratum est Romanâ, ubi « sedes Apostolica beati Petri, et nomine, et « corpore fundata est ; cui specialiter dictum « est : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædi- « ficabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves « regni cœlorum.* »

Jacobus de Vitriaco in suâ Historiâ Orientali eadem quæ alii habet ; sic enim loquitur, c. 15 : « Patet ergo, cùm super hanc petram, « pro quâ Dominus rogavit, ut non deficeret « fides ejus, post Christum ædificata sit et « fundata Christi Ecclesia, quòd omnes qui ab « Ecclesiâ Romanâ recedunt absque funda- « mento ædificant, in vanum laborantes, et « ab eo qui à Domino Cephas appellatus est « separati, acephali et monstruosi homines « meritò sunt reputandi. »

Potho abbas Prumiensis diœcesis Trevirensis duodecimi seculi auctor, in opere *de Domo Dei* intitulato, quod anno 1152 edidit, sic de Romanis pontificibus loquitur : « In totâ hâc « domo solus beatus Petrus cum suis succes- « soribus plenitudinem potestatis accepit. Un- « de quicumque in partem sollicitudinis vocat « sunt, ut quæ in partem regenda susceperunt, « providâ dispensatione gubernent, ejus au- « ctoritate roborandi, ejus exemplis infor- « mandi sunt, qui in plenitudine potestatis « toti Ecclesiæ præesse dignoscitur. » In de- cursu verò dicti operis sic habet : « Præsum- « ptuosum est enim quibuslibet prælatis vete- « rum statuta immutare, nova instituere, cùm « solùm id Apostolicæ sedis dispensationi con- « cessum sit, ut pro temporis necessitate, vel « pro Ecclesiæ utilitate, aliquid de institutis « Patrum commutare possit. Unde beatorum « pontificum Gelasii et Leonis decreta in hâc « sententiâ concordant. Ubi necessitas non est, « nullo modo Patrum statuta violentur ; ubi « verò necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, « qui præest, ea dispenset. Sed hæc dispensa- « tio, ut diximus, penes illum est, qui vicem « Christi in terris agit, cui unà cum Petro di- « citur à Domino : *Et tu aliquando conversus, « confirma fratres tuos.* Ipse namque est, qui « tanquàm fidelis et prudens dispensator super « familiam Domini constitutus est, ut det illis « in tempore tritici mensuram. Solus totius

« domûs Dei, quæ est Ecclesia, curam gerit... « Nec mireris, si Romani pontifices hanc semper peculiariter habuerint potestatem, ut « canones pro tempore dispensarent. Ipsi enim « sunt auctores canonum, et illa sedes semper « hoc habuit privilegium, ut ligatum vel solutum sit quidquid ipsa ligaverit vel solverit. « Unde juxta attestationem sanctorum Patrum, « omnibus Ecclesiis præeminet, et de omnibus « judicare potest. » Hæc tempore sancti Bernardi omnium fides voxque fuit.

Stephanus episcopus Tornacensis eodem tempore scribens ad aliquem, qui certa quædam privilegia impugnabat : « Examen istud, « inquit, reservate summo pontifici, qui solus « habet potestatem et condendi novos canones, et exponendi veteres, et interpretandi « privilegia sua, et corrigendi aliena. »

Hildebertus Turonensium episcopus in Epistolâ quâ Honorium papam II rogabat, ut unam ex suis synodis confirmare dignaretur, sic eum alloquitur : « Hæc igitur vobis, sanctissime « pater, significanda censuimus, quatenùs acta « canonicè vestra dignetur confirmare auctoritas.... Non gravemini, confirmatione apostolicâ roborare ac prohibere, ne quis omninò rescindere, vel aliquâ ex parte minuere « præsumat. » Non igitur juxta memoratum Hildebertum licitum est ad censuram seu dubium id revocare, quod semel auctoritate summorum pontificum firmatum est.

Abbas Ursbergensis, referens in suâ Historiâ ea quæ in synodo Romanâ sub Paschali II gesta fuerant, ad irritanda ea quæ papa iste vi adactus Henrico imperatori ratione investiturarum concesserat, atque inter alia memorans quòd episcopus quidam factum istud hæresis notâ inurere, ipsumque papam hæreticum dicere præsumpsisset : « Ad hæc, addit, « patientia domini papæ horrendo hæresis « nomine pulsata, expergefacta est, et manu « silentium indicens, dixit : Ecclesia ista nunquàm hæresim habuit, imò hìc omnes hæreses conquassatæ sunt ; hìc Ariana hæresis, « Sabelliana, etc., contrita est. Pro hâc Ecclesiâ oravit Christus, cùm dixit : *Ego rogavi « pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* »

Cùm Barlaam episcopus Hieropolitanus Græcus seculo decimo tertio Ecclesiæ Romanæ fidem quoad processionem Spiritûs sancti amplexus fuisset, hæc inter alia ad quemdam amicum de motivis suæ conversionis scripsit : « Necessarium autem arbitror adhuc, et illud « tibi ostendere, quòd licet tria dixi superiùs « esse, quæ coegerunt me credere, et ex Filio « Spiritum sanctum procedere, hoc est, multos magnorum sanctorum hoc apertissimè « tradere ; matrem Ecclesiarum hoc semper « dicere ; per generale concilium etiam fuisse « affirmatum ; tamen quodlibet horum sine aliis « per se visum, non habens reliqua duo opposita, satis se habere considero, ut id ipsum « credatur. »

Idem auctor in aliâ Epistolâ totius Ecclesiæ Latinæ cum Romano pontifice unionem deprædicans, sic de illâ disserit : « Pluralitas « principiorum, et carentia principii similis « sunt inordinationis. Romanæ gentis universa « multitudo sub uno est ordinata principio, « Ecclesiâ videlicet Romanâ, et ejus præsule, « quem omnes honorant, non tanquàm armis « et vi, sed tanquàm à Domino Christo ordinatum.... Illius mandata cum omni reverentiâ omnes, non tanquàm apostolica tantùm, « verùm etiam dominica scripta recipiunt et « adorant. Et nihil ita durum ab eo jubetur, « ut non quietè parati sint ad implendum, et « omnes ab illo corrigi sua, et retractari suscipiunt. »

Manuel Caleca seculi decimi quarti Græcus auctor, postquàm dixerat quòd Romanus pontifex pastor primus, et totius Ecclesiæ pater, universalisque omnium Christianorum judex esset : « Qui pastor primus et Ecclesiæ totius « pater, universalisque Christianorum omnium « judex esse comprobatur, » addit quòd in reconciliatione Græcorum schismaticorum cum Ecclesiâ Romanâ, inter alia ad id adigebantur, ut nempe expressè agnoscerent ac crederent quòd fides Ecclesiæ Romanæ, quæ omnium fidelium mater et magistra est, in materiâ dogmatum ecclesiasticorum semper sana persistat. « Ut Romanam Ecclesiam in ecclesiasticis « dogmatibus matrem fidelium atque magistram sanâ semper fide esse crederent. »

CAPUT XII.

De sententiâ theologorum scholasticorum super auctoritate Romanorum pontificum in Ecclesiâ, atque eorum infallibilitate in fidei quæstionibus à seculo duodecimo usque ad concilii Constantiensis tempus.

Ab Hugone à sancto Victore ordior ; hunc, quamvis seculo duodecimo floruerit, et consequenter divo Bernardo contemporaneus fuerit, ideò tamen hoc ordine ponere volui, quia communiùs scholasticis quàm sanctis Patribus adnumeratur. Hic ergo auctor de summo pontifice agens, inter alia sic scribit : « Papa dici-

« tur, quia pater patrum. Hic universalis dici- « tur, quia universæ præest Ecclesiæ. Hic « quoque apostolicus appellatur, quia principis « Apostolorum vice fungitur. Hic etiam sum- « mus pontifex nuncupatur, quia caput est « omnium episcoporum... Huic claves tradun- « tur, sicut Petro à Domino, ut se janitorem « regni cœlorum esse cognoscat. Hujus offi- « cium est missas et divina officia ordinare, « canones etiam pro tempore ad utilitatem « Ecclesiæ promulgare, vel immutare..., totam « Ecclesiam vice Christi gubernare. Itaque « papa vicem et locum tenet Christi episcopi « Apostolorum. »

Albertus Magnus ex his Christi verbis : *Rogavi pro te,* etc., concludit quòd D. Petri successores in nullum unquàm errorem lapsuri sint : « Hoc argumentum, inquit, efficax est « pro sede Petri, et successore ejus, quòd fides « ejus non finaliter deficiat. »

Divi Thomæ mentem jam in illo capite retulimus, ubi de contentione Ecclesiam inter et Græcos disseruimus; operæ tamen pretium est hìc etiam illum ut theologum scholasticum contemplari. Sic ergo in suâ Summâ loquitur : « Nova editio Symboli necessaria est ad evi- « tandum insurgentes errores. Ad illius ergo « auctoritatem pertinet editio novi Symboli, « ad cujus auctoritatem pertinet finaliter de- « terminare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus « inconcussâ fide teneantur. Hoc autem perti- « net ad auctoritatem summi pontificis, ad « quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæs- « tiones referuntur, ut dicitur in Decret. I. de « Baptismo c. *Majores.* Unde et Dominus Petro « dixit, quem summum pontificem constituit : « *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides « tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres « tuos.* Et hujus ratio est, quia una fides debet « esse totius Ecclesiæ. Quod servari non pos- « set, nisi quæstio fidei exorta determinetur « per eum qui toti Ecclesiæ præest, et sic « ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter tenea- « tur. Et ideò ad solam auctoritatem summi « pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut « et alia omnia quæ pertinent ad Ecclesiam, « ut congregare synodum generalem, et alia « ejusmodi. » Idem Angelicus doctor, in alio Summæ loco iisdem fermè verbis eadem repe- tit : « Postquàm, inquit, ea essent auctoritate « universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali « ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreti- « cus censeretur. Quæ quidem auctoritas prin- « cipaliter residet in summo pontifice. Dicitur « enim 24, q. 1 : Quoties fidei ratio ventilatur, « arbitror omnes fratres nostros et coepiscopos, « nonnisi ad Petrum, id est, ad sui nominis et « honoris auctorem referre debere. Contra « cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec « Augustinus, nec aliquis sacrorum doctorum « suam sententiam defendit. »

Doctor Launoius, qui his doctoris Angelici verbis eludendis imparem se sensit, coactus fuit fateri, eumdem pro supremâ summorum pontificum potestate ac infallibilitate stetisse. Ne autem etiam fateri cogeretur, hanc fuisse antiquam theologicæ Parisinæ Facultatis doctrinam, istud quæsivit subterfugium, asserens D. Thomam opere aliquo, quod tunc temporis tanquàm D. Cyrilli fœtus falsò circumferebatur, deceptum, ad hanc opinionem adduci se permisisse. Verùm, præterquàm quòd divus Thomas de S. Cyrillo non loquatur, nec istis Summæ, quæ modò retuli, locis illum citet, hæc distinctio locum quidem habere posset, si per hæc divus Thomas novam opinionem in Ecclesiam introduxisset : atverò, cùm procul ab hoc nihil aliud egerit quàm ut id quod priori ad suam ætate semper traditum fuerat, sectaretur, prout præcedentibus capitibus demonstravimus, opus utique illi non erat ad id, de quo primùm disserui, tradendum, ut sententiam suàm dubiis auctoritatibus fulciret, alienamque ab eâ quam tota ipsi monstrabat antiquitas, viam iniret. Hæc igitur doctori Launoio pro nunc sufficere debent; nos ulteriùs pergimus.

Divus Bonaventura doctor Parisiensis æquè ac S. Thomas eamdem cum eo tum de auctoritate, tum de infallibilitate Romani pontificis mentem tenet ac doctrinam. Id jam in alio hujus operis capite demonstravimus, verùm non incongruum erit hìc ipsius mentem paulò prolixiùs retulisse. Postquàm igitur asseruerat, quòd tria Græcos ad negandam Spiritûs sancti ex Filio processionem induxerint, videlicet ; *superbia, ignorantia* et *pervicacia; ignorantia* quidem, eò quòd Scripturam non intelligerent; *superbia* verò, eò quòd de suâ scientiâ nimis quàm præfisi, à Latinis hujus articuli, quem ipsis inconsultis acceptârant, cognitionem recipere noluerint; *pervicacia* denique, eò quòd argumenta conquisierint, quorum ope Latinorum sententiam rejicere possent : « Et « ideò, addit, sententiam suam defendere ausi « sunt, et auctoritati Ecclesiæ Romanæ ob- « viare, et ideò facti sunt hæretici, quia ne- « gant fidei veritatem, et schismatici, quia « recesserunt ab Ecclesiæ unitate. » Postea hic

sanctus doctor, respondens objectioni Græcorum, quâ contendebant fas non fuisse, ut quidquam Symbolo adderetur, eò quòd id expressè concilia generalia sub anathematis pœnâ prohibuissent: « Et ad hoc, ait, patet responsio « per prædicta, quia non corrumpimus, sed « perficimus, nec sententia lata est contra « perficientes, sed contra corrumpentes (in- « tellige *Symbolum*) vel potest dici, sicut dicit « Anselmus, quòd novum edidimus, quòdque « facere potuimus, quia Romana Ecclesia pleni- « tudinem potestatis à Petro Apostolorum prin- « cipe acceperat, in quam nulla Patrum sen- « tentia, nec interdictum proponere, nec « arctare potuit, nec ei præjudicare, nec « ligare eam ad aliquid. »

Thomas Bradvardinus theologus Anglicus in Præfatione sui operis *de Causâ Dei* intitulati, propositâ sibi materiæ, quam tractandam suscipiebat, difficultate, in eâque securis passibus incedere cupiens, ita se exprimit: « Scio « quid faciam : illi me navi committam quæ « perire non poterit, navi Petri. In ipsâ nam- « que auctor et magister noster unicus noster « Christus tutissimè residens, de ipsâ legitur « docuisse, mysticè nobis insinuans, quòd apud « ipsam Petri naviculam, apud Romanam Ec- « clesiam, totius christianæ doctrinæ auctori- « tas et magisterium remaneret. Hujus igitur « tam authenticæ, tantæque magistræ judicio « me totum, meaque omnia scripta, seu scri- « benda plenè subjicio, integrèque submitto. »

Joanni Parisio non sufficit infallibilitatem Romanorum pontificum tradere, sed insuper illius necessitatem sequenti discursu stabilit: « Una est, inquit, omnium fidelium Ecclesia, « unus populus christianus. Et ideò, sicut in « quâlibet diœcesi unus est episcopus, qui est « caput Ecclesiæ in illo loco, vel populo; ita « in totâ Ecclesiâ et toto populo christiano est « unus summus episcopus, papa scilicet Roma- « nus Petri successor. Nam post corporalem « substractionem præsentiæ corporalis Christi, « convenit interdùm circa ea quæ sunt fidei « quæstiones moveri; in quibus propter diver- « sitatem opinionum vel sententiarum divide- « retur Ecclesia, quæ ad suî unitatem requirit « fidei unitatem, nisi per unius sententiam « Ecclesiæ unitas servaretur. Hic autem prin- « cipatum hujusmodi habens, est Petrus, suc- « cessorque ejus, non quidem synodali ordina- « tione, sed ex ore Domini, qui Ecclesiæ suæ « noluit deficere in necessariis ad salutem. » Et infra : « Ne propter diversitatem controver- « siarum unitas fidei destruatur, necesse est « unum esse superiorem in spiritualibus, per « cujus sententiam controversiæ terminentur. »

Petrus Bertrandus episcopus Augustodunensis, seculo decimo quarto nomine omnium Galliæ episcoporum in favorem jurisdictionis ecclesiasticæ disserens : « Inter Christianos, « inquit, necessaria est spiritualis potestas, « quam Christus dedit beato Petro, quando ei « commisit regimen universalis Ecclesiæ. Origo « hujus potestatis immediatè fuit à Deo, vide- « licet à Christo tradente eam certæ personæ, « scilicet Petro pro se et suis successoribus, à « quibus derivatur in alios. Cùm prædictam « jurisdictionem habeat papa sine limitatione « loci et personarum, ideò omnes Christiani « ubicumque sint, debent ei obedire. » Quòd si hæc doctrina, quæ papæ illimitatam super universam Ecclesiam potestatem, idque jure divino tribuit, atque in episcopis nonnisi ab illâ derivatam jurisdictionem agnoscit, modernis Galliæ episcopis ad palatum non est, id exinde provenit, quòd prædecessorum suorum doctrinam, ut nova principia sectentur, deseruerint.

Joannes de Celaia Facultatis Parisinæ doctor infallibilitatem summorum pontificum in materiâ fidei clarissimè docet; sic enim loquitur : « Quinta conclusio est ista : Romanæ « sedis judicium, in his, quæ fidei sunt, et ad « humanam salutem necessaria, errare nequit. « Quod probatur ex promissione Salvatoris « Luc. 22, quæ verba allegat Bernardus scri- « bens Innocentio papæ, etc. Ad replicam res- « pondetur negando antecedens; imò neces- « sarium est dicere quòd non intelligitur de « universali Ecclesiâ : nam subjungitur : *Et « tu aliquando conversus, confirma fratres tuos;* « idcircò divus Cyrillus, et divus Chrysosto- « mus, et divus Leo, et beatus Agatho, et divus « Bernardus, et Anselmus, et Albertus Magnus, « et divus Thomas glossant præfatam auctori- « tatem de Ecclesiâ Romanâ, ut distinguitur « ab aliis Ecclesiis. »

Stephanus episcopus Parisiensis seculo item decimo quarto, de mente Decani et Capituli suæ cathedralis, Guillelmi archiepiscopi Viennensis theologiæ professoris, viginti trium in theologiâ doctorum, et triginta novem Facultatis Parisinæ baccalaureorum, sic de Ecclesiâ Romanâ disserit : « Nos igitur attendentes « cum eis (id est, Decano, Capitulo, cæteris- « que, quos primùm adduxi) quòd sacrosancta « Romana Ecclesia fidelium omnium mater et

« magistra in firmissimâ Petri Christi vicarii « confessione fundata, ad quam velut ad uni- « versalem regulam catholicæ veritatis pertinet « approbatio doctrinarum et reprobatio, decla- « ratio dubiorum, determinatio tenendorum, « et confutatio errorum, » etc.

Sub finem ejusdem seculi universa Facultas theologica Parisiensis se infallibilitatem summorum pontificum ut fidei articulum agnoscere profitetur; nam qui tunc hanc facultatem componebant, sic loquuntur : « Quidquid dicturi « sumus, totum correctioni et judicio sedis « Apostolicæ, et sedentis in eâ summi ponti- « ficis humiliter submittimus; dicentes cum « beato Hieronymo, 24, q. 1 : *Hæc est fides,* « *pater beatissime, quam in Ecclesiâ catholicâ* « *didicimus, in quâ si quid minùs peritè, aut mi-* « *nùs cautè fortè aliquid positum est, emendari* « *petimus à te, qui Petri fidem et sedem tenes.* « Non ignoramus enim, sed firmissimè tene- « mus, et nullatenùs dubitamus, quòd sancta « sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra « quam, eodem Hieronymo teste, fundata est « Ecclesia, ut habetur in eâdem q., c. *Quoniam* « *vetus,* et sicut dicit Cyprianus 93 dist. c. *Ca-* « *thedram.* De quâ sede in personâ Petri Apo- « stoli in eâ sedentis dictum est : *Petre, rogavi* « *pro te, ut non deficiat fides tua,* Luc. 22. Hæc « est igitur, ad quam determinatio fidei, et « approbatio veritatis catholicæ, ac hæreticæ « impietatis detestatio maximè pertinet. »

Et hæc erat sub finem decimi quarti seculi, ac paulò ante celebrationem conciliorum Pisani et Constantiensis, adhuc sententia et doctrina Facultatis theologicæ Parisinæ. Non particulares quidam doctores, verùm tota Facultas in corpus coacta, ita se per suos deputatos papam alloquendo exprimebat. Pessimè igitur ad propositum, et contra veritatem, moderni doctores contrariam opinionem pro antiquâ suæ Facultatis doctrinâ venditare moliuntur; enimverò si quis ad tempora binis hisce conciliis superiora reverti velit, deprehendet sanè quòd præfatæ Facultatis doctores sive in particulari, sive in corpus coacti, contrarium ei quod hodiè tenent docuerint.

Nonnisi unicum adhuc pro coronide præsentis capitis Natalis Britonis, Gallicani etiam theologi, ordinis fratrum Prædicatorum generalis, referam testimonium, quod sanctus Antoninus archiepiscopus Florentinus ex hujus auctoris tractatu de Potestate Papæ excerptum adducit. Sic ergo theologus ille loquitur : « In totâ universitate christianâ debet esse « conformitas de his quæ pertinent ad verita- « tem fidei, et bonos mores circa necessaria ad « salutem. Sed talis conformitas non potest « salvari nisi in ordine ad unum caput, seu « unum præsidentem, ad quem spectat sen- « tentiare quid credendum et quid non cre- « dendum. » Atqui illud caput secundùm hunc theologum non est aliud nisi papa; consequenter vides infallibilitatem ut tale quid, sine quo fidei unitas in Ecclesias conservari non potest, ab ipso agnitam.

CAPUT XIII.

Reflexiones quædam super iis quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt.

Prima reflexio quæ occurrit in eo constitit quòd omnes Ecclesiæ Patres, quos præcedentibus capitibus adduxi, omnes auctores ecclesiastici, et omnes scholastici, qui de primatu summorum pontificum, eorumque in Ecclesiâ absolutâ potestate, auctoritate et infallibilitate scripserunt aut docuerunt, hæc privilegia super famosa illa Evangelii loca : *Tu es Petrus,* etc., *Ego rogavi pro te,* etc., et : *Pasce oves meas,* fundârint, seque desuper omnes vel expressè, prout patet ex locis et textibus, quos hâc de re retuli, declaraverint; vel, si quidam sint qui id expressè non fecerunt, apertè saltem id ipsum supposuerint, atque per ea quæ desuper effati sunt, clarè insinuaverint. Non privati quidam Patres, quibus alii contradixerint, non simpliciter uno aut altero Ecclesiæ seculo, sed perpetuâ ac nunquàm interruptâ omnium seculorum serie; non simpliciter in Ecclesiâ Occidentali, sed insuper in Orientali; Græci æquè ac Latini ii ipsi sunt, qui quoad hoc punctum ita mentem suam in ipsis etiam œcumenicis synodis exposuerunt; verbo, hæc universæ Ecclesiæ traditio est. Et cùm nunquàm licitum fuerit, sed à concilio Tridentino expressè prohibitum sit, Scripturam in sensu à sanctis Patribus, atque à fortiori toti traditioni contrario exponere, viderint illi, qui nostris diebus in controversiam adducunt, num sedis Apostolicæ privilegia fundata sint in adductis Evangelii locis, an sua agendi ratio sustineri possit, utrùm non potiùs per concilium Tridentinum damnata sit.

Verum quidem est quòd inter textus quos adduxi, non pauci Patres sint, qui hæc verba. *Super hanc petram,* de fide divi Petri explicent; atverò sic explicando ea de fide Petri vivâ, et in cunctis suis successoribus subsistente, intelligunt secundùm hanc concilii Chalcedonensis

expressionem ; *Petrus per Leonem locutus est.* Evidens autem est quòd hoc in idem redeat.

Secunda reflexio est, quòd oporteat, ut doctor Launoius vel eam non habuerit eruditionem, quam ipsi ejus fautores attribuunt, vel iniquæ fidei fuerit, cùm quæstionem de quâ nunc agitur, tractaret; quippe qui potiorem reticuerit partem locorum ac textuum quos adduxi, quique demonstrant totam antiquitatem prærogativas summorum pontificum super loca Scripturæ, quæ ipse examinabat, fundâsse, sibi sufficere arbitratus, textibus textus ingenti numero superaddere, qui decidendæ quæstioni, quam tractamus, nullatenùs inservire possunt. Præterquàm enim quòd, ut alibi jam dixi, explicationes, quas quidam Patres dederunt, illas quæ summis pontificibus favent, non excludant, aut minimum quid illis contrarium contineant, nonne ridiculum est huic doctori, quòd innumerabilia conciliorum et Patrum loca, qui necessitatem et efficaciam gratiæ super ista verba : *Ego rogavi pro te,* etc., stabilierunt, congesserit, quasi verò id à quoquam in dubium vocaretur, aut quasi quis negaret quòd infallibilitas Romanorum pontificum singularissimæ Christi Domini erga summos pontifices gratiæ effectus sit, quamvis eam illa gratia, quam theologi *gratum Deo facientem* vocant, non semper comitetur! Gratia enim infallibilitatis, in quantum à Salvatore summis pontificibus promissa, suum super omnes gentes ac hominum corda absolutum probat imperium. Imò hic doctor tam exiguo judicio egit, ut nobis auctores tanquàm sensui quem propugnamus parùm favorabiles, ut S. Thomam, Cajetanum, Maldonatum, aliosque plures citet, quos tamen summorum pontificum infallibilitatem sustinuisse, prædictosque textus in dictæ infallibilitatis favorem alibi explicâsse certum est.

Tertia reflexio eruitur ex iis quæ sanctus Augustinus in disputatione de peccato originali Juliano Pelagii sectatori dicebat ; cùm hæreticus iste episcopus perspexisset suam doctrinam à sanctâ sede damnatam esse, et nihilominùs in suo errore persistere cuperet, nomine suorum adhærentium petiit, ut tam ab Oriente quàm Occidente concilium generale convocaretur, in quo quæstio illa examinaretur ac decideretur; verùm D. Augustinus citatâ ipsi auctoritate decem vel duodecim ex utrâque mundi parte Patrum, qui eamdem quam Romani pontifices determinârant fidem tenuerant ac tradiderant, quærit ab ipso, num casu quo tale concilium, ut postulabat, congregaretur, in eo æqualis episcoporum numerus reperiendus foret, qui doctoribus, quos ipsi citârat, æquiparari possent, quique tantis meritis, tanto lumine, tantâque auctoritate pollerent, quantâ illi, quorum sententias ipsi primùm adduxerat. Idem profectò iis dicere possum, qui concilium generale postulant. Si modò unum congregaretur ad examinandam quæstionem infallibilitatis Romanorum pontificum, reperireturne inter Galliæ episcopos hanc infallibilitatem negantes tantùm prælatorum numerus, qui, sive meritum, sive scientiam, sive sanctitatem respicias, tam magno cœtui sanctorum summorum pontificum, sanctorum episcoporum, aliorumque sanctorum doctorum, qui summorum pontificum infallibilitatem tanquàm Ecclesiæ fidem docuerunt, quique absque ullo dubio omnia ea quæ dicti summi pontifices deciderunt, semper amplexi sunt, se comparare auderent ?

Verùm plus adhuc dico : Si quoddam generale concilium congregaretur, jam ultra tres episcoporum quadrantes cum dimidio reperirentur, qui infallibilitatem tanquàm suæ Ecclesiæ fidem, tanquàm doctrinam in omnibus suis universitatibus traditam, ab omnibus doctoribus propugnatam, ab omnibus Ecclesiarum suarum pastoribus, atque ab omnibus christianis orbis populis creditam tuerentur. Quòd si illis objiceretur quòd suarum Ecclesiarum traditionem mutârint, contrarium facilè probarent, per omnes quas recensui auctoritates, aliasque plures, quas brevitatis ergo omisi. Insuper demonstrarent quòd Galliæ episcopi illi ipsi sint, qui suæ Ecclesiæ traditionem mutârunt, quòdque necdùm centum effluxerint anni, cùm ipsorum prædecessores in corpus coacti infallibilitatem tanquàm super sacræ Scripturæ testimonia quæ attuli fundatam se agnoscere professi sunt.

Illusio igitur est credere et proferre quòd sufficeret in concilio, ne desuper cæteri episcopi ulteriùs insisterent, sustinere quòd doctrina infallibilitatis articulus fidei non sit ; nam hi episcopi responderent quòd si expressis verbis hactenùs decisus non fuerit, sufficienter per Ecclesiæ traditionem definitus sit, nihilque ampliùs supersit, quàm ut in omnem eventum ad examinandam hanc quæstionem concilium inchoetur, et quemadmodùm omnes dogmaticæ quæstiones in conciliis per Ecclesiæ traditionem definiri debent, cùm hæc traditio quoad *infallibilitatem* constans sit, quæstio ista

absque ullâ morâ in fidei articulum transiret. Imò asserere audeo quòd quasi unanimitas tantoperè à quibusdam ut necessaria ad decisiones fidei in œcumenicis conciliis jactitata, hâc occasione interveniret. Nam præter plus quàm tres episcoporum partes cum dimidiâ, ut supra jam diximus, id est, omnes episcopos, qui ex Galliâ non sunt, profectò certum est quòd si concilium liber conventus esset, magna Galliæ episcoporum pars se aliis jungeret, eamdemque doctrinam propugnaret, ita ut articulus iste non modò ad pluralitatem, quod controverti haud potest, sed et quasi unanimitatem transiret. Non arbitror ullum illorum quorum opinionem hìc oppugno, mihi quoad hoc ultimum factum, post ea omnia quæ ratione constitutionis *Unigenitus* ex parte maximi episcoporum Gallicanorum numeri gesta sunt, litem aliquam moturum esse.

CAPUT XIV.

Examinatur articulus quartus conventûs cleri Gallicani anni 1682.

Priusquàm hunc articulum referam, operæ pretium est notâsse, quali occasione, quibusque temporum circumstantiis, cusus fuerit. Tunc videlicet, cùm acerbæ coronam Galliæ inter et summum pontificem ratione extensionis regaliæ contentiones vigerent; tempore, quo Ludovicus XIV tam ob regaliam quàm alia capita graves cum Innocentio papâ XI simultates gerebat. Gallia igitur affligere volebat summum pontificem, unde eumdem in illis, quæ sensibiliores credebantur, partibus aggressa est. Infallibilitas in decidendis fidei dogmatibus una ex præcipuis esse videbatur, quapropter nec ista prætermissa fuit. Conventus igitur cogitur, ibique declaratur papæ judicia infallibilia non esse, nisi iisdem Ecclesiæ consensus accesserit. Qui verò conventum hunc componebant, magniloquis vocibus, sed inanibus, quippe quibus nihil dicitur, persuadere conati sunt, se nihil eorum summo pontifici auferre, quæ ipsi communiter fideles attribuere pergebant.

Verùm priusquàm ipsa verba præfatæ Declarationis cleri Gallicani referantur, non abs re erit, animadvertisse, quòd tunc primùm, ni fallor, clerus Gallicanus in unum collectus adversùs infallibilitatem summorum pontificum se declarârit. Hujus conventûs episcoporum prædecessores longè ab hâc opinione abfuerunt, utpote qui eodem seculo, fortissimo, quàm excogitari possit, modo, non semel tantùm contrariam doctrinam professi erant. Sic enim conventus anni 1626, in scripto Gallico ad omnes regni archiepiscopos et episcopos directo desuper mentem suam exposuerat ac explicârat : « Nullum majus argu-
« mentum veri erga Deum amoris exhiberi à
« nobis potest, quàm si debitâ veneratione eos
« prosequamur, quos ipse ad necessitates, ani-
« masque nostras curandas vicarios legatosque
« suos constituit. Id verò cùm præcipuè ac
« prærogativè ante omnes episcopos Romano
« pontifici conveniat, æquum omninò est, ut
« iidem episcopi et se pontifici subjectos agnos-
« cant, et aliis omnibus eximiæ in illum vene-
« rationis ac reverentiæ exemplum præferant.
« Hortamur igitur episcopos omnes, ut sacram
« Apostolicam sedem, Romanamque Ecclesiam,
« utpote in Dei sponsione infallibili, et Aposto-
« lorum ac martyrum sanguine fundatam,
« omniumque Ecclesiarum matrem omni ho-
« nore cultuque prosequantur. Ipsa enim, ut
« cum beato Athanasio loquamur, est sacer
« vertex ille, à quo in omnes Ecclesias velut
« in totidem membra omnis spiritus diffundi-
« tur, quo nutriuntur ac conservantur. Sanc-
« tissimum quoque patrem et pontificem nos-
« trum, quippe Ecclesiæ universalis caput vi-
« sibile, Deique in terris vicarium, episcopum
« episcoporum, et patriarcham patriarcharum
« venerabuntur ; is enim successor es Petri, à
« quo apostolatus episcopatusque initium ori-
« ginemque sumpserunt, et super quem Chris-
« tus Jesus Ecclesiam suam fundavit, quando
« illi claves regni cœlorum atque infallibilitatis
« donum in causis fidei reliquit, quam non
« sine ingenti miraculo immobilem illibatam-
« que in ejus successoribus durare etiamnum
« videmus; unde ingens illa in Romanorum
« pontificum decretis mandatisque amplecten-
« dis apud omnes fideles et orthodoxos obser-
« vantia profecta est. Hæc verò ut nihil de-
« trimenti capiat, episcoporum munus erit,
« curabuntque illorum improbitatem coerceri,
« qui obsequii omnis legumque impatientes,
« sacram hanc tot divinis humanisque legibus
« sancitam firmatamque auctoritatem in du-
« bium revocare, causamque reddere attentant
« et conantur, utque alios efficaciùs ad id per-
« moveant, primi ipsi exemplo præibunt. Cùm
« autem peculiari Spiritûs sancti ope et assi-
« stentiâ ad tanti momenti regiminis, quale est
« Ecclesiæ universalis, administrationem indi-
« geat summus pontifex, mandabunt episcopi
« ut in omnibus suæ diœcesis precibus pecu-

« liaris sanctissimi patris illius, qui Petri « solium tenuerit, memoria fiat, ut sic omnium « fidelium adjutus suffragiis, omnes suas curas « laboresque pro gloriâ Dei et bono suæ Eccle- « siæ animarumque salute ad felicem exitum « perducere valeat. » *C'est un des grands témoignages de l'amour qu'on porte à Dieu, quand on respecte et honore ceux qu'il a constitués en ce monde pour être son image et y tenir sa place, et en son lieu suppléer visiblement aux nécessités des hommes pour le salut de leurs âmes. Ce qui ayant été donné prérogativement aux souverains pontifes, par dessus tous les évêques, il est bien raisonnable que se reconnaissant ses inférieurs, ils leur portent tel honneur, respect et révérence, qu'à leur exemple, tout le reste des hommes fasse la même chose. Les évêques seront donc exhortés d'honorer le St.-Siége apostolique, et l'Eglise Romaine, fondée dans la promesse infaillible de Dieu, dans le sang des apôtres et des martyrs, la mère des Eglises; laquelle, pour parler avec saint Anathase, est comme la tête sacrée, par laquelle les autres Eglises, qui ne sont que ses membres, se relèvent, maintiennent et conservent; respecteront aussi notre saint père le pape, chef visible de l'Eglise universelle, vicaire de Dieu en terre, évêque des évêques et patriarche des patriarches, en un mot, successeur de St. Pierre, auquel l'apostolat et l'épiscopat ont eu commencement, et sur lequel Jésus-Christ a fondé son Église, en lui baillant les clés du ciel avec l'infaillibilité de la foi, que l'on a vue miraculeusement durer immutablement dans ses successeurs jusqu'aujourd'hui : et qu'ayant obligé les fidèles orthodoxes à leur rendre toute sorte d'obéissance, et de vivre en déférence à leurs saints décrets et ordonnances, les évêques seront exhortés de faire continuer la même chose, et réprimer, tant qu'il leur sera possible, les esprits libertins, qui veulent révoquer en doute et mettre en compromis cette sainte et sacrée autorité, confirmée par tant de lois divines et positives, et pour montrer le chemin aux autres, ils y défèreront les premiers. Or, étant besoin d'une assistance particulière du St-Esprit pour conduire un gouvernement si important, tel qu'est celui de l'Eglise universelle, les évêques ordonneront qu'en toutes les prières de leurs diocèses, il en soit fait une particulière pour le Saint-Père, qui sera séant en la chaire de saint Pierre; afin, qu'aidé des suffrages de tous les fidèles, tous ses soins et toutes ses peines réussissent à la gloire de Dieu, au bien de son Eglise, et au salut des âmes.*

Ita clerus Gallicanus initio decimi septimi seculi loquebatur, atque in summis pontificibus infallibilitatem agnoscebat. Necdùm etiam medio ejusdem seculi hujus regni episcopi quoad hoc punctum sententiam mutârant. Eodem enim modo in quâdam ad Innocentium X Epistolâ, cui 85 episcopi subscripserunt, loquuntur : « Majores causas, inquiunt, ad se- « dem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ « mos est, quem fides Petri nunquàm deficiens « perpetuò retineri pro jure suo postulat. « Æquissimæ huic legi obsequentes, etc. Ex- « perta est nuper beatitudo vestra, quantùm « Apostolicæ sedis in gemini capitis errore « profligando valuerit auctoritas. Continuò « sedata est tempestas, æquè ac ad Christi vo- « cem venti et mare obedierunt. »

In aliâ ad eumdem papam epistolâ, cui 30 episcopi subscripserunt, enucleatiùs adhuc infallibilitatem asserunt; sic enim loquuntur : « Judicia pro sanciendâ regulâ fidei à summis « pontificibus lata super episcoporum consul- « tatione, divinâ æquè ac summâ per univer- « sam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani « omnes ex officio, ipsius quoque mentis obse- « quium præstare teneantur. »

Episcopi Galliæ ita se initio et medio decimi septimi seculi exprimendo, nihil aliud agebant quàm ut doctrinam sibi à suis prædecessoribus seculo præcedenti consignatam sequerentur. Nam in conventu Melodunensi, anno 1579 celebrato, in articulo professionis fidei, omnibus episcopis, eorumque vicariis generalibus præscribitur, ut in omnibus synodis tam diœcesanis quàm provincialibus omnes fideles tam clerici quàm laici fidem quam Ecclesia Romana, quæ veritatis magistra, columen et fulcrum est, amplectitur et profitetur, palàm amplectantur ac profiteantur; hanc enim illam Ecclesiam esse, cui ob suum primatum omnes aliæ Ecclesiæ se accommodare tenentur.

Quî ergo accidere potuit, ut sub finem decimi septimi seculi, episcopi qui conventum anni 1682 componebant, propriarum Ecclesiarum derelictâ traditione, eidem contrariam omninò viam inierint, atque contenderint quòd judicia summorum pontificum in materiâ fidei non sint infallibilia? id sanè captu difficile est. Verùm in hujus rei rationes causasve, quæ mei fori non sunt, non ulteriùs inquiro, sed modò declaratorius cleri articulus referendus, ac in examen vocandus est. Sic ergo habet : *In fidei quoque quæstionibus, præcipuas summi pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.*

nec tamen irreformabile esse judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit. En famosum illum articulum, quem hi episcopi à suis Patribus se accepisse asserunt, cùm interim contrarium, in omnium qui ea quæ modò retulimus legunt, oculos saliat.

Sed operæ pretium videtur hìc demonstrare quòd bina illa prælegata, quæ episcopi initio hujus articuli summo pontifici tribuunt, in decisionibus scilicet, aut quæstionibus fidem concernentibus illius præcipuas partes esse, necnon decreta in hâc materiâ ab ipso emanata ad omnes generaliter Ecclesias, et ad unamquamque in particulari spectare, nihil aliud sint quàm formosa ac speciosa verba ad insinuandum quòd cùm papæ multùm conceditur, reipsà nihil ei tribuatur.

Quod primum horum prælegatorum vel primam harum prærogativarum attinet, jam satis liquidò constat quòd, cùm dicunt papam præcipuas in fidei quæstionibus partes habere debere, non id duntaxat velint, ut scilicet prælationem supra generale concilium habeat. Restat igitur, ut dicamus quòd hæc prælatio solummodò se extendat quoad concilia provincialia, aut episcopos particulares; atverò Franciæ episcopi, qui prædictum articulum sectantur, tam procul absunt ut judicium papæ in materiâ dogmaticâ concilii provincialis judicio præferant, quin potiùs suo particulari judicio illud etiamnum subjiciant. Et de facto, ex quo prætendunt, quòd quilibet episcopus summorum pontificum decreta in materiâ fidei non suscipiat, nisi priùs ea, et quidem in formâ judicii examinârit, non solùm quilibet episcopus papæ decisionem suæ non præfert, verùm è contrario penitùs illi subjicit, siquè papam malè judicâsse censeat, decretum ipsius rejicit, nec illius minimam rationem habet. Ubi ergo sunt præcipuæ illæ summorum pontificum partes in materiis fidei, quas cleri articulus tantoperè valere jubet, cùm non solùm supra concilia aut œcumenica aut provincialia nihil valeant, imò apud ipsos particulares episcopos ex Galliæ mente sine singulorum approbatione robur non habeant? Certum autem est quòd omnis judex, cui alterius judicis sententiam revidendi jus competit, quique eam rejicere potest, non modò se ut huic judicio inferiorem non reputat, quin potiùs quodammodò se tanquàm illius superiorem stabiliat. Et hæc quoad ea quæ primum articulum respiciunt. Examinemus modò et videamus num verum sit quòd secundùm Galliæ episcopos summorum pontificum decreta ad totam in genere Ecclesiam spectent, eàque quælibet Ecclesia in particulari acceptare teneatur? Atverò quî hoc verum esse potest, cùm secundùm illorum doctrinam, qui infallibilitatem impugnant, quilibet episcopus hujusmodi decreta, cùm ad se directa sunt, penes se retinere possit, eorumque publicationem impedire, si non ejusdem cum papâ sententiæ sit? Pronuntiet papa, decidatque, quantùmcumque voluerit, mittat quòcumque terrarum sua decreta, quilibet tamen Galliæ episcopus extemplò moram iis injicere, ea supprimere, atque omnibus suis diœcesanis subtrahere, necnon tanquàm quid non factum aut decretum respectu illorum reddere valebit.

Supponamus nihilominùs quòd talis episcopus ejusmodi decretum Romano-Pontificium cum omni reverentiâ suscipiat, suo judicio comprobet, utque sui diœcesani illud recipiant, expresso jubeat mandato, quomodò ipsius diœcesani respectu contentorum in ejusmodi decreto se gerere debebunt? tenebunturne illa credere, decretoque illi ut fidei articulo ulteriùs adhærere? Non utique; sed expectandum erit, quid desuper tota Ecclesia sive per expressum, sive per tacitum consensum dictura sit. Sed an non ei provisionaliter ob honorem erga summum pontificem tanquàm fidei articulo adhærere poterunt? Nihil minùs; fide namque divinâ provisionaliter non creditur; ad hoc enim infallibilis requiritur auctoritas; aliàs fide divinâ credi posset, quod in se ipso falsum esset. At si tota Gallicana Ecclesia illud recepisset, atque publicari fecisset, prout publicari fecit decretum Innocentii XII contra dominum de Fénelon archiepiscopum Cameracensem, an non tunc aliquis simplex fidelis illud tanquàm fidei articulum credere posset? Nullatenùs: sequendo hanc doctrinam, id non posset, oportet quippe, ut tam papæ decretum, quàm episcoporum mandata tanquàm particulares quasdam opiniones et dogmata, quæ quidem in veritate reverentiam mereantur, nec tamen sufficienti auctoritate polleant, ut ea cuncti fideles suscipere et acceptare teneantur, respiciat. At quomodò simplex quidam opifex, negotiator, rusticus scire poterit, quando tota Ecclesia consenserit, hi qui ad exteras regiones minimam habent relationem? an non manifestum est, quòd sic hujusmodi fideles ad impossibile reducantur, atque in perplexitate mori sinantur circa essentialissimos fidei articulos, quosque summi pontifices, magnusque

episcoporum numerus, imò universa fortè absque ullâ exceptione Ecclesia definierint.

Sed dicet fortè aliquis quòd horum fidelium episcopi curam gesturi sint ipsos de totius Ecclesiæ consensu certiores reddendi; verùm, omisso quòd id non faciunt, cùm ipsis sufficiat semel mandatum de recipiendo decreto dedisse; supposito quòd horum episcoporum unus fideles suos desuper certiores reddat, tenenturne ipsius verbis credere, idque sufficitne hujusmodi fidelibus, ut fidei divinæ actum elicere possint? An non apertum est quòd à pluribus quàm duodecim annis, quibus Constitutio *Unigenitus* orbem vidit, adhuc disceptetur num universa Ecclesia eam acceptârit necne, quamvis ubique satis superque nota sit, neque extra Galliam vel unus in toto terrarum orbe episcopus sit, qui reclamârit, aut se eam non acceptare testatus sit? Magnæ notæ ac nominis prælati ex omnibus mundi regionibus testimonia producunt; interim tamen de veritate ac sufficientiâ horum testimoniorum adhuc controvertitur, quamvis nullum in contrarium ipsis opponi possit. Quid ergo fieret, si omnes tacuissent, exterisque episcopis in silentio acceptare eam suffecisset? En fidelem semper eâdem molestiâ implicitum. Ex unâ parte summus pontifex decidit ac mandat omnibus fidelibus, ut sub anathematis atque ab Ecclesiæ sinu dismembrationis pœnâ suo decreto obediant; ex alterâ autem episcopi Galliæ Constitutionem publicant, atque sub iisdem pœnis diœcesanos suos obligant, ut interiori mentis assensu ac submissione eidem adhæreant, et tamen nullus horum id præstare tenetur, quin è contrario excommunicationes tanquàm res prorsùs inanes respicere tenentur, donec omnes totius terrarum orbis episcopi ad ipsis declarandum venerint, quòd post morosum examen atque cum traditione collationem Decretum aut Constitutionem hujusmodi tanquàm decretum dogmaticum Ecclesiæque fidem continens, acceptârint.

Sed ultima adhuc etiam hujus articuli verba examinemus, primisque comparemus; hæc ita habent: *In quæstionibus fidei præcipuas summi pontificis esse partes;* ultima sic sonant: *Nec tamen irreformabile esse ejus judicium, nisi accesserit Ecclesiæ consensus.* In hoc ergo jus papæ quoad fidei quæstiones sistere jubetur; ipsius videlicet Constitutiones tum demùm vim legis obtinent, nec postmodùm à quoquam in dubium revocari possunt, cùm scilicet tota Ecclesia iis consensum dederit, easque acceptârit, quo deficiente, de se ipsis vel unicum fidelem ita subjiciendi, ut plenè eis acquiescat, vim non habent. Hoc autem supposito, contendo quòd cùm initio articuli dicitur, Romani pontificis in fidei quæstionibus præcipuas esse partes, vera inibi contradictio contineatur, eò quòd ad conditionem ultimi Ecclesiæ episcopi dictus summus pontifex redigatur, nec ipsi major auctoritas tribuatur, quàm minimæ totius orbis diœcesis præsul alterâ suæ consecrationis die habeat. Quod ut probem, suppono quòd novus hic episcopus quoddam doctrinæ punctum ad fidem pertinens definiat, illudque suis diœcesanis credendum proponat. Nec enim in hoc vel quoad minimum à principiis theologorum Gallicanorum discedo; tenent enim quòd episcopi hujusmodi quæstiones ante papam, cum papâ ac post papam definire possint. Certissimum autem est, nec id diffiteri poterunt memorati theologi, quòd si omnes totius mundi episcopi hujus præsulis decisioni consentiant, eamque tanquàm articulum ad fidem spectantem recipiant, ipsius judicium post hæc irreformabile futurum sit. Consequenter longè est, ut papa secundùm hæc principia præcipuas in fidei judiciis partes habeat, quin è contrario plus ei non tribuitur, quàm minimus totius orbis episcopus habeat. Quod in præsentiarum de istorum theologorum opinione dico, non est vana quædam suppositio; notum namque est quòd à tempore contentionum quæ theologorum mentes ratione Constitutionis *Unigenitus* in Galliâ hactenùs agitârunt, cùm quidam Gallicani episcopi in medium protulissent, quòd, quando papæ judicium major episcoporum numerus sequitur, tunc totus terrarum orbis se huic judicio submittere, illudque acceptare teneatur, reliqui hoc principium procul rejecerint, atque contenderint quòd, ut ejusmodi papæ judicium in legem transire posset, unanimitas, aut saltem quasi-unanimitas episcoporum requiratur. Etverò quid hoc aliud est, quàm tota papæ auctoritas ad simplicis cujusdam episcopi conditionem redacta, idque principiante remque fundante isto cleri articulo: *Nisi accesserit Ecclesiæ consensus?* Nam, aiebant hi ultimi prælati, pluralitas episcoporum non est tota Ecclesia; âtqui tota Ecclesia acquiescere debet; ergo majoris episcoporum numeri assensus cæteros obligare non potest.

At satisne benè advertunt hi episcopi ac theologi, quò sua principia eos abducant? Convenit inter omnes theologos, quòd aucto-

ritas Ecclesiæ dispersæ æquè magna sit, ac Ecclesiæ in unum collectæ; si ergo in Ecclesiâ dispersâ major episcoporum numerus papæ adunatus articulum fidei conficere non potest, quò auctoritas ipsorum œcumenicorum conciliorum deveniet? Sequetur quòd horum conciliorum auctoritas infallibilis non sit, nec ullum eorum quæ pro œcumenicis habemus, unquàm dicere potuerit : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Ratio hujus est, quia in nullo conciliorum, quæ Ecclesia tanquàm œcumenica recepit, vel media pars totius orbis episcoporum interfuit, imò quædam celebrata fuerunt, quibus nec sexta episcoporum pars aderat; si ergo verum est, quòd major episcoporum pars papæ conjuncta, articulum fidei cui omnes fideles obedire et subjici teneantur, condere non possit, verum etiam erit, nullum ex conciliis quæ pro œcumenicis agnoscimus articulum fidei conficere potuisse; quòd post definitionem concilii Nicæni de fide non fuerit Verbum divinum Patri coæquale esse; quòd post Constantinopolitanum, cui 150 tantùm episcopi interfuerunt, de fide non fuerit, Spiritum sanctum æqualem esse Patri et Filio; quòd post concilium Ephesinum, de fide non fuerit, unam tantùm esse in Christo personam, beatamque Virginem Dei Matrem esse; quòd post Chalcedonense, de fide non fuerit, duas esse distinctas ac inconfusè uni personæ in Christo unitas naturas. Et sic de cæteris, quæ referre nimis longum foret.

Quòd si quis dicat quòd ex quo hæc concilia ab universâ Ecclesiâ recepta fuerunt, eorum decisiones in dubium vocare nulli ampliùs licitum fuerit, nisi hæreseos notam incurrere mallet, ad hoc respondeo, 1° inde jam sequi quòd ea quæ in hujusmodi conciliis definita fuêre, de fide non fuerint, nullusque fidelium obligatus fuerit, iis interiori mentis assensu priùs acquiescere, nisi postquàm certitudo de totius orbis Ecclesiæ, id est, omnium episcoporum consensu obtenta fuisset. Et hoc unicum ipsamet utique concilia œcumenica auctoritate suâ privat ac dejicit; ii quoque, qui nostrâ hâc ætate tam validè ea reclamant, atque ut supremum ac infallibilem judicem appellant, per hoc tandem fateri coguntur, quòd non sint magis infallibilia quàm sit ipse papa, illorumque definitio, nisi priùs eam Ecclesia universa acceptet, nullatenùs de fide esse possit; 2° quòd post decisionem conciliorum œcumenicorum quilibet episcopus, qui iisdem non interfuit, jus habeat decisionem examinandi, illamque rejicere possit, si suæ Ecclesiæ fidei conformem non invenerit; 3° quòd, si triginta solummodò episcopi ante celebrationem concilii quoad argumentum ibidem præcipuè tractandum ac definiendum ab aliis dissenserint, atque post concilium in suâ opinione persistant, decisio concilii ad nihil futura sit, aut cùm saltem fidei articulum non faciat, jus semper retenturi sint suam defendendi opinionem, utpote cùm illa inter episcopos quasi-unanimitas definiat. Et quantùmlibet papa cæterique episcopi illos excommunicent, semper tamen interiùs Ecclesiæ adhærebunt, ejusque vera membra erunt, jus ut priùs retinebunt ordines conferendi, omnesque episcopales functiones exercendi, quin omnia anathemata eos à Christo separare, fide aut charitate exuere valeant, dummodò semper agnoscant ac profiteantur, quòd papa sit caput Ecclesiæ.

Quas autem ex similibus principiis consequentias deducere non debemus? Certum est quòd statim post concilium Nicænum plures episcopi illius decisiones recipere, atque Verbum Patri æterno consubstantiale agnoscere noluerint. Memoriâ item proditum est, quòd concilium Tyriense non nisi ex istis fermè episcopis conflatum fuerit. Statim post Constantini obitum se desuper apertè declarârunt; interim tamen quoad communionem à Catholicis separati non erant, eò quòd hi non recusarent unà cum ipsis conciliis interesse, ibique ecclesiastica negotia tractare. Idem accidit post concilium Chalcedonense : plures episcopi se adversùs illud declaraverunt atque rejecerunt, ita ut Leo imperator desuper omnes Orientis metropolitanos consulere, quidque de isto concilio sentirent, et num tam ipsi quàm eorum suffraganei illud reciperent, ab ipsis sciscitari coactus fuerit. In hisce opinionibus visi fuerunt patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus; nihilominùs in communione Acacii patriarchæ Constantinopolitani, cui plerique Orientis episcopi etiamnum communicabant, persistere non desinebant,

Si ergo in Ecclesiâ semel admitteretur quòd ad conficiendum fidei articulum totius Ecclesiæ consensus, aut saltem quasi-unanimitas episcoporum requiratur, fateri oporteret quòd, cùm concilia Nicænum et Chalcedonense unanimiter recepta non fuerint, verùm illis plures Orientis episcopi se opposuerint, fidei articulos non fecerint, et quòd quilibet absque ullo salutis periculo eis contradicere

potuerit, ex quo sequeretur quòd Arianismus hæresis non esset.

Quòd si quis objiciat quòd omni tempore Ecclesia illos ut hæreticos respexerit, qui horum conciliorum decisionibus acquiescere renuerunt, id facilè concesserim : at semper creditum est quòd alicujus concilii summorum pontificum auctoritate firmati decisio supremæ ac infallibilis in Ecclesiâ auctoritatis sit : quòdque principium quasi-unanimitatis omnium totius mundi episcoporum nunquàm agnitum fuerit.

Et profectò quot hæreses in suo ortu statim suffocatæ fuêre, quot item aliæ damnatæ, postquàm à provincialibus synodis aut ab Universitatum censuris Romam fuerat appellatum, quæ utique vires sumpsissent, seque dilatâssent, si vel œcumenicorum conciliorum celebratio, vel quasi-unanimitas omnium totius mundi episcoporum expectanda fuisset! Nemo potuisset allegare, aut prætendere quòd ea, quæ sive per concilia provincialia, sive per Romanos pontifices decisa fuerant, fidei articuli forent, donec omnium totius mundi episcoporum consensus obtentus fuisset. Pelagiani, e. g., post synodos Africanas, eorumque ab Innocentio ac Zozimo summis pontificibus factam damnationem, jure contendissent quod ipsi hæreticorum, eorumque doctrina hæresis notâ inuri non possent, donec universa Ecclesia desuper consensum suum dedisset ; et præterea æquè jus habuissent episcoporum subscriptionem decreto sub Zozimi junctam, cavillândi, sicut illi qui hodiè episcoporum subscriptionem Constitutioni *Unigenitus* factam in controversiam adducunt, eique se opponunt. Pariter etiam semi-Pelagiani in synodo secundâ Arausicanâ, innumerique alii hæretici, quos historia ecclesiastica passim commemorat, qui semper vel errores suos retractaverunt, vel tanquàm hæretici habiti sunt, quamprimùm à sanctâ sede damnati fuerunt.

Præterea ad quid in historiâ tam frequentes ad summos pontifices appellationes fuissent, si eorum judicium ac definitio ad terminandas lites ac controversias nihil contulissent, verùm (non dico ad generale concilium, cùm istud ad easdem terminandas secundùm novum systema non multò aptius fuisset) ad totius mundi episcopos confugiendum illorumque super hisce controversiis ac litibus judicium expectandum fuisset?

Num igitur non rationabilius est dicere, quòd, cùm Salvator noster Ecclesiam suam in fidei puritate usque ad omnium seculorum finem conservare voluerit, D. Petro ejusque successoribus in sede Romanâ potestatem tribuerit de hujusmodi quæstionibus supremo modo infallibiliter judicandi ac decidendi, quàm id œcumenicis consiliis tribuere, quorum convocatio quandoque impossibilis est, aut judicio omnium totius mundi episcoporum, de quo nisi post elapsum jam longum tempus, inveteratoque jam errore nemo certus esse potest? Historiæ etiam memoriâ compertum habemus, sat multos hæreticos ac heterodoxos judicio papæ acquievisse, erroresque suos retractâsse ; nullum autem eorum legimus, qui judicio conciliorum œcumenicorum, aut omnium totius orbis episcoporum consensui acquieverit, si de hæresiarchis aut eorum sectis sit sermo.

Ex his omnibus concludo quòd unanimitas episcoporum ultimis hisce adinventa temporibus, sicut et quod idem est, prætensus ille totius Ecclesiæ consensus nullâ ratione defendi possit, quem Galliæ clerus utique amplexus non fuisset, si hujus regni episcopi suorum prædecessorum vestigiis inhæsissent, sique, prout illi, infallibilem sanctæ sedis auctoritatem agnovissent.

CAPUT XV.

Respondetur objectionibus quæ adversùs infallibilitatem summorum pontificum formari solent.

Frequentiores objectiones, quæ adversùs doctrinam, quam hucusque stabilivi, formantur, quibusque plerique magis moventur, ex agendi modo divi Cypriani erga sanctum Stephanum papam ratione baptismi hæreticorum, et ex iis quæ sanctus Augustinus, cùm Donatistis responderet, de hâc agendi ratione in suis operibus effatus est, deducuntur. At cùm fusè utrique huic objectioni, ubi sanctorum Patrum de auctoritate summorum pontificum sensa retuli, responderim, plura hìc desuper non addam. Sicut nec etiam iis quæ quoad quasdam summorum pontificum ad quosdam particulares directas decretales, in quibus in errorem lapsos esse eos nonnulli contendunt, objici solent, immorabor : præterquàm enim quòd plerique theologi potiorem harum difficultatum partem jam elucidârint, sufficit mihi, ne diutiùs iis detinear, quòd thesim quam propugnandam suscepi, non tangant; hæc in eo quippe tantummodò consistit quòd per eam contendatur, summos pontifices in fidei decisionibus, quas pro totâ Ecclesiâ ferunt, eique observandas proponunt, esse infallibiles. Firmiter proin teneo quòd in omni seculorum serie non invenietur, vel uni-

cum papam in hâc hypothesi aut ullum protulisse errorem, aut quòd Ecclesia crediderit summos pontifices hujusmodi errorem invehendi capaces fore.

Doctor Launoius, qui nostrâ ætate omnium illorum qui doctrinam nostram impugnant, coryphæus est, ut contrariam opinionem stabiliat, summorumque pontificum auctoritatem non solùm sub concilia œcumenica, quæ fortè absque illis celebrarentur, deprimat, sed insuper ut eam cæterorum episcoporum auctoritati æquet, plura edidit volumina. Epistolas, quas hâc super materiâ exaravit, innumeris veterum sententiis ac textibus opplevit, variaque ratiocinia in iisdem adhibuit; at eorum pleraque tam caduca sunt, ut vel mediocribus logicis pudorem excuterent. Quod autem Patrum veterumque loca, quæ frequenter absque ullo discrimine accumulat, attinet, notatu dignum est, quòd inter plus quàm mille, quæ corrasit, nullus reperiatur, in quo vel unus Ecclesiæ Pater, ullum concilium, ullus historicus, verbo ullus scriptor catholicus ante concilium Constantiense asseruit, vel quòd summi pontifices non sint infallibiles, quando in fidei quæstionibus articulum quemdam toti Ecclesiæ credendum proponunt; aut quòd vel unicus papa præteritis seculis falsum aliquem, et qui erroneus dici possit, proposuerit. Et hoc ipsum me ab onere objectionibus quæ adversùs doctrinam, quam tueor, formari solent, respondendi eximere posset, eas scilicet illis, à quibus formantur, resolvendas remittendo. Enimverò ipsis dicere possem : Nec ex sacrâ Scripturâ, nec ex universâ traditione vel unicam auctoritatem adducere potestis, quæ stabiliat, summos pontifices in iis quæ Ecclesiæ proponunt, errori obnoxios, seu conciliis subjectos esse. È contrario ego per totam traditionem demonstravi quòd summi pontifices tanquàm infallibiles semper agniti fuerint, illorumque Ecclesia tanquàm mater et magistra cæterarum omnium perpetuò præconizata fuerit. Ea omnia, quæ tum ex sanctis Patribus, tum conciliis, veteribusque scriptoribus retuli, non modò hanc stabiliunt sententiam, verùm insuper probant quòd prærogativæ summorum pontificum super promissiones Christi D. Petro factas, ac in Evangelio relatas fundatæ sint; adeòque vestrâ æquè ac meâ interest difficultates illas, quæ adversùs hanc doctrinam formari possunt, resolvere.

At liberaliùs agam, ipsemetque iis difficultatibus, quæ in quorumdam mentibus majorem impressionem facere possent, respondebo.

Objicitur ergo 1° quòd si semper creditum fuisset, summos pontifices esse infallibiles, superfluum ac inutile fuisset ad fidem explicandam hæresesque damnandas concilia congregare; suffecisset enim utique ad solos summos pontifices recurrere, atque pro decisione supplicare, quod tamen factùm non fuit. — 2° Ipsimet summi pontifices omni quâ datâ occasione fassi sunt se teneri servare canones, eisque se conformare; ex hoc ergo fassi sunt quòd conciliis illis, in quibus hujusmodi canones cusi fuerant, inferiores sint. — 3° Quidam summi pontifices in certis quibusdam occasionibus declaraverunt quòd nullatenùs intenderent quidquam contra fidem proferre, alii verò, ut Joannes XXII et Gregorius XI, in mortis articulo protestati sunt quòd si fortè ex quâdam inadvertentiâ ipsis quidquam fidei contrarium aut linguâ aut calamo excidisset, illud omne retractent, ac pro non dicto aut scripto haberi velint. — 4° Quòd Ecclesiæ Patres, peculiariter autem S. Augustinus, docuerint, claves Ecclesiæ, id est, potestatem jurisdictionis, immediatè Ecclesiæ ipsi traditas fuisse, cujus D. Petrus figuram solummodò gerebat, quando Salvator noster ipsi easdem promisit : unde sequitur quòd, cùm tam ipse quàm ejus successores suam jurisdictionem nonnisi ab Ecclesiâ receperint, eâ inferiores sint, ipsique subjici debeant. — 5° Quòd summi pontifices sæpiùs fassi sint, sibi fas non esse vel in minimo se ab Ecclesiæ traditione elongare. — 6° Quintum œcumenicum concilium, exemplo Apostolorum, docet quòd per viam conciliorum articuli fidei examinari ac definiri debeant; non ergo in hujusmodi materiâ summorum pontificum auctoritatem agnoscebat. — 7° Concilium Constantiense expressè definivit quòd concilium generale sit supra papam, hicque illi subjiciatur, cùm de fide ac Ecclesiæ reformatione agitur. Idem etiam Basileense definivit, et ex quo concilii Constantiensis decreta renovavit pro legitimo à papâ Eugenio IV habitum est. Hæc sunt præcipua argumenta quæ adversùs summorum pontificum infallibilitatem, eorumque supra concilia œcumenica superioritatem adducuntur. Illis igitur modò respondendum est.

§ 1. *Respondetur objectioni ex necessitate conciliorum deductæ.*

Respondeo ergo 1° quòd si summorum pontificum infallibilitas fundata esset super revelationes aut inspirationes propheticas, tunc in

tali casu meritò dici posset, concilia superflua ac inutilia esse, cùm quibuscumque emergentibus causis solùm ad eos tanquàm ad tot oracula, quæ in flagranti pronuntiando omnes difficultates facilè definiissent, recurrendum fuisset. At hæc non ita se habent : ipsorum æquè ac conciliorum infallibilitas supponit materiæ occurrentis discussionem, traditionisque examen. Verum quidem est quòd cùm sedes Apostolica à fide nunquàm deflexerit, semper in sinu suo vivam quamdam traditionem conservet; at hoc minimè impedit quin cùm novæ occurrunt quæstiones, ad ea quæ tum summorum pontificum prædecessores, tum Ecclesiæ Patres, tum denique ipsa concilia, sive generalia sive particularia, desuper censuerunt recurri oporteat. Verbo eadem summi pontifices implere debent, quæ in conciliis œcumenicis, antequàm quidquam definiatur, fieri consueverunt.

Quæ cùm ita sint, facilè quisque videt quòd de prudentiâ summorum pontificum fuerit in variis emergentibus causis concilia cogere, in quibus omni possibili ac convenienti diligentiâ subortæ quæstiones examinarentur; sive dein ipsimet expressè ea convocârint, sive eorumdem celebrationi per consensum suum concurrerint; et quòd ita res se habeat, invictum ex eo argumentum nobis suppeditatur, quòd Gregorius VII papa, qui expressè declaravit summos pontifices esse infallibiles, quemque valdè multi tanquàm primum hujus doctrinæ auctorem respiciunt, nihilominùs multa convocârit ac coegerit concilia, eisque ipsemet præsederit, atque super fide definierit, ecclesiasticamque disciplinam ad normam reduxerit. Notum etiam est quòd ab hujus papæ temporibus ipsius successores innumera ferè coegerint, inter quæ plura œcumenica etiamnum fuêre. Dicetne exinde aliquis, quòd Gregorius VII, seu ipsius successores, se non esse infallibiles, aut quòd in conciliis generalibus auctoritatem quamdam suâ superiorem agnoverint? Fateri ergo oportet quòd argumentum ex conciliorum celebratione deductum contra infallibilitatem summorum pontificum nullatenùs proponi possit.

2° Celebratio conciliorum pro unico objecto non semper habuit decisionem quæstionum fidei, verùm ideò etiam quandoque concilia celebrata fuerunt, ut scilicet turbas, quas factio hæreticorum in Ecclesiâ causârat, cessare facerent, mentesque, quas disputationum calor, et sæpiùs quidem cum dispendio charitatis, quæ perfectionis vinculum est, inflammârat, readunarent, atque inter episcopos eadem sensa, eumdem sermonem, eumdemque spiritum restituerent ac renovarent.

3° Hujusmodi conventus pro fine insuper habuerunt, ut per viam, quæ auctoritatem minùs redoleret, hæreticos reducerent, aut splendidiori modo convincerent. Pervicacia hæreticorum nimis quàm magna sæpiùs fuit, quàm ut se determinationi summi pontificis subderent; cùm enim arbitrarentur se sacræ Scripturæ inniti; facilè sibi persuadebant, quòd rem meliùs intelligerent, accuratiùsque discussissent, quàm ipsimet summi pontifices. Necessum ergo erat ut ipsis in conciliis demonstraretur quòd omnes catholici episcopi non aliter quàm Ecclesiæ caput, divique Petri successor, sentirent. Eadem semper erat intrinseca auctoritas (ut scholæ loquuntur); at extrinsecè major apparebat in conciliis, proindeque magis apta erat ad hæreticos pertinaciæ convincendos.

Quòd si quis insuper dicat quòd si summi pontifices pro infallibilibus agniti fuissent, illi qui super fide disceptabant, se utique ipsorum auctoritati submisissent, respondeo, et quæro etiam ab illis qui ita argumentantur, num concilia œcumenica infallibilia sint, necne? Si dicant quòd sint infallibilia, quæro ulteriùs quare ergo hi qui in illis damnati fuerunt, eorum auctoritati se non submiserint? Concilium Nicænum hæresim Arianam damnavit, Constantinopolitanum Macedonianam, Ephesinum Nestorianam, Chalcedonense Eutychianam, et sic de reliquis; interim tamen hæ omnes hæreses post hæc concilia ut ante etiamnum substiterunt. Imò pleræque post suam damnationem magis se dilataverunt, quàm ante. An ultimis hisce temporibus Lutherani, qui post Bullam Leonis X tantâ solemnitate concilium generale tanquàm ultimum judicem appellârunt, magis se concilio Tridentino quàm summo pontifici submiserunt? Infusè argumentantur ergo hi qui dicunt quòd si primis Ecclesiæ seculis summi pontifices infallibiles crediti fuissent, eorum decretis ac decisionibus omni modo submissio ab omnibus præstita fuisset.

Operæ nihilominùs pretium est hìc notare quòd cùm decisiones conciliorum œcumenicorum nullam hæresim extinguere potuerunt, summorum è contra pontificum definitiones quàmplures in se ipso ortu suffocârint, ut

Appollinaris, Pelagii, Semi-Pelagianorum, Berengarii, Gilberti Porretani, Petri Abaelardi, Almarici, cæterasque innumerabiles, quarum auctores, aut se summorum pontificum decisionibus submiserunt, suisque erroribus renuntiârunt, aut damnatis à sanctâ sede eorum dogmatibus, ab omnibus derelicti fuerunt. Si de judiciorum infallibilitate ex illorum qui damnati fuerunt, submissione judicare oporteret, profectò longè plura suæ infallibilitatis argumenta summi pontifices haberent, quàm concilia œcumenica. At nondùm eò res nostræ devenêre, ut ex hujusmodi principiis argumentari, nostramque de summorum pontificum infallibilitate, ac supra concilia superioritate doctrinam fulcire cogamur.

Cùm de conciliorum necessitate agamus, pauca hìc quoad objectionem sextam ex concilio quinto generali erutam disserere consultum duxi. Prætenditur ergo quòd ibi dictum sit quòd fidei quæstiones nullibi quàm in conciliis determinari possint. Ex quo infertur istud concilium non credidisse quòd papa eas definire possit. At omisso quòd locus qui citatur nihil aliud sit quàm mera enuntiatio, et non definitio quædam, verum equidem est quòd concilium synodorum celebrationem ad terminandas occurrentes quæstiones laudet; at non dicit quòd id aliter fieri non possit. Verba, quæ ex eo Launoius adducit, alium omninò sensum habent; sic enim sonant : « Certò « constituto quòd in communibus disceptatio- « nibus, cùm proponuntur, quæ ex utrâque « parte discutienda sunt, veritatis lumen tene- bras expellit mendacii. Nec enim potest in « communibus de fide disceptationibus aliter « veritas manifestari, cùm unusquisque proxi- « mi adjutorio indiget. » Manifestum est quòd hæc verba nihil aliud ad definiendum exigant, quàm ut rationes utrinque in disputationibus quæ instituuntur, antequàm judicium pronuntietur, discutiantur et examinentur, ac conventus ecclesiasticos apprimè congruos arbitrentur.

Sed inde non sequitur id alibi quàm in conciliis fieri non posse; aliàs sequeretur etiam quòd nullus episcopus in propriâ diœcesi minimam confingere posset propositionem, sed ad id integrum requireretur concilium. Verùm ex initio textûs à doctore Launoio citati contra ipsius intentionem probaretur quòd papa concilium in materiâ fidei non ideò cogat, quasi ipse emergentes fidei quæstiones infallibiliter determinare non possit, sed ideò tantùm quòd id in concilio facere convenientius censeati, exemplo Apostolorum, qui quamvis singuli infallibilitate gauderent, cæremoniarum legalium negotium nihilominùs in concilio definire maluerunt. « Licet, inquiunt memorati con- « cilii quinti Patres, Spiritûs sancti gratia et « circa singulos Apostolos abundaret, ut non « indigerent alieno consilio, ad ea, quæ agenda « erant, non tamen aliter de eo quod move- « batur, si oporteret gentes circumcidi, defi- « nire voluerunt, priusquàm communiter con- « gregati divinarum Scripturarum testimoniis « unusquisque dicta sua confirmaverunt. » Infallibilitas ergo personalis non impedit quin conciliorum celebratio utilis sit.

Hunc paragraphum finio verbis Barlaam episcopi Græci, qui ad amicum scribens, de conciliis summo pontifici comparatis, sic loquitur : « Non enim eò quòd fit majoris au- « ctoritatis, et magis possit generale concilium « quàm Apostolica sedes, generalia aguntur « concilia, sed quia incidentes quæstiones « difficiliores sint, et majoris indigeant discus- « sionis. »

§ 2. *Respondetur objectioni ex sacrorum canonum observatione depromptæ.*

Objectio hæc in eo consistit quòd divi Petri successores magnam reverentiam erga sacros canones testati sint; quòd perstudiosè eosdem observârint, quòd sæpiùs dixerint, se non posse his sanctis regulis contraire, aut permittere ut labefactarentur. Ita Julius papa, S. Leo, S. Gregorius Magnus de canonibus concilii Nicæni locuti sunt. Sic Gelasius papa etiam dicit quòd inter omnes Ecclesias nulla sit quæ exactiùs eosdem sacros canones observare teneatur, quàm sedes Apostolica. Ita posteriores pontifices Romani omni quâ datâ occasione elocuti sunt, quòd nempe nihil facere possint contra sacros canones. « Sit lex « communis, inquit Sylvester II, Ecclesiæ « catholicæ, Evangelium, Apostoli, prophetæ, « canones Spiritu Dei constituti, et totius « mundi reverentiâ consecrati, et decreta « sedis Apostolicæ ab his non discordantia. »

Ex hoc principio doctor Launoius concludere vult quòd summi pontifices conciliis, in quibus hi canones editi fuerunt, inferiores se agnoverint, cùm aliàs non eos ut agendi regulas sibi constituissent, nec fassi fuissent, quòd neque illos contemnere, neque transgredi auderent. Sed ut luce meridianâ clariùs demonstretur quàm leve hoc argumentum sit, non

aliud opus est quàm ut ad concilia generalia applicetur. Hi sacri conventus non minorem venerationem pro conciliis, quæ ipsos antecesserant, testati sunt, quàm summi pontifices pro sacris canonibus. Concilia Ephesinum et Chalcedonense conciliorum Nicæni et Constantinopolitani fidei formulas retulerunt, atque declaraverunt nihil in illis mutare aut tangere se posse. Subsequentia concilia id ipsum præstiterunt, atque sub anathematis pœnâ prohibuerunt ne quisquam vel minimum iis adderet demeretve. Rationabiliterne exinde inferri posset quòd omnia concilia à quarto seculo celebrata se quoad auctoritatem illis duobus primis conciliis inferiora agnoverint? Ridiculum ergo sanè est, ex eo quod summi pontifices de sacris canonibus edixerunt, illud inferre velle. Cùm enim hæ regulæ ab ipsismet summis pontificibus, qui conciliis illis, in quibus ab innumeris fermè sanctissimis ac eruditissimis episcopis Spiritûs sancti ductu conceptæ fuerant, per suos legatos præsederant, editæ fuerint, utique non poterant non ingenti erga eas affici reverentiâ.

Præterea, cùm summi pontifices tenerentur curare ut in omnibus totius orbis Ecclesiis canones publicarentur ac observarentur, poterantne, qui à recto deflecterent ordine, eosdem ipsi non observare? imò ad eorumdem observationem quoad ea quæ juris divini in se continere poterant, æquè ac alii obligabantur. At hoc nunquàm obfuit quin in canonibus Ecclesiæ dispensare possent, cùm scilicet id necessitas aut Ecclesiæ utilitas exposcebat. Tunc ergo (cùm se ab iis discedere non posse asseverant) eorum officium ac debitum postulabat ut nullâ in eis dispensandi subveniente necessitate, eosdem observari facerent.

Per discursum denique Launoii argumento persimilem probaretur quòd quilibet papa inferior minorisque auctoritatis sit quàm sui prædecessores. Summi namque pontifices innumeris penè locis declarârunt quòd à decretis suorum prædecessorum nec latum unguem discedere possent. At pudet me tamdiù similibus immorari sophismatibus.

Insuper valdè mirum est quòd dùm Gallicani episcopi contendunt papam conciliis generalibus inferiorem esse, atque ad canonum observantiam teneri, continuò tamen ad eum recurrant pro obtinendâ eorumdem canonum in œcumenicis conciliis editorum dispensatione, modò pro episcopatûs unius translatione, modò pro pluralitate beneficiorum, modò ut ea in commendas possidere queant.

§ 3. *Respondetur iis quæ de quibusdam summis pontificibus objiciuntur.*

Doctor Launoius objicit nobis quòd quidam papa, cùm jam in procinctu esset sanctum aliquem canonizandi, protestatus fuerit quòd non intenderet quidquam contra fidem agere: ex quo infert quòd ille papa se errori obnoxium agnoverit. Alibi dicit quòd Joannes XXII errorem super statu animarum post mortem tradiderit, et quòd Gregorius XI in suo testamento declaret quòd si aliquâ occasione sive loquendo, sive scribendo ipsi quidquam, quod tamen non speraret, contra fidem excidisset, illud rejiciat ac revocet. Ex quo hic doctor semper eamdem conclusionem deducit. At, quod primum spectat, facilè patet quòd ex eo quòd aliquis papa declaret se non intendere quidquam contra fidem agere, pessimè concludatur quòd errorem toti Ecclesiæ proponere se posse arbitretur; quemadmodùm pessimè concluderetur quòd ex eo quòd concilium aliquod œcumenicum dixerit se non intendere quidquam contra fidem agere, toti Ecclesiæ errorem tanquàm fidei articulum proponere posset. Et qualiscumque demùm sensus hujus papæ verbis tribuatur, nunquàm tamen ille, quem Launoius prætendit, tribui poterit.

Quod Joannem XXII attinet, concesserim quòd doctrinam erroneam super statu animarum post mortem protulerit, quam Facultas theologica Parisiensis rejecit. At etiam concedi debet quòd hanc opinionem in fidei dogma non erexerit, aut toti Ecclesiæ credendam proposuerit, de quo hìc præcisè quæstio est. Imò in articulo mortis declaravit quòd hanc opinionem aliquandiù nonnisi tanquàm particularem opinionem, non verò ut fidei articulum defenderit, prout videre est apud Raynaldum.

Quoad Gregorium XI, abundè liquet quòd ipsius scrupulus in nullam publicam decisionem ceciderit, cùm, si quasdam erroneas edidisset, rejectæ utique fuissent, eisque contradictum, nec hanc contradictionem ipse ignorare potuisset. Non ergo potest intelligi, nisi de quibusdam particularibus opinionibus, quæ ipsi ex inadvertentiâ fortè exciderant, quod quæstionem, quam modò tracto, non ingreditur.

Sunt qui insuper Bullas Nicolai IV et Joan-

nis XXII ratione panis et victûs Franciscanorum objiciunt, contendentes quòd hæ Bullæ sibi invicem in suis decisionibus contrariarentur. Verùm, præterquàm quòd in his Bullis non agatur de fide Ecclesiæ, cùm Facultas Parisina desuper quondam consulta fuisset, in suâ consultatione demonstravit quòd dictæ Bullæ sibi invicem contrariæ non essent, prout videri potest apud Ravnaldum, ad annos 1323 et 1328.

§ 4. *Respondetur objectioni quòd claves Ecclesiæ non immediatè à divo Petro traditæ fuerint.*

Qui nostrâ ætate hanc objectionem faciunt, videntur velle iis contradicere, quæ Salvator noster in Evangelio asserit. Christus dicit, Petro se daturum claves cœlorum, et illi contendunt quòd ei easdem non dederit, sed Ecclesiæ. Christus ait : (Tibi) Simoni filio Joannis eas dabo ; et illi volunt quòd non Simon filius Joannis illas ab ipso receperit, sed quædam vacua realitatis figura, quæ Ecclesiam repræsentabat, ita ut Simon aut Petrus Joannis filius ab Ecclesiâ, non autem à Jesu Christo, nisi mediante illâ, eas habuerit. Et hoc est præclarum illud systema, quod sibi de potestate jurisdictionis quidam efformant. Nempe non à papâ episcopi hanc jurisdictionem habent, sed ab Ecclesiâ eam ipsemet papa recipit.

Istud systema pluribus sanctorum Patrum sententiis fulcire prætendunt, præcipuè autem divi Augustini, qui ubique docet, quòd, cùm Salvator noster suas promissiones divo Petro fecit, hic apostolus figura Ecclesiæ fuerit, eamque totam repræsentârit. Inde concludunt, quòd, cùm promissiones Christi immediatè Ecclesiæ factæ fuerint, in isto Ecclesiæ corpore, non verò in divi Petri successoribus infallibilitatis donum reperiatur.

Sed difficile non est istud evertere systema : nam 1° verum non est, promissiones Christi immediatè pro divo Petro ejusque successoribus factas non fuisse. Contrarium per totam traditionem demonstravi, tam per consensum Ecclesiæ Græcæ tempore suæ catholicitatis, quàm et Ecclesiæ Latinæ.

2° Quòd S. Augustinus cum quibusdam aliis Patribus dicat D. Petrum, cùm ipsi Salvator claves regni cœlorum promisit, Ecclesiam repræsentâsse, longè abest ut toti antiquitati eas D. Petro promissas collatas asserenti contrarietur, quin potiùs eidem perfectè concordet. Cùm namque D. Petrus verbis Salvatoris caput Apostolorum constitutus fuerit, Salvator ipsi dando claves regni cœlorum, ita ei illas pro se tradebat, ut vellet eas per ipsum ad cæteros Apostolos universamque Ecclesiam transire. Non ergo est quæstio, num, cùm Salvator clavium potestatem divo Petro tribuit, eamdem etiam toti tribuerit Ecclesiæ ; de hoc enim facilè inter omnes convenit : verùm in hoc quæstio vertitur, num scilicet divus Petrus illam potestatem ab Ecclesiâ receperit, aut Ecclesia à divo Petro ; atqui sanctus Optatus unus ex antiquioribus Patribus, qui hâc de re egerunt, expressè ait lib. 7 contra Parmenionem, quòd soli Petro hæc potestas tradita fuerit, quam dein cæteris communicavit : « Bono unitatis, inquit, beatus Petrus, cui satis erat, si, postquàm negavit, solam veniam « consequeretur, et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit. » Nullus Patrum illorum, qui asseruerunt, quòd Salvator noster potestatem clavium Ecclesiæ in personâ divi Petri tradiderit, in hoc divo Optato contradixit ; nullus eorum enim dixit, quòd ista potestas immediatò Ecclesiæ tradita fuerit, et quòd ab Ecclesiâ primùm ad divum Petrum transierit, quin è converso omnis traditio sancti Optati effatum secuta est. Innocentius papa I expressè dicit quòd à divo Petro omnis episcopalis auctoritas exordium sumpserit : « Beato Petro, inquit epist. 91 apud August., « ipse episcopatus, et tota auctoritas hujus « nominis emersit. » Divus Leo epist. 89 ad episc. prov. Vien., fortiùs adhuc rem exprimit, cùm « hujus muneris, inquit, sacramentum ita Deus « ad omnium Apostolorum officium pertinere « voluit, ut in beato Petro Apostolorum om- « nium summo principaliter collocârit ; et ab « ipso quasi quodam capite dona sua velit in « omne corpus manare ; ut exortem se myste- « rii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset « à Petri soliditate recedere. » Et serm. 3 de Assump. : « Magnum et mirabile, inquit, dilectis- « simi, huic viro consortium potentiæ suæ tri- « buit divina dignatio ; et si cum eo commune « cæteris voluit esse principibus, nunquàm nisi « per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. » Id ipsum etiam fatetur Stephanus Larissæ in Thessaliâ episcopus, his verbis Bonifacio papæ II scribens : « Quia Domino dicente tertiò : *Amas « me? Pasce oves meas*, tradidit priùs vobis « mandatum, et per vos deinde omnibus per « universum mundum sanctis Ecclesiis condo- « navit. » Sed hic omittendum non est quòd

ante omnes hos Patres, divus Cyprianus id ipsum jam agnoverit, expressèque docuerit Epist. ad Bonif., claves personæ divi Petri traditas fuisse. « Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum : « *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc* « *petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterùm « eidem post resurrectionem suam dicit : *Pasce* « *oves meas,* et quamvis omnibus post resurrec- « tionem suam parem potestatem tribuat...., « tamen ut unitatem manifestaret, unam cathe- « dram constituit, et unitatis ejusdem originem « ab uno incipientem, suâ auctoritate disposuit. » In personâ ergo, et per personam divi Petri auctoritas episcopalis sumpsit exordium.

Absit ut D. Augustinum ab illis Patribus, qui ipsum præcesserunt, ipsius contemporanei fuerunt, ipsumque secuti sunt, separemus ipsum systematis illius auctorem constituendo, quod ipsorum doctrinam evertit. Legerat hic sanctus doctor, id quod primùm ex sancto Innocentio papâ retuli, illudque approbârat. Longè ergo aberat ut contrarium doceret. Item cùm dixit quòd divus Petrus, cùm promissiones Salvatoris reciperet, universam repræsentârit Ecclesiam, nihil aliud dicere voluit quàm quòd potestas illa, quam divinus hic Salvator ipsi communicabat, non in ipsius duntaxat personâ aut vitâ terminandâ esset, verùm quòd oporteret ut ipsam communicaret, atque usque in finem seculorum ad universam transiret Ecclesiam. Hâc ergo ratione divus Augustinus : « Si, inquit, hoc Petro tantùm dictum est, hoc « non facit Ecclesia. » Si autem in Ecclesiâ fit..., Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Cùm ergo dicit quòd occasione illâ Petrus Ecclesiam repræsentârit, de tali repræsentatione locutus est, quâ rex aliquis suos subditos, paterfamiliâs suos liberos, et pastor gregem subjectum repræsentant. Quemadmodùm denique illi qui hanc objectionem faciunt, contendunt quòd concilium generale totam Ecclesiam repræsentet, sic etiam divus Augustinus non aliâ ratione divum Petrum universam Ecclesiam repræsentâsse asserit, quàm quòd primus et præcipuus inter Apostolos esset, atque in suâ personâ debiles ac fortes, ex quibus Ecclesia composita est, repræsentaret : « In illo ergo, inquit serm. 13 de Verb. « Domini, uno Apostolo, id est, Petro, in or- « dine Apostolorum primo et præcipuo, in quo « figurabatur Ecclesia, utrumque genus signi- « ficandum fuit, id est, firmi et infirmi, quia « sine utroque non est Ecclesia. » Idem sanctus doctor alibi dicit quòd Salvator noster, cùm à divo Petro quæsivit num plus quàm alii ipsum diligeret, in ipso solo Ecclesiam suam formârit. Dicit Petro, inquit serm. 49, in quo uno format Ecclesiam : « *Petre, amas me?* respondit : *Do-* « *mine amo : Pasce oves meas.* » Et in sermone 108 de divers., hæc habet : « Hinc ergo Petri « excellentia prædicatur, quia ipsius universi- « tatis et unitatis Ecclesiæ figuram gessit, « quando ei dictum est : *Tibi dabo claves,* » etc. In alio denique adhuc sermone, nempe 29 de Sanctis : « Petrus, inquit, in eâ cœlestium « discipulorum scholâ præcipuus, ac primus « idoneus qui verba vitæ ex Christi ore susci- « piens per Evangelii veritatem Judæorum « gentem perditam quæreret, et abdicatos ad « hæreditatem vocaret, interpres legis, assertor « gratiæ, destructor Synagogæ, Ecclesiæ repa- « rator. Et ideò solus inter Apostolos meruit « audire : *Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et* « *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* « Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei « populis lapis esset ad fundamentum, columna « ad sustentaculum, clavis ad regnum. »

Ex his omnibus hujus sancti doctoris locis claret, ni fallor, quòd, cùm dixit D. Petrum tempore promissionum Christi Salvatoris nostri Ecclesiam repræsentâsse, longè abest ut ab ipsius personâ privilegia et prærogativas, quibus eum Christus Dominus decorabat, removere voluerit, quin potiùs è contrario contenderit, id manifestum ipsius excellentiæ, atque supra cæteros Apostolos sublimationis fuisse signum, quòdque eminenter in suâ personâ universam contineret Ecclesiam, quippe qui petra illa esset, super quam Ecclesia ædificata erat, columna, quæ totum sustentabat ædificium, et clavis quæ cœlum aperiebat. Nihil proin meliùs ad stabiliendas sanctæ sedis prærogativas, ejusque infallibilitatem roborandam adduci poterat. Alibi etiam idem S. Augustinus de hâc sanctâ sede disserens : « Ipsa, inquit, est petra, « quam non vincunt superbæ inferorum portæ. »

Quintam hìc adjungo objectionem, nec enim particularem titulum meretur. Consistit in eo quòd doctor Launoius plura summorum pontificum loca adducat, in quibus declarant quòd à traditione discedere non possint, ex quo concludit quòd exinde hi summi pontifices agnoverint, se non esse infallibiles. Hem, quàm bellè iste syllogismus concludit! An ergo, ut summi pontifices suam probarent infallibilitatem, oportuisset ut contra Ecclesiæ traditionem definirent, aut se saltem id posse declararent? hoc ita stante, profectò divus Paulus, qui fate-

tur quòd adversùs veritatem nihil possit, quique cupit, ut ipsi anathema dicatur, si aliud prædicet quàm quod jam prædicârat, infallibilis non fuisset; pudet me talia referre. È contrario ideò summi pontifices infallibiles sunt, quia in personâ divi Petri privilegium nunquàm à traditione Ecclesiæ discedendi acceperunt.

§ 5. *Respondetur objectioni ex concilio Constantiensi adductæ.*

Hæc est magna illa objectio, et, ut ita dicam, Achilles Francigenarum theologorum summorum pontificum infallibilitatem impugnantium. Concilium Constantiense, inquiunt, clarè definivit quòd concilia sint supra papam, universamque repræsentent Ecclesiam, summique pontifices æquè ac reliqui fideles omnes in cunctis iis quæ fidem concernunt, eorum decisionibus se subdere teneantur. Hæresis ergo est, aiebat olim cardinalis à Lotharingiâ, tueri, quòd summi pontifices sint infallibiles aut supra concilia œcumenica. Hic cardinalis opinionem hanc à Gersone mutuârat, qui mirè de eâ gloriatur, ásseritque quòd hujus concilii definitio Facultatem Parisiensem suam super hâc materiâ sententiam mutare fecerit, suâque auctoritate theologos eò adduxerit, ut deinceps summos pontifices fallibiles esse, atque conciliis subjici tuerentur.

Possem quidem respondere quòd hæc concilii definitio, non sit concilii alicujus œcumenici, sed tantummodò episcoporum, prælatorum et theologorum illorum, qui papæ Joanni XXIII subjecti erant. Hanc meam responsionem auctoritate duorum testium concilio Constantiensi contemporaneorum, Eugenii papæ IV videlicet, et cardinalis de Turrecremată, qui tempore ipsius concilii Constantiæ erat, firmare possem; hic auctor factum istud, ut testis ocularis, propugnat, additque quòd Joannes XXIII, qui Schafhusium se receperat, cùm id percepisset, de eo, quasi de attentato adversùs summorum pontificum auctoritatem, erroneâque doctrinâ ipso absente nec participante in medium prolatâ, conquestus sit.

At in omnem eventum schismatis circumstantiæ adhæreo, et contendo quòd Constantiensis definitio non sit definitio aliqua generalis ad omnia se œcumenica extendens concilia, verùm singularis quædam definitio duntaxat, dictumque concilium unicè spectans, ob schisma quod diuturno jam tempore Ecclesiam affligebat, necnon incertitudinem quæ de vero papâ Ecclesiæque capite fidelium mentes occupabat. Et profectò jamdiù visi fuerant duo papæ in Ecclesiâ, ambo pro legitimis divi Petri successoribus in diversis provinciis ac regionibus agniti, quin scirí certò posset, quisnam illorum legitimus papa foret; concilium Pisanum ambos sede dejiciens ut novus crearetur, nihil aliud egit, nisi, etsi præter intentionem, quod malum augeret; post illud quippe concilium loco duorum summorum pontificum tres reperti fuêre, qui universam Ecclesiam sub suâ partiebantur obedientiâ. Huic malo finis imponi non poterat nisi per voluntariam abdicationem aut depositionem horum trium summorum pontificum in aliquo totius Ecclesiæ conventu faciendam. Certum est, nullusque inficias ibit, quòd in tali rerum statu concilium generale supremum sit tribunal, quòdque omnes fideles cujuscumque demùm dignitatis aut qualitatis sint, illius dispositionibus obedire teneantur. Hâc igitur intentione, hocque sensu concilium generale Constantiense à stabiliendâ suâ auctoritate sumpsit initium, ac definivit quòd, cùm hâc occasione universam Ecclesiam repræsentaret, supremâ etiam potestate tam quoad fidem, quàm quoad extirpationem schismatis, quod Ecclesiam tamdiù jam devastabat, polleret. At ego contendo quòd ejus decisio non se extendat ultra confusionis ac divisionis tempora, idque sic probo:

1° Concilia generalia nullam fidei definitionem edere possunt, nisi Ecclesiæ traditionem sequantur ac examinent; atqui non apparet quòd concilium Constantiense, antequàm sessione quartâ superioritatem concilii supra papam definiret, ullum traditionis examen inierit. Nam si dicti concilii Patres vel obiter eamdem examinâssent, omnes profectò canonistas, omnesque theologos, qui hujus schismatis tempora præcesserant, pro superioritate papæ supra concilia ejusque infallibilitate stare reperissent; ipse Gerson satis abundè id inculcat, prout capite primo ostendi. Et tempora scholasticis superiora repetendo, eamdem sententiam in Patribus et conciliis invenissent. Longè igitur ab eo fuissent, ut definitionem quæ ipsis attribuitur ederent, ac in circumstantiis in quibus tunc versabantur, tali examine opus non erat; res clara et certa erat. Illius ergo definitio ultra limites suos extendi non debet.

2° Si definitio illa generalis, et prò omnibus œcumenicis conciliis fuisset, certum profectò est, vel quòd Martinus V hunc articulum non approbâsset, vel in ipso concilio Bullam non edidisset, quæ prohibet, ne à papæ judiciis ad

concilium generale appelletur. Annon enim plus quàm ridiculum fuisset ex unâ parte fateri quòd concilia generalia in universâ Ecclesiâ supremi judices sint, illisque ipsimet summi pontifices subjiciantur ; ex alterâ verò contendere quòd ad eadem à summorum pontificum judiciis appellari non possit? Quis unquàm asserere ausus est quòd non liceat ab inferiori ad superius tribunal appellare? Atqui Gerson ipse tract. *quando et an liceat à summo pontifice appellare*, nos edocet quòd dictus papa non modò hanc Bullam durante concilio ediderit, sed insuper quòd ibidem in pleno consistorio duobus ante concilii finem mensibus publicata fuerit.

Ex hoc ipso autem aliud adhuc elicitur argumentum : nam si papa adeò imprudens fuisset, ut in similem contradictionem impingeret, potuissetne accidere, ut, cùm hanc Bullam publicavit, illius publicationem Patres concilii passi fuissent, quin reclamâssent, atque Martino V insinuâssent, Bullam ipsius nullâ ratione propugnari posse? Fasne fuisset, ut definitionis, quam sessione quartâ tulerant, jam obliti essent? At omnia hæc inter sese facilè conciliari possunt, si dicatur quòd cùm Patres concilii hanc definitionem nonnisi pro schismatis tempore edidissent, sibique omninò persuasum haberent, quemlibet legitimum papam supra concilia œcumenica esse, absque ullâ contradictione Bullæ publicationem acceptârint. Huic asserto vires addit confirmatio concilii à Martino V cum variis restrictionibus factâ. Si hujus conventûs Patres credidissent omnia generalia concilia supra pontifices esse, postulâssentne à papâ proprii concilii confirmationem, aut passi essent, ut illud modo variis restrictionibus subjecto confirmaret?

3° Si definitio concilii Constantiensis generalis fuisset, et non ad schismatis tempus restricta, cùm dictum concilium ab universâ Ecclesiâ receptum fuerit, certum est quòd omnes Catholici ejus decisioni acquievissent, iique qui deinceps papæ superioritatem ac infallibilitatem propugnare ausi fuissent, tanquàm hæretici declarati fuissent, atque ab Ecclesiæ corpore resecti. At verò longè abest ut hoc factum sit, quin è contra reperiamus quòd statim post istud concilium theologi illi contemporanei tueri continuârint, prout omni tempore semper factum fuerat, quòd summi pontifices infallibiles essent, conciliisque generalibus superiores. Id ipsum præstitit cardinalis à Turrecremată in tractatu illo quem superiùs citavi. Item S. Antonius, archiepiscopus Florentinus, in suâ Summâ, part. 3, tit. 23, c. 3, § 3, ubi : « Sed nec, inquit, ad concilium generale à papâ appellari « potest, quia papa omni concilio superior est; « nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani pontificis roboretur et confirmetur. Sentire ergo quòd ad concilium à « papâ appellari possit, est hæreticum, et contra « illum articulum : *Sanctam Ecclesiam catholicam.* » Hic S. archiepiscopus suam thesim istâ ratione probat, quòd nempe de fide sit quòd papa sit caput visibile Ecclesiæ. « Ecclesia, inquit, habet unitatem ex unitate capitis, unde « et Joan. 10, dicit Christus : *Fiet unum ovile « et unus pastor.* Si licitum esset appellare à « papâ, et ille, ad quem appellatur, esset « caput, sic papa non esset caput, vel essent duo capita, quod est monstrosum. »

Ferrariensis ordinis sancti Dominici generalis in suis supra D. Thomam commentariis non minùs expressè eamdem tradit doctrinam. « Ex prædictis constat, inquit in librum cont. « gent. c. 75, vanam esse et à fide christianâ « alienam opinionem dicentium concilium et « Ecclesiam esse supra papam, et ipsum papam ab Ecclesiâ auctoritatem habere tanquàm ab ipsâ institutum. Nam manifestum « est ex prædictis quòd Christus ipse regimen « Ecclesiæ instituit, non autem ipsa Ecclesia « aut populus christianus, et quòd in Ecclesiâ « Petrum suum vicarium et successores ejus « instituit, sicut et ad sacramenta dispensanda « instituit ministros. Unde cùm dixit Petro : « *Pasce oves meas,* præmisit interrogationem : « *Simon Joannis, diligis me plus his?* ut ostende- « ret se auctoritatem Petro dare ut distinctam « ab aliis discipulis præsentibus. »

Sic theologi catholici statim post concilium Constantiense docere continuârunt; supposito autem quòd concilium contrariam opinionem in fidei articulum evexisset, quæro an theologi tùm ob pietatem, cùm ob dignitatem, quam in Ecclesiâ assecuti fuerant, adeò commendabiles, adversùs illius decisionem dogmatizare ausi fuissent? Et si eò temeritatis devenissent, annon illicò undique adversùs eos declamatum fuisset, atque hujus concilii auctoritate dejecti fuissent? Id verò nemini in mentem venit, eò quòd sat abundè notum esset, concilium tantùm de schismatis temporibus locutum esse.

Fatendum nihilominùs est, quòd doctrina Gersonis et cardinalis de Alliaco caliginem quamdam plurium theologorum mentibus of-

fuderit, quædamque in Germaniâ et Poloniâ Universitates se ad illorum opinionem adduci permiserint; at sequentibus temporibus eamdem iterùm deposuerunt, atque ad doctrinam totius traditionis auctoritate roboratam redierunt, ita ut à magnâ jam temporum serie nulla Universitas, nullus theologus extra Galliam reperiatur, qui infallibilitatem summorum pontificum, eorumque supra concilia auctoritatem non tueatur.

Imò in ipsâ Galliâ penultimo seculo nonnisi exiguum theologorum numerum reperire erat, qui Gersonis opinionem sequerentur, reliquis interim in ipsâ etiam Parisiensi Universitate sententiam in Ecclesiâ dictâque Parisiensi Universitate hactenùs traditam docere pergentibus. Præcipuè autem Joannes Puteanus (Dupuy), hujus Facultatis doctor, scribens in Summam D. Thomæ 1, art. 6, eam tradit his verbis : « Solius pontificis maximi est res de « fide catholicâ definire, et easdem certò et in« dubitanter definire credendas... In concilio « generali statuendum est episcopos illic con« gregatos nullo modo errare posse in rebus fidei « decidendis. Si tamen fuerint congregati totius « orbis episcopi, absente pontifice maximo et « ejus legatis, episcopi subjiciuntur erroribus. »

In quodam præcedentium capitum mentem cleri Gallicani sub finem decimi sexti, et usque ad medium decimi septimi seculi retulimus. Eruditus dominus Albaspinæus episcopus Aurelianensis, qui initio hujus ultimi seculi floruit, scribens in Tertullianum, de infallibilitate summi pontificis, tanquàm de re quam nemo illis temporibus (id est, tertio Ecclesiæ seculo) in dubium vocabat, loquitur : « Quâcumque « igitur ratione aut mente (inquit in lib. de « Pud.), de Romano pontifice hoc dixerit Ter« tullianus, seriò vel per ludibrium, illis tamen « temporibus penès eum potestatem fuisse de « rebus fidei judicia peremptoria ferre, et to« tius orbis episcopos monere et docere, quis « non agnoscit? »

Dominus de Marcâ archiepiscopus Tolosanus ac dein Parisiensis, sub finem vitæ suæ, prout dominus Baluzius refert, tractatum de infallibilitate summi pontificis composuit.

Neminem latent turbæ illæ quas initio decimi septimi seculi in Galliâ tam in Sorbonâ quàm in ipso regno doctoris Richerii scripta causârunt. Famosus abbas Sancyranus Joannes Vergerius de Hauvanne, qui etiam pro infallibilitate papæ tenet, in opere *Petrus Aurelius* intitulato refert quòd, cùm Richerius advertisset quantos motus suus liber in Facultate Parisiensi excitâsset, accessu hujus Facultatis conventuum abstinuerit, ac postmodùm opinionem suam retractârit. Auctor vitæ Richerii, ait eum violenter ad hanc retractationem subscribendam adductum fuisse. Verùm, si hoc ita sit, eò magis probat quòd Gallia tunc valdè fortiter pro infallibilitate summorum pontificum tenuerit.

Nec denique id memoriâ excidit, quòd sub finem præteriti seculi, et à tempore famosorum cleri Gallicani articulorum anni 1682, cùm archiepiscopus Strigoniensis in Hungariâ asseruisset, quòd ad solum papam pertineret articulos fidei definire, ejus propositio ad Facultatem theologicam Parisiensem ad censuram delata, quamvis censuræ factio regiâ auctoritate fulcita esset, summas tamen passa sit contradictiones, pluresque hujus Facultatis doctores maluerint exilium pati quàm hujus propositionis damnationi subscribere.

Post hæc omnia quis adhuc asserere audebit quòd concilium Constantiense tanquàm articulum fidei definierit omnia concilia generalia supra papam esse, hunc que illis in omnibus iis quæ fidem concernunt, subjectum esse? Hoc enim esset, aut concilio Constantiensi à papâ confirmato infallibilitatem adimere, aut omnes episcopos, omnes Universitates, omnesque Ecclesiæ theologos perpaucis exceptis, imò addo, et omnes simplices fideles ad hæreticorum numerum rejicere. Certum verò est, omnesque Catholici in hoc conveniunt, quòd fidelium corpori indita sit quædam infallibilitas passiva, vi cujus nullum errorem tanquàm veritatem quamdam amplecti potest. Oportet ergo dicere, vel quòd Ecclesia ad exiguum Gallorum, papam non esse infallibilem de fide esse credentium, numerum redacta sit, vel quòd error non sit eum infallibilem esse credere, ac per consequens, quòd verum non sit quòd concilium Constantiense illum esse fallibilem definierit.

Quòd si quis dicat quòd, ut promissiones Christi salventur, sufficiat quòd non tota Ecclesia in errore versetur, fidesque in exiguâ etiam mundi parte conservetur, contendo hoc falsissimum esse, talemque doctrinam uno ictu ea omnia subvertere quæ olim Ecclesia per calamum magni D. Augustini adversùs Donatistas tanto cum fructu propugnavit. Candidè ergo ac fide integrâ prætensæ huic concilii Constantiensis definitioni renuntient oportet adversarii, ni malint labyrinthum ingredi è quo pedem referre nunquàm valebunt.

CAPUT XVI

Quòd concilia generalia à confirmatione summorum pontificum auctoritatem suam acceperint.

Cùm præsenti capite nihil in medium adducere intendam, quàm quod à nullo in dubium vocari potest, non de omnibus conciliis, quæ Ecclesia ut œcumenica recipit, sermonem faciam, quia fortè respectu quorumdam dicere quis posset, quòd summorum pontificum confirmatio nihil aliud fuerit, quàm assensus eorum quæ ibi definita fuerant, actorumque acceptatio. Duo ergo hìc demonstrâsse sufficiet: Primum, quòd concilia, quæ à sanctâ sede reprobata fuêre, nullius in Ecclesiâ auctoritatis fuerint, quemadmodùm ea, quæ quamvis in legitimis conciliis statuta fuerint, itidem non approbârunt. Alterum est, quòd quædam concilia œcumenica ideò tantùm ut talia recepta ac habita fuerint, quòd summi pontifices ea suâ auctoritate firmârint ac recipi fecerint.

Quod primum attinet, illius exemplum habemus in concilio Ariminensi, Ephesino secundo ac Constantinopolitano, sub imperatore Copronymo, ratione sanctarum imaginum. Concilium Ariminense, quamvis nonnisi ex Occidentis episcopis conflatum esset, tempore tamen Constantii imperatoris, ut œcumenicum habitum fuerat, tum ob episcoporum, qui illud composuerunt, numerum, tum quia ejusdem concilii formulare Orientis episcopi subsignârant, iique ferè omnes qui id facere renuerant in exilium amandati fuerunt. Attamen, quia papa illud suâ auctoritate non firmârat, sed è contra prorsùs rejecerat ac reprobârat, ab Ecclesiâ etiam repudiatum ac rejectum fuit, atque in concilio episcoporum, cui Damasus papa præsedit, definitum fuit quòd nullius ponderis esse posset, eò quòd Romanus episcopus desuper consultus haud fuisset, hâcque de causâ ingens ille episcoporum numerus, qui illud composuerant, in nullam considerationem trahi posset, ut suo loco jam tetuli.

Secundum concilium Ephesinum trium patriarcharum, Theodosiique Junioris imperatoris auctoritate munitum erat. Nihilominùs D. Leo papa absque ullâ hæsitatione illud rejecit, et quidquid ibi actitatum fuerat, pro nullo haberi debere pronuntiavit, ac sancivit, ut omnia in eodem statu permanerent, in quo ante hujus concilii celebrationem fuerant; tamque potenter apud imperatores egit, ut concilium Chalcedonense demùm coactum fuerit, ubi de consensu omnium catholicorum episcoporum reprobatum atque tanquàm latrocinium habitum ac declaratum fuit, tum quòd in eo fides labefactata fuisset, tum quòd Dioscorus, qui in illo præsidentiam usurpârat, impediisset, ne dicti papæ litteræ in eo legerentur. Ita ut jure merito Gelasius papa seculo sexto asseruerit quòd sola Ecclesia Romana illud concilium reprobari fecerit, atque in hunc effectum Chalcedonense concilium cogi curârit.

In isto Chalcedonensi concilio, cùm omnes qui illud componebant episcopi, exceptis legatis apostolicis, episcopum Constantinopolitanum ad patriarchæ dignitatem evexissent, illique præcedentiam super omnes episcopos post Romanum tribuissent, D. Leo declaravit quòd episcopi potestatem suam transgressi essent, eò quòd concilium solummodò pro fidei causâ coactum fuisset, atque ea omnia abrogavit et annullavit, quæ in favorem episcopi Constantinopolitani actitata fuerant, ita ut tam Anatolius, qui hanc Constantinopolitanam sedem tenebat, quàm Marcianus imperator suas excusationes desuper ad eum perferre debere censuerint.

Notum etiam est quòd synodus illa, quæ seculo octavo imaginum usum in Ecclesiâ damnârat, à summis pontificibus reprobata ac damnata fuerit, quòdque postmodùm iisdem summis pontificibus promoventibus septimum generale concilium celebratum fuerit, in quo conciliabulum illud reprobatum fuit ac damnatum. Et hæc sunt quæ mihi quoad primum demonstranda erant.

Quod secundum attinet, quòd videlicet quædam concilia œcumenica ut talia non aliâ ratione in Ecclesiâ recepta fuerint, quàm quia summi pontifices ea confirmârunt, atque suâ auctoritate recipi fecerunt, telam ultra tria hujusmodi concilia, secundum scilicet, quintum et septimum, non extendam.

Neminem latet quòd concilium secundum tantummodò ex episcopis Orientalibus et Ægyptiis compositum fuerit, quòd ei papa nec per se nec per suos legatos interfuerit, quòdque nonnisi ex 150 episcopis conflatum fuerit, qui proinde tanquàm universam Ecclesiam repræsentantes respici non poterant. Quia autem divinitatem sancti Spiritûs stabilierat, Macedoniique illam negantis hæresim damnârat, ab universâ Ecclesiâ, ut verum fatear, tanquâm orthodoxum receptum quidem fuisset,

at solummodò ut synodus particularis, nunquàm verò ut concilium œcumenicum habitum fuisset, nisi summi pontifices illud acceptâssent, illiusque Symbolum in toto Occidente recipi fecissent.

Quod quintum attinet, res longè adhuc evidentior est; manifestum quippe est, quòd totus ferè Occidens aut ejusdem receptioni se opposuerit, aut illud omninò non receperit. Africæ pars ei se opponebat, ut ex operibus Facundi dignosci potest; imò ipsi Istriæ episcopi à Romanâ Ecclesiâ se separârunt, atque ratione hujus concilii schisma fecerunt. In Franciæ, Hispaniæ ac Longobardiæ regnis receptum non erat. At quia Vigilius papa illud confirmârat, ipsius successores, Pelagius scilicet II et D. Gregorius Magnus, ad procurandam auctoritatem impenderunt, quod tandem ipsis ad vota cessit. Certum sanè est quòd aliàs istud concilium nunquàm in Occidente receptum fuisset, nec hodiedùm ut œcumenicum haberetur.

Notæ denique sunt oppositiones illæ, quas Galliæ, Germaniæ et Hispaniæ episcopi ratione acceptationis septimi œcumenici concilii formârunt in synodo Francofordiensi, cui 300 episcopi intererant, ita ut nisi summorum pontificum auctoritate suffultum fuisset, æquè parùm ac quintum receptum fuisset.

Quoniam ea, quæ modò de istis conciliis retuli, omnibus iis qui vel leviter in historiâ ecclesiasticâ versati sunt, nota sunt, non arbitror esse aliquem qui ea in dubium vocare ausit, unde, ut brevis sim, non hìc antiqua monumenta, quibus illa justificem ac demonstrem, adduco. Poterunt in quolibet auctore, qui historiam ecclesiasticam tractat, inveniri.

Sufficit ergo mihi ex his omnibus inferre, quòd, cùm ex auctoritate summorum pontificum hæc concilia pro œcumenicis agnita fuerint, eaque, quæ illi rejecerunt, etiam ab universâ Ecclesiâ reprobata fuerint, oporteat, ut Ecclesia seculorum illorum, de quibus sermonem feci, summos pontifices tanquàm conciliis generalibus superiores respexerit. Plura desuper adhuc dicere possem, verùm pauca ista, quæ hâc de re modò retuli, sufficere arbitror.

INDEX RERUM.

REGNIER VITA. 9-10

PRÆFATIO GENERALIS tractatûs de Ecclesiâ. *Ibid.*

CAPUT PRÆLIMINARE. Notiones præviæ de naturâ, auctore et antiquitate Ecclesiæ. 15-16

Articulus primus. De nomine Ecclesiæ. *Ibid.*

§ 1. De etymologiâ nominis Ecclesiæ. *Ibid.*

§ 2. De variis nominis Ecclesiæ acceptionibus. *Ibid.*

§ 3. De præcipuis aliis nominibus quibus Ecclesia in Scripturis sacris designatur. 19

§ 4. De figuris quibus Ecclesia in Scripturis adumbratur. 21

§ 5. De parabolis quibus Ecclesia in Scripturis delineatur. 23

Articulus II. De genuinâ Ecclesiæ definitione. 25

§ 1. Notio veræ Ecclesiæ generalior. *Ibid.*

§ 2. Notio specialior veræ Ecclesiæ. 26

Articulus III. De origine Ecclesiæ. 38

§ 1. De auctore Ecclesiæ. 39

Conclusio. Solus Deus, adeòque Christus ut Deus, est auctor Ecclesiæ, potestate independentiæ et supremæ auctoritatis; et solus Christus, ut homo, potestate excellentiæ et ministerii principalis. *Ibid.*

§ 2. De antiquitate Ecclesiæ. 41

Conclusio prima. Ecclesia Christi, seu cœtus fidelium in Christum credentium, ita antecessit nativitatem Christi, ut tempore etiam legis naturæ et legis scriptæ sanctos extitisse christianæ religionis cultores meritò asseratur. 42

Conclusio II. Ecclesia sumpta pro cœtu fidelium ante Christum, videtur incœpisse ab Abel. 48

§ 3. De discrimine statûs Ecclesiæ ante et post Christum. 49

PROŒMIUM. 51-52

DE ECCLESIA CHRISTI. 53-54

Nonnulla præmittuntur de nomine et definitione Ecclesiæ. *Ibid.*

SECTIO PRIMA. DE JUDICE CONTROVERSIARUM. 55-56

SECTIONIS PRIMÆ PRIMA PARS. 55-56
CAPUT PRIMUM. Exponuntur tum præcipua hæreticorum systemata, tum Ecclesiæ doctrina de judice controversiarum. *Ibid.*
De systemate Enthusiastarum *Ibid.*
De systemate Socinianorum. 58
De systemate Baylii. *Ibid.*
De systemate Protestantium. 59
Exponitur catholica de judice controversiarum sententia. 62
CAPUT II. Propositio fundamentalis. Ecclesiæ auctoritate dirimendæ sunt spectantes ad Religionem controversiæ. 63
Argumentum primum. Ex instituto divinitùs pastorali et publico in Ecclesiâ ministerio. *Ibid.*
Argumentum II. Ex ipsâ Ecclesiæ naturâ et constitutione. 65
Argumentum III. Ex necessitate habendi controversiarum supremi judicis, et necessariis ejus dotibus. 68
Argumentum IV. Ex notoriâ, universali et perpetuâ Ecclesiæ praxi. 70
Argumentum V. Ex analysi et proprietatibus fidei. 76
Argumentum VI. Ex incommodis quæ nascuntur et ingravescunt, rejectâ in dirimendis controversiis auctoritate Ecclesiæ. 78
CAPUT III. Refelluntur hæreticorum systemata de judice controversiarum. 85
Articulus primus. Refellitur systema Enthusiastarum. *Ibid.*
Articulus II. Refellitur systema Socinianorum. 87
Articulus III. Refellitur systema Baylii. 94
Articulus IV. Refellitur systema Protestantium. 96
CAPUT IV. Solvuntur objecta. 108
Articulus primus. Solvuntur quæ à Protestantibus objiciuntur. *Ibid.*
Diluuntur objecta ex Scripturis, et claritate Scripturarum, qualis fingitur à Protestantibus. *Ibid.*
Objectio desumpta ex actu fidei prudenter à rudibus etiam et illitteratis eliciendo. 129
Objectio ducta ex statu Ecclesiæ prioribus mundi seculis. 145
ANNOTATIO EDITORUM. 146
Objectio desumpta ex auctoritate quâ etiam post adventum Christi valebat apud Judæos Synagoga. 183
Solvitur objectio desumpta ex auctoritate Ecclesiæ Græcæ suos apud alumnos. 193
Objectio desumpta ex vitioso, qui Romanæ Ecclesiæ institutionibus exprobratur, circulo. 200
Solvitur objectio ex eo desumpta quòd ipsi Romanæ alumni Ecclesiæ tenerentur dubitare de ipsius auctoritate ac dogmatibus. 203
Objectio ultima ex diversis conflata. 206
Articulus II. Solvuntur quæ objiciuntur à Socinianis. 208
Articulus III. Solvuntur tum quæ à Baylio, tum quæ ab Enthusiastis objiciuntur. 223
SECTIONIS PRIMÆ SECUNDA PARS. Utrùm in populo, utrùm in principe seculari, resideat jus ac potestas. 228
CAPUT PRIMUM. Utrùm ipse populus aliquâ polleat auctoritate in dijudicandis de fide moribusque controversiis. *Ibid.*
Conclusio. Populo christiano neque competit jus et auctoritas dijudicandi controversias de fide ac moribus, neque ab ejus testimonio vel assensu religata pendent pastorum Ecclesiæ judicia *Ibid.*
CAPUT II. Utrùm seculares ad principes deferri oporteat jus ac potestas judicandi exorientes de Religione controversias. 236
Pro judice controversiarum haberi non potest in causis Religionis princeps secularis. 237
Consectarium maximi momenti ad notitiam veræ Ecclesiæ, ex præcedenti quæstione deductum. 248
SECTIO SECUNDA. DE NOTIS ECCLESIÆ. 249-250
SECTIONIS SECUNDÆ PRIMA PARS. Utrùm et quâ ratione, seu quo sensu Ecclesiæ Christi divinitùs competant unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas. *Ibid.*
ARTICULUS PRIMUS. De unitate Ecclesiæ Christi. *Ibid.*
Caput primum. Aperitur status quæstionis, exponunturque errantium systemata. *Ibid.*
Caput II. Conclusio. Ecclesia Christi ita est una et individua societas, ut ab ejus communione excludatur quodcumque genus hæreticorum et schismaticorum. 254

Argumentum ex Scripturis. 254
— Ex Symbolis fidei. 255
— Ex Patrum unanimi testimonio. 259
— Ex derelicto ab adversariis veræ unitatis principio. 261
— Ex absurdis quæ ex adversariorum systemate consequuntur. 262
— Ex fundamentalium articulorum distinctione, qualis à Juriæo usurpata est. 264
Caput III. Solvuntur objecta. Explanantur quæ objiciuntur ex Scripturis. 268
Articulus III. De sanctitate Ecclesiæ Christi. 297
Conclusio. Ducto ex miraculis argumento, invictè probari potest sanctitas Ecclesiæ. 299
Solvuntur objecta 300
Articulus III. De catholicitate Ecclesiæ Christi. 312
Conclusio. Ecclesia Christi est verè catholica. *Ibid.*
Solvuntur objecta. 313
Articulus IV. De apostolicitate Ecclesiæ Christi. 321
Apostolicitate, qualem exposuimus, prædita est Ecclesia Christi. *Ibid.*
Propositio prima. Ab initio generis humani eadem semper fuit implicita fides. 334
Propositio II. Sunt multa dogmata quorum explicita fides non semper fuit æqualis. 335
Propositio III. Explicitâ fide credidérunt Apostoli quæcumque divinitùs Ecclesiæ revelata sunt, et quæ non pendent à quibusdam factis decursu temporum contingentibus. 336
Propositio IV. Publicæ omnis revelationis thesaurum commiserunt suis discipulis matricibusque Ecclesiis Apostoli. *Ibid.*
Sectionis secundæ secunda pars. Utrùm Ecclesiæ Romanæ competant unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas, quales exposuimus. 341
Articulus primus. De unitate Romanæ Ecclesiæ. *Ibid.*
Quam asseruimus unitatem, hâc verè pollet Romana Ecclesia. *Ibid.*
Solvuntur objecta. Ex necessitate et conditionibus principii quo constituatur ac foveatur unitas. 343
De facto Victoris. 345
De facto S. Cypriani. 350
De facto S. Meletii. 355
De facto Euphemii et Macedonii. 359
De magno schismate occidentali. 363
De conciliis Constantiensi et Basileensi. 365
Articulus II. De sanctitate Romanæ Ecclesiæ. 373
Propositio. Sancta est Romana Ecclesia, sanctitate illâ quam ostendimus Ecclesiæ Christi esse attribuendam. *Ibid.*
De sanctorum Romanâ in Ecclesiâ exemplis. *Ibid.*
De sanctitate doctrinæ Romanâ in Ecclesiâ. 375
De confirmantibus Romanæ sanctitatem Ecclesiæ miraculis. 379
Articulus III. Verè catholica est Romana Ecclesia. 386
Articulus IV. Verè apostolica est Romana Ecclesia. 389
Sectionis secundæ tertia pars. 399
Propositio prima. Schismatis convincuntur Protestantes, nec ullam possunt præscindendæ unitatis causam obtendere. *Ibid.*
Propositio II. Sanctitate caret societas Protestantium. 405
Argumentum primum, ex præcedentibus assertionibus. *Ibid.*
Argumentum II, ex indole ac moribus auctorum prætensæ reformationis. 406
Argumentum III, ex Protestantium dogmatibus ac disciplinâ. 409
Argumentum IV, ex miraculorum defectu et prætensæ fructibus reformationis. 412
Propositio III. Catholicitate caret societas Protestantium. 414
Propositio IV. Carent apostolicitate Protestantes. 416
Quæstio ultima. Utrùm assignatæ à nobis notæ, dotibus omnibus induantur ad veras Ecclesiæ notas requisitis? 427
I. Notæ illæ sunt propriæ, non communes. *Ibid.*
II. Demonstrandâ notiores sunt Ecclesiâ. *Ibid.*
III. Præviæ sunt rei demonstrandæ. 428
SECTIO TERTIA. DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ. 433-434
Caput primum. De infallibilitate Ecclesiæ generatim spectatâ. *Ibid.*
Argumentorum prima classis, desumpta ex hactenùs positis ac probatis. *Ibid.*
Argumentorum secunda classis, ex apertis Scripturæ testimoniis deprom-

pta. 436
Argumentorum tertia classis, ex constanti traditione, ipsiusque universalis Ecclesiæ testimonio. 441
Argumentorum quarta classis, ex rationibus theologicis. 444
Solvuntur objecta. — Objectio desumpta ex antiquo synagogæ statu. 445
Secunda objectio, quâ ipsorum Apostolorum impugnatur apostolicitas. 449
Tertia objectio, ducta ex comparatione Apostolorum cum eorum successoribus. 452
Quarta objectio, ex difficultate certò cognoscendi infallibilitatem Ecclesiæ. 453
Aliarum quarumdam objectionum promiscua complexio. 454
Caput II. Speciatim, de infallibilitate Ecclesiæ dispersæ. 457
In causis fidei et morum definiendis, infallibilis est dispersa Ecclesia. 458
Solvuntur objecta. 462
Caput III. De auctoritate majoris notoriè numeri episcoporum decreto Romani pontificis adhærentium. 472
Conclusio. In decretis de fide aut moribus errare nunquàm potest major notoriè numerus episcoporum Romano conjunctus pontifici. 473
Solvuntur objecta, ex facto S. Cypriani. 476
Solvitur objectio ducta ex progressibus quos olim habuit Arianismus. 482
Propositio prima. Ante Ariminensem synodum, Arianismi partes consectatum esse majorem Romano cum pontifice episcoporum numerum, argumento nullo probari potest. 483
Propositio II. Tempore Ariminensis synodi, notoriè majorem episcoporum numerum Romano cum pontifice Arianam comprobâsse hæresim, nullo modo asseri potest, imò jure ac meritò negatur. 487
Propositio III. Ab hæresi Arianâ immunes fuerunt Patres Ariminensis synodi. 491
Propositio IV. Temporibus Ariminensem synodum subsecutis, prolapsum esse in Arianam hæresim majorem episcoporum numerum, merum est commentum. 493
Solvuntur objecta quæ spectant ad impugnandam Patrum Ariminensis symodi orthodoxiam. 496
Solvuntur objecta ad episcoporum numerum spectantia, qui sese ad Arianorum partes adjunxerint. 501
Solvitur objectio desumpta ex facto Honorii. 505
Caput IV. De tacito episcoporum consensu. 511
Appendix de provincialibus ad componendas de fide ac moribus controversias, synodis. 519
Caput V. Utrùm et quomodò ex consuetudine et traditione practicâ certò colligi possit quæ sit Ecclesiæ, ac proinde tenenda doctrina. 522
Adnotanda et principia quæ ad explanandum controversiæ statum, assertionisque jacienda fundamenta pertineant. 523
Exponuntur probatæ assertionis quædam speciatim consectaria. 526
Consectarium primum. Rebaptizantibus meritò S. Stephanus contrariam opposuit consuetudinem, tanquàm regulam quam sequi constanter oporteat. *Ibid.*
Consectarium II. Matrimonium à duobus contractum infidelibus dissolvitur, cùm unus ex his, christianam amplexus fidem, secundas celebrat nuptias, altero vel cohabitare abnuente, vel non sine Creatoris injuriâ parato commorari. 529
Consectarium III. Minister confirmationis extraordinarius simplex est sacerdos. 541
Solvuntur objecta. 544
Caput VI. De infallibilitate Ecclesiæ congregatæ. 550
Utrùm in definiendis fidei morumque controversiis errare possint concilia generalia. *Ibid.*
Conclusio. Infallibile est generale concilium in his quæ ad fidem moresve pertineant. 551
Solvuntur objecta. 557
Caput VII. An solos ad episcopos pertineat in causis fidei, judicandi potestas, et ea quidem infallibilis? 581
Assertio prima. In causis fidei solis episcopis (quo nomine inprimis intelligitur summus pontifex) jure divino competit auctoritas judicandi. 584
Argumentum primum. Ex Scripturis. *Ibid.*
Argumentum II. Ex monumentis indubitatæ traditionis. 586

Argumentum III. Ex consectariis adversantis doctrinæ, rationibusque theologicis. 590
Solvuntur objecta. 593
Alia nonnulla exponuntur quæ faciliùs diluuntur objecta. 607
Assertio II. A presbyterorum etiam ut consultorum sententiâ et assensu, neque vim suam obligandi hauriunt, neque necessariò pendent dogmatica episcoporum decreta. 610
SECTIO QUARTA. De infallibilitate Ecclesiæ in condemnatione propositionum in globo, in factis dogmaticis dijudicandis; in beatificatione et canonisatione servorum Dei. 615-616
Caput primum. De condemnatione propositionum in globo. *Ibid.*
§ 1. De naturâ et proprietatibus judicii dogmatici. *Ibid.*
§ 2. De notis theologicis. 618
1° De propositione hæreticâ. *Ibid.*
2° De propositione erroneâ. 620
3° De propositionibus quæ dicuntur hæresi proximæ, sapientes hæresim, suspectæ de hæresi, scandalosæ, temerariæ, malè sonantes, piarum aurium offensivæ. 621
Assertio prima. Propositiones *respectivè*, ut aiunt, et *in globo* damnare potest Ecclesia. 626
Assertio II. Decretis Ecclesiæ, quibus damnantur propositiones in globo, debetur internum etiam et absolutum obsequium. 628
Assertio III (seu deductum ex probatis consectarium). Infallibilia sunt Ecclesiæ judicia, quibus damnantur propositiones in globo. 631
Consectarium de infallibilitate Ecclesiæ in disciplinâ generali. 642
Annotatio editorum. *Ibid.*
Caput II. De infallibilitate Ecclesiæ in factis dogmaticis. 648
Assertio prima. Decretis Ecclesiæ de factis dogmaticis debetur internum etiam et absolutum obsequium. 649
Assertio II. In dijudicandis factis dogmaticis errare non potest Ecclesia. 655
Solvuntur objecta. — Objectionum prima classis. 661
Alia quædam paucis explicantur. 681
Objectionum secunda classis, quæ ad ipsam rei substantiam, genuinamque explicationem maximè pertineant. 685
Objectionum tertia classis. 694
Caput III. De infallibilitate Ecclesiæ in canonisatione servorum Dei. 699
Conclusio. In canonisationis judicio infallibilis est Ecclesia. 702
Solvuntur objecta. 704
Solvuntur quæstiones quædam gravis momenti. 707
Caput IV. De infallibilitate Ecclesiæ in approbatione religiosorum ordinum. 712
Conclusio. In approbandis ordinibus religiosis errare non potest Ecclesia. 713
SECTIO QUINTA. DE POTESTATE ECCLESIASTICA. 713-714
Sectionis quintæ prima pars. Utrùm Ecclesia potestatem habeat in temporalia. *Ibid.*
Conclusio prima. In temporalia potestatem nullam, institutione suâ, seu divino jure obtinet Ecclesia. 716
De usurpatâ distinctione directæ et indirectæ potestatis. 719
Momentis quibusdam theologicis posita confirmatur assertio. 720
Conclusio II. Nullam Ecclesiæ dedit Christus potestatem reges ac principes deponendi, aut eorum subditos à fide et obedientiâ illis debitâ eximendi. 731
I. Probationis primum genus, desumptum ex institutionibus Christi et Apostolorum, tum ex agendi ratione christianæ societatis, vel maximè periculosis persecutionum temporibus. 732
II. Secundum probationis genus, desumptum ex supremâ dignitate, et nulli obnoxiâ principum in temporalibus auctoritate. 734
III. Probationis tertium genus, desumptum ex perniciosis sententiæ quam refellimus consectariis. 740
Solvuntur argumenta quæ ex Scripturis opponuntur. 741
Solvuntur quæ ex monumentis historiæ ecclesiasticæ obtenduntur. 744
Solvitur argumentum ex facto, seu factis Gregorii VII. 747
Solvitur argumentum desumptum a depositione Friderici II, in concilio generali Lateranensi, ab Innocentio IV. 752
Solvitur argumentum desumptum ex concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III. 759
Solvitur argumentum desumptum ex

conciliis Constantiensi et Basileensi. 764
SECTIONIS QUINTÆ SECUNDA PARS. De ecclesiasticâ potestate in constituendâ sanciendâque disciplinâ. 767
CAPUT PRIMUM. Utrùm verâ jurisdictione Ecclesia polleat. *Ibid.*
Conclusio. Jurisdictionem veram et divinitùs acceptam obtinet in spiritualibus Ecclesia. 768
Solvuntur objecta. 776
CAPUT II. Utrùm leges propriè dictas condere valeat Ecclesia. 783
Conclusio. Veram condendi leges potestatem obtinet divinâ institutione Ecclesia. 784
Solvuntur objecta. 788
CAPUT III. Utrùm Ecclesia in spiritualibus polleat supremâ, nec suum intra ordinem dependenti auctoritate. 792
Conclusio. In spiritualibus suprema est, solique Deo subjecta potestas Ecclesiæ. 793
Argumentum primum, et instar fundamenti habendum. *Ibid.*
Argumentum II, ex ipsâ religiosorum principum confessione. 797
Argumentum III, ex consectariis doctrinæ contrariæ. 800
Solvuntur objecta. 807
CAPUT IV. Utrùm ecclesiastico in regimine valeat populus christianus. 824
Conclusio. In communitate fidelium, tanquàm in subjecto sita non est spiritualis potestas, neque hanc ab illâ mutuantur pastores Ecclesiæ. 825
Notabile consectarium. 830
Solvuntur objecta. 831
Corollarium. 834
CAPUT V. Utrùm in consortium gubernationis Ecclesiæ divinâ institutione vocati sint presbyteri. *Ibid.*
Conclusio. In consortium gubernationis Ecclesiæ jure divino vocati non sunt presbyteri. 835
Solvuntur objecta. 839
DE ECCLESIA CHRISTI. PARS SECUNDA. DE ROMANO PONTIFICE. 845-846
SECTIO PRIMA. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. De dignitate et auctoritate quâ S. Petrus cæteros antecellebat Apostolos. 847
Conclusio. Omnes inter Apostolos dignitate et auctoritate præeminebat donante Christo S. Petrus. *Ibid.*
Argumentum primum, ex textu Matth. cap. 16. *Ibid.*
Argumentum II, ex illis Christi verbis : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* 854
Argumentum III, ex textu Joannis cap. 21. 856
Argumentum IV, ex variis S. Petri prærogativis. 860
Argumentum V, ex traditione. 862
Solvuntur objecta. 863
CAPUT II. De primatu Romani pontificis, ut successoris et hæredis S. Petri Apostolorum principis. 874
Conclusio. Primatum honoris et jurisdictionis obtinet jure divino universâ in Ecclesiâ Romanus pontifex. *Ibid.*
Argumenti primum genus, ex Matth. cap. 16. *Ibid.*
Argumenti alterum genus, ex traditione. 882
Solvuntur objecta. 888
CAPUT III. De præcipuis consectariis primatûs Romani pontificis. 901
Articulus primus. Romanus pontifex, Romana Ecclesia, centrum est communionis catholicæ. *Ibid.*
Articulus II. Conclusio. Ratione primatûs potest summus pontifex decreta condere quæ ad omnes pertineant Ecclesias. 905
Articulus III. Potest Romanus pontifex ratione primatûs dispensare, ubi legitimæ locus est dispensationi à legibus generalis ipsius synodi. 907
Articulus IV. Ratione primatûs potest summus pontifex synodos generales convocare, eisdemque præesse, sive per semetipsum sive per legatos. 908
Articulus V. De causis majoribus ad sedem Apostolicam ratione primatûs referendis. 909
Articulus VI. De appellationibus. 914
Conclusio. Vi primatûs, ac proinde jure divino, appellationes episcopales admittere et dijudicare potest summus pontifex. 916
Solvuntur objecta. 923
Defenduntur celeberrima quædam facta quæ ad appellationes episcopales pertineant. 959
De facto S. Athanasii. *Ibid.*
Conclusio. Ex facto S. Athanasii astrui potest jus appellationum Romano pontifici divinitùs collatum. 960

De facto S. Chrysostomi. 963
Conclusio. Semel et iterùm Apostolicam sedem appellavit damnatus iniquè S. Chrysostomus, semelque et iterùm juridicè et honorificè absolutus est. 964
Alterum pariter judicium quod in sanctum Chrysostomum instigante Theophilo à conjuratis quibusdam episcopis prolatum est, à Romano pontifice excussum ac reprobatum est. *Ibid.*
De facto S. Flaviani patriarchæ Constantinopolitani. 967
S. Leonem, tanquàm legitimum auctoritate apostolicâ, judicem appellavit S. Flavianus, eamque appellationem judicandam excepit summus pontifex. *Ibid.*
Solvuntur objecta. 970
De facto Theodoreti. 974
Ad Romanum pontificem appellavit Theodoretus à sententiâ pseudo Ephesinæ synodi, et ab illo fuit sedi suæ restitutus. *Ibid.*
Solvuntur objecta. 975
Articulus VII. Utrùm in causis fidei et morum definiendis errare possit summus pontifex. 979
Conclusio. Ipsis in quæstionibus fidei irreformabile non est summi pontificis decretum, nisi accesserit expressus vel tacitus Ecclesiæ consensus. 980
Argumentum primum. Scripturis proposita consonat assertio. *Ibid.*
Argumentum II. Generalibus in conciliis examini subjecta sunt dogmatica summi pontificis judicia. 981
Argumentum III. In consensione ordinis episcopalis posita est vis maxima decretorum ecclesiasticorum. 984
Argumentum IV. Ex ratione theologicâ. 985
Solvuntur objecta. 987
Objectio ex eo desumpta quòd Romana Ecclesia sit necessarium communionis ecclesiasticæ centrum. 995
Solvuntur objecta ex conciliis. 1003
Solvuntur objecta ex summis pontificibus. 1006
Solvuntur objecta ex SS. Patribus. 1007
Solvuntur objecta ex testimoniis Gallicanorum ipsorum episcoporum. 1009
Solvuntur objecta ex momentis theologicis. 1012
Articulus VIII. Utrùm summo pontifici auctoritate præstet synodus œcumenica. 1016
Conclusio. Concilio generali subjectus est summus ipse pontifex, ac proinde auctoritatis primatum non gerit universam in Ecclesiam, quamvis in omnes et singulas gerat Ecclesias. 1017
Solvuntur quæ objici solent ad infirmanda concilii Constantiensis decreta. 1020
Solvuntur objecta ex Florentini concilii decretis. 1026
Solvuntur objecta quæ desumuntur ex concilio Lateranensi V. 1031
Solvuntur objecta ex eo quòd à summo pontifice confirmantur ipsa concilia generalia. 1033
Solvitur quod ex illo pronuntiato solet objici : A nemine sedes Apostolica judicatur. 1036
Solvuntur objecta ex prohibitione appellationum à sententiis Romanæ sedis ad concilium œcumenicum. 1038
Solvuntur objecta quæ desumuntur ex ipsâ auctoritatis episcopalis origine. 1043
Articulus IX. Utrùm in gubernandâ Ecclesiâ summus pontifex obtineat jure divino immediatam jurisdictionem et quâ ratione illam exerere valeat. 1050
SECTIO SECUNDA. DE MEMBRIS ECCLESIÆ. 1061-1062
Caput primum. De catechumenis. *Ibid.*
Conclusio. Catechumeni propriè et actu non sunt in Ecclesiâ. *Ibid.*
Caput II. De prædestinatis. 1063
Conclusio. Non omnes, non soli prædestinati versantur in Ecclesiâ Christi. *Ibid.*
Caput III. De peccatoribus. 1068
Conclusio. Non ex solis justis, multò minùs solis ex perfectis constat Ecclesia, multosque complectitur manifestos etiam peccatores. *Ibid.*
Caput IV. De hæreticis. 1073
Propositio prima. Ad Ecclesiam non pertinent hæretici notorii, idemque statuendum de notoriis schismaticis, et propter diversam etiam ab hæresi et schismate causam excommunicatis. 1080
Solvuntur objecta. 1081
Propositio II. Jurisdictione non destituuntur notorii omnes hæretici. 1084
Caput V. De schismaticis. 1090
Conclusio. Ad Ecclesiam non pertinent notorii schismatici. 1091
Caput VI. De excommunicatis. 1092
Conclusio prima. Ab Ecclesiâ exclu-

duntur notorii excommunicati. 1093

Conclusio II. Ad Ecclesiam pertinent hæretici, schismatici, et excommunicati occulti. 1095

Consectarium primum. Accurata est ac retinenda quam tractatûs initio attulimus, definitio Ecclesiæ christianæ. 1098

Consectarium II. A veteri Synagogâ differt in multis Ecclesia Christi. *Ibid.*

Quæstio prima. De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. 1099

Articulus primus. De naturâ libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. 1100

Articulus II. De fundamentis libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. 1108

Quæstio altera. De traditionis auctoritate et Patrum testimoniis. 1111

Articulus primus. De traditionis auctoritate in controversiis de fide ac moribus. *Ibid.*

Assertio. Certissimis argumentis evincitur ad nos usque trajectas esse ac necessariò admittendas traditiones etiam divinas ejusdem ac ipsa Scriptura divina, auctoritatis. 1113

Solvuntur objecta. 1118

Articulus II. De Patrum testimoniis. 1130

Propositio prima. In controversiis de fide ac moribus certissimum præstat argumentum unanimis Patrum consensus. 1133

Solvuntur objecta. 1136

Propositio II. Si Patres inter se dissentiant, tum illis adhærendum qui omnibus ponderatis auctoritate antecellant. 1138

Monitum. 1139-1140

Matthæi PETITDIDIER vita. *Ibid.*

DE AUCTORITATE ET INFALLIBILITATE SUMMORUM PONTIFICUM. *Ibid.*

Caput primum. Præjudicia quædam adversùs opinionem illorum qui summos pontifices fallibiles esse contendunt. 1144

Caput II. Privilegium infallibilitatis summorum pontificum supra S. Scripturam fundatum est. 1148

Caput III. Qualem ideam primis Ecclesiæ seculis de auctoritate Romanorum pontificum in quæstionibus fidei habuerint fideles. 1151

Caput IV. Qualem ideam historia quarti et quinti seculi de auctoritate Romanorum pontificum nobis ob oculos ponat. 1155

Caput V. Qualem ideam Patres Græci aliique auctores ecclesiastici primis quinque seculis de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei habuerint. 1171

Caput VI. Qualem ideam Patres Latini quinque primorum seculorum de auctoritate papæ in materiâ fidei habuerint. 1178

Caput VII. Testimonia Romanorum pontificum super privilegiis sanctæ sedis. 1199

Caput VIII. Quid concilia œcumenica aliaque de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei censuerint. Et quomodò Romani pontifices se gesserint respectu conciliorum œcumenicorum. 1205

Caput IX. Quid auctores ecclesiastici à seculo quinto usque ad Græcorum schisma, de auctoritate summorum pontificum in materiâ fidei senserint. 1239

Caput X. Quæ à tempore schismatis iis fuerit inter Græcos et Latinos de auctoritate summorum pontificum. 1251

Caput X. De mente Patrum et auctorum ecclesiasticorum super auctoritate Romanorum pontificum, eorumque in materiâ fidei infallibilitate, à seculo nono ad Scholasticorum usque tempora. 1262

Caput XII. De sententiâ theologorum scholasticorum super auctoritate Romanorum pontificum in Ecclesiâ, atque eorum infallibilitate in fidei quæstionibus à seculo duodecimo usque ad concilii Constantiensis tempus. 1274

Caput XIII. Reflexiones quædam super iis quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt. 1280

Caput XIV. Examinatur articulus quartus conventûs cleri Gallicani anni 1682. 1283

Caput XV. Respondetur objectionibus quæ adversùs infallibilitatem summorum pontificum formari solent. 1294

§ 1. Respondetur objectioni ex necessitate conciliorum deductæ. 1296

§ 2. Respondetur objectioni ex sacrorum canonum observatione depromptæ. 1300

§ 3. Respondetur iis quæ de quibusdam summis pontificibus objiciuntur. 1302

§ 4. Respondetur objectioni de collatione clavium, quòd claves Ecclesiæ non immediatè à divo Petro traditæ fuerint. 1303

§ 5. Respondetur objectioni ex concilio Constantiensi adductæ. 1307

Caput XVI. Quòd concilia generalia à confirmatione summorum pontificum auctoritatem suam acceperint. 1313

MONITUM.

Non semel in hujusce voluminis decursu monuimus ad calcem subjiciendam fore appendicem, in quâ Ultramontanam cum Gallicanâ opinionem conciliare pro viribus conaremur. Hunc verò laborem hìc supersedemus, aptiùs postea aggressuri, quando scilicet, convocatis ad unitatem Ecclesiæ Græcis schismaticis, Protestantibusque ad veritatem appellatis, ipsos inter Catholicos concordiam benevolentiæ ac charitatis verbis advocabimus, operosum hunc de Ecclesiâ tractatum illâ tanquàm coronide perfecturi.

FINIS TOMI QUARTI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

240.184
M 53
v4

Migne, J. P.
Theologiae Cursus Completus

DATE DUE

BR60 .T44 1939 v.4
Theologiae cursus
completus

Southern Evangelical Seminary
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105

DEMCO

3 7387 00071 2602